The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/lexiconbiblicum01hage

5692

CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. PIUS X,

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT.

PARS PRIOR

LIBRI INTRODUCTORII

IV

LEXICON BIBLICUM

VOLUMEN I

A-C

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

LEXICON BIBLICUM

EDITORE

MARTINO HAGEN S. I.

I

VOLUMEN PRIMUM A-C

Cum approbatione Superiorum

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1905

Omnia jura vindicabuntur.

Cum opus, cui titulus est « *Lexicon biblicum* » editore Martino HAGEN, S. J., aliqui ejusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo muneris nostri munitas dedimus.

Luxemburg, die 23 Januarii 1904.

L. S. P. C. SCHAEFFER S. J.

Prov. Germ. Praepositus.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 16 Septembris 1904.

† FRANCISCUS, CARD. RICHARD

Archiepiscopus Parisiensis.

PIO · X · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

TABULAE GEOGRAPHICAE

	Columnae
Aegyptus	121-2
Assyria-Babylonia	460-1
Babylon urbs	527-9
Chanaan tributim descripta	828-9
Asia minor, Graecia, Italia (Itinera S. Pauli)	914-6

TABELLAE ET SCHEMATA

Castra populi Israel in deserto	787-8
Tempus regum Iuda	903-4
Tempus regum Israel	905-6
Schema legis de esu carnium	927-32

JUL 13 1970

PRAEFATIO

« Sicut quidam de verbis omnibus et nominibus hebraeis et syris et aegyptiis, vel si qua alia lingua in Scripturis sanctis inveniri potest, quae in eis sine interpretatione sunt posita, fecerunt ut ea separatim interpretarentur, et quod Eusebius fecit de temporum historia propter divinorum librorum quaestiones, quae usum eius flagitant; quod ergo hi fecerunt de his rebus, ut non sit necesse christiano in multis propter pauca laborare : sic video posse fieri, si quem eorum, qui possunt, benignam sane operam fraternae utilitati delectet impendere, ut quoscumque terrarum locos, quaeve animalia vel herbas atque arbores sive lapides vel metalla incognita speciesque quaslibet Scriptura commemorat, ea generatim digerens sola exposita litteris mandet » (S. *Augustinus*, De doctr. christ. II. 39, 59; apud *Migne*, Patr. lat. 34, 62).

Quam S. Augustinus hisce verbis expostulat, benignam operam fraternae utilitati impendere conatur Lexicon Biblicum. Cuius scopus est, ut lectores de iis, quae sacer textus dicit, edoceantur atque, ubi opus est, ad auctores, qui de singulis copiosius agunt, remittantur. Arctioribus igitur limitibus circumscribitur hoc Lexicon, quam opus praeclarissimum a *Fulcrano Vigouroux* presbytero Sulpiciano editum « Dictionnaire de la Bible », quod ut feliciter perficiatur, omnes litterarum sacrarum studiosi magnopere exoptant.

Singulis huius Lexici articulis proponuntur et describuntur, quae in S. Scriptura memorantur : personae, regiones et loca, animalia, plantae, mineralia, res archaeologicae tum profanae tum sacrae, historicae, theologicae. Excluduntur quaestiones Introductionis biblicae, quoniam, ut titulus generalis huius operis indicat, tria volumina Lexici biblici ad libros introductorios prius editos (I. II. III.) velut continuatio accedunt. Verum per se patet hinc inde quaedam ex Introductione speciali attingenda esse, verbi gratia ubi de scriptore sacro eiusque aetate dicendum erit.

Quoad nomina propria scriptionem versionis Vulgatae retinemus; neque tamen hac regula prohibemur, quominus nomina propria, quae in Vulgata desiderantur vel voce appellativa redduntur, ex textu primigenio suppleamus. Formas autem graecas nominum Veteris Testamenti desumimus ex editione romana seu Sixtina; ubi vero lectiones codicum praecipuorum distinguere iuvabit, utimur editione *Henry Barclay Swete*, The Old Testament in Greek according to the Septuagint (Cambridge 1887-94, editio altera 1895-99, tria volumina) et singulos codices notissimis illis siglis designamus scil. A Alexandrinum, B Vaticanum, C Ephraem rescriptum, ℵ Sinaiticum. Quod autem in afferendis lectionibus graecis magna utamur moderatione, benigne iudicabit, cui compertum est, in quanam conditione nomina propria textus graeci versentur.

Singulorum articulorum, qui nominibus auctorum suorum signantur, rationem reddendam in se suscipiunt singuli collaboratores nostri, reliquorum ipse editor, qui lubenti ac grato animo fatetur se in diuturno labore ab uno alterove collaboratore, prout occasio ferebat, benigne ac liberaliter esse adiutum.

Faxit Deus Optimus Maximus, ut post hoc primum volumen satis brevibus intervallis in lucem prodeant volumen secundum et tertium, quibus totum opus absolvi posse speramus.

In Collegio St. Ignatii
Valkenberg (Limburg, Hollandia)
die festo Assumptionis B. V. Mariae 1904

M. Hagen S. I.

LEXICON BIBLICUM

A

AARON (אַהֲרֹן, Ἀαρών) erat filius primogenitus Amram et Iochabed (Ex. 6, 20; cf. Ex. 2,1 et Num. 26,59), frater Moysis et Mariae, Moyse tribus annis provectior (Ex. 7,7). In linea primogeniturae descenderat a Caath parente secundi generis levitarum, unde tempore Exodi ex Aegypto, cum iam octoginta tres annos ageret, secundum mores legesque Israelitarum ipsi dignitas capitis Caathitarum competebat. Uxor eius Elisabeth erat filia Aminadab et soror principis Iuda Nahasson. Insuper modus, quo Ex. 4,14 Aaron levites designatur, aliquem principatum forte iam indicat. Auctoritas haec ex genere et familia orta non minus quam donum eloquentiae, quo Moysi fratri praecellebat, effecerunt ut Aaron ex consilio Dei aptissimus esset consiliorum Moysis socius et adiutor.

Aaron ut os Moysis (Ex. 4,16) et propheta Moysis (Ex. 7,1) pro fratre verba facit tum apud Pharaonem tum apud seniores populi israelitici. Aaron iussu Moysis miracula coram Pharaone vel ipse patrat vel in patrandis operam praestat (Ex. 7,10 s.). In deserto Sin filii Israel murmurant contra Moysen et Aaron (Ex. 16,2). Moyses et Aaron populo carnes et panes nomine Dei promittunt (Ex. 16,6). Aaron in vase manna colligit, quantum gomor capere potest, illudque in tabernaculo reservandum ponit (Ex. 16,33. 34). In Raphidim Aaron et Hur manus Moysis sustentant, usque dum Amalec fugatus est (Ex. 17,8-16). Aaron cum aliis de senioribus Moysen in montem Sinai comitatur ibique Deum Israel videt (Ex. 24,9. 10). Moyse absente Aaron simul cum Hur, viro nobili ex tribu Iuda, fratris vice fungitur (Ex. 24,14). Ubi primum fundamenta novae theocratiae conduntur, Aaroni eiusque posteris pontificatus respective sacerdotium ex Dei consilio promittitur (Ex. 28 et 29).

At huic vocationi non obstat, quod Aaron ante susceptum pontificatum integer moribus non fuerit, sed parum generosum sese praebuerit (Ex. 32,1 s.). Etenim cum Moysis vice fungeretur, querelae contra Moysen excitatae in apertum proruperunt; populus morae pertaesus, quod columna non moveretur, in seditionem abreptus est et ab Aarone postulavit, ut ipsis plura simulacra seu divinas imagines confingeret, quibus ex deserto Sinai in fertiliorem regionem educerentur. Iamvero eiusmodi repraesentationes a Deo prohibitae erant ob idololatriae periculum; erat igitur grave superstitionis peccatum, quod populus figmentis illis virtutem inesse putaret ad se ducendos ac protegendos. Aaron autem debilitati indolis cedens

vitulum aureum opere fusorio formavit et peccati populi particeps factus est. Quod in poena divinitus populo immissa ipse non interierit, Moysi debuit, qui deprecationibus suis fratri veniam a Deo impetravit (Deut. 9,20). Neque tamen ab omni poena Aaronem servatum esse immunem ex iis, quae sequuntur, patebit.

Rebellibus morte sublatis sanctuarium aedificatum et consecratum est, deinde leges de sacrificiis offerendis promulgatae sunt, tandem Aaron a Moyse vices Dei gerente pontifex consecratur octiduana ordinatione (Lev. 8) secundum praecepta, quae Ex. 28 s. summatim indicata sunt. Eodem octiduo quattuor eius filii Nadab, Abiu, Eleazar, Ithamar sacerdotes consecrati sunt. Hac Aaronis eiusque posterorum in sacerdotium evectione genus Caathitarum primum locum inter genera levitarum obtinuit (Num. 3,27 s.).

Terribili Dei iudicio Aaron eiusque posteri edocentur, quanam reverentia ac diligentia sacrum munus ipsis obeundum sit. Ipso die octavo consecrationis circa horam incensi Nadab et Abiu contra praeceptum Domini igne profano thurificantes interimuntur igne coelesti, qui fulminis instar a Domino prodiit (Lev. 10,1 s.; Num. 3,4; 26,61). Atque hac ratione simul Aaron poenam fert eorum, quae vitulum aureum formans timide egerat.

Paulo post in statione Haseroth Aaron et Maria aequalem sibi cum Moyse propheticam auctoritatem arrogarunt, tum quod aegre ferrent Moysis nuptias cum Aethiopissa, tum quod et ipsi, Aaron et Maria, divinas revelationes consecuti essent. Statim ambo ad tabernaculum evocati a Domino edocentur, quantopere Moyses ipsis dignitate antecellat. Maria lepra percutitur eiusque punitionis effectus in Aaronem quoque transit, qui eam leprosam declarare ac separare officio suo iam tenetur. Aaron autem auxilium Moysis implorat atque humili peccati confessione et prompta submissione ordinem laesum restituit et sanationem sororis obtinet (Num. 12).

Postquam Israelitae ab ipso limine terrae Chanaan in desertum reiecti sunt, orta est in Moysen et Aaron magna illa seditio principum, quorum maior pars levitae sacerdotium, aliqui de tribu Ruben, primogeniti Iacob, principatum ambibant. Duces erant Core levita de stirpe Caath, Dathan et Abiron Rubenitae de stirpe Phallu; accedebant ducenti quinquaginta principes de filiis Israel, quorum maior saltem pars videntur levitae fuisse. Moyses ad Dei arbitrium provocat et cum magna populi multitudo rebellibus faveret, a Domino impetravit, ne omnes perderentur. Dathan et Abiron cum familiis terra absorpti sunt, Core cum factione sua igne divinitus immisso interiit. Denique cum omnis populus sequenti die contra Moysen et Aaron propter mortem tot virorum nobilium murmuraret ac Deus incendio in murmurantes saeviret, Aaron pontifex deprecatione sua iram Domini compescuit (Num. 16; cf. Sap. 18, 20 s.).

Quibus aemulationibus ac murmurationibus ut finem faceret, Deus novo ac maxime sollemni testimonio ostendit Aaroni et sacerdotium prae reliquis tribubus et principatum in tribu Levi divinitus commissum esse. Sumptis duodecim virgis, quibus nomina duodecim principum tribuum inscripta erant et promissione data : « Quem ex his elegero, germinabit virga eius » (Num. 17, 5), sola Aaronis virga floruit et amygdalas produxit atque reposita est in tabernaculo testimonii perpetuo asservanda.

Cum ex diuturna generationis reiectae migratione Moyses plura non referat, de ultimis diebus Aaronis pauca addenda sunt. Mense primo anni quadragesimi Israelitae Cades usque in deserto Sin pervenerunt. Ibi Maria mortua et sepulta est. Ibi quoque Moyses et Aaron diffidentia sua Deum offendunt et in poenam peccati ingressu terrae promissae privantur. Mense quinto eiusdem anni ad montem Hor in finibus terrae Edom pervenerunt. Iussu Dei Aaron cum Moyse et Eleazaro in montem ascendit. Eleazarus vestibus sacerdotalibus Aaronis indutus eiusque successor constitutus est. Tum Aaron mortuus est annos centum viginti tres natus. Populus vero fle-

vit super eo triginta diebus per cunctas familias suas (Num. 20). Eum in monte Hor mortuum esse legitur Num. 20,29 et 33,38; alio loco (Deut. 10,6) in statione Mosera mortuus ac sepultus esse perhibetur (vide s. v. MOSERA). Eius posteri ab Eleazaro et Ithamar descendentes, quibus munus sacerdotale in sanctuario exclusivo iure usque ad Messiae tempora obtigit, domus Aaron vel filii Aaron vocabantur. Tempore Christi viginti millia sacerdotum in Palaestina fuisse testatur Flavius Iosephus (contra Apion. 2,7).

Erat Aaron pontifex vir eximiae sanctitatis. Licet enim tum ante tum post susceptum pontificatum debilitatis culpabilis documenta dederit neque Moysen zelo, fortitudine, animo generoso, morum integritate aequaverit, tamen humili poenitentia, devota erga populum caritate, zelo vere sacerdotali insignem se praestitit. Eius pontificia dignitas ac virtutes sacerdotales Eccli. 45,7-27 celebrantur.

Martyrologium Romanum die 1. Iulii eum Sanctis accenset.

Cf. *F. de Hummelauer*, Comment. in Exod. Lev. Num. et Das vormosaische Priesterthum in Israel, Herder, 1899. Secundum hunc interpretem auctores illius seditionis Ex. 32,1 s. erant sacerdotes praemosaici; Aaron autem fundens ex inauribus oblatis simulacrum, quod ipsum Iahve repraesentabat, et sollemnitatem Iahve cum convivio indicens auctoribus seditionis necem parabat. Illud vero, quod Aaron sibi proposuerat, Moyses ipse pro legitima iudicis auctoritate exsecutus est : levitas armatos per media castra misit, qui istos rebelles sacerdotes praeaaronicos circa vetus tabernaculum in ebrietate discubantes trucidarunt.

AASBAI (אַחַסְבַּי, ὁ Ἀσβίτης), pater Eliphelet herois davidici (2 Reg. 23,34). Vocatur filius Machati i. e. oriundus de regione Maacha (v. MAACHA 1). Ceterum vox אַחַסְבַּי corruptione videtur laborare; etenim loco parallelo 1 Par. 11,35.36 legitur : Eliphal (= Eliphelet) filius Ur, Hepher Mecherathites (vel potius Maachathites). Duo igitur nomina Ur et Hepher videntur substituenda esse pro iis, quae in textu hebraico 2 Reg. 23,34 leguntur אחסבי בן־

AB mensis quintus v. MENSIS.

ABADDON, angelus abyssi (Apoc. 9,11) et rex locustarum, quae ex abysso prodeunt similes equis paratis in praelium, habentes facies hominum, capillos mulierum, dentes leonum, loricas ferreas, alas strepitantes strepitu curruum, caudas scorpionum, potestatem nocendi hominibus mensibus quinque (Apoc. 9,7-10). Angelo igitur abyssi, qui his locustis praeest, uni ex principibus daemonum S. Ioannes nomen hebraicum אֲבַדּוֹן indidit, quod vel perditionem, ruinam, interitum, mortem significat (Iob 28,22; 31,12; Ps. 87[88],12) vel locum ubi mortui habitant (Iob 26,6; Prov. 15,11 et 27,20 *Qeri*); Rabbini Abaddon vocant conclave inferni omnium infimum (*Schöttgen,* Horae hebr. in Apoc. 9,11). Sensum hebraici nominis S. Ioannes interpretatur Ἀπολλύων et *Vulg.* addit : Exterminans. Aptissime angelus abyssi perditor designatur, quia totus est in perdendo, sicut Messias vocatus est Iesus, quia salvum facit populum suum a peccatis eorum (Matth. 1,21).

Cum angelo abyssi conferri potest in Talmude Angelus mortuis et moribundis praefectus, de quo *I. Buxtorf,* Lexicon chald. talm. rabb. col. 550 s. v. דּוּמָה haec habet : « Duma nomen Angeli praefecti mortuis et moribundis, quos nominatim compellat hora extrema, unde in Gemara legitur : Duma praecedit et publice vocat ipsum : Nunc veniat N. etc. (Berachoth fol. 18.2). A silentio, quod דומה dicitur, nomen habet ac penes mortuos perpetuum est, qui et propterea Latinis dicuntur Silentes ».

ABANA (אֲבָנָה, Ἀβανά), fluvius Damasci, de cuius aquis limpidis Naaman Syrus 4 Reg. 5,12 : « Numquid non meliores sunt Abana et Pharphar fluvii Damasci omnibus aquis Israel? » Nomen Amana (אמנה) scribunt *Qeri,* immo etiam codices bene multi in textu, *Targum Ionathan, Syrus* (cf. *de Rossi,* Variae lectiones Vet. Test. II. p. 230 et Zeitschr. für Assyriol. II. 1887, 268); versio arabica habet Barda. Censetur esse hodiernus *Nahr Baradā* (i. e. fluvius frigidus), qui de *Djebel el-Zebedānī* in Antilibano

profluit, inde per fauces praeruptas rupium Damascum petit, urbem percurrit et orientem versus progressus in magnum lacum *Bahrāt el-'Ateibe* se effundit. Idem est Chrysorrhoas apud *Strabonem* (XVI. 2,16 et *Plinium* V. 18,74), ὁ Βαρδίνης ποταμός apud *Stephanum Byzantinum ed. A. Westermann* 1839, p. 97.

Lectione Amana commendatur opinio, quam plerique tenent, a fluvio regionem montanam, unde profluit, appellatam esse Amana ad eamque referri Cant. 4,8: de capite Amana מֵרֹאשׁ אֲמָנָה, sed LXX ἀπὸ ἀρχῆς πίστεως). Verum ex iis, quae *I. P. van Kasteren* de limite septemtrionali terrae promissae proposuit in *Revue Biblique* IV. 1895, p. 23-36, Amana potius erit ille mons Hor (*Vulg.* mons altissimus) in septemtrionali plaga terrae Chanaan Num. 34,7 seu *Djebel el-Shuqīf*, terminus meridianus Libani iuxta ripam dexteram *Nahr el-Qāsimīye* (l. c. p. 28,29).

Cf. *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 581-583; *Ritter*, Erdkunde XVII. 2, 1274-1311; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterthumskunde I. 2,246 s.; *I. L. Burckhardt*, Reisen in Syrien, Palaestina, *ed. W. Gesenius*, Weimar 1823, I. 37-39; 488; *I. L. Porter*, Five years in Damascus 1855, I. 255-278; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land 1894, p. 46. 612 s.

De nomine assyriaco *Ammana* seu *Ammanana* montis cf. *H. Winckler*, Alttest. Untersuch. 1892, p. 131.

ABARIM mons seu montes הַר, הָרֵי הָעֲבָרִים, הָעֲבָרִים, Num. 27,12 τὸ ὄρος τὸ ἐν τῷ πέρᾳν, 33,47.48 τὰ ὄρη [τὰ] Ἀβαρίμ, Deut. 32,49 τὸ ὄρος τὸ Ἀβαρίμ). Montes Abarim ad terram Moab pertinent (Deut. 32, 49). Eorum praecipua cacumina sunt Nebo, qui est in terra Moab contra Iericho (Deut. 32,49, Phasga Num. 23,14), Phogor Num. 23,28. Moyses antequam moreretur, in montem Nebo ascendit et ab eius culmine terram promissam contemplatus est (Num. 27,12; Deut. 3,27; 34,1); ex duobus locis Deut. modo citatis elucet Nebo culmen montis Phasga fuisse, hinc nomine Phasga totam partem septemtrionalem montium Abarim comprehendi. Inter stationes Israelitarum Num. 21,20 recensetur vallis in regione Moab in vertice Phasga; eadem vallis in montanis Phasga i. e. in septemtrionali parte montium Abarim aliis verbis describitur Num. 33,47: montes Abarim contra Nabo. Tentoriis Israel, quae in campestribus Moab fixa erant (Num. 22,1), Balaam secunda vice benedixit a vertice montis Phasga (23,14), tertia vice a vertice montis Phogor (23,28). In monte, ex quo Moyses haereditatem Domini vidit, Ieremias tabernaculum et arcam et altare incensi abscondisse narratur in epistula 2 Mach. 2,4.5. Denique apud Ier. 22,20: « Ascende Libanum et clama et in Basan da vocem tuam et clama *ad transeuntes* » ultima verba ex hebraico sunt vertenda: *et clama de Abarim;* etenim admonetur urbs Ierusalem, ut omnibus gentibus in circuitu, Syris in Libano, Ammonitis in Basan, Moabitis in montanis Abarim annuntiet cladem suam ex prostratione sociorum populorum, a quibus populus Dei perperam auxilium sibi sperabat. Cf. *Knabenbauer* in h. l. et etiam in Ez. 39,11 גֵּי הָעֹבְרִים, vallis viatorum). Apud Flav. Iosephum (Ant. IV. 8,48) mons Abarim describitur excelsus e regione Ierichuntis situs, qui ascendentibus late prospectum praebet in Chananaeorum terram optimam et amplissimam.

Iuvat hic uno conspectu ea subiicere, quae Onomasticon Eusebii et S. Hieronymi de Abarim, Nebo, Phasga, Phogor tradit. Primum s. v. Ἀβαρείμ, Abarim (*ed. Lag.* 216,4; 89,8): « Abarim mons, in quo mortuus est Moyses; dicitur autem et mons esse Nabau in terra Moab contra Iericho supra Iordanem in supercilio Phasga; ostenditurque ascendentibus de Libiade (Betharan) in Esbum (Hesebon) antiquo hodieque vocabulo iuxta montem Phegor nomen pristinum retinentem, a quo circa eum regio usque nunc adpellatur Phasga. » Et s. v. Ναβαῦ, Nabau (*ed. Lag.* 283,93; 141,30): « Nabau quod hebraice dicitur Nebo, mons super Iordanem contra Icrichum in terra Moab, ubi Moyses mortuus est; et usque hodie ostenditur in sexto miliario urbis Esbus (Hesebon) contra orientalem plagam » (sed Eusebius: εἰς δυσμάς i. e. occidentem versus a Hesebon). Porro de monte Pho-

gōr s. v. Φογώρ, Phogor (*ed. Lag.* 300,3; 123,30) : « Mons Moab, ad quem Balac rex adduxit Balaam ariolum, in supercilio Libiadis » (Eusebius : ὑπέρκειται δὲ τῆς νῦν Λιβιάδος καλουμένης) et iterum s. v. Araboth Moab (*ed. Lag.* 213,47; 87,12) mons Phogor situs esse dicitur « euntibus a Libiade in Esbun Arabiae contra Iericho » (Eusebius : παράκειται ἀπιόντων ἀπὸ Λιβιάδος ἐπὶ Ἐσεβοῦν τῆς Ἀραβίας ἀντικρὺ Ἱεριχώ). Praeterea S. Hieronymo innotuit villa quaedam Dannaba super montem Phogor 7 mil. pass. ab Esbus seu Hesebon (*ed. Lag.* 114,32; cf. 249,36 mutilatum textum Eusebii). Accedit denique, quod Onom. s. v. Ναβώρ, Nabo, quae urbs in monte Nebo vel iuxta eum quaerenda est (v. NEBO 1), etiam mentionem facit loci deserti Ναβαῦ, Naba 8 mil. pass. ab Hesebon meridiem versus (*ed. Lag.* 283,99; 142,5); sed addere iuvat distantiarum commensurationes in Onom. saepe non iustas probari, immo etiam inter se pugnare.

Ex locis allegatis colligitur montes Abarim esse ad orientem maris Mortui superioris et etiam e regione Iericho ad orientem planitiei Settim seu Setim (*Ghōr el-Seisaban*), ac proinde inter *Wādi Zerqā Ma'īn* et *Wādi Hesbān;* huius regionis montanae pars septemtrionalis vocabatur Phasga. Nomen montis Nebo conservatum esse merito affirmatur in ruinis *Nebbe* seu *Nebā* sex fere horarum itinere ab ostio Iordanis orientem versus, ab urbe *Hesbān* (Hesebon) inter meridiem et occidentem, a *Wādi 'Ayūn Mūsā* nonnihil meridiem versus (*Baedeker-Benzinger,* Palaestina und Syrien *ed.* 5, p. 175; Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins II. 4 et cf. Tafel I). Nominis Phogor vestigium non exstat, sed ex locis citatis apparet Phogor esse cacumen in montanis Phasga nec procul a Nebo aquilonem versus quaerendum. A cacumine *Djebel Nebā* occidentem versus exsurgit *Rās Siagha* atque huic nomini in operibus chartographicis recentioribus adiungitur designatio : mons Phasga (*Legendre,* Carte de la Palestine; *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I). De nominibus modernis *Djebel Nebā* et *Rās Siagha* adnotatur in *Survey of East. Pal.* Mem. I. 198 : « Hoc nomen, *Nebā,* ab Arabibus tribuitur cacumini plano et congerie lapidum conspicuo, a quo montes continui iuxta meridiem vallis *'Ayūn Mūsā* occidentem versus decurrunt; hi montes continui indiscriminatim nominantur *Nebā* et *Siagha*; verumtamen nomen *Rās Siagha* tribuitur termino lineae montium transversae, quae est inter meridiem et occidentem a ruina *Siagha* ».

Cf. *F. de Saulcy*; Voyage en Terre Sainte 1865, I. 289-296; *Merrill,* East of Iordan 240-252; *H. B. Tristram,* The land of Moab 1874; *C. R. Conder*, Heth and Moab 1889, p. 131-141; *F. Buhl,* Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 122; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. p. 94.

ABARON (Αὐαράν, *Syr.* Chavran) cognominatur Eleazar frater Iudae Mach. (1 Mach. 2,5); idem cognomen 6,43 legitur ὁ Σαυαράν, *Vulg.* filius Saura. Supponitur hebr. חַוָּרָן. Nonnulli interpretantur *pallidus* a verbo חור *album esse, pallere,* alii vero *perforator* a radice חור *cavare, perforare.* Cf. *Keil* et *Grimm* ad 1 Mach. 2,5.

ABBA, vox aramaica, quae hebraico אָב *pater* respondet et nobis conservata est in graeco Novo Testamento : ἀββᾶ (Marc. 14,36; Rom. 8,15; Gal. 4,6). In textu graeco et in *Vulg.* nomen patris geminatum est : ἀββᾶ ὁ πατήρ, abba pater. Apostolum duplici illa appellatione usum esse dicunt interpretes, quia in Ecclesiis usitata erat; etenim etiam ethnico-christiani illud nomen usurpare consueverant, quo ipse Dominus Patrem suum appellaverat, sed huic nomini usu ipsius Christi consecrato graecam interpretationem adiecerunt, ut hac repetitione vehementiam filialis pietatis ac fiduciae clarius exprimerent. Quod vero in ipsa oratione Domini (Marc. 14,36), qui sermone patrio utebatur, eadem geminatio nominis occurrit, ab aliis aliter explicatur. Ex opinione quam *I. Knabenbauer* ad h. l. probabiliorem habet, vox graeca videtur addita a Petro, qui narrans de oratione Iesu ipsum illum sonum, quo Iesus Patrem allocutus est, retinere et aliis insinuare voluit, sed pro Romanis adiecit vocis explicationem. Alii illa geminatione indicari volunt Iesum vocem abba gemi-

nasse (*Caietanus, Corn. a Lapide*). Alii vocem graecam ab evangelista additam esse censent (*Albertus M., Patrizi, Schegg, Fillion, Keil*); sed advertendum est Marcum, si voces aramaicas ipse explicat, id indicare solere (cf. 5,41; 7,34). Alii denique putant formulam precandi : *abba Pater* apud Christianos usitatam a Marco usurpari et per hysteron proteron ipsi Christo attribui (*Schanz, Weiss*).

ABDA (אַבְדָא). **1.** Pater Adoniram super tributa à Salomone constituti (3 Reg. 4,6; Ἀδών, B Ἐφρά, A Ἀδαώ). — **2.** Levita ex posteris Idithun, incola Ierusalem post instaurationem (Neh. 11,17; Ἰωβήβ, א Ἰωρήβ, B Ὠβήβ, textus Luciani Ἀβδιάς). Idem 1 Par. 9,16 appellatur Obdia (v. OBDIA 3).

ABDEEL (עַבְדְּאֵל, *LXX* omittunt), pater Selemiae illius, qui Ieremiam et Baruch comprehendere a rege Ioakim iussus est (Ier. 36,26).

ABDEMELECH (עֶבֶד־מֶלֶךְ i. e. servus regis; Ἀβδεμέλεχ, in arabico ʿAbdulmalik usitatum nomen proprium), Aethiops (Cushites) eunuchus in aula Sedeciae, ultimi regis Iuda, fortasse gynaeceo custodiendo addictus; is intercessione pro Ieremia facta iussu regis prophetam e lacu lutoso eduxit, in quem per principes Ierusalem missus fuerat (Ier. 38,7-13); Deus hoc eius factum remunerat sollemni promissione per Ieremiam promulgata, ipsum in futura urbis expugnatione gladio non esse interiturum (39,15-18). Ex tota narratione elucet huius alienigenae animus generosus ac minime servilis, audacia et fortitudo, prudentia et humanitas, fides et fiducia in Dominum; dum plurimi de populo electo non credunt neque obtemperant verbo Dei, alienigena credit et magna operatur. Est fere typus eorum, qui Christo credent Iudaeis non credentibus.

ABDENAGO (עֶבֶד נְגוֹ et Dan. 3,29 עֶבֶד נְגוֹא, Ἀβδεναγώ), nomen babylonicum Azariae, Danielis socio, in Babylonia impositum (Dan. 1,7; 2,49; 3,12.16.97), quod mendo scribarum legi videtur pro עֶבֶד נְבוֹ i. e. cultor Nebo. Erat Nebo vel Nabu unus ex praecipuis diis Chaldaeorum (cf. Is. 46,1). Notissima sunt nomina cum Nabu composita : Nabopolassar, Nabuchodonosor, Nabuzardan. Etiam nomina cum *abad* composita apud Babylonios inventa sunt. Immo ipsum nomen Abednebo legitur in inscriptione aliqua assyrio-aramaica ut nomen proprium viri. Cf. *E. Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. II. p. 126.

ABDI (עַבְדִּי). **1.** Levita ex familia Merari (1 Par. 6,44; Ἀβδί). — **2.** Levita ex familia Merari, pater Cis levitae tempore Ezechiae regis (2 Par. 29,12; Ἀβδί). — **3.** Unus de filiis Aelam, qui iussu Esdrae uxores alienigenas Babylone acceptas eiecerunt (Esdr. 10,26; Ἀβδία).

ABDIAS (עֹבַדְיָה vel forma pleniore עֹבַדְיָהוּ i.e. cultor Iahve; cf. arab. ʿAbdallah).

1. Unus ex prophetis minoribus, qui inter eos in textu hebr. et *Vulg.* quartum obtinet locum (*LXX* Ὀβδιού vel Ὀβδιού vel Ἀβδιού scil. ὅρασις).

Breve oraculum (vv. 21) de ipso propheta nihil nobis refert nisi nomen. Cum autem in serie duodecim prophetarum minorum ratio temporis generatim observetur, ex ipso loco quem occupat eum circa tempus Amos prophetae vixisse non est improbabile. Idque ipso oraculo omnino suadetur. Quod ut ostendatur, prius ex oraculo colligendum est, eum nullo pacto loqui de expugnatione urbis a Chaldaeis facta, sed de anteriore aliqua. Id autem ex eo conficitur, quia solum loquitur de direptione opum, de ingressu hostium in urbem, nihil autem de destructione vel incendio urbis, nihil de templi ruina. Sed si expugnationem chaldaicam ob oculos habuisset, quomodo id omitteret, quod praecipuum erat? Ergo de priore aliqua expugnatione urbis loquitur. Iam ante Oziae aetatem ter urbs est expugnata : tempore Roboam a Sesac rege Aegypti, sub Ioram ab Arabibus et Philisthaeis, sub Amasia a Ioa rege Israel (cf. 3 Reg. 14,25 s.; 2 Par. 21,16 s.; 4 Reg. 14,11 s.; 2 Par. 15,17 s.). Omnis prima illa expugnatione, de qua nemo explicat, certum esse vide-

tur de altera loqui Abdiam. Nam hostes illos vocat alienos, extraneos (נְכָרִים, זָרִים v. 11), quae appellatio eo minus de Israelitis sub rege Ioa intellegi potest, quia ipsos Edomitas a fratris nomine non excludit v. 10, ergo Israelitas nomine alienorum minime designasset. Unde in v. 11 exprobrat Edomitis quod simul cum alienis iniurias intulerint fratri suo Iacob. Quare oraculum fusum est post illam sub Ioram expugnationem. Quanto autem tempore post incertum est, nisi v. 12-14 explicaveris de tempore futuro ita ut propheta moneat Edomitas, ne iterum, cum iam instet devicto Amasia obsidio urbis, in fratrem Iuda agant animo hostili (cf. *N. Peters*).

Prophetam fuisse aequalem Osee, Ioel, Amos veteres iam asserebant (S. Ephraem, Cyrillus Alex., Hieronymus); alii eum fuisse volebant illum Abdiam qui tempore Achab centum prophetas absconderit (3 Reg. 18,3), quam esse Hebraeorum traditionem refert S. Hieronymus; ex recentioribus alii dicunt eum sub Ioram vaticinatum fuisse (*Vigouroux, Kaulen, Trochon, Hofmann, Delitzsch*) alii tempore Oziae (*Hengstenberg, Caspari, Haevernick*), alii sub Achaz (*Vitringa, Kueper*), alii proxime ab exsilio babylonico (*Noeldeke*), alii post urbem a Nabuchodonosor eversam (*Calmet, de Wette-Schrader, Knobel, Bleek* etc.).

Ipso oraculo Edomitis vindicta Dei et ruina praedicitur, qua deiicientur, quamvis arcibus suis arte et natura munitissimis se tutos fore iactent. Ruinae dein causae exponuntur, quod Edom fratri suo cum hostibus maximas intulerit iniurias et animum gerat in eum plane inimicum. Quare Edom sicut se participem reddidit scelerum gentium, etiam communi iudicio involvetur, quod Deus in oppressores populi sui devolvet. In isto autem iudicio salvatio erit in Sion, populus Dei hostes suos expugnabit eorumque regionem occupabit, captivi redibunt et ita regnum Dei demum constituetur.

Cf. *Cornely*, Introductio in S. Script. II. 2 p. 551 s.; *Knabenbauer*, Comm. in Proph. min. I. p. 339 s.; *N. Peters*, Die Prophetie Obadjahs 1892; *Zschokke*, Hist. sacra Ant. Test. p. 281; *Vigouroux*, Manuel bibl. *ed.* 9, n. 1084 s.; *Kaulen*, Einleitung *ed.* 4, n. 408; *Schoepfer-Pell*, Histoire de l'Ancien Testament *ed.* 3, II. p. 191.

2. Dispensator domus Achab regis Israel vel toti domui regiae praepositus (אֲשֶׁר עַל־הַבָּיִת 3 Reg. 18,3), timens Dominum valde. Cum Iezabel prophetas Domini persequeretur, Abdias auctoritate muneris sui usus centum prophetas hospitio excepit et eos quinquagenos et quinquagenos in speluncis abscondit. Postea cum siccitas terrae et fames iusto Dei iudicio increscerent, Abdias iussu Achab regis dimidiam partem regni peragravit, ut in vallibus et apud fontes aquarum herbas inveniret ad salvandos equos et mulos regis, dum ipse rex alteram partem regionis propter eundem finem perquireret. Abdiae in via occurrit Elias eique imperat, ut regi nuntiet se adesse. Sed quia hucusque propheta Deo protegente ab emissariis regiis capi non potuerat, timet Abdias, ne ipse a rege interficeretur, si nuntio allato Elias a Spiritu Domini asportatus nullibi reperiretur. Tandem iuramento prophetae permotus est Abdias, ut timore excusso nuntium ageret (3 Reg. 18,3-16; Ἀβδιού).

3. Pater Iesmaiae principis tribus Zabulon tempore Davidis (1 Par. 27,19; LXX Σαμαίας ὁ τοῦ Ἀβδιού).

4. Levita ex familia Merari, unus ex praepositis operantium, cum Iosias rex templum instauraret (2 Par. 34,12; Ἀβδίας).

ABDIEL (עַבְדִּיאֵל, Ἀβδιήλ) filius Guni ex tribu Gad (1 Par. 5,15).

ABDON (עַבְדּוֹן, Ἀβδών). **1.** Iudex Israel per octo annos (Iud. 12,13-15). Erat Ephraimita, filius Illel, oriundus ex urbe Pharathon in monte Amalec, ubi etiam mortuus et sepultus est (v. PHARATHON). Habuit quadraginta filios et triginta nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum i. e. nobiliorum ritu in publicum procedentes.

2. Filius Sesac ex tribu Beniamin (1 Par. 8,23).

3. Filius primogenitus Iehiel seu Abi-

gabaon, Beniaminita (1 Par. 8,30; 9,36).
4. Vide ACHOBOR 2.

ABDON (עַבְדּוֹן, Ἀβδών Ios. 21,30, Ἀβδών 1 Par. 6,74), urbs tribus Aser, levitis de stirpe Gerson concessa (Ios. 21,30; 1 Par. 6,74 [59]). Cum in catalogo urbium eiusdem tribus Ios. 19, 24-31 omittatur, multi critici etiam Ios. 19,28 Abdon legendum esse putarunt pro Abran (vide s. v.). Abdon censetur esse *Khirbet 'Abde* prope *Wâdi Qurn* 7 km ab *el-Zib* (Achziba) orientem versus.

Cf. *Van de Velde*, Memoir to accompany the map of the Holy Land, Gotha 1858, p. 280; *R. Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *V. Guérin*, Galilée II. 35. 37; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 152. 170; *A. Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.; *F. Buhl*, Geogr. des Alten. Pal. 1896, p. 230; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I.; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 705.

ABED (עֶבֶד, Ὠβήδ), filius Ionathan ex familia Adan, dux quinquaginta virorum, quibuscum ex captivitate rediit Esdra duce (Esdr. 8,6).

ABEL (הֶבֶל, Ἄβελ), filius secundus Adam et Evae, frater natu minor Cain (Gen. 4,1 s.). Nomen multi cum Rabbinis interpretati sunt vanitatem, rem cito evanescentem, halitum, nebulam, et filio secundo impositum esse putarunt sive ad exprimendam fragilitatem et vanitatem hominis sive prophetice ad praefigurandam mortem Abel praematuram sive utroque sensu (*Welte-Holzammer* in Kirchen-Lexicon *ed.* 2, I. 31). Recentiore tempore nomen explicare malunt ex assyriaco *habal* vel *hablu* i. e. filius, quae vox in nominibus propriis frequentius reperitur v. g. *Asur-nasir-habal* i. e. Asur protegit filium, *Nabu-habal-usur* i. e. Nebo, protege filium (Nabopalassar, Nabopolassar), *Asur-bani-habal* i. e. Asur creavit filium (Sardanapal); sed addunt vocem *habal*, *abal*, *bal* ex lingua sumiro-akkadica in assyriacam probabiliter transiisse (*Schrader-Whitehouse*. Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 45. 46). Sicut igitur protoparentes appellabantur *homo* et *mater*, ita hic natus *filius* audiebat (*F. de Hummelauer* ad Gen. 4,1). Nihilominus interpretes non unanimiter consentiunt. *Franz Delitzsch* concedit nomen *filius* primogenito aptari posse, pro secundo autem filio sensu carere opinatur. *Dillmann* significationem *filius* remotiorem esse censet et interpretationem ab halitu, vanitate quaesitam praefert (cf. Iob. 7,16; Ps. 38 [39], 6).

Cain et Abel geminos fuisse opinati sunt Rabbini, sed textus potius suadet Cain fuisse primogenitum neque ullum fundamentum praebet opinioni Rabbinorum.

Abel erat pastor ovium, pius et iustus prae fratre suo, qui erat agricola. Post multos dies (*Vulg.*) vel in fine dierum (hebr.) i. e. ad exitum alicuius anni seu initio anni sequentis (*F. de Hummelauer* ad Gen. 4,3) Cain munera Deo obtulit de fructibus terrae, Abel de primogenitis gregis sui iisque pinguissimis. Et respexit Deus ad Abel et munera eius. In quanam re ille Dei respectus constiterit, textus sacer non dicit; cum versione Theodotionis (ἐνεπύρισεν) censent multi sacrificium Abel igne de coelo consumptum esse, ut postea sacrificia Aaronis (Lev. 9.24), Gedeonis (Iud. 6,21), Davidis (1 Par. 21,26), Salomonis (2 Par. 7,1), Eliae (3 Reg. 18,38). Ex natura rei certum est Deum aliquo modo beneplacitum suum manifestasse idque confirmatur Hebr. 11,4: testimonium perhibente muneribus eius Deo. Ratio autem, cur Deus ad Abel eiusque munera respexerit, non ex muneribus, sed ex oblationis affectu repetenda est; per fidem enim testimonium consecutus est se esse iustum et per illam defunctus adhuc loquitur (Hebr. 11,4); per quam fidem? — per fidem in promissionem seminis Gen. 3,15.

Cain vero, ad cuius munera Dominus non respexit, vehementer iratus fratrem suum interfecit. De modo et loco fratricidii nonnisi conjecturae exstant. Utrum Abel uxorem duxerit et liberos procreaverit necne, textus sacer non dicit; ex Gen. 4,25. 26 hoc tantum certum est tempore, quo Seth natus est, filium Abel non exstitisse; reliqua coniecturis patent, praesertim cum filiae in

biblicis genealogiis non recenseantur.

Abel est typus Christi. Primum quidem hoc innuitur ipsa similitudine, quae adest inter Abel et Christum : Abel est iustus, pastor, invidia et odio impetitus, offerens sacrificium acceptabile, morti traditus propter iustitiam; Christus est germen iustum, faciens iudicium et iustitiam (Ier. 23,5), pastor bonus (Io. 10,11; Is. 40,11), per invidiam traditus (Matth. 27,18), sacerdos offerens sacrificium (Mal. 1,11; Hebr. 12, 24), morti traditus propter iustitiam (Io. 10,32). Accedit quod Christus Abel inter prophetas recenset (Matth. 23,31-35; Luc. 11,49-51) et S. Paulus typicam rationem mortis Abel ex oppositione inter effectus utramque mortem secutos illustrat (Hebr. 12,24). — Abel est etiam exemplar omnium, qui propter fidem et iustitiam morti traduntur (*S. August.*, civ. Dei 14,28; 15,1).

Cf. praeter Commentarios in Gen. *E. Palis* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.; *I. Danko*, Historia revel. div. Vet. Test. 1862, p. 19. 20; *H. Zschokke*, Hist. sacra Antiqui Test. 1888, p. 40 s.; *Schoepfer-Pelt*, Histoire de l'Ancien Test. *ed.* 3, I. p. 70-71; de fabulis Rabbinorum cf. *Eisenmenger*, Entdecktes Iudenthum I. 462 s. 832 s.; *I. Hamburger*, Real-Encyclopaedie für Bibel und Talmud I. s. v. Hebel; The Iewish Encyclopedia I. p. 48 s.

ABEL (אָבֵל, *pascuum*, *pratum*, ut videtur) nomen loci praesertim in compositis nominibus geographicis frequenter adhibitum. In *Vulg.* Iud. 11,33 : Abel quae est vineis consita; sed v. ABEL KERAMIM.

ABELA legitur in *Vulg.* 2 Reg. 22, 14. 15. 18 pro Abel Beth Maacha.

ABEL BETH MAACHA (אָבֵל בֵּית־מַעֲכָה, *pratum domus* seu *familiae Maacha*: etiam אָבֵל, אָבֵל, אָבֵלָה בֵּית הַמַּעֲכָה מַיִם; Ἀβὲλ καὶ Βεθμαχά, Ἀβὲλ καὶ Φέρμαχά, Ἀβέλ, Ἀβὲλ οἴκου Μααχά, Ἀβελμαίν, ἡ Ἀβὲλ καὶ ἡ Θαμααχά; *Vulg.* Abela et Bethmaacha, Abela, Abel domus Maacha, Abelmaim, Abeldomus Maacha), urbs tribus Nephthali tam praeclara, ut 2 Reg. 20,19 mater in Israel appellari meruerit. Seba Beniaminita, qui Absalome mortuo novam coniurationem in Davidem fecit, profugus in urbe Abel Beth Maacha a Ioab obsessus est; suadente muliere quadam incolae urbis caput Sebae abscissum trans murum proiecerunt et urbem obsidione liberarunt (2 Reg. 20,14-22). Haud diu post scissionem regni Benadad I. rex Damasci, qui cum Asa rege Iuda contra Baasa regem Israel foedere iunctus erat, complures urbes Palaestinae septemtrionalis occupavit, inter quas erat Abel domus Maacha (3 Reg. 15,20) seu Abelmaim (2 Par. 16,4). Versus finem regni Israel, cum Phacee regnaret, Theglathphalasar rex Assyriae urbem cepit et incolas in Assyriam abduxit anno 734 vel 733 a. C. (4 Reg. 15,29 *Vulg.* Abeldomus, Maacha); hoc factum etiam referunt fragmenta annalium Theglathphalasar III. (III. *Rawlinson*, pl. 10, n. 2, l. 17), in quibus nomen urbis scribitur [*A*]-*bi-il* (*Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 246 s. 251) vel *A-bi-il-ak-ka* (apud *H. Winckler*, Keilinschr. Textbuch 1892, p. 20).

Abel Beth Maacha communiter agnoscitur hodiernus vicus *Abil*, propter copiam tritici *Abil el-Qamḥ* dictus, occidentem versus a *Bāniyās* (Caesarea Philippi) non procul a dextera ripa Iordanis (*Nahr el-Hāṣbāni*) et orientem versus a *Derdare* amniculo, qui ex planitae *Merdj ʿAyūn* in Iordanem influit.

Cf. *Robinson*, Neuere Bibl. Forsch. 1857, p. 488 s.; *Van de Velde*, Memoir to accompany the map of the Holy Land 1858, p. 280; *V. Guérin*, Galilée II. 346 s.; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 85. 86. 107; *F. Vigouroux*, Dictionnaire de la Bible s. v.; *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 237; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 739.

ABEL KERAMIM (אָבֵל כְּרָמִים, *pratum vinearum*, Ἐβελχαρμίμ), locus in terra transiordanica ad orientem Aroer Gad situs, quousque Iephte Ammonitas fugatos insecutus est (Iud. 11,33). *Vulg.* pro Abel Keramim legit : Abel quae est vineis consita. Tempore Eusebii et S. Hieronymi (Onomast. *ed. Lag.* 225,5 et 96, 10) adhuc cernebatur villa Abela (Ἄβελ)

vinetis consita sex vel septem mil. pass. a Philadelphia (Rabbath Ammon). *H. B. Tristram* The Land of Moab 1873, p. 139. 140 situm huius loci reperisse sibi visus est in valle, quae ab indigenis dicitur *Kurm Dhibân* i. e. vineta Dibon et viginti minutis a *Dhibân* orientem versus ascendit. Sed haec opinio falso supposito innititur Iephten ab Aroer Arnonis, quae est prope Dibon, Ammonitas persecutum fuisse. Iamvero Iephte persecutionem potius ab Aroer Gad incepisse censendus est, ut ostendit *F. de Hummelauer* in Iud. 11,33; Aroer Gad in vicinitate Rabbath Ammon quaerenda est; hinc Abel Keramim ad orientem Rabbath Ammon sita esse debuit. Huic explicationi favet Onomasticon l. c. Ex dictis patet Abel Keramim non posse esse Abilam in Peraea 17 km ad orientem Gadarae, ut *Riess,* Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 1 suspicatur.

ABEL MAGNUS 1 Reg. 6,18 (וְעַד אָבֵל הַגְּדוֹלָה, καὶ ἕως λίθου τοῦ μεγάλου, *Vulg.* : et usque ad Abel magnum). Textus massorethicus nullum sensum praebet. Duplex emendatio merito admittenda est. Primo propter verba addita : « super quem posuerunt arcam Domini » cf. 1 Reg. 6,14. 15 loco אָבֵל legendum est אֶבֶן scil. lapis ille grandis, super quem Levitae arcam Dei deposuerunt, cum in agrum Iosue Bethsamitae venissent; hanc lectionem praebent etiam LXX et Targum Ionathan. Secundo verba וְעַד *et usque* emendanda sunt; neque enim in contextu immediato nova determinatio situs exspectatur neque Philisthaei pro lapide illo magno, sicut pro singulis urbibus, murem aureum obtulisse censendi sunt. Si vero legimus וְעֵד *et testis*, sensus erit : Et testis huius eventus est lapis magnus, super quem posuerunt arcam Domini, qui est usque in diem hunc in agro Iosue Bethsamitae. Cf. *F. de Hummelauer* in 1 Reg. 6,18.

ABELMAIM (אָבֵל מַיִם, Ἀβελμαίν) legitur 2 Par. 16,4 pro Abel Beth Maacha.

ABELMEHULA, ABELMEULA (אָבֵל מְחוֹלָה, *pratum saltationis*, Ἀβελμεουλά, Σαβελμαουλά), urbs tribus Issachar. Madianitae a Gedeon in planitie Iezrael devicti primum Bethsan versus, dein Iordanis depressionem secuti meridiem versus fugerunt usque ad crepidinem (seu potius confines) Abelmehula in (i. e. ultra) Tebbath (Iud. 7,23 [22]). Praeterea Abelmehula dicitur terminus territorii, quod Salomon Bana filio Ahilud gubernandum dederat 3 Reg. 4,12 et patria Elisaei prophetae (3 Reg. 19, 16; B Ἐβελμαουλά). Onomasticon (*ed. Lag.* 97,11 et 227,35) indicat vicum 10 mil. pass. a Scythopoli (Bethsan) meridiem versus situm. Nunc *'Ain el-Helwe* prope locum, ubi *Wâdi el-Maleh* in depressionem Iordanis descendit (*Survey of West. Pal.* Mem. II. 231; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 578) vel forte *Khirbet Hammam el-Maleh* (*Guérin*, Samarie I. 276 s.) in eadem regione. — Vide etiam MOLATHITA.

ABEL MIZRAIM v. AREA ATAD s. v. AREA.

ABELSATIM, SETTIM, SETIM (אָבֵל הַשִּׁטִּים, *pratum acaciarum*, saepius הַשִּׁטִּים tantum; Σαττείν, Σαττίν). Populus Israel in Settim moratus cum Moabitis et Madianitis fornicatus est atque impuro cultui Beelphegor se dedit (Num. 25,1). Ante transitum Iordanis Israelitae in planioribus locis Moab castrametati sunt de Bethsimoth usque ad Abelsatim (Num. 33,49; Βελσᾶ); ibidem facta sunt, quae narrantur Num. 34-36 et in Deuteronomio. De Setim Iosue exploratores Ierichuntem misit (Ios. 2,1) et castra Iordanem versus movit (Ios. 3,1). Michaeas (6,5) in memoriam revocat eventus Num. 22-24 narratos et ad crimen in Settim Num. 25,1 commissum alludit; LXX ἀπὸ τῶν σγοίνων (a iuncis) ἕως τοῦ Γαλγάλ pro : de Setim usque ad Galgalam (*Vulg.*); cf. *Knabenbauer* in Mich. 6,5. — Apud Flavium Iosephum idem locus Abila (Ἄβιλη, Ἀβέλη, Ἄβιλα) vocatur et describitur palmetis consitus (Ant. IV. 8,1), a Iordane 60 stadiis distans (Ant. V. 1,1), in vicinitate maris Mortui prope Iuliada (Betharan =

Iulias Livias) situs (Bell. iud. IV. 7,6). Situs quaeritur in planitie *Ghōr el-Seisaban;* urbs et palmetorum nemora disparuerunt; ruinas urbis et acacias ibidem inveniri testatur *Conder*, Heth and Moab, p. 148; cf. *Conder*, Palestine 1889, p. 252. *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land 1894, Plate I. assignat *Tell Kefrein* in margine planitiei *Ghōr el-Seisaban* pro Abelsatim; sed obiicit *D. Zanecchia* (La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 84. 85) *Tell Kefrein* multum distare a Bethsimoth neque habere similitudinem nominis cum Abelsatim neque cum Abila.

ABENBOEN, LAPIS BOEN (אֶבֶן בֹּהַן, λίθος Βοιών), locus in confinibus Iuda et Beniamin (Ios. 15,6; 18,18 [17]). Nomen loci ex eo optime explicari videtur, quod Rubenita quidam nomine Boen ibidem praeclarum facinus ediderit, in cuius memoriam rupes aliqua eodem nomine insignita vel novus lapis erectus fuerit. Idem lapis aptissimus erat, quo fines tribuum determinarentur. Terminus Iuda a Beth Hagla et Beth Araba ad Abenboen et inde ad Adommim ascendit (Ios. 15,6). Terminus Beniamin ab Adommim ad Abenboen et inde in planitiem descendit (Ios. 18,18). Hinc Lapis Boen ad occidentem Beth Hagla situs erat ibi fere, ubi montana ex planitie Ierichuntina Ierusalem versus assurgunt. Plura pro certo affirmari nequeunt.

ABES (אֶבֶץ, propter pausam אָבֵץ, Ῥεβές), urbs tribus Issachar inter Cesion et Rameth enumerata (Ios. 19,20). *Gesenius,* Thesaurus ling. hebr. p. 18 : nomen proprium urbis in tribu Issachar fortasse a stanno sic dictae (chaldaicum אַבְצָא *stannum* a radice inusitata אָבַץ *albus fuit*). *C. R. Conder* (Handbook to the Bible 1887, p. 401) ad hanc radicis significationem respiciens Abes esse putat *Khirbet el-Beida* (i. e. Alba seu Candida) in planitie Esdrelon inter Nazareth et montem Carmel, fere in confinibus Issachar, Zabulon et Aser. Eundem situm assignant *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. VI. et *Legendre,* Carte de la Palestine; cf. *Survey of West. Pal.* Mem. I. 309.

F. Buhl, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 204 pro Abes proponit *Khirbet ʿAbā* prope *Djenīn* (Engannim) orientem versus; cf. *Guérin,* Samarie I. 337.

ABESALOM (Ἀβεσσαλώμ) legatus, quem una cum altero legato (v. IOANNES 5) Iudas Machabaeus ad Lysiam ducem exercitus Antiochi V. Eupatoris misit (2 Mach. 11,17).

ABESAN (אִבְצָן, Ἀβαισσάν), iudex Israel per septem annos, oriundus a Bethlehem, ubi etiam sepultus est, quam Bethlehem Iudae olim plerique interpretati sunt, nunc vero (cf. *Maldonat.* ad Matth. 2,1) alteram Bethlehem tribus Zabulon esse probabilius putant. Erat iudex in septemtrionali parte aliis tribubus in ditionem Philistaeorum redactis. Habuit triginta filios et totidem filias, quibus omnibus matrimonia opulenta extra cognationem, fortasse etiam extra tribum providit, ut proli suae quam plurimos devinciret et principatum vel certe opulentiam in familia sua perennem faceret. Sed haec spes eum fefellit; de eius posteritate sermo non recurrit (Iud. 12,8-10).

ABESSALOM v. ABSALOM 2.

ABGATHA (אַבְגָתָא fortasse ex Sanscr. *bagadāta* i. e. *a fortuna datus*, LXX Ζαθολθά), unus ex septem eunuchis in aula Assueri (Esth. 1,10).

ABI (4 Reg. 18,2) v. ABIA 4.

ABIA (אֲבִיָּה, אֲבִיָּהוּ, Ἀβιά), nomen virorum et mulierum.

1. Secundus filius Samuel et cum Ioel fratre suo primogenito iudex Israel constitutus a Samuele senescente; qui cum in viis patris non ambularent et iudicium perverterent, universi maiores natu Israel regem petierunt (1 Reg. 8,2; 1 Par. 6,28 [6,13]).

2. Filius Ieroboam I. regis Israel (3 Reg. 14,1-20). Abia aegrotante Ieroboam uxorem suam mittit ad Ahiam prophetam, ut ab illo vaticinium bonum de puero mox sanando dolose extorqueat. Propheta autem a Deo illustratus praedicit filium esse moriturum in ipso matris in urbem introitu et domum

Ieroboam eversum iri. Mortuus est puer Thersae planctus ab omni Israel. Quot annos habuerit, sacer textus non tradit. Tota haec narratio 3 Reg. 14,1-20 deest in Cod. Vatic. LXX.

3. Filius Roboam (אֲבִיָּם, Abiam, Ἀβιού in 3 Reg. 14,31; 15,1-8; אֲבִיָּה et אֲבִיָּהוּ, Abia, Ἀβιά in 2 Par. 12,16-14,1 [13,23]), rex Iuda per tres annos vel potius per duos annos et aliquot menses, cum ab anno duodevigesimo usque ad annum vigesimum Ieroboam regis Israel regnaverit. Eius mater vocatur Maacha, filia Absalom (אֲבִישָׁלוֹם in 3 Reg. 15, 2. 10 et אַבְשָׁלוֹם in 2 Par. 11,20. 21 et per errorem transcriptionis Michaiahu (*Vulg.* Michaia), filia Uriel de Gabaa in 2 Par. 13,2. Absalom ille vix alius esse potest ac filius David, cum hoc nomen in toto V. T. de alia persona non occurrat. Is vero unam solum filiam habuit Thamar (2 Reg. 14,27). Unde si cum plerisque interpretibus Thamar filia Absalom matrimonio iuncta esse supponitur cum Uriel de Gabaa, Maacha filia Uriel erat neptis seu per extensionem appellationis filia Absalom; cf. *Flav. Ios.* Ant. VIII. 10,1.

Roboam sicut Maacha impiam uxorem super omnes uxores et concubinas suas praediligebat, ita Abiam filium ex illa procreatum ducem super alios viginti septem filios suos constituit, ut ipsum regem faceret (2 Par. 11,21-23). Unde mirum non est, quod Abia rex in omnibus peccatis patris sui ambulaverit, idololatriam saltem permiserit, deliciis sensuum sese immerserit; licet enim de cultu veri Dei gloriaretur (2 Par. 13, 4-12) et dona pro templo voveret (3 Reg. 15,15), tamen cor eius non erat perfectum cum Domino sicut cor David patris sui. Nihilominus propter David Dominus Abiam non reiecit et eius filio regnum conservavit; cf. Matth. 1,7. — Bellum inter Roboam et Ieroboam exortum omnibus diebus Abiae perduravit i. e. inimicitiae inde a scissione duorum regnorum exortae non minutae, sed potius auctae sunt; immo bellum exarsit et Abia magnam victoriam de regno Israel reportavit ad montem Semeron in Ephraim. Numeri utrimque pugnantium excessivi (2 Par. 13,3. 17) inadvertentiae librariorum vel similitudini literarum hebraicarum, quibus numeri exprimi solebant, sine dubio debentur. Sepultus est Abia in civitate David.

4. Uxor Achaz et mater Ezechiae regis Iuda, filia Zachariae (2 Par. 29,1). Eadem 4 Reg. 18,2 vocatur Abi (אֲבִי, Ἄβου).

5. Abia, uxor Hesron, filii Phares et nepotis Iudae (1 Par. 2,24).

6. Filius Bechor, qui fuit unus ex filiis Beniamin (1 Par. 7,8; LXX Ἀβιούδ); sed v. BECHOR.

7. Sacerdos ex familia Eleazari, caput classis octavae ex viginti quattuor classibus sacerdotalibus in ministerio Domini a David designatis (1 Par. 24,10; cf. 2 Par. 8,14); Zacharias, pater Ioannis Baptistae, erat de vice Abia (Luc. 1, 5).

8. Sacerdos, qui cum Zorobabel ex captivitate rediit (Neh. 12,4).

9. Unus ex sacerdotibus, qui cum Nehemia foedus cum Deo initum signarunt (Neh. 10,7).

10. Nomen familiae sacerdotalis, cuius princeps erat Zechri in diebus Ioacim pontificis (Neh. 12,17).

ABIALBON (אֲבִי־עַלְבוֹן, A Ἀειελβών), unus ex Gibborim seu fortibus David (2 Reg. 23,31). Erat Arbathites i. e. ex Beth Araba in confinibus Iuda et Beniamin sita. Idem vocatur 1 Par. 11, 32 Abiel (אֲבִיאֵל, Ἀβιήλ). *Wellhausen* coniicit אֲבִי־בַעַל.

ABIAM scribitur 3 Reg. 14,31; 15,1-8 pro Abia (v. ABIA 3).

ABIASAPH (אֲבִיאָסָף et אֶבְיָסָף; Ἀβιάσαρ, Ἀβιασάφ, Ἀβιασσάφ) levita, unus de filiis Core (Ex. 6,24; 1 Par. 6,23. 37 [6, 8. 22]; 9,19). Eius genealogia non est satis certa; Ex. 6,24 Asir, Elcana, Abiasaph vocantur filii Core; sed 1 Par. 6, 23 [6,8] Abiasaph vocatur filius Elcana, hic filius Asir, hic filius Core.

ABIATHAR (אֶבְיָתָר, Ἀβιάθαρ), summus sacerdos de familia Ithamar filii Aaron, ab Heli descendens per Phinees, Achitob, Achimelech. Cum Achimelech

pontifex propter opem Davidi in Nobe praestitam iussu Saulis cum octoginta quattuor sacerdotibus trucidatus esset (v. ACHIMELECH 1), Abiathar filius Achimelech Maspham in Moab aufugit, ubi David refugium quaesierat et regi suo se comitem in prosperis et adversis fidelem arctissime iunxit (1 Reg. 22,20-23). Ea occasione ephod secum attulerat (23, 6) et identidem per ephod i. e. applicata veste sacerdotali Dominum pro Davide consuluit (23,9-14; 30,7; cf. 2 Reg. 2,1; 5,19. 23). Cum a Davide arca Dei magno cum apparatu de domo Obededom Hierosolyma deduceretur, Sadoc et Abiathar sacerdotes officio fungebantur (1 Par. 15,11. 12; cf. 3 Reg. 2,26).

Davidem in fuga Hierosolymis egredientem sequitur Abiathar cum Sadoc sacerdote et levitis arcam portantibus (2 Reg. 15,24 s.); quod vero ibidem additur ipsum ascendisse, donec transiisset omnis populus, id alii in eius laudem interpretantur scil. ut transitum populi spectaret ac dirigeret vel ut oraret vel ut sacrificaret vet ut Dominum consuleret, alii (cum *F. de Hummelauer* ad h. l.) in eius vituperium scil. Abiathar in renuntiandis Absalomis partibus tardiorem fuisse et reliquis torrentem Cedron traiicientibus tandem aliquando etiam apparuisse, undecimae horae operarium. His in dubio relictis ad certa redeamus. Sadoc et Abiathar cum ad montem Olivarum usque pervenissent, iubente Davide arcam Dei Hierosolyma reportarunt ibique manserunt regem de Absalomis et Achitophel consiliis certiorem facturi (2 Reg. 15,29-36) et toto illius rebellionis tempore regi fideles (17,15 s.; 19,11). Idem Abiathar erat unus ex praecipuis consiliariis Davidis (1 Par. 27,34).

Sed qui in adversis regi suo fidelitatem servaverat, is Davidem senem gloria et divitiis affluentem contumeliose prodidit. Cum Adonias Davidis filius natu quartus regnum patris appeteret, Abiathar partes Adoniae adiuvabat, Sadoc vero cum Davide stabat; ex quo fortasse coniici potest, Abiathar aemulatione et invidia in Sadoc sacerdotem abductum fuisse, ut a rege partibus Sadoc favente deficeret (3 Reg. 1,7. 19. 25. 42). Mortuo Davide Salomon Adoniam occidi iussit, Abiathar sacerdoti vero pepercit propter fidelitatem Davidi in extrema necessitate servatam, sed eum officio sacerdotali privatum in Anathoth urbem patriam relegavit (3 Reg. 2,22-27). Atque ita primatus sacerdotii domui Eleazari restitutus (3 Reg. 2,35) ac ruina illa completa est, quae domui Ithamar 1 Reg. 2, 30-36 et 3,10-14 praedicta fuerat. Nihilominus 3 Reg. 4,4 regnante Salomone Sadoc et Abiathar sacerdotes nominantur idque iuremerito, quia Abiathar sacerdos manebat non officio, sed dignitate haereditaria, ut iam Theodoretus explicat (cf. *Keil* ad h. l.).

Difficultatem parit 2 Reg. 8,17 : Et Sadoc filius Achitob et Achimelech filius Abiathar erant sacerdotes (cf. 1 Par. 18, 16; 24,3. 6. 31). Sed obstat, quod toto tempore regni davidici Sadoc et Abiathar summi sacerdotes erant (2 Reg. 20, 25). Variae sunt solutiones interpretum. Alii omnibus locis citatis nominum transpositionem cernentes legendum esse putant : Abiathar filius Achimelech, ut etiam *Syrus* habet 2 Reg. 8,17. Alii satis gratuito supponunt et patrem et filium binomines fuisse. Alii denique non immerito censent praeter Achimelech patrem Abiathar admittendum esse alterum Achimelech filium Abiathar, qui officio sacerdotali functus sit pro tempore, scilicet vices patris gerens vel absentis vel aegrotantis vel quomodocunque impediti. Id eo minus improbabile est, quia apud Iudaeos nomina infantium e cognatione desumebantur (Luc. 1,61) et in inscriptionibus Phoeniciae haud raro nepos nomine avi appellatus cernitur (*Corpus inscriptionum semiticarum*, Pars I. n. 3. 7. 47. 93. 94. 171. 180. 185. 187 etc.).

De alia difficultate Marc. 2,26 vide s. v. ACHIMELECH 1.

ABIB (חֹדֶשׁ הָאָבִיב, μὴν τῶν νέων), mensis novarum frugum seu novorum (Ex. 13,4; 23,15; 34,18, Deut. 16,1), mensis primus anni sacri, alias Nisan (v. NISAN et MENSIS).

ABIDA (אֲבִידָע, Ἀβειδά, Ἀβιδά), filius Madian filii Abraham et Cethurae (Gen.

25,4; 1 Par. 1,33). Tribus eius nominis non innotuit. Sed in inscriptionibus himyariticis idem nomen pro personis usurpatum invenitur; cf. *Delitzsch*, Genesis 1887, p. 348.

ABIDAN אבידן. Ἀβιδάν, phylarcha Beniaminitarum tempore exitus ex Aegypto, qui in dedicatione tabernaculi et altaris die nono oblationes suas fecit, sicut singuli ex duodecim principibus tribuum diebus suis (Num. 1,11; 2,22; 7,60-65; 10,24).

ABIEL אביאל. Ἀβιήλ. **1.** Pater Cis et avus Saulis regis et Abner principis militiae (1 Reg. 9,1; 14,51). Nodum genealogicum, quem 1 Reg. 9,1; 14,51; 1 Par. 8,30. 33; 9,36. 39 offerunt, *F. de Hummelauer* in 1 Reg. 9,1 ita solvit, ut Iehiel vel Iehuel genuerit Cis et Ner, qui Ner per Abiel genuerit alterum par fratrum, Cis patrem Saulis et Ner patrem Abner. Alii autem putant filium Iehiel fuisse Abiel seu alio nomine Ner, qui genuerit Cis patrem Saulis et Ner patrem Abner. — **2.** Idem ac ABIALBON.

ABIES, LIGNUM ABIEGNUM. — **1.** *Textus S. Scripturae.* Abies et lignum abiegnum in Vulgata respondet hebr. ברוש, a quo forma ברות (Cant. 1,16) non nisi accidentaliter differt. Iuxta S. Scripturam arbor eo nomine designata praesertim in Libano et Antilibano crescebat (3 Reg. 5,8 ss.; 9,11; 4 Reg. 19,23; 2 Par. 2,7; Is. 14,8; 37, 24; 60,13; Ez. 27,5; Zach. 11,2; cf. Os. 14,9), insignis virore perenni (Os. 14, 9), numero et pulchritudine ramorum (Ez. 31,8), celsitudine (Ps. 103 [107], 17 hebr.) et nobilitate (4 Reg. 19,23; Is. 37,24; 60,13; Ez. 27,5). Unde simul cum « gloria Libani » nominatur (Is. 60,13) et cum cedro frequenter coniungitur (3 Reg. 5,8; 9,11; 4 Reg. 19,23; 2 Par. 2,8; Cant. 1,16 [17]; Is. 14,8; 37,24; 41,19; Ez. 27,5; 31,8; Zach. 11, 2). Etiam cum aliis arboribus, praesertim coniferis, commemoratur (Is. 41, 19; 60,13), et ciconiis vel ardeis, quae turrium arborumque culmina quaerunt, aptum ad nidificandum locum dicitur praebere (Ps. 103 [104], 17 hebr.). Lignum abiegnum una cum cedrino rex Salomon ab Hiram, principe Tyriorum, ad aedificandam Hierosolymis domum Domini et aedem regiam obtinuit (3 Reg. 5,8; 9,11; 2 Par. 2,8, LXX et *Vulg.* arceuthina) atque ex iis praesertim pavimentum et duo ostia templi fabricavit (3 Reg. 6,15. 34; 2 Par. 3,5). Similiter in domo Sponsi la quearia abiegna praedicantur (Cant. 1,16 [17], LXX et *Vulg.* cypressina). Tyriarum quoque navium tabulae « abietibus de Sanir » exstructae dicuntur, malum praebente cedro et querceu remos (Ez. 27,5). Etiam lancearum hastis lignum hoc inserviebat (Nah. 2,4 hebr., *Vulg.* agitatores). Quodsi textus massorethicus 2 Reg. 6,5 בכל עצי ברושים veram servat lectionem — sunt enim qui ex textu LXX et ex 1 Par. 13,8 corrigant בכל־עז ובשירים — lignum abiegnum etiam ad instrumenta musica adhibebatur.

2. *Versiones antiquae.* Ex antiquis interpretibus plerique *cupressum* nomine ברוש intellexisse haud raro dicuntur. At si accuratius rem consideramus, LXX bis ἄρκευθος seu ἀρκεύθινος explicant (Os. 14,9; 2 Par. 2,8), item bis κέδρος seu κέδρινος (Ez. 27,5; 2 Par. 3,5), pariter bis πίτυς (Ez. 31,8; Zach. 11,2), quinquies πεύκη seu πεύκινον (3 Reg. 5,8; 6, 15. 34; 9,11; Is. 60,13), similiter quinquies κυπάρισσος (4 Reg. 19,23; Is. 37, 24; 55,13; 60,13; Cant. 1,17; dub. Is. 41,19); syriaca versio *Peshitta* bis ערקא, *iuniperus* reddit (Ez. 27,5; 31,8), item bis קטרוקא, *cupressus* vel *abies* (2 Par. 2,8; 3,5), bis pariter קטרויקא vel קטרקא, *amygdalus*, pro quo fortasse melius legendum קטרוקא (Cant. 1,17; Os. 14, 9), quater ברותא (id. ac hebr., 2 Reg. 6,5; Is. 14,8; 55,13; 60,13), decies שרוינא *cupressus* (3 Reg. 5,8. 10; 6,15. 34; 9,11; 4 Reg. 19,23; Ps. 103 [104], 17; Is. 37,24; 41,19; Zach. 11,2); *Aquila*, ubi exstat, constanter ἐλάτη vertit (Ps. 103,17; Is. 37,24; 41,19; 55,13; 60,13; Os. 14,4), praeter Cant. 1,17, ubi βοράτινος (= ברות) habet; *Symmachus* semel βραθύ (= ברות) exhibet (Is. 55,13), item semel ἄρκευθος (Is. 37,24), pariter semel κυπάρισσος (Is. 41,19) et semel πίτυς (Is. 14,8), ter βόρατον (= ברוה Ps. 103,17;

Cant. 1,17; Is. 60,13); *Theodotion,* ubi superest, semper βραθύ habet (Is. 37, 24; 41,19; 55,13; 60,13), Quinta ἄρκευθος (Ps. 103,17), Sexta κυπάρισσος (ib.). Vetus Latina easdem fere quas LXX significationes tradit : quater *cyparissus* (Cant. 1,16 [*cupressi*]; Is. 41,19; 55, 13; 60,13), bis *pinus* (Ez. 31,8; Zach. 11,2), semel *cedrus* (Ez. 27,5), semel *iuniperus* (Os. 14,9), ceteris locis aut non exstat (Reg. ll. cc.; 2 Par. 3,5; Is. 14,8; 37,24) aut non exprimit arborem (Ps. 104,17; Nah. 2,3). *Vulgata* denique ubique *abies* seu *lignum abiegnum* vertit praeter 2 Par. 2,8 (*arceuthina*), Cant. 1, 16 (*cypressina*), Ps. 102,17 (*dux est eorum*), Nah. 2,4 (*agitatores*).

3. *Variae opiniones recentiorum.* Uti versiones antiquae, ita etiam recentiores de significatione vocis בְּרוֹשׁ satis inter se dissentiunt. *Abietem* communiter reiciunt, quia eam in Libano montibusque vicinis non exsistere neque exstitisse supponunt; quod suppositum omnino falsum esse ex sequentibus patebit. Locum autem abietis sat multi *cupresso* adiudicant (*Gesenius, Rosenmüller, Hamilton, E. Schrader, Löw, Fillion, O. Delitzsch, O. Schrader, Levesque* etc.), admissis tamen etiam aliis coniferarum speciebus (*Gesenius, Rosenmüller, Hamilton, Levesque, Tristram*). Cum cupresso multi praesertim *Iuniperum sabinam* Linné nomine בְּרוֹשׁ comprehensam volunt, quae a *Dioscuride* (Mat. med. 1,103) aliisque Graecis βραθύ appellata, idem cum *beroth* nomen et cupressi similia folia dicitur habere (cf. *Plin.* XXIV. 11,102); alii *Iuniperum oxycedrum* Linné vel aliam Iuniperi speciem praeferendam censent. Rursus alii potius *pinum* vel solam vel simul cum cupresso admittendam esse putant (*R. Brown, E. Robinson, Tristram, Frd. Delitzsch* etc.). Omnino singularis autem erat opinio clarissimi viri ac de plantis biblicis optime meriti, *Olai Celsii,* qui בְּרוֹשׁ *cedrum* significare contendit, falsa sua opinione de sensu vocis אֶרֶז ductus (v. CEDRUS).

Cf. *O. Celsius,* Hierobotanicon I. 74-105; *W. Gesenius,* Thesaurus 246 s.; *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Alterth. IV. 1,249-53; *G. B. Winer,* Realwörterb. *ed.* 3. II. 563; *F. Hamilton,* Botanique de la Bible 40; *W. M. Thomson,* The Land and the Book, London 1876, 511; *I. Smith,* Bible Plants 123-6; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, 353 s.; *id.* ap. *W. Smith,* Dict. of the Bible *ed.* 2, I. 1,685; 2,1067 s.; *G. Henslow,* Plants of the Bible 101 s.; *E. Schrader,* Sitz.-Ber. Berl. Akad. 1881, 419 ss.; *id.* Keilinsch. u. A. T. *ed.* 2, 388; *J. Löw,* Aram. Pflanzennamen n. 59; *L. Cl. Fillion,* Atlas d'hist. nat. 11; *Ad. Kinzler,* Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, 249-51; *J. H. Balfour,* Plants of the Bible, ed. nova, 34-9; *O. Schrader* ap. *V. Hehn,* Kulturpfl. u. Hausthiere *ed.* 6, 282 s.; *Siegfried-Stade,* Hebr. Wbch. s. v.; *Gesenius-Buhl, ed.* 13 s. v.; *Gesenius-E. Robinson,* ed. angl. s. v.; *R. Brown,* Hebr. and Engl. Lex. s. v.; *E. Levesque* ap. *F. Vigouroux,* Dict. de la Bible II. 1172 s.; *O. Delitzsch* ap. *Riehm-Baethgen,* Handwbch. *ed.* 2, I. 283; *Frd. Delitzsch,* Assyr. Hdwbch. 188 a s. v. *burāshu* etc.

4. *Berosh probabilius est abies.* Reiectis istis significationibus בְּרוֹשׁ cum Aquila, S. Hieronymo, pluribus auctoribus recentioribus (*Ursinus, Hiller, Cultrera Duns, Fournier* etc.) de vera abiete intellegendam censemus. Nam imprimis ratio, quae contra eam adducitur, quasi in Libano et montibus vicinis non exsistat, nihil valet. Licet enim duae species in nostris regionibus communiores, scilicet *Abies pectinata* De Candolle (= *Pinus picea* Linné, germ. *Weisstanne*) et *Picea vulgaris* Lamarck (= *Pinus abies* Linné, germ. *Rottanne* seu *Fichte*) in regione orientali non habeantur, alia tamen abietis species in altioribus Libani partibus atque in Tauro cilicico vicinisque montibus reperitur quae a rei herbariae peritis *Abies cilicica* Antoine et Kotschy, ab Arabibus hodiernis autem *Shūh* et a Turcis *Illeden* appellatur. Quamvis vero hodie in Libani partibus, ubi haec arbor in immediata cedrorum vicinia supra *Ehden* crescit, non admodum magna abietum copia habeatur, nihil videtur obstare, quominus et haec abietum species, sicut nobilior cedrorum cognata familia, antiquitus multo numerosior in hisce montibus creverit ac non nisi asciae caedenti paulatim cesserit. Praeterea in montibus Syriae septem-

trionalis, ac maxime in Amano et Tauro, abies haec « silvas extensas cum *Cedro Libani* et *Iunipero faetidissima* format » (*Boissier*). Est igitur haec arbor Libani montiumque septemtrionalium incola eisque tam propria, ut extra illas partes non inveniatur. Licet autem lignum primis eius investigatoribus (*Antoine* et *Kotschy* non adeo solidum vermibusque ac tabi obnoxium visum fuerit, attamen et ipsi pulchritudinem arboris magnumque ramorum numerum laudant et frequentem in aedificiis construendis usum testantur, et alii auctores arborem non modo pulchram, sed et firmi solidique ligni praedicant.

Cf. *Fr. Antoine* et *Th. Kotschy* in Oest. bot. Wochenbl. III. 1853, 409 s.; *U. J. Seetzen*, Reisen, *ed. F. Kruse* I. 213, ubi *schuhech* commentatoribus huius itinerarii incerta (ib. IV. 108) est abies cilicica; *E. Boissier*, Flora orientalis V. 703; *G. E. Post*, Flora of Syria 751; *H. Jaeger* et *L. Beissner*, Ziergehölze *ed.* 3, Weimar 1889, 431; *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam. II, 1,81-4; *L. Fonck*, Streifzüge durch die bibl. Flora p. 77-83.

Iam vero ea quae in libris sacris de *berosh* leguntur, huic abieti magis quam cupresso aut alteri arbori videntur convenire. Imprimis *pinus* non videtur admittenda; nam ex tribus huius arboris speciebus quae in ditione orientali crescunt, prima, scil. *Pinus pinea* Linné, non nisi « in arenosis et collibus maritimis », altera, scil. *P. halepensis* Miller tantum « in collibus siccis regionis inferioris » invenitur (*Boissier* V. 694-6; *Post* 750), neutra vero, nec etiam tertia species, *P. brutia* Tenore, inter arbores Libano aut montibus septemtrionalibus proprias connumerari poterit. — At neque *iuniperi* species admitti potest; nam *Iuniperus sabina* Linné, utpote potius herba fruticosa, immerito arboribus adnumeraretur neque in tota regione orientali a Cilicia usque ad Aegyptum uspiam invenitur (*Boissier* V. 708; *Post* 749 s.), neque magis *Iuniperus oxycedrus* Linné, quippe frutex et non arbor, considerationem meretur; aliae autem iuniperi species, quae potius nominandae forent, scil. *I. excelsa* Linné, *I. faetidissima* Willdenow, *I. drupacea* Labillardière eisdem quibus cupressus rationibus videntur excludi. — Contra *cupressum* autem imprimis opponi poterit, aliqua S. Scripturae verba minus apte de ea dici. Ita illud Psalmi, quo berosh *domus ciconiae* vocatur (103 [104], 17 hebr.), nescio an cupresso facile possit accommodari, quae ramusculis suis supremis plerumque tenuibus parum apta videtur nido ciconiae vel ardeae excipiendo. Praeterea verba Ezechielis *beroshim non adaequaverunt eam* (cedrum) *ramis suis* (31,8 hebr.; cf. v. 3-7), quomodo de cupresso praedicari possint, vix apparet, quippe quae a magnitudine et dilatatione ramorum haud ita bene laudari potest, neque a veteribus ex hoc laudatur. Insuper lectio massorethica in textu 2 *Reg.* 6,5 (cf. *supra*), quam saltem ex parte tuentur LXX, Peshitta, Symmachus, Vulgata, potius abietem iubet intellegere, quam cupressum, quia lignum abiegnum prae ceteris aptissimum est instrumentis musicis conficiendis, iudicio eorum qui in hac arte maxime excellebant, *Amati* et *Straduari* aliorumque (*Leunis-Frank*, Synopsis II. 2, *ed.* 3, p. 933). — In textibus vero cuneiformibus cupressus a significatione vocis *busāshu*, quae eadem est atque hebr. *berosh* et probabiliter etiam eandem arborem designat, omnino videtur excludi. In enumeratione enim arborum, quas reges Assyrii de Amano vicinisque montibus pro construendis templis et regiis suis sibi compararunt, saepius una cum *shurmenu* etiam *burāshu* nominatur (cf. v. gr. *Asurnaztrpal*, Annal. col. 3,89; *Salmanassar* II. monol. col. 2,9; *Sargon*, Khorsab. 159 etc.). Iam vero *shurmenu* fere iuxta omnes cupressum designat. Ergo *burāshu*, ideoque probabiliter etiam *berosh*, non est cupressus; nullatenus enim videtur probabile, nomine *shurmenu* cupressum *horizontalem*, *burāshu* vero *pyramidalem* significari, cum istae non sint duae cupressi species, sed eiusdem speciei varietates, accidentaliter tantum diversae; quod autem aliqui asserunt, *shurmenu* esse *Iuniperum oxycedrum*, quae Arabibus *sherbin* audiat, falsum est, cum *sherbin* certissime sit cupressi nomen arabicum, iuniperi oxycedri vero *'ar'ar* (cf. *Post*, Flora of Syria 748 s.).

Itaque loco cupressi potius abietem cilicicam nomine בְּרוֹשׁ designari censemus, quae altitudinem 16-25, imo iuxta alios 30-50 metrorum attingens iugiterque virens numero et pulchritudine ramorum totoque habitu suo adspectum pulchrum ac nobilem exhibet, lignumque aedificiorum et navium constructionibus aptum praebet et Libani montiumque septemtrionalium propria est, cui proinde ea quae in sacris libris de *berosh* praedicantur, optime conveniunt. Quare cum S. *Hieronymo* concludimus *berosh* « magis abietes, quam cupressos significare » (ep. 106 ad Sun. et Fret. 65; cf. in Is. 14,8; in Ez. 27,5. *M.* 22,861; 24, 225; 25,260).

Cf. *I. H. Ursinus*, Arbor. bibl. 266-85; *M. Hiller*, Hierophyticon I. 370-4; *P. Cultrera*, Flora biblica 418 s.; *I. Duns*, Biblical Natural Science I. 186; II. 271; *E. Fournier*, Sur les noms anciens des cyprès, Extr. des Actes du Congrès internat. des botan., Paris 1867, p. 7.

L. FONCK.

ABIEZER (אֲבִיעֶזֶר, Ἀβιέζερ, Ios. 17,2 Ἰεζί; Num 26,30 decurtatum אִיעֶזֶר, *Vulg.* Iezer, Ἀχιέζερ; Iud. 6,11. 24; 8,32 nomen patronymicum cum articulo אֲבִי הָעֶזְרִי, 6,11. 24 πατρὸς τοῦ Ἐσδρί, 8,32 Ἀβὶ Ἐσδρί).

1. Abiezer, filius Galaad (Num. 26,30; Ios. 17,2), sed secundum 1 Par. 7,18 filius sororis Galaad, princeps alicuius familiae parvae quidem, sed fortitudine celebris ex tribu Manasse. Prima sedes familiae sine dubio fuit in Galaad, sed tempore Iudicum Ephra in sorte occidentali tribus Manasse (v. EPHRA 1) erat sedes Abiezeritarum et patria Gedeonis, celeberrimi ex posteris Abiezer (Iud. 6,11. 15. 24. 34; 8,2.32).

2. Abiezer Anathothites ex tribu Beniamin, unus ex heroibus Davidis (2 Reg. 23,27; 1 Par. 11,28), nonus ex duodecim principibus, quorum singuli suo quisque mense turmae viginti quattuor millium praeerant (1 Par. 27,12).

ABIGABAON (אֲבִי גִבְעוֹן, pater Gabaon, πατὴρ Γαβαών), cognomen Iehiel, possessoris Gabaon et principis in tribu Beniamin, ex maioribus Saulis (1 Par. 8,29; 9,35); v. ABIEL 1.

ABIGAIL (אֲבִיגַיִל, 1 Sam. 25,3 אֲבִגָיִל, 25,18 *Kethîb* אבוגיל; LXX Ἀβιγαία).

1. Uxor Nabalis et postea Davidis. Davidi, cum a Nabale homine opulento quidem, sed duro ac malitioso spretus armata manu contra istum procederet, occurrit Abigail, uxor Nabalis prudentissima et speciosa; annonam dono offerens Davidem verbis aptissimis demulcet, ut vindictae renuntiet. Nabale paulo post apoplexia correpto et e vivis sublato David uxores duxit Abigailem viduam et Achinoam de Iezrahel (1 Reg. 25,3 ss.). Ambae Davidem secutae sunt, cum ad Achis regem Geth confugeret (1 Reg. 27,3); ambae in Siceleg ab Amalecitis captivae abductae, sed brevi post a Davide recuperatae sunt (1 Reg. 30,5. 18); ambae cum eo Hebronem ascenderunt (2 Reg. 2,2). Abigail in Hebron Davidi filium peperit Cheleab (2 Reg. 3,3), qui a LXX vocatur Δαλουία; idem 1 Par. 3,1 vocatur Daniel, Δαμιιήλ.

2. Soror Davidis et Sarviae (2 Reg. 17,25; cf. 1 Par. 2,13. 16. 17). Vocatur filia Naas 2 Reg. 17,25, sed filia Isai 1 Par. 2,13. 16. Difficultatis genealogicae solutiones sunt variae. *Ps. Hier.* putavit Naas eundem esse ac Isai. Alii putant matrem Abigailis et Sarviae sororum duos successive habuisse maritos, Naas et Isai. Alii contendunt Naas esse nomen feminae, hinc Abigailem esse filiam Isai ex praevio aliquo connubio cum Naas. — Abigail filium genuit Amasam, Absalomis rebellis asseclam, ex matrimonio cum Iether seu Ietra Ismaelita (2 Reg. 17,25; 1 Par. 2,17; v. IETHER 2); inde quod Iether ad Abigail ingressus esse dicitur (בוֹא אֶל), perperam concluditur a quibusdam, eum cum Abigail ante matrimonium rem habuisse (v. g. *Riehm-Baethgen*, Handwörterbuch des bibl. Altertums I. p. 79 dicit Amasam filium illegitimum).

ABIHAIEL v. ABIHAIL 1.

ABIHAIL (אֲבִיחַיִל et 1 Par. 2,29 2 Par. 11,18 in aliquibus mss. אביהיל)

1. Pater Suriel principis familiae leviticae de stirpe Merari (Num. 3,35; *Vulg.* scribit Abihaiel; LXX Ἀβιχαίλ).

2. Uxor Abisur (1 Par. 2,29; Ἀβιχαία).

3. Filius Huri ex tribu Gad (1 Par. 5, 14; Ἀβιχαία).

4. Filia vel potius neptis Eliab, qui fuit frater Davidis maior natu; Roboam rex Iuda eam duxit uxorem (2 Par. 11, 18; Ἀβιχαία; apud *Swete* B Βαίαν, Ἀβαίαν, A καὶ Ἀβιαίαλ). Sunt tamen interpretes, qui Abihail non uxorem Roboam, sed matrem uxoris Roboam faciant, vertentes: « Duxit Roboam uxorem Mahalath, filiam Ierimoth filii David et (filiam) Abihail filiae Eliab filii Isai ». Ante nomen אביחיל supplendum est ל, quod excidit.

5. Pater Esther reginae et frater Mardochaei (Esth. 2,15; 9,29; Ἀμιναδάβ, Ἀμιναδάβ).

ABILINA (ἡ Ἀβιληνή) tetrarchia, quam tempore Nativitatis Christi Lysanias tetrarcha administrabat (Luc. 3,1); haec erat una ex quattuor partibus, in quas regnum Ituraeorum inde ab anno 36 a. C. divisum est. Extensio et limites Abilinae difficulter determinantur neque semper aequales erant. Certe ad Abilinam spectabat territorium Baradae superioris, qui de *Djebel el-Zebedānī* in Antilibano profluit, meridiem versus forte tota regio usque ad montem Hermon, septemtrionem versus descensus orientalis Antilibani inferioris. De historia Abilinae v. LYSANIAS. Urbs principalis Abilinae erat Abila. Ptolemaeus (V. 15,22; *ed. Müller-Fischer* 14,18) eam appellat Ἀβῖλα Λυσανίου. Sita erat secundum Itinerarium Antonini et tabulam Peutingerianam 18 mil. pass. a Damasco in via, quae Damasco Heliopolim (*Ba'albek* ducit, eo loco quo nunc est vicus *Sūq Wādi Baradā* iuxta ipsum fluvium in orientali descensu Antilibani inferioris. Ruinae urbis antiquae ibidem deprehenduntur. In vicina rupe inscriptio cernitur, quae de Marco Aurelio et L. Vero imperatoribus haec refert: « Viam fluminis vi abruptam interciso monte restituerunt... impendiis Abilenorum » (apud *de Saulcy, Robinson* et Facsimile apud *Lepsius*). Ostenditur etiam in monte prope *Sūq* sepulcrum Abel *Nebī Abil*; haec traditio, quae sine dubio soli nominis similitudini originem debet, nobis vestigium nominis antiqui conservavit.

Cf. *De Saulcy*, Voyage autour de la mer Morte, Atlas (1853), pl. 51; eiusdem auctoris Numismatique de la Terre Sainte p. 20; *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. 1857, p. 625; *Lepsius*, Denkmäler aus Aegypten XII. Blatt 164, Inscrip. lat. n. 64.

De Abila generatim cf. *Reland*, Palaestina p. 527 s.; *Ritter*, Erdkunde XVII. 2, 1278 s.; Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins VIII. 1885, p. 40; *Porter*, Five years in Damascus 1855, I. 261 s.; *Sepp*, Ierusalem und das heilige Land *ed.* 2, II. 393 s.; *Ebers und Guthe*, Palaestina I. 456-460; *E. Schürer*, Geschichte des iudischen Volkes *ed.* 3, I. 716 s.; *Clermont-Ganneau*, Recueil d'Archéol. orient. II. p. 35 s.

ABIMAEL (אֲבִימָאֵל, Ἀβιμαήλ), unus ex tredecim filiis Iectan filii Heber (Gen. 10,28; 1 Par. 1,22). Iectanidae Arabiam meridionalem incolebant (v. IECTAN). Nomen videtur dissolvendum esse in Abi-ma-el (cf. Zeitschr. der Deutsch. Morgenländ. Gesellschaft XXXI. 1877, 86; XXXVIII. 1883, 18). Verum ab aliis Abimael dissolvitur in Abi-Mael i. e. pater Mael et supponitur fuisse pater vel conditor tribus cuiusdam Mael. Bochartus (Phaleg 2,24) suspicatur hanc tribum eandem esse ac tribum Mali, cuius mentionem facit Theophrastus (Historia plantarum 9,4), Malitas autem sive Manitas (*Ptol.* VI. 7,23) esse eosdem, qui Minaei, Μιναῖοι dicuntur ab Eratosthene apud Strabonem (XVI. 4,2) et Minnaei, Μινναῖοι a Dionysio (Periegesis 959); addit Bochartus l. c. Minaeorum regionis partem myrrhiferam a Malitis, palmiferam a Decla (vide s. v.) obtentam esse. *Knobel* (Völkertafel 1850, p. 196. 197) putat tribum Mali Theophrasti componi posse cum regione *Mahra* orientem versus ab *Hadramaut* sita, cuius nomen facile reperiatur in Μάρα metropoli apud Ptolemaeum (VI. 7,37). Sed haec incerta sunt.

ABIMELECH (אֲבִימֶלֶךְ, Ἀβιμέλεχ).

1. Duo reges Gerarae. Abimelech commune fere nomen regum Gerarae fuisse a multis censetur, sicut Pharaonis apud

Aegyptios : nomen sane aptissimum, cum etymologice idem significet, quod Padishach (pater rex) nomen regum persicorum et Atalik (pater, proprie paternitas) nomen Chanorum bocharicorum (*Gesenius*, Thesaurus p. 7 et 10). Sed quidquid est de hac opinione, eius nominis duo reges Gerarae commemorantur, quamquam non certo constat, utrum fuerint duo an unus idemque.

Prior, aequalis Abrahami patriarchae (Gen. 20 et 21), pulchritudine Sarae captus illam sibi rapuit, sed a Deo prohibitus, ne illam tangeret, simulque visione nocturna admonitus de morte sibi imminenti, nisi raptam redderet, statim reddidit, factum ignorantia excusans, quippe qui Abrahami sororem, non uxorem esse existimarit. Idem postquam precationibus Abrahami a plagis sibi suaeque domui propter Sarae raptum illatis liberatus est, foedus cum Abrahamo pepigit eique possessionem putei in Bersabee obligavit. Ex quibus apparet fuisse Abimelech virum iustum, cultorem veri Dei, speciali providentia divina protectum.

Alter erat aequalis patriarchae Isaac (Gen. 26). Isaac ob famem in Geraris peregrinatus Rebeccam uxorem sororem suam esse dixit, ne forte ob ipsius pulchritudinem ipse interficeretur. Abimelech rex, cum quadam die per fenestram prospiciens Isaac cum Rebecca familiarius iocantem vidisset, patriarcham reprehendit, quod veritate celata incolas Gerarae periculo magni criminis exposuisset et sub poena mortis omnibus interdixit, ne quid contra Rebeccae honorem attentarent. Isaac cum ibidem nimium ditesceret et potentior fieret, e regno cedere coactus in aliquam vallem torrentis Gerarae recessit, sed post multa iurgia de puteis inter pastores Gerarae et suos exorta tandem regi reconciliatus foedus cum eo pepigit in Bersabee. — Ob similitudinem rerum narratarum Rationalistae idem factum mutatis quibusdam bis narrari opinati sunt. Sed perperam; deprehenditur satis magna diversitas in rebus ac personis utriusque narrationis; praeterea quid mirum, si circumstantiis similibus denuo positis similia contingunt? Demum adverte duobus eventibus admissis non necessario postulari duos Abimelech. « Si supponas cap. 20 narrata locum habuisse brevi post Abrahae in Chanaanitidem adventum, cap. 26 narrata brevi post Isaac nuptias, habebis spatium sexaginta circiter annorum et si supponas Abimelech cap. 20 fuisse fere quadraginta annorum, habebis eundem cap. 26 centenarium. » (*F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 457. 458).

2. Abimelech, filius Gedeonis ex matre Ephraimita concubina, quam Gedeon Sichimis habebat; *Flav. Iosephus* (Ant. V. 7,1) eam appellat Δρούμας. Gedeone mortuo Abimelech, iuvenis ambitiosus et crudelis, pecunia a Sichimitis idololatris accepta viros sibi conduxit inopes et vagos i. e. homines desperatos, omnes fratres suos excepto Ioatham minimo in domo Gedeonis patris in Ephra trucidavit « super unum lapidem » i. e. in ipso loco, illico (*F. de Hummelauer*) et a Sichimitis rex proclamatus est « iuxta quercum, quae stabat in Sichem », arborem antiquitate et rebus ibidem gestis memorabilem (Gen. 35,4; Ios. 24,26). Abimelech postquam per tres annos super Israel vel saltem super magnam eius partem regnavit, divina vindicta correptus est. Sichimitae in rebellionem proruperunt. Abimelech, primum quidem haud infelix, exercitu suo praevalido illos devicit, eorum urbem destruxit, turrim firmissimam seu arcem Sichimorum, in quam cives devicti sese receperant, ramis undique congestis succendit. Sed cum Sichimis proficiscens oppidum Thebes aggressus esset, quae urbs una cum Sichimis ab eo videtur defecisse, et urbe capta ad turrim accedens ignem subiicere niteretur, mulier deiecto molae fragmine illum letaliter in capite vulneravit. Ipse vero, ne a femina interfectus diceretur, armigerum advocavit et ab eo iussu suo confossus est. — Ad quaestionem, iudexne fuerit Abimelech, respondet Bonfrerius : « Abimelech non tam iudex quam rex, non tam rex dicendus quam tyrannus, utpote qui regnum malis artibus et parricidio acquisitum non dissimilibus artibus gessit longeque pessimis regni iuxta et vitae finem fecit. Porro non esse hunc in iu-

dicibus numerandum ex eo liquet, tum quod neque a Deo ad principatum evocatus sit neque a populo Dei impulsu electus, uti fere ceteros legimus principatum hunc adiisse; tum quod principatum hunc neque gesserit ad communem utilitatem neque auspicatus sit ad salutem populo afferendam, sed potius populum divexando ad privatam utilitatem omnia retulerit ambitione et crudelitate plenus; tum quod iudiciariae potestatis modestia non contentus regium nomen, quod Gedeon defugerat, ambiverit et quadamtenus obtinuerit ». — Cf. Iud. 8,31; 9,1 s. 10,1; 2 Reg. 11,21.

3. Abimelech in textu hebraico 1 Par. 18,16 est error transcriptionis pro Achimelech (v. ACHIMELECH 3), uti legunt aliqua mss. hebraica, versiones LXX syr. chald. *Vulg.* arab. et loci paralleli 2 Reg. 8,17; 1 Par. 24,3. 6. 31. Cf. *de Rossi* (Var. Lect. Vet. Test. IV. et Supplementa ad h. l.), qui pro lectione Achimelech iam allegat *Lapide, Calmet, Capellum, Vogel, Houbigant.*

4. Abimelech, nomen in titulo Ps. 33 [34] attributum regi Achis (1 Reg. 21, 10); v. ACHIS.

ABINADAB (אֲבִינָדָב, Ἀμιναδάβ).

1. Levita de Cariathiarim, apud quem arca Domini per viginti annos posita erat (1 Reg. 7,1; 2 Reg. 6,3. 4; 1 Par. 13,7).

2. Secundus filius Isai et frater David, in exercitu Saulis contra Philisthaeos militans (1 Reg. 16,8; 17,13; 1 Par. 2,13).

3. Unus de filiis Saulis, qui cum patre periit in pugna ad montem Gelboe (1 Reg. 31,2; 1 Par. 8,33; 9,39; 10, 2; LXX 1 Reg. 31,2 B Ἰωναδάβ).

4. Pater illius praefecti Salomonis, qui 3 Reg. 4,11 Benabinadab (υἱὸς Ἀμιναδάβ) appellatus gener erat Salomonis, cuius filiam Tapheth duxerat.

ABINOEM (אֲבִינֹעַם, Ἀβινοέμ), pater Barac iudicis ex tribu Nephthali (Iud. 4,6. 12; 5,1. 12).

ABIRAM (אֲבִירָם, Ἀβιρών), filius primogenitus Hiel de Bethel; cum Hiel Iericho civitatem aedificaturus i. e. muniturus fundamenta iaceret, Abiram primogenitus eius iuxta imprecationem Iosue (Ios. 6,26) morte sublatus est (3 Reg. 16,34).

ABIRON (אֲבִירָם, Ἀβειρών), filius Eliab stirpis Phallu de tribu Ruben, frater Dathan, quocum in rebellione Core partem habuit et interiit (Num. 16,1. 12. 24-27; Deut. 11,6; Ps. 105 [106], 17; Eccli. 45,22); v. CORE 2.

ABISAG (אֲבִישַׁג, Ἀβισάγ), adolescentula Sunamitis ex Sunam (hodie *Sōlem*) in tribu Issachar orta. Suadentibus servis regiis (vel medicis; *Flav. Ioseph.* Ant. VII. 14,3) adducta est, ut Davidem septuagenarium et senectute frigescentem foveret eique ministraret. David usque ad mortem suam eam concubinam secum habuit, sed iure suo coniugali usus non est (3 Reg. 1, 3. 4). Davide mortuo Adonias, filius quartus David et Salomone maior natu, petivit, ut Salomon Abisag sibi uxorem daret; rex vero non immerito suspicans, Adoniam ducta regis defuncti uxore ius successionis affectaturum esse, illum propter hanc petitionem occidi iussit (3 Reg. 2,17-25).

ABISAI (אֲבִישַׁי et אֲבִשַׁי; Ἀβεσσά, Ἀβισά), frater Ioab et filius Sarviae, sororis David, vir bellicosus, audax, fidelissimus Davidis sectator eiusque partium defensor ardentissimus; princeps erat secundi ternarii heroum davidicorum, tribus tantum celebratissimis paulo inferior, qui occasione quadam nobis ignota trecentos hostes interfecit (2 Reg. 23,18. 19; 1 Par. 11,20. 21). — Multa praeterea edidit documenta audaciae et fortitudinis. Noctu Davidem comitatus est usque in tentorium Saulis dormientis, quem lancea sua confodisset, nisi David eius ardorem compescuisset (1 Reg. 26,6-9). Iniuriam a Semei Davidi illatam morte luendam esse contendit Abisai, sed restitit ipse rex tum profugus tum rediens victor (2 Reg. 16, 9. 10; 19,21. 22). In proelio cum Philisthaeis commisso Davidis vitam Abisai servavit percusso Iesbibenob gigante, cuius ferrum lanceae trecentas uncias (4.911 kilogr.) pendebat (2 Reg. 21,15-

17); quae narratio sapit tempus antiquius a temporibus regni Saul non ita multum remotum (*F. de Hummelauer* ad h. l.).

Verum etiam ducem belli se praestitit, licet non primas, sed secundas partes agentem. Fuit socius Ioab, qui toti exercitui davidico praeerat, in proelio quo Abner fugatus est (2 Reg. 2,24) et brevi post hanc victoriam cum Ioab in necem dolosam Abneri conspirans facinoris cooperator exstitit (2 Reg. 3,30). In bello ammonitico-syriaco Ioab dux partem exercitus tradidit Abisai fratri suo et dum ipse in campo prope Rabbath Ammon Syros fugat, Abisai aciem instruxit contra Ammonitas ante portas urbis constitutos eosque in urbem reiecit (2 Reg. 10,9-14; 1 Par. 19,11-15). Post bellum ammonitico-syriacum vel saltem post hanc priorem Syrorum stragem modo relatam subsecutum est bellum idumaeum, in quo Abisai decem et octo millia Edomitarum in valle Salinarum percussit (1 Par. 18,12), non proprio Marte, sed ipsis Ioab et Davide summam belli gerentibus, quibus huius victoriae gloria alibi tribuitur (2 Reg. 8,13; 3 Reg. 11,15; Ps. 59 [60], 2). Abisai parti exercitus praeerat in proeliis cum Absalome (2 Reg. 18,2 s.) et Seba (20,5 s.) commissis. De chronologica bellorum successione cf. *F. de Hummelauer,* Comment. in ll. Samuelis p. 326.

ABISUE (אֲבִישׁוּעַ). **1.** Filius Bale primogeniti Beniamin (1 Par. 8,4; Ἀβεσσουέ). — **2.** Quartus inter pontifices ab Aarone descendens per Eleazarum et Phineem (1 Par. 6,4. 5. 50; Ἀβισσού); enumeratur inter maiores Esdrae (Esdr. 7,5; Ἀβισσουέ).

ABISUR (אֲבִישׁוּר, Ἀβισούρ), filius secundus Semei, primogeniti Onam ex stirpe Hesron filii Phares filii Iuda, maritus Abihail (1 Par. 2,28. 29); v. ABIHAIL 2.

ABITAL (אֲבִיטַל, Ἀβιτάλ), uxor sexta David, mater Saphatiae filii quinti David (2 Reg. 3,4; 1 Par. 3,3).

ABITOB (אֲבִיטוּב, Ἀβιτώλ, B Ἀβιτώβ), filius Saharaim Beniaminitae et Husim uxoris libello repudii postea dimissae (1 Par. 8,11). *Vulg.* vertit : Mehusim genuit Abitob; sed hebraicum vertendum est : de Husim. Aliter vertit *F. de Hummelauer* (Comm. in Num. p. 187) : Mehusim (non uxor, sed filius Saharaim) genuit Abitob etc.

ABIU (אֲבִיהוּא, Ἀβιούδ), filius secundus Aaronis (Num. 3,2) et Elisabethae (Ex. 6,23), qui Moysen in verticem montis Sinai comitatus est una cum Aarone, Nadab fratre suo primogenito et septuaginta de senioribus Israel (Ex. 24,19). Eodem octiduo, quo Aaron pontifex, quattuor eius filii Nadab, Abiu, Eleazar, Ithamar sacerdotes consecrati sunt (Lev. 8). Sed Nadab et Abiu, cum vespere diei octavi consecrationis igne profano thurificarent, igne coelesti a Domino ad instar fulminis prodeunte occisi sunt; plangebantur a populo, Aaron vero et duo filii superstites a Deo prohibiti sunt, quominus eos plangerent (Lev. 10,1 ss.). Eius nomen praeterea legitur Ex. 28,1; Num. 3,4; 26,60. 61; 1 Par. 6,3; 24,1. 2.

Interpretes inquirunt, cur Nadab et Abiu igne alieno seu non sacro usi sint ad incensum in altari thymiamatis adolendum. Varias opiniones recenset *F. de Hummelauer* (Comm. in Ex. et Lev. p. 407), ex quibus probabilissima est « eos fuisse semiebrios atque ob eam rationem Lev. 10,8 ss. adiici praeceptum, ut intraturi tabernaculum a vino abstinerent. Sollemne illud Lev. 9 sacrificium excepisse aeque sollemne convivium aut in eo convivio Aaronitas aliquos, qui tantopere a Deo fuerant honorati, intemperantiores fuisse, quis miretur? »

ABIUD (אֲבִיהוּד, Ἀβιούδ). **1.** Filius Bale primogeniti Beniamin (1 Par. 8,3). **2.** Unus ex posteris Zorobabel in genealogia Christi Math. 1,13; vide etiam IUDAS 6 et ODUIA 1.

ABNEGATIO. 1. Legem abnegationis qua singuli se ipsos abnegare debeant, si Christum sequi voluerint, totidem verbis Christus promulgavit Matth. 16,24 : si quis vult post me venire, abneget semetipsum et Luc. 9,23. Est autem

se abnegare se ipsum, sua commoda et utilitatem non spectare, sui oblivisci, et praeprimis resistere pravis cupiditatibus et omnia ea *sibi negare* ad quae natura peccato lapsa vitiose inclinat et propendit; est, ut S. Hieronymus ad Matth. l. c. dicit, deponere veterem hominem cum operibus suis; est valedicere propriis affectibus et desideriis ut regnum Christi in nobis aliisque stabiliatur. Eadem lex enuntiatur, cum Christus dicat opus esse renuntiare omnibus, si quis velit esse discipulus suus vel cum non se dignum esse qui non oderit patrem et matrem i. e. qui non posthabitis omnibus et si opus est relictis toto studio ad Christi praecepta implenda incumbat. Quamvis haec abnegandi vox non legatur ante Christum, res tamen ea designata omni tempore lege divina erat imposita. Nam praeceptum illud obedientiae protoparentibus impositum iam ab eis postulavit abnegationem appetitus scientiae illius, quae ipso arboris prohibitae nomine videbatur promitti. Quem appetitum vel quod desiderium scientiae et similitudinis divinae serpens callide in Heva excitare studuit neque Heva voluit sibi negare sed superbe quaerere expletionem illius desiderii spreta Dei prohibitione. Quare patet quomodo haec sui ipsius abnegatio conditio sit necessaria ad legem divinam implendam et quomodo in omni studio et exercitio virtutum ea pariter habeatur. Haec abnegatio toties exigitur in s. litteris quoties iubemur vitare peccata, concupiscentiis resistere, mandata Dei exsequi, proximorum bono prospicere, offensiones condonare etc.; ea praeclare describitur Eccli. 18,30. 31 : post concupiscentias tuas non eas et a voluntate tua avertere; si praestes animae tuae concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis, Rom. 6,12 : non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius, 13,14 : carnis curam ne feceritis in desideriis, Tit. 2,12 : apparuit gratia Dei Salvatoris erudiens nos ut abnegantes impietatem et saecularia desideria sobrie, iuste et pie vivamus in hoc saeculo.

2. Alio modo dicitur abnegare aliquem i. e. nego mihi illum cognitum esse vel quidquam commercii vel familiaritatis inter me illumque intercedere neque intercessisse. Eo modo Christus Petro praedixit : non cantabit hodie gallus donec ter abneges nosse me (Luc. 22,34; Matth. 26,34; Marc. 14,30; Ioan. 13,38). Haec autem Petri abnegatio, quamvis communiter a theologis peccatum grave censeatur (cf. *Suarez* in 3 p. qu. 46 disp. 35 sect. 1,8) tamen non dici debet fuisse amissio fidei; peccavit contra confessionem fidei, non contra fidem, ut ait *Suarez*, et S. *Augustinus* : in illa negatione intus veritatem tenebat et foris mendacium proferebat (c. mendacium 6,13; *M.* 40,526). Eodemque modo alii loquuntur, ut *S. Hilarius, Leo magnus, Prudentius* et interpretes (cf. *Knabenbauer*, Comm. in Matth. II. p. 482; cur istud peccatum Petri Christus permiserit vide l. c. p. 483 et Comm. in Marc. p. 403).

ABNER (אַבְנֵר et 1 Reg. 14,50 אֲבִינֵר; Ἀβεννήρ), patruelis Saulis, cum Ner pater Abner et Cis pater Saulis fratres fuerint (1 Reg. 14,50. 51). Erat princeps militiae Saulis (1 Reg. 14,50; 17,55; 26, 5. 7. 14), qui dexterae regis assidebat (1 Reg. 20,25), per quem exercitus, qui potissimum Beniaminitis et imprimis cognatis regis constabat, quam arctissime Sauli devinciretur. Saule et tribus filiis eius in pugna ad montem Gelboe occisis (1 Reg. 31) Abner rerum militarium necnon civilium potitus Isbosethum, quartum filium Saulis, regem constituit in Mahanaim, urbe munita transiordanica ad septemtrionem fluminis Iaboc sita in tribu Gad. Isboseth erat rex nomine, imbecillis in agendo, obtusae mentis indicia prodens, instrumentum in manu Abner. Is enim nomine Isboseth primum regionem transiordanicam cum regno Gessur occupavit; dein Issachar, Ephraim, Beniamin in potestatem suam redegit, tandem totam terram Israel excepta Iudaea Davidis provincia obtinuit (2 Reg. 2,8. 9). Utrum hoc tempore Abner iam noverit, regnum de domo Saul ex promissione divina in Davidem transferendum esse, an Isbosethum regem legitimum esse putaverit, non satis liquet. Prima unctio Davidis a Samuele secreto facta erat

(1 Reg. 16); hanc Abner forte ignorabat, licet postea (2 Reg. 3,9. 10. 18) eam novisse videatur. Ex altera parte vix dubium est, quin David, cum in Hebron regno potitus secundo ungeretur, promissionem divinam promulgaverit. Quidquid est de hac quaestione, Abner partes Davidi adversas tanta dexteritate tueri conatus est, ut non nisi post annos septem et dimidium i. e. satis diu post mortem Abneri et Isboseth unio politica omnium Israelitarum a Davide effecta sit. — Ut tribum Iuda subigeret, Abner cum exercitu vel forte cum solis Beniaminitis, ut 2 Reg. 2,15 innui videtur, de Mahanaim versus Gabaon, urbem celebrem tribus Beniamin, progressus Ioabum et Davidis exercitum obvios habuit iuxta piscinam Gabaon (cf. Ier. 41, 12). Certamen singulare, quo Abner proelium dirimere voluit et in quo duodecim Beniaminitae a duodecim heroibus Davidis nova quadam pugnandi ratione videntur transfixi fuisse, in proelium gererale transiit. Abner devictus et fugatus est. Fugientem Abner Asael frater Ioabi velocitate praeclarus insecutus est; Abner non immerito veritus, ne caede Asaelis implacabiles Ioabi inimicitias in se provocaret, bis persecutorem monuit, ut desisteret, eumque in proposito perseverantem invitus interfecit aversa hasta i. e. inferiore hastae extremitate, ac si casu magis quam consulto res evenisset (2 Reg. 2,12 ss.). Crescente igitur imperio Davidis causa Isboseth decrescebat, sed consilio ac robore Abneri sustentabatur. Cum autem hic Saulis concubinam, cui nomen Respha, in uxorem duceret atque ita suspicionem excitaret, velle se ipsum regnum appetere ducta vidua regis defuncti, ab Isboseth recriminationem timidam quidem, sed viro ambitioso gravissimam passus nuntios ad Davidem misit, ut in amicitiam cum ipso rediret. David conditionem posuit, ut prius Michol, filia Saulis, uxor Davidi iniuste ablata et Phaltieli filio Lais tradita, ab Isboseth sibi restitueretur. Michole restituta Abner cum singulas tribus tum praesertim Beniaminitarum seniores adiit, ut consilium adhaerendi Davidi iis exponeret. Ab ipso Davide amice exceptus plena facta reconciliatione dimissus est, ut opus pro Davidis causa inceptum perficeret. Quod cum Ioab comperisset, ardore incensus ulciscendi sanguinem Asael fratris sui, Davide ignaro nuntios misit, qui Abnerum nomine regis revocarent, et reversum in Hebron dolose interfecit. David vero hoc facinus genuino dolore exsecratus sollemnibus exsequiis Abnerum planxit, simul excusans se, quod non ipse occisorem puniret tum propter infirmum statum rerum suarum tum propter potentiam ac robur Ioabi (2 Reg. 3).

Abneri nece res Isboseth statim misere collapsae sunt (2 Reg. 4,1). Cum duo sicarii Beniaminitae Baana et Rechab ipsum Isboseth trucidassent, eius caput a servis Davidis sepultum est in Hebron in sepulcro Abner (4,12). Satisfactionem pro iniuria illata haud spernendam recepit Iasiel, filius Abneri, quem David rex totius Israel factus principem tribus Beniamin constituit (1 Par. 27, 21). Moriturus autem David Salomoni facinora Ioabi in memoriam revocavit, ne sanguis Abneri maneret inultus (3 Reg. 2,5. 6) et Salomone iubente Ioab seras, sed iustas poenas luit sanguine suo (3 Reg. 2,31-34). — Praeterea 1 Par. 26,28 docemur Abnerum occasione quadam spolia bellica ad instaurationem et supellectilem templi Domini consecrasse (1 Par. 26.28).

Cf. *I. Danko*, Historia rev. div. Vet. Test. 1862, p. 249 s.; *H. Weiss*, David und seine Zeit 1880, p. 139 s.; *E. Palis* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.

ABOBI (1 Mach. 16,11. 15). Ptolemaeus dux in campo Iericho constitutus, qui erat gener Simonis Machabaei eumque vi ac dolo interfecit, vocatur filius Abobi (ὁ τοῦ Ἀβούβου).

ABOMINATIO DESOLATIONIS, τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως. Iubet Christus suos fugere ex urbe et Iudaea, quando viderint abominationem desolationis quae dicta est a Daniele propheta stantem in loco sacro (Matth. 24,15; Marc. 13,14). Apud Danielem ter mentio fit eiusmodi abominationis 9,27 et 11,31 et 12,11. Verum non est difficile videre quemnam locum Christus ob oculos ha-

beat. Nam Dan. 11,31 agi de temporibus Antiochi Epiphanis manifestum est neque a quopiam in dubium vocatur; dicitur scil. eo loco fore ut duces et asseclae Antiochi polluant sanctuarium et auferant iuge sacrificium et abominationem desolationis collocent in loco sacro. Quae impleta esse nobis refertur 1 Mach. 1,49-64 et 2 Mach. 6,2-9; profanabatur enim templum et altare Dei sacrificiis idololatricis quae Iovi olympio fiebant aliisque flagitiis. De eadem autem profanatione mentio fit Dan. 12,11, ubi scil. praedicitur, quando post illam abominationem desolationis melior populo Dei sors obventura sit (cf. *Knabenbauer*, Comm. in Dan. p. 324 s.). Unde Christus censeri debet respexisse Dan. 9,27, quo loco sermo infertur de Messia eiusque morte et de ruina templi et urbis quae occisionem Messiae subsecutura sit, « et erit in templo abominatio desolationis »; textum hebr. simili modo expressit Theodotio : καὶ ἐπὶ τὸ ἱερὸν βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων. Textus quidem hebr. uti nunc legitur non caret difficultate; at sensus est certe idem : super fastigium templi venturas esse abominationes horrendas. Monet itaque Christus ut fugiant si viderint abominationem in desolatione vel vastatione consistentem vel patratam in loco sacro, vel ubi non debet (Marc. 13,14), i. e. in templo; a templo enim, cuius magnificentiam discipuli ei ostenderant, Christus sermonem incepit, unde *in loco sacro* de eodem templo intellegi debet. In quanam re futura sit illa abominatio Christus non dicit. Cum autem Luc. 21,20 legatur : cum videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio eius, putabant iam veteres aliqui (*Origenes*, *Chrysostomus*, *Paschasius*, *Thomas*, *Caietanus*, *Iansenius*, *Cornelius a Lapide* in suis ad h. l. commentariis, *S. Augustinus* ep. 199,28; *M.* 33,915) in exercitu romano consistere illam abominationem. Sed tum *in loco sacro*, ut alia mittam, esset explicandum de tota regione. Quare multo melius est verba accipere de flagitiis zelotarum qui templum caedibus aliisque sceleribus profanarunt. De qua violatione loci sacri ampla testimonia leguntur apud Iosephum (Bell. iud. IV. 3,10; 5,1; 6. 3). Atque Christianos verbis Iesu obsequentes suo tempore arripuisse fugam narrat Eusebius (Hist. eccl. 3,5; *M.* 20,221 ; quam fugam etiam indicare videtur Iosephus (l. c. II. 20,1 .

ABRAM (אברם, Ἄβραμ) — postea vocatus **ABRAHAM** (אַבְרָהָם Ἀβραάμ)

Prius nomen idem sonat atque « pater excelsus », estque idem cum assyro *Aburamu* cf. *Schrader - Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. 190 ; alterum nomen etymologice cum priore fortasse est idem, sed Gen. 17,6 connectitur cum הֲמוֹן, turba, multitudo, adhibetur ad numerosam posteritatem Abrahae promissam indicandam. Fuit Abraham filius Thare, frater natu minor Aran, cuius filiam Saram duxit uxorem (Gen. 11,29), frater item Nachor. Eius acta habentur Gen. 11,26-25,11. Vocante Deo semenque promittente numerosum, e quo benedictio foret derivanda in omnes gentes, Abraham egreditur de Ur civitate Chaldaeorum primum in Haran, ubi moritur pater eius, inde in Chanaanitiden, quam Deus se posteritati eius daturum iterum atque iterum promittit. Intra huius regionis limites loca, in quibus aliquamdiu subsistit, exstructis altaribus consecrat 12,8; 13,18; cf. 21,33. Redux ex Aegypto, quo fame pressus descenderat, propter continuas inter pastores suos et pastores Lot rixas huic optionem permittit, ut in quam regionis partem malit solus secedat. Qui sibi amoenam circa Iordanem et Pentapolin regionem selegit. Deus vero promissiones factas patriarchae confirmat. Mox Lot in Sodomitarum stragem implicatus a Chodorlahomor rege Aelam captivus abducitur. Sed Abraham collectis viris servis ac foederatis 318, hostes insecutus noctuque adortus, praedam et captivos recuperat (v. CHODORLAHOMOR). Per suos fines revertentem salutat Melchisedech, rex Salem, proferens sacrificium incruentum et convivium. Iam promissionum implendarum initium facit Deus. Quas primum pacto cum Abraham foedere firmat. Pro Ismaele ex ancilla nato

promittit filium ab hera sterili generandum. Signum foederis instituit circumcisionem. Post quae narratur Sodomae ruina, cui per angelos subtrahitur Lot. Sara nonaginta annos nata parit Isaac, aliquamdiu post Agar cum filio Ismaele dimittitur. Interim Abimelech rex Gerarae, fortasse expeditionem meditans in Aegyptum, foedere sibi Abrahamum devincit in Bersabee. Postmodum Abraham filium Isaac immolare iussus strenuo mandatum exsequi aggreditur, gladium stringit, sed ab angelo cohibetur, renovatis divinis promissionibus. Cuius fides, hoc facto imprimis comprobata, alias etiam celebratur : Eccli. 44,20-23; Iudith 8, 22; 1 Mach. 2,52; Rom. 4; Gal. 3; Iac. 2,23. Narrationem claudit supplementum Gen. 22,20-25,11 enarrans mortem et funus Sarae, nuptias Isaac, Abrahae e Cetura filios, divitias, funus. — Abrahae, ut patet, frequens in utroque Testamento mentio habetur. Deus nomen assumit Deus Abraham, Hebraei audiunt filii vel semen Abraham, commemoratur foedus cum Abraham pactum, promissiones eidem factae. — Abrahae historia profanis documentis egregie confirmatur quoad Ur Chaldaeorum et expeditionem Chodorlahomor. Interitum Sodomae etc. confirmat regionis geologica indoles. Mores verissime describuntur, imprimis Gen. 23 ss. Quae vero Gen. 20 narrantur de Sara et Abimelech, utique non sunt acta quando Sara erat nonaginta annos nata, sed pridem acta ibi narrantur, quod illico 21,22 ss. mentio de Abimelech fiat.

Cf. *P. Dornstetter*, Abraham. Studien über die Anfänge des hebr. Volkes 1902 [Biblische Studien VII. 1-3 fasc.].

ABRAN (עֶבְרֹן, Ἐλβών), urbs tribus Aser inter Cabul et Rohob enumerata (Ios. 19,28). Fortasse pro Abran (עֶבְרוֹן) emendandum est Abdon (עַבְדּוֹן). Etenim inter urbes, quas Aser levitis concessit, Abdon nominatur Ios. 21,30 et 1 Par. 6,74 [59]. Unde nostro loco, qui urbes Aser enumerat, Abdon videtur nominanda fuisse. Accedit quod circiter viginti codices Ios. 19,28 lectionem Abdon habent (*I. B. de Rossi*, Var. lect. Vet. Test. II. p. 94). Lectionem Ebron praeter textum massorethicum etiam retinent *Targum Ionathan*, *Peshitta*, *Arabs*, *Vulg.* Quod vero Abdon in serie urbium ascriticarum Ios. 19,24-31 deest, non certo probat emendationem Abdon admittendam esse, quoniam in eadem serie etiam Accho, Ahalab, Helba desunt, quae Iud. 1,31 urbes Aser esse dicuntur. Si Abran est urbs distincta, conferri potest vicus *Berwe* orientem versus ab *'Akkā*, ut innuit *Guérin*, Galilée I. 432. Eundem situm indicat *Legendre*, Carte de la Palestine, addito signo interrogationis. Alii vero urbem nostram cum Abdon componere malunt, ut *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I, *R. Riess*, Bibel-Atlas *éd.* 3 (addens : fortasse).

Adverte denique textum Ios. 19,27. 28 ab *F. de Hummelauer* ita emendari, ut urbs Abran prorsus eliminetur : וְעָבַר מִשָּׁם אֶל רְחֹב i. e. indeque (scil. a Cabul) transit in Rohob.

ABRONAS torrens v. MAMBRE torrens.

ABSALOM (אַבְשָׁלוֹם et אֲבִישָׁלוֹם 3 Reg. 15,2. 10; Ἀβεσσαλώμ).

1. Absalom, filius tertius David ex regia matre Maacha, filia Tholmai regis Gessur (2 Reg. 3,3; 1 Par. 3,2), pulcher et decorus nimis (2 Reg. 14,25), pro cuius comis, cum semel in anno caesariem tonderet, adulatores ducentos siclos seu 9375 francos solvebant (14,26), patri adeo dilectus, ut pro filio in aperta rebellione mortuo ipse mori desideret (18,33). Historia Absalomis 2 Reg. 13-18 duo ad vivum depingit : egregias dotes naturales adolescenti ambitioso, vehementi, astuto in perniciem fuisse et divinas minas Davidi 2 Reg. 12,11 malum de propria domo intimantes gradatim effectum suum nancisci. — En radix calamitatum. Amnon, filius David primogenitus de Achinoam Iezrahelitide, libidine abreptus Thamar sororem Absalomis invitam oppressit oppressamque ignominiose per servum e domo eiecit, ac si Thamar ipsa stuprum quaerens a fratre verecundo esset repulsa. Absa-

lom, ad quem soror infelix confugit, Ammonem morte interimendum esse secum statuit, quo iniuriam sororis ulciscereturˌ sicut filii Iacob Dinae sororis raptum ac stuprum in Sichemitis ulti erant (Gen. 34); fortasse etiam ulterius motivum in adolescente ambitioso aderat, ut primogenito occiso aditum regni obtinendi sibi aperiret. Sed sui compos et astutus odium dissimulat et nonnisi post biennium, cum ad tondendos greges, quae erat magna festivitas (1 Reg. 25,4), Ammonem invitasset, inter lautum convivium fratrem temulentum trucidari iussit. Post fratricidium Absalom ad Tholmai regem Gessur, avum suum maternum, aufugit ibique tres annos commoratus est. Ioab vero, vir prudens et ambitiosus, cum perspiceret cor regis ad Absalomem versum esse et forte etiam coniiceret Absalomem patri reconciliatum regni successorem esse futurum, per Thecuitidem mulierem sapientem, quae adhibita parabola regi supplicaret, Absalomi reditum procuravit eumque ipse de Gessur Hierosolyma adduxit. Neque tamen plena erat reconciliatio; per duos annos Absalom Hierosolymis degens ab aula exclusus et conspectu patris privatus est. Tandem biennio elapso ferox adolescens, postquam messe hordei in agro Ioab succensa hunc coegit, ut pro se apud regem intercederet, ad aulam admissus et in pristinam cum Davide familiaritatem restitutus est.

Sed en — nova aggreditur filius audax et ingratus, nunc natu maximus et regni heres naturalis (eo enim tempore Cheleab, alterum Davidis filium 2 Reg. 3,3, non iam superstitem fuisse ex absoluto Scripturae silentio concluditur). Defectionem callide praeparat assumpto regio fastu, qui in herede regni naturali fortasse excusandus videbatur; quotidie mane ad regiae domus fores veniens civium animos sibi devincire studet familiariter homines inferioris conditionis alloquendo eorumque causas iustissimas esse declarando; accusationes movet de male administrata iustitia, quae ultimatim ipsum regem feriant. Denique quattuor (ita legendum pro *quadraginta* 2 Reg. 15,7) annis post reconciliationem plenam a Davide impetratam specie voti solvendi interposita facultatem a rege postulat Hebronem eundi et patre annuente illuc profectus in apertam rebellionem prorumpit. Nuntio rebellionis universalis ab omnibus regni civitatibus allato David fuga saluti suae consuluit (cf. Ps. 3,1 et *Vulg.* 142,1), Absalom vero Hierosolyma occupavit. Consilium Achitophel sequens decem concubinis patris sui ad custodiendam domum relictis actione incestuosa abusus est, ut omnes firmiter sibi persuaderent nullam spem reconciliationis inter patrem et filium superesse. Sed iam divina iustitia patrem humiliatum erigere et filium rebellem in suis ipsius consiliis illaqueare festinat. Achitophel alterum consilium proponebat callidissimum ac perniciosissimum, ut ipse electis duodecim millibus virorum Davidem ex urbe egressum hac ipsa nocte persequeretur et copiis destitutum opprimeret. « Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile, ut induceret Dominus super Absalom malum » (17,14). Praevaluit consilium Chusai, amici David, maiore specie calliditatis et maiore spe gloriae proposita, scil. ut universus Israel a Dan usque Bersabee congregaretur quasi arena maris innumerabilis et ipso Absalome duce certam victoriam de Davide bellatore fortissimo reportaret. Achitophelis suicidium, qui repulsae impatiens et de bono exitu desperans suspendio interiit, Absalomi plurimum nocuit, Davidi profuit. Pugna in saltu Ephraim prope Mahanaim urbem commissa exercitus Absalomis insigni clade affectus est. Absalomem caesaries magnifica perdidit; cum in fuga mulo insidens subter condensam et magnam quercum pertransiret, capite i. e. comis ramis arboris adhaesit muloque laxatis habenis aufugiente ipse inter coelum et terram suspensus est. A Ioab tribus lanceis transfixus et cum adhuc palpitaret haerens in quercu, a decem iuvenibus armigeris Ioab confectus est. Praeceperat quidem rex : Servate mihi puerum Absalom; sed a populo coactus, ut ipse proelio abstinens occupata urbe pugnantibus praesidio esset, impedire non potuit, quominus digna factis filius rebel-

lis a divina iustitia reciperet. Eius corpus in foveam grandem in eodem saltu proiectum est magno lapidum acervo desuper congesto. « Is modus sepulturae reapse videtur fuisse ignominiosus, ut patet cum ex proiecto cadavere tum exemplo Achan Ios. 7,26 et regis Hai Ios. 8,29 » (*F. de Hummelauer* in 2 Reg. 18,17). Absalom cum adhuc viveret, titulum i. e. lapidem sepulcralem (cf. Gen. 35,20) sibi erexerat in Valle Regis, quae teste *Iosepho* (Ant. VII. 10,3) duobus stadiis distabat Hierosolymis et hodie pars vallis Cedron esse putatur (v. SAVÉ vallis); istum lapidem nomine suo appellatum gloriae suae monumentum esse voluit, sed monumentum lapideum diversi generis accepit — en qualis ironia! Posteritas eius ingloria et obscura abiit. Post triennium exsilii in Gessur Hierosolymis tres filios videtur genuisse et Thamar filiam (2 Reg. 14,27). Filiorum nomina non traduntur, fortasse quia iuniores mortui sunt. Ultima ex posteris Absalomis, quae in S. Scriptura commemoratur et filia Absalomis vocatur (cf. ABIA 3), est Maacha, mater Asae (3 Reg. 15, 13) vel rectius avia Asae et mater Abiae (3 Reg. 15,2), quae propter idololatriam ab Asa rege dignitate regia privata est.

Cf. *E. Palis* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.; *H. Weiss*, David und seine Zeit 1880, p. 216 s.; *Zschokke*, Historia sacra Ant. Test. *ed.* 5, 1903, p. 189; *I. Danko*, Historia Rev. div. Vet. Test. 1862, p. 262 s.

2. Abessalom 3 Reg. 15,2. 10 et 2 Par. 11,20. 21 idem communiter esse censetur ac Absalom filius David. Appellatur locis cit. pater Maacha, quae erat uxor Roboam et mater Abiae regum Iuda, verum ex opinione interpretum pater per extensionem appellationis; etenim Thamar unica filia Absalom matrimonio iuncta fuisse supponitur cum Uriel de Gabaa, ex quo matrimonio Maacha nata est; vide s. v. ABIA 3 et MAACHA 9. — Ceterum *Vigouroux*, Dict. de la Bible (s. v. Abessalom) putat Abessalom fortasse ab Absalom filio David distinctum esse et potius eundem ac Uriel de Gabaa.

3. Absalomi seu Absolomi cuiusdam (τοῦ Ἀβεσσαλώμου) duo filii recensentur : Mathathias 1 Mach. 11,70 et Ionathas 1 Mach. 13,11.

ABSINTHIUM. 1. *Textus Scripturae.* Absinthium a S. Hieronymo vertitur hebr. לַעֲנָה. Iuxta Scripturam ea voce significatur herba amara (Deut. 29,17; cf. Hebr. 12,15; Prov. 5,4), quae saepius cum alia planta רֹאשׁ (*Vulg.* fel) dicta coniungitur (Deut. ib.; Ier. 9,15; 23, 15; Lam. 3,19) et sicut ista ad designandas res acerbas ac noxias adhibetur. Unde calamitas et miseria sub figura cibi et potus absinthii describitur (Ier. ib.; Lam. 3,15), atque iniusti iudices iudicium fructumque iustitiae in absinthium convertere dicuntur (Am. 5,7; 6,13) et in Apocalypsi per stellam absinthium dictam tertia pars aquarum in absinthium mutata monstratur (8,11 ὁ ἄψινθος, quam vocem *Peshitta* retinet).

2. *Versiones antiquae. Vulgata* ubique absinthium vertit, praeter Deut. 29,17, ubi *amaritudo* habet iuxta usum versionis graecae, quae non plantam, sed qualitatem eius amaram fere semper designat, vertendo πικρία (Deut. l. c.; Am. 6,13), χολή (Prov. 5,4, ubi *ed. ald.* ἄψινθος; Lam. 3,15. 19), ἀνάγκη (Ier. 9, 15), ὀδύνη (ib. 23,15), ὕψος (Am. 5,17). *Peshitta* aliquoties pariter usum graecum imitatur (מירא Ier. 9,15; 23,15; Am. 5,7); ceteris in locis absinthium (גדדא) explicat. Eundem sensum testantur *Aquila* (ap. *Field* Prov. 5,4; Ier. 23, 15; Lam. 3,19; sed Ier. 9,15 cum *Symmacho* et *Theodotione* notatur vertisse πικρίας, ubi pro sequenti רֹאשׁ habet ἀψινθίου), *Targ. hieros.* II. (לענתא דמוותא Deut. 29,18, pro quo *Targ. hieros.* I. legit אגדנא דמוותא), Targ. Prov. גידא 5, 4), *Targ. Ionathan* (גידא Lam. 3,15; Am. 5,7; גידין Ier. 9,15; 23,15, Lam. 3,19; Am. 6,12), Rabbini (ap. *O. Celsium*, Hierobotanicon I. 482); versio arabica, quam Celsius (ib.) pro absinthio citat, in Polyglottis londinensibus ter (Deut. 29,18; Prov. 5,4; Thren. 3,19) עקם i. e. colocynthis, et res omnis amara (*Freytag, Belot*) exhibet, in reliquis locis liberius vertit.

3. *Interpretes recentiores.* Herba in

locis citatis designata recte supponitur populo in deserto prophetisque ex Iudaea oriundis tamquam planta indigena visu nota fuisse. Immerito autem ex verbis biblicis quidam absinthium venenis accenseri concludunt (*G. B. Winer*, Bibl. Realworterb. II. 688; *Riehm-Bonthepn.* Handworterb. *ed.* 2. II. 1784, al. Cf. Targ. hieros. II. Deut. 29,18 « absinthium mortiferum ». Rectius atque communius aliquas generis *Artemisiae* ex ordine compositarum species voce לענה designari auctores assumunt, quae etiam a scriptoribus profanis graecis et latinis saepenumero tamquam herbae amarissimae variis nominibus describuntur atque stomacho praesertim saluberrimae indicantur (*Theophr.* ἀψίνθιον; Hist. pl. I. 12,1; VII. 9,5; Caus. pl. III. 1,3; VI. 4,3; ἀδρότονον Caus. pl. VI. 16, 7 etc. *Horat.* Epist. II. 1,114 s. abrotonum; *Ovid.* Ep. ex Ponto III. 1,23 s.; 8, 15; *Dioscur.* Mat. med. 3,23 ἀψίνθιον; 24 ἀψίνθιον θαλάσσιον; 25 ἀψ. σαντόνιον; 26 ἀορότονον; 117 ἀρτεμισία; cf. 5,49 ἀψινθίτης οἶνος; *Plin.* XXVII. 7,45 ss. absinthium; XXV.7, 73 s. artemisia; XIV.16, 109 absinthites vinum, al.). — At minus bene haud pauci interpretes tamquam speciem illius herbae in Scriptura indicatam designant *Artemisiam absinthium* Linné. aut *Art. romanum* seu potius *A. ponticam* L. aut *A. abrotonum* L.: neutra enim harum in Palaestina aut in deserto vicino invenitur. Potiore quodam iure locum absinthii biblici occupare censentur *Artemisia monosperma* Delile arab. *'adah* vel *A. herba-alba* Asso arab. *shih* vel *ghurcirah*) vel *A. iudaica* L. (arab. *bu'aiterān*), quae in variis Palaestinae et deserti sinaitici locis crescunt.

Cf. *Claudius Rocardus*, de plantis Absinthii tractatus, Venetiis 1589; *Ioh. Bauhin*, de plantis Absynthii nomen habentibus, Montisbeligardi 1593; *Ioh. Mich. Fehr*, Hiera picra vel de Absinthio analecta, Lipsiae 1668; *I. H. Ursinus*, Arboreti bibl. continuatio, Norimb. 1699, 114-7; *Ioh. Iac. Baier*, de Artemisia, Altdorfi 1720; *Mat. Hiller*, Hierophyticon, Traj. ad Rh. 1725, II. 39-41; *O. Celsius*, Hierobotanicon, Amstelaedami 1748 I. 480-7; *M. Delile* in Description de l'Egypte, *ed. Panckoucke*, XIX. Paris 1824, 343-7; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterthumsk IV. 1, Leipzig 1830, 116 s.; *R. H. Michel*, Tentamen botanico-medicum de Artemisiis usitatis, Pragae 1834; *P. Cultrera*, Flora biblica, Palermo 1861; 187-9; *I. Duns*, Biblical Natural Science II. 431; *F. Hamilton*, Botanique de la Bible, Nice 1871, 3 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, London 1889, 493; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3, II. 2 p. 705 s.; *Engler-Prantl*, Naturl. Pflanzenfam., IV. 5, Leipzig 1897, 281 s.; *E. Boissier*, Flora orientalis III. 363, 365. 369. 370. 371. 373; *G. E. Post*, Flora of Syria 410 s.

L. FONCK.

ABUNDANTIA (puteus) v. BERSABEE.

ABYSSI angelus v. ABADDON.

ACAN (עָכָן, Ἰουκάμ), filius Eser filii Seir Horraei (Gen. 36,27). Idem 1 Par. 1,42 appellatur Iacan (יַעֲקָן, Ἀκάν). V. BENEIAACAN.

ACCAIN (הַקִּין, LXX per fusionem duorum nominum Zanoe et Accain Ζαανναίμ), urbs montis Iuda inter Zanoe et Gabaa enumerata (Ios. 15,57). Nunc *Khirbet Yaqīn* 3 km septemtrionem versus a *Zif* (Ziph) nec longe a Hebron.

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas; *G A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV; *A. Legendre*, Carte de la Palestine; nihilominus *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. p. 162. 163 *Yaqīn* potius ad Cina Ios. 15,22 refert.

ACCARON (עֶקְרוֹן, Ἀκκαρών, *Vulg.* semel Acron Ios. 19,43), urbs in Sephela non procul a mari sita, ex quinque satrapiis Philisthaeorum ea, quae maxime inter septemtrionem et orientem spectat (Ios. 13,3; 15,11. 46). Utrum a Philisthaeis condita fuerit an forte ab Hevaeis, qui priores hanc regionem incolucrant, non constat. Accaron a Iosue tribui Iuda assignata (Ios. 15,11. 45), paulo post tribui Dan attributa est (Ios. 19,43). Primum quidem a tribu Iuda expugnata est (Iud. 1,18; cf. 1 Reg. 7,14). Attamen non diu in possessione Israelitarum permansit, sed a Philisthaeis iterum capta est (*Flav. Ioseph.* Ant. V. 3,1). Sine dubio urbs Philisthaeorum erat versus finem aetatis Iudicum (1 Reg. 5,10; 6,16. 17); etenim arca foederis Israelitis erepta a Philisthaeis Azotum, deinde in Geth, denique Accaronem

transfertur, Accarone autem in Bethsames urbem tribus Iuda non longe distantem reducitur. Samuel urbes a Philisthaeis captas Israelitis restituit ab Accaron usque Geth (1 Reg. 7,14), quibus verbis Accaron et Geth non dicuntur ipsae in potestatem Iudaeorum redactae, sed linea describitur, quae Philisthaeam et Iudaeam prius separaverat et nunc rursum separabat. Goliath Gethaeo a David prostrato Israelitae Philisthaeos persecuti sunt usque ad portas Accaron et parum abfuit, quin ipsa urbs ab Israelitis caperetur (1 Reg. 7,14). Centum fere annis post Ochozias rex Israel aegritudine afflictus nuntios Accaronem misit, ut opem Beelzebub idoli Philisthaeorum imploraret, qui Accarone praesertim colebatur et Beelzebub deus Accaron audiebat (4 Reg. 1,2. 3. 6. 16). Identidem nominatur inter urbes Philisthaeae, quibus iudicia Dei et ruina praenuntiantur (Ier. 25,20; Am. 1,8; Soph. 2,4; Zach. 9,5). Sed etiam promissio additur Zach. 9,7 : confusio et ignominia Accaronitarum eis cedet utilitati et honori, quatenus in theocratia ipsi quoque erunt socii populi Dei et hereditatis divinae participes; iudicium igitur Dei non erit in interitum Philisthaeorum, sed ut eorum saluti consulatur. Cf. *Knabenbauer* ad Zach. 9,7. — Tempore Seleucidarum Accaron cum finibus suis ab Alexandro Balas Ionathae Mach. dono data est (1 Mach. 10,89).

In inscriptionibus cuneiformibus sennacherib, Asarhaddon, Asurbanipal urbs nostra vocatur *Am-qar-ru-na;* cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 151-153. Sennacherib oram philisthaeam pertransiens occupavit Beth Dagon, Ioppe, Bane Barach, Ascalon, Accaron; cf. Prisma hexagonum Sennacherib col. II. 69. III. 1. 25; ultimo loco III. 25 *Amqarruna* locum obtinet inter Azotum et Gaza. S. Hieronymus Eusebium secutus (Onomast. *ed. Lag.* 91,6 cf. 218, 57) : « Accaron ... ad laevam Chananaeorum ... sed et usque hodie grandis vicus civium Iudaeorum Accaron dicitur inter Azotum et Iamniam ad orientem respiciens. » Huius vici mentio fit apud varios scriptores medii aevi. Burchardus de monte Sion (Descriptio terrae sanctae, cap. 10) eum vocat modicum casale. Postea exploratoribus ignotus latebat, donec anno 1838 Robinson eum agnovit in hodierno *ʿAqīr* ad orientem Iamniae sito.

Cf. *Robinson*, Palaestina III. p. 230 s.; *Raumer*, Palaestina *ed.* 4, p. 185 ; *V. Guérin*, Iudée II. 36-44 ; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 408 et cf. *Conder and Kitchener*, Large Map, sheet XVI, Reduced Map, sheet 13; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land. p. 193; *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 187. 188; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, I. 104 ; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, I. 109 s.

ACCES (עַקֹּשׁ, Ἰκσά, Ἔκκίς, Ἐκκής), pater Hira Thecuitae inter Gibborim davidicos numerati (2 Reg. 23,26; 1 Par. 11,28; 27,9).

ACCHO, PTOLEMAIS, *Vulg.* interdum Ptolemaida; Iud. 1,31 עַכּוֹ, ʾAχώ, in libris Mach. Πτολεμαΐς, apud Graecos Ἄκη (*Strabo* XVI. 2,25; *Diodor.* 15,41; 19,93), apud Latinos *Acce* (*Plin.* V. 19,75) seu *Ace* (*Corn. Nepos* 14,5), apud Flav. Iosephum Πτολεμαΐς passim, sed in fragmento Menandri Ant. IX. 14,2 Ἄκη (*editio Dindorf*) vel Ἄρκη (*editio Niese*); in inscriptionibus assyriacis *Ak-ku-u* (Prisma hexagonum Sennacherib in Museo britannico asservatum col. II. lin. 40), nunc *ʿAkkā* et *Saint-Jean-d'Acre*.

A Chananaeis exstructa Accho in divisione terrae promissae tribui Aser assignata est, Chananaei autem ex ea non sunt expulsi (Iud. 1,31). Desideratur in enumeratione urbium Aser Ios. 19,24-31. Postea in Vet. Test. eius non fit mentio nisi Mich. 1,10 : *In Accho nolite flere; Vulg.* quidem legit : Lacrimis ne ploretis; sed hoc loco textum hebraicum ita esse emendandum, ut pro בָּכוֹ legatur בְּעַכּוֹ *in Accho, Knabenbauer* in commentario asserere non dubitat.

Urbis historia usque ad tempus machabaicum ex aliis fontibus historicis breviter hoc loco adumbranda est. Tempore Salmanassar regis Assyriorum Ptolemenses Tyriis subiecti erant; cum enim Tyrus a Salmanassar obsideretur, a Tyriorum imperio desciverunt (*Menan-*

der apud *Flav. Ios.* Ant. IX. 14,2). Sennacherib contra Ezechiam regem Iuda profectus Ptolemaida cepit, ut Prisma hexagonum Sennacherib col. II. lin. 40 testatur; urbis etiam mentio fit in inscriptione Asarhaddon, quae huius regis expeditionem in Philisthaeam et Aegyptum refert (cf. *Vigouroux*, La Bible et les Découvertes modernes *ed.* 6, Paris 1896, IV. p. 25 et 72). Prope hanc urbem Artaxerxes II. Mnemon rex Persarum Aegypto bellum illaturus exercitum collegit circa a. 374 a. C. (*Diodor.* 15,41). Tempore Alexandri M. urbem floruisse evincunt numismata nomine Alexandri et urbis insignita, quae annos aerae novae ab eodem inchoandae prae se ferunt (cf. *L. Muller*, Numismatique d'Alexandre le Grand 1855, p. 303 s.). Anno 312 a. C. a Ptolemaeo Lagi deleta et solo adaequata est (*Diodor.* 19,93). Nova urbis conditio Ptolemaeo II. adscribitur a Pseudo-Aristea : Πτολεμαΐδα τὴν ὑπὸ τοῦ βασιλέως ἐκτισμένην (*ed. H. St. I. Thackeray* apud *H. B. Swete*, Introd. to the O. T. in Greek, Cambridge 1900, p. 539, 17). Is igitur rex novum nomen Ptolemaidis urbi indidisse existimatur. Atque haec opinio probabilior efficitur ex eo, quod Ptolemaeus II. Philadelphus inter Ptolemaeos primus erat, qui Phoenicen et Coelen Syriam in pacifica possessione habuit; ipsum novas urbes ibidem condidisse testatur Philadelphia (Rabbath Ammon). Alii novum urbis nomen Ptolemaeo VIII. Lathuro deberi maluerunt; sed obstat, quod iam annis 219-217 a. C. Ptolemais hoc nomine apud Polybium designatur, qui, si illo tempore hoc nondum nomen urbis fuisset, lectorem de hac prolepsi monere vix omisisset (*Polyb.* 5,61. 62. 71). Nihilominus nomen primitivum Accho nunquam in desuetudinem abiit; saepius occurrit in Mishna (Nedarim 3,6; Gittin 1,2; 7,7; Aboda Sara 3,4; Ohaloth 18,9); hodierna denominatio ʿAkkā tenacitatem traditionum orientalium illustrat. Aetate Seleucidarum Ptolemais inter praecipuas urbes orae maritimae phoenico-philisthaeae locum tenet. Occupatio Palaestinae Antiocho III. Magno annis 219-217 etsi solum ad tempus, prospere tamen cessit, postquam Ptolemais et Tyrus a Theodoto duce ptolemaeo traditae sunt (*Polyb.* 5,61. 62); Ptolemaide Antiochus hiemem a. 218/217 transegit (l. c. 71). A Seleucidis postea, cum Palaestinam et oram phoenico-philisthaeam in provinciam Syriae redegissent, Ptolemais multis honoribus ornata est. Ipsi Ptolemenses in numismatibus tempore Antiochi IV. et Antiochi VIII. excusis titulo gloriantur Ἀντιοχεῖς οἱ ἐν Πτολεμαΐδι, interdum cum additamento ἱερὰ ἄσυλος vel etiam ἱερὰ αὐτόνομος. Collatio tituli Antiochenorum, cui iura quaedam forte annexa erant, favor reputabatur, quem aliae quoque urbes appetebant (cf. 2 Mach. 4,9). Numismata regia eiusdem aetatis Ptolemaide cuderunt Antiochus V., Demetrius I., Alexander Balas, Tryphon; cf. *Gardner*, Catal. of the greek coins in the British Museum, Seleucid Kings, p. 44. 47. 52; *De Saulcy*, Mélanges de Numismatique 1877 II. p. 82.

In libris Mach. Ptolemaidis seu Ptolemaidae (ut *Vulg.* interdum flectit), frequenter mentio fit. Dum Iudas fratribus in Galaad auxilio venit, Simon in Galilaeam profectus hostes Iudaeorum usque ad portas Ptolemaidis persecutus est (1 Mach. 5,15-22). Postea Antiochus V. Eupator (164-162 a. C.) nuntio de rebellione Philippi ducis accepto pacem cum Iudaeis composuit, Iudam principem fecit a Ptolemaide usque ad Gerrenos ac primum Ptolemaida, tum Antiochiam discessit; quantopere vero Ptolemenses Iudaeis infensi fuerint, ex eo elucet, quod hanc pacem a rege initam graviter ferebant, donec Lysias dux exercitus regii e suggestu rationes exponens populum sedavit (2 Mach. 13,23-26; cf. 1 Mach. 6,60-63). Anno 152 a. C. Alexander Balas cum Demetrio I. Sotere de throno Syriae concertans Ptolemaide potitus est (1 Mach. 10,1). Demetrius I., cum Ionathan ad partes Alexandri transiisse audiret, novis promissionibus Iudaeos sibi devincire studens Ptolemaida et confines eius Ionathae obtulit (1 Mach. 10, 39). Demetrio I. devicto et occiso Alexander Balas Ptolemaide nuptias celebravit cum Cleopatra filia Ptolemaei VI. Philometoris; Ionathas ab Alexandro invitatus illuc venit pretiosisque donis oblatis duos reges Ptole-

maide ad tempus residentes salutavit (10,56-60). A Demetrio II. Nicatore, qui Alexandrum devicerat, Ionathas iterum Ptolemaida evocatus est, ut rationem redderet, quonam iure arcem Syrorum Hierosolymis obsideret; hac etiam vice Ionathas Ptolemaide regem sibi amicitia iunxit (1 Mach. 11,22-26). Denique Tryphon, qui Demetrio II. regnum eripere studebat, Ionatham ambitionis suae adversarium Ptolemaida dolo pellectum comprehendit (1 Mach. 12.45-48) ac Ptolemaide castra movit, ut terram Iuda aggrederetur (1 Mach. 13,12).

De ulterioribus fatis urbis scriptores profani consulendi sunt. Cum potestas Seleucidarum in regionibus meridionalibus iam tota fere defecisset, Alexander Iannaeus a. 104 a. C.. Ptolemaida oppugnavit; Ptolemenses vero Ptolemaeum VIII. Lathurum, qui a matre Cleopatra Aegypto expulsus Cyprum insulam tenebat, in auxilium vocarunt; is urbem occupavit, sed brevi post a Cleopatra Aegypti regina e Palaestina eiectus est (*Flav. Ios.* Ant. XIII. 12,2-6; 83,1-2). In potestatem Seleucidarum Ptolemais nunquam videtur rediisse; aliae quoque urbes, ut Tyrus et Sidon, eo tempore in libertatem se vindicarant. Circa a. 70 a. C. Selene, filia Cleopatrae Aegypti reginae, in Syria regnabat eademque Ptolemenses induxit, ut Tigrani regi Armeniorum, qui regnum Seleucidarum occuparat, portas clauderent; is quidem Ptolemaida occupavit, sed audito Armeniam a Romanis oppugnari domum redire contendit (Ant. XIII. 16, 4; cf. de Selene *Iustin.* Hist. 39,4). Ptolemaidi etiam Caesar videtur favisse, cum a. 47 a. C. res Syriae administraret; exstant enim numismata, quae novam aeram a Caesare inchoandam prae se ferunt (cf. *Eckhel,* Doctrina numorum veterum III. (1794), p. 425). Claudius imperator coloniam militum veteranorum illuc misit, unde urbs ab illo tempore appellatur *colonia Ptolemais;* cf. *Plin.* V. 9,75 : « colonia Claudi Caesaris Ptolemais, quae quondam Acce. » — S. Paulus apostolus a tertio suo itinere redux Ptolemaide per diem commoratus fratres salutavit Act. 21,7.

Descriptionem urbis habet Flav. Iosephus (Bell. iud. II. 10,2); idem Galilaeae terminum occidentalem assignat territorium Ptolemaidis (l. c. III. 3,1; cf. Vita 24). Sita est urbs in termino septemtrionali sinus, qui ab ipsa nomen sortitus est. Sinum a meridie claudit mons Carmelus, a septemtrione peninsula urbis *'Akkō.* Haec formam trianguli exhibet, cuius basis septemtrionem respicit, dum vertex meridiem spectans mari Mediterraneo circumfunditur.

Cf. *Reland,* Palaestina 534-542; *Ritter,* Erdkunde XVI. 725-739; *Guérin,* Galilée I. 502-525; *Schürer,* Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, II. 111 s.; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 145. 152. 153. 160 s. et *Conder and Kitchener,* Large Map, sheet III, Reduced Map, sheet 6; *Ebers und Guthe,* Palaestina II. 450; *Guy le Strange,* Palestine under the Moslems p. 328-334; *F. Buhl,* Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 228; *Legendre* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible s. v.; *Liévin de Hamme,* Terre Sainte 1897, III. 286 s.; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 697 s.

ACCIPITER. 1. *Textus Scripturae.* Accipiter communiter hebr. nomine נֵץ designatus intellegitur, atque in hac explicatione interpretes veteres et recentiores satis conveniunt. Avibus impuris ac vitandis accensetur in Lege (Lev. 11,16; Deut. 14.15). Praeterea de eo Dominus ad Iobum ait : « Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum? » (Iob 39,26). In eodem capite v. 13 S. Hieronymus pariter « accipitris » vertit, ubi in textu massorethico habetur נֹצָה i. e. pinna.

2. *Variae species.* Nomine accipitris, sicut graeco ἱέραξ et hebr. נֵץ, non una tantum avium species, sed generatim omnes aves minores raptatores videntur appellari; quare etiam in Lege additur : « Iuxta genus suum » (לְמִינֵהוּ). Ex istis autem communiores in Palaestina sunt *Tinnunculus alaudarius* Gray, *T. cenchris* Naumann, *Nisus communis* Cuvier (= *Falco* s. *Accipiter nisus* Linné), *Circus rufus* Gray (= *C. aeruginosus* L.), *Falco subbuteo* L. (*H. B. Tristram,* Fauna and Flora of Palestine, London

1884, p. 97. 101. 106; *id.* Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, p. 189-191; *Leunis-Ludwig*, Synopsis *ed.* 3, I. 1 p. 433. 427. Praeterea aliae multae species ibidem inveniuntur.

3. *Explicatio textus Scripturae.* Cum accipiter sit avis rapax, atque carnibus aliarum avium parvorumque quadrupedum vescatur, facile intellegitur, cur inter aves immundas atque vitandas locum habeat. In loco vero Iob iuxta interpretationem S. Hieronymi plumescere dicitur accipiter, expandens alas suas ad austrum, quia vento calido flante facilius pennas suas mutare exhibetur cf. S. *Gregor. M.* Comment. in h. l. et *Petr. Crescentiens.* De anim., ap. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. 269 *ed. Rosenmüller* III. 10). At ex hebraeo pro « plumescit » (יאבר) potius reddendum videtur « pinnis suis in altum se extollit », atque textus de eo bene exponitur, quod accipiter velocissimo volatu excellit (cf. *Homer.* Il. 15,237 s.; Od. 13, 16 s.; 15,526, al.), et quod plures species, ut Tinnunculus cenchris, Circus rufus, Falco subbuteo, aliae, migratoriae sunt atque hieme veniente australes partes appetunt.

Cf. *Bochart* o. c. II. 266-272, *ed. Rosenm.* III. 5-13; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2 p. 304-306; *L. Lewysohn*, Zool. des Talmuds, Frankfurt a. M. 1858, p. 164; *F. G. Wood*, Bible Animals, ed. nova. London, 1892, p. 364-369; *P. Cultrera*, Fauna biblica, Palermo 1880, p. 313 s.; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere I. 2. Leipzig, 1884, 504-10. 528-36; *E. Brehm*, Tierleben, *ed.* 3 *Pechuel-Loesche* Vögel III. Leipzig u. Wien, 1892, 202-266. 374-406; *H. G. Bronn*, Klassen und Ordnungen des Thierreichs VI. 4. Vögel von *H. Gadow*, II. System. Theil, Leipzig 1893, 159-(Ordo *Falconiformes*, subordo *Accipitres*).

L. FONCK.

ACCOS (הַקּוֹץ; Κώς 1 Par. 24,10; Ἀκκούς Esdr. 2,61; Ἀκκώς Neh. 3,4. 21; Ἀκώς 7,63), princeps familiae sacerdotalis, cui septima sors in ministerio Domini a David designata est (1 Par. 24,10). Eius posteri duce Zorobabel e captivitate redierunt; qui cum genus suum sacerdotale ex tabulis genealogicis demonstrare non possent, sacerdotio exclusi sunt (Esdr. 2,61; Neh. 7,63). In Vulgata Neh. 3,3 Accus, Neh. 3,21 Haccus appellatur. — Idem nomen gerit, qui 1 Mach. 8,17 *Vulg.* scribitur Iacob (v. IACOB 2).

ACCUB (עַקּוּב, Ἀκούβ, Ἀκούμ).

1. Quartus filius Eliocnai ex posteris Zorobabel (1 Par. 3,24).

2. Levita ex illis quattuor, quibus omnis numerus ianitorum templi creditus erat (1 Par. 9,17. 26). Eius posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,42; Neh. 7,46).

3. Levita, qui Esdrae astitit in publica lectione legis et munere custodis portarum ac vestibulorum fungebatur (Neh. 8,7; 11,9; 12,25); erat igitur ex posteris Accub 2.

4. Unus ex principibus Nathinaeorum, qui duce Zorobabel Babylone redierunt (Esdr. 2,45; loco parallelo Neh. 7,48 omittitur).

ACCUS (Neh. 3,3) v. ACCOS.

ACETUM (חֹמֶץ, ὄξος). Quod Booz dixit ad Ruth : quando hora vescendi fuerit veni huc et comede panem et intinge buccellam tuam in aceto (Ruth 2,14), satis ostendit qualis fuerit usus aceti apud operarios tempore messis i. e. tempore aestus. Acetum enim oleo aliquantum temperatum potus est ad sitim tempore calorum exstinguendam multo aptior quam aqua. Sed hic potus quoque nasiraeis interdictus erat : acetum ex vino et ex qualibet alia potione (חֹמֶץ שֵׁכָר) et quidquid de uva exprimitur non bibent (Num. 6,3). Acetum esse acri sapore et aliqua acerbitate afficere dentes declaratur in proverbio : sicut acetum dentibus et fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum (Prov. 10,26). Quod dicitur Ioan. 19,29 : vas erat positum aceto plenum, intellege de posca, vino acerbo, potu militari. Et cum Christus in cruce dixisset : sitio, miles spongiam plenam aceto imposuit bacillo ex hyssopo et dedit ei bibere (cf. Matth. 27,48; Marc. 15,36; Luc. 23,36) secundum verba illa : et in siti mea potaverunt me aceto (Ps. 68,22). Sed Matth. 27,34 quamvis testes nonnulli praebeant ὄξος non de aceto est sermo, sed de vino

myrrha amara condito, uti clarius habetur Marc. 15,23 : et dabant ei myrrhatum vinum, quem tamen potum Christus noluit bibere, quia acerbissimos cruciatus plane voluit sentire. Porrigebatur enim cruciariis eiusmodi potus ad sensus hebetandos.

ACHAB (אַחְאָב et Ier. 29,22 אַחָב; LXX Ἀχαάβ et Ier. 29 [36], 21.22 Ἀχιάβ).

1. Filius Amri regis Israel, rex Israel, impius idololatra qui irritavit Dominum Deum Israel super omnes reges Israel qui fuerunt ante eum. Habuit uxorem Iezabel filiam Ethbaal regis Sidoniorum, quae quantopere sua pravitate in regem Achab valeret, ex historia de vinea Naboth satis declaratur (3 Reg. 21). Per Iezabel quoque Achab inductus est ad serviendum Baal regisque exemplum maior populi pars sequebatur. Quae impietas trium annorum siccitate, ut Elias praedixerat (3 Reg. 17,1), a Deo castigata est. Post quod tempus Elias obviam veniens regi eum graviter reprehendit de idololatria eumque iubet congregare universum Israel et pseudoprophetas Baal et Astartes in monte Cărmel. Ibi precibus ab Elia fusis cecidit ignis de coelo devorans holocaustum et populus agnoscit denuo et profitetur Iahwe Deum et prophetae idololatrae interfecti sunt (3 Reg. 18,16 s.). Qua re simul ostenditur regem cessisse auctoritati Eliae. At cum mox referret reginae Iezabel omnia quae fecerat Elias et quomodo occidisset universos prophetas Baal, neque Eliam contra vindictam mulieris protegeret, satis proditur eum brevi solum tempore ab impietate resipuisse. Aliud tamen animi non plane perversi indicium manifestavit rex, cum Naboth per summam iniustitiam occiso Elias ei et domui suae ultionem minatur divinam. Tum enim Achab humiliatus est coram Domino in tantum, ut Dominus non omnia quae comminatus erat in eius diebus induceret (3 Reg. 21,18 s.). Quare haud immerito dixeris potissimam eius impietatis causam et motricem exstitisse Iezabel uxorem. Contra Benadad regem Syriae qui ei bellum intulit bis victor exstitit, quae utraque victoria ei a propheta quodam praedicta erat, « ut scias quia ego sum Dominus », « quia dixerunt Syri : deus montium est Dominus et non deus vallium, dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua et scietis quia ego sum Dominus » (3 Reg. 20,13. 28). Ita Deus beneficiis concessis et suam potentiam manifestare et regis animum ab impietate retrahere volebat. At frustra. Achab cum rege Syriae foedus iniit et de foedere impio et mandato Dei neglecto reprehensus a propheta audire contempsit (3 Reg. 20,43). Uti ex inscriptionibus cuneiformibus colligitur quibus pariter foedus Achab cum rege Syriae confirmatur (cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 189), foedus istud conclusum fuit communi periculo quod iis imminebat a rege Assyriorum. Verum male cessit foedus hoc; sexto enim anno regni Salmanassar II. devicti sunt ab Assyriis in pugna ad Karkar; qua clade foedus quoque inter regnum Israel et Damascum dissolutum est. Achab autem sese coniunxit cum Iosaphat rege Iuda, ut Ramoth Galaad Syris eriperet (3 Reg. 22,3 s.). Prophetae deorum prosperum belli exitum vaticinabantur; verum Michaeas filius Iemla, propheta Domini, regem Israel decipi a pseudoprophetis intrepide asseruit, quare rex iratus eum carceri mandari et pane tribulationis et aqua angustiae sustentari iussit — tam parum didicerat prophetis Domini obsequi, quamvis bis propheta Domini ei victoriam contra omnem exspectationem vere esset vaticinatus antea (3 Reg. 20,13. 28) — sed eventus probavit prophetam Domini veridicum. Proelio exorto sagitta inter pulmonem et stomachum vulneratus vespere occubuit Achab et perlatus est in Samariam et laverunt currum eius (in cuius sinum sanguis vulneris eius fluxerat) in piscina Samariae et linxerunt canes sanguinem eius, iuxta verbum Domini quod locutus fuerat per Eliam caede Naboth commissa (3 Reg. 21,19; 22,34-38). Achab quoque aedificasse palatium ebore exornatum et urbes munivisse discimus 3 Reg. 22,39. Ochozias filius eius pro ipso regnavit. Ceterum cf. 2 Par. 18,1 ss.

2. Filius Coliae, pseudopropheta in

Babylonia inter exsules (Ier. 29,21. 22). In poenam mendaciorum Dominus pseudoprophetas Achab et Sedeciam tradidit in manus Nabuchodonosor regis, qui eos in fornace combussit genere mortis apud Babylonios frequente (cf. Dan. 3, 6). Eo enim quod exsulibus mendaciter prophetabant et contra monita Ieremiae loquebantur, clarum est eos exsulibus spem fecisse fore ut regnum babylonicum mox everteretur et ipsi in patriam redirent. Unde tamquam rebelles apud regem denuntiati sunt. Praeterea sceleribus foedis eos fuisse inquinatos Ier. 29,23 explicite dicitur. Nomina sua reliquerunt tamquam maledictionem, qua quis alteri summum malum imprecatur: Ponat te Dominus sicut Sedeciam et sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne.

ACHAD (אַכַּד, Ἀχάδ), urbs quae cum Babylone, Arach, Chalanne tetrapolim Nemrod constituebat in terra Sennaar Gen. 10,10. In inscriptionibus cuneiformibus saepe mentio fit terrae *Akkadi* et reges assyriaci ac babylonici appellantur reges *Sumiri* et *Akkadi* (regionum). Ex monumentis certum videtur regionem *Akkadi* fuisse in Babylonia septentrionali affinem Assyriae; regio *Sumiri* autem primitus non solum tractum meridionalem Babyloniae designasse censetur, sed totam regionem a sinu Persico ad Assyriam usque (cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 319-320). Urbis *Akkadi* nomen in inscriptionibus diu desiderabatur. Putarunt tamen *G. Smith* et *F. Delitzsch* (Paradies, p. 198 et cf. 209) eandem esse, quae in textibus cuneiformibus semper, vel Cyri tempore, scribebatur *Agade*, urbs antiquissima, solo interiecto canali eiusdem nominis (*Nar Agade*) separata a Sippara. Accedit quod nostro tempore ipsum nomen *Akkadi* urbis babylonicae repertum est in textu quodam Nebukadnezar I. apud *Abu Habba* (*Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 79 in nota). Ruinae *Abu Habba* autem, quae 50 km a Babylon aquilonem versus et 4 horis a ripa sinistra Euphratis inveniuntur, sine dubio sunt urbs *Sippar*, accuratius *Sippar sha Shamash* (Sippar Solis, a qua non procul aberat *Sippar sha Anunit* (= *Akkadi*, ut *Delitzsch* l. c. opinatur). Adverte tamen urbem babylonicam *Sippar* probabilius distinguendam esse ab urbe biblica Sepharvaim (vide s. v.). Cf. *V. Scheil* in Revue bibl. IV. 1895, p. 203-206.

ACHAIA (Ἀχαΐα) notione antiquiore designabat terram maritimam Peloponnesi septemtrionalis. Verum ab anno 146 a. Ch. Achaia nomen erat provinciae romanae, quae Graeciam proprie dictam (Hellada) et Peloponnesum comprehendebat. Atque eo sensu in Novo Testamento usurpatur Achaia. Provincia haec prius erat senatoria et proinde per proconsules administrabatur. Tiberio autem placuit Achaiam ac Macedoniam levari proconsulari imperio tradique Caesari (*Tacitus*, Annal. 1,76); quare eo tempore tamquam provincia imperatoria per procuratores administrabatur. Claudius autem provincias Achaiam et Macedoniam, quas Tiberius ad curam suam transtulerat, senatui reddidit (*Suetonius*, Claud. 25). Quare optime Act. 18, 12 Gallio appellatur proconsul Achaiae; provinciae enim senatoriae proconsulari imperio regebantur. Paulus apostolus evangelium annuntiavit in Achaia (cf. 2 Cor. 1,1 : ecclesiae quae est Corinthi cum omnibus sanctis, qui sunt in universa Achaia et 2 Cor. 11,10) et ibi quoque eleemosynas collegit pro pauperibus in Ierusalem (Rom. 15,26; 2 Cor. 9,2 s.). Apollo quoque, Alexandrinus genere, vir eloquens, in Achaia doctrinam Christi propagavit (Act. 18, 24. 27); cf. 1 Cor. 3,6 : ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Praeterea v. Act. 19,21; 1 Cor. 16,15; 1 Thess. 1,7. 8.

Cf. *E. Curtius*, Peloponnesos I. 404-495; *C. Bursian*, Geogr. von Griechenl. II. 309 s.; *A. Philippson*, Der Peloponnes 114 s.; *Marquardt*, Röm. Staatsverwaltung I. 321 s.; *Hertzberg*, Geschichte Griechenl. unter röm. Herrschaft I. 284 s.; *Pauly-Wissowa*, Realencycl. der klass. Altert. I. 156 s. 193. 194.

ACHAICUS (Ἀχαϊκός), christianus corinthius (1 Cor. 16,17). Fortunatus et Achaicus una cum Stephana tamquam Corinthiorum legati Paulo litteras ec-

clesiae corinthiae Ephesum attulerunt suoque adventu eum magna laetitia affecerunt; iidem epistulam ad Corinthios primam Corinthum retulerunt, ut communis est sententia. Nomina Fortunati et Achaici in *Vulg.* iam v. 15 leguntur, sed illuc ex v. 17 transumpta sunt, ut antiquiores interpretes plerique iam statuerunt. Cf. *Cornely* ad 1 Cor. 16, 15. 17.

ACHAN (עָכָן, Ἀχάρ, sed A Ἀχάν), filius Charmi de tribu Iuda, iussu Domini lapidatus propter furtum de anathemate Iericho commissum (Ios. 7,1-26). Contra praeceptum Domini de praeda Iericho sibi tulerat pallium coccineum, ducentos siclos argenti, regulam auream quinquaginta siclorum, ob quam praevaricationem tria millia Israelitarum, qui contra Hai pugnabant, devicta sunt et fugerunt. Iosue de clade tristis Dominum consuluit et de scelere commisso divinitus edoctus per sortem a Domino directam didicit Achan facinus commisisse. Is rem fatetur; in sceleris poenam una cum filiis ac filiabus suis in valle Achor lapidatus est et cuncta, quae illius erant, igne consumpta sunt. Achan 1 Par. 2,7 appellatur עָכָר, Ἀχάρ, *Vulg.* Achar; nomen hoc fluxit ex verbis, quibus Iosue (7,25) eum mortis reum declaravit: Quid perturbasti (perdidisti) nos (עֲכַרְתָּנוּ)? Perturbabit (perdet te (יַעֲכָרְךָ) Dominus in die hac. — De valle Achor, quae ab eodem eventu nomen traxit, vide s. v. ACHOR.

ACHAR (1 Par. 2,7) v. ACHAN.

ACHAR (עָכָר, Ἀκάρ), tertius filius Ram ex tribu Iuda (1 Par. 2,27).

ACHATES dicitur lapis pretiosus, qui inter gemmas rationalis in tertio ordine secundum locum occupat et hebraice שְׁבוֹ appellatur (Ex. 28,19; 39, 12; cf. Ez. 28,13 graec.) LXX pariter ἀχάτης explicant eosque sequuntur *Iosephus* (Ant. III. 7,5), versio coptica ac graeca veneta aliaeque et Rabbini. In lingua assyriaca simili nomine *shubū* gemma aliqua designatur (*Frd. Delitzsch,* Ass. Hdwb. 637 b). At neque de hoc nomine assyriaco neque de hebraico praeter auctoritatem veterum interpretum quidquam constat; a qua ut discedamus, nulla nos ratio cogit, licet versio syriaca קרכדנא i. e. probabiliter *carchedonius* exponat (v. *Payne Smith*, Thes. 3746). — Achates nomen accepisse traditur a flumine Siculo eiusdem appellationis (hodie *Dirillo* in *Val di Noto*), ubi primum reperta est (*Plin.* XXXVII. 10,139-42; cf. ib. 1,5; *Theophr.* fragm. II. lap. *ed. Fr. Wimmer* 5,31). Variis stratis versicoloribus quarzi constare solet, quae aquis in cavitatem saxorum iteratis vicibus intrantibus ex residuis mineralibus paulatim formantur et praecipue ex calcedonio, iaspide, amethysto aliisque consistunt; numerosae eius varietates etiam cognomina mutant. Invenitur in multis locis, hodie praesertim in *Oberstein* ad Naham, antiquitus maxime in Graecia insulisque vicinis, in Syria, Arabia, India atque in Aegypto prope Thebas (*Plin.* l. c. 141), unde Iudaei facile eam obtinere poterant.

Cf. *S. Epiphan.* De 12 gemmis n. 8; *F. Rueus*, De gemmis 2,16; *I. Braun*, Vestit. Sac. Hebr. II. 15 n. 557 ss.; *F. C. Lesser*. Lithotheologie, Hamburg 1735, p. 216 s. 352. 1032; *I.I. Bellermann*, Die Urim u. Thummim, Berlin 1824, 52-5; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterthumsk. IV. 1,38 s.: *K. E. Kluge*, Handb. d. Edelsteinkunde, Leipzig 1860, 401-14; *Leunis-Senft*, Synopsis III. 1, p. 564; *Naumann-Zirkel*, Mineralogie *ed.* 11, p. 348; *M. Bauer*, Mineralogie, Berlin u. Leipzig 1886, 339 s. V. LAPIDES PRETIOSI.

L. FONCK.

ACHAZ (אָחָז, Ἄχαζ), filius Ioatham regis Iuda, rex Iuda, impius idolorum cultor, uti latius declaratur 4 Reg. 16, 3. 4 et 2 Par. 28,2-4. In poenam eius impietatis tradidit eum Dominus Deus in manu regis Syriae qui percussit eum magnamque praedam cepit de eius imperio et adduxit in Damascum; manibus quoque regis Israel traditus est et percussus plaga grandi (2 Par. 28,5). Tum uterque, Razin rex Syriae qui Ailath Iudaeis eripuerat (4 Reg. 16,6) et Phacee rex Israel foedere inter se inito regnum davidicum funditus evertere aggressi sunt; de quo consilio nos docet Isaias 7,2-6; voluerunt enim filium Ta-

beel constituere regem in Iuda. In ea rerum conditione Isaias missus a Deo Achaz regi opem offert divinam, et quo eum magis inducat ad spem in Deo ponendam ei praedicit fore certissime, ut machinationes hostium irritae sint. Verum cum rex opem divinam respuat, ei simul annuntiat calamitatem quam experturus sit a rege Assyriae a quo auxilium efflagitare vult et ruinam domus davidicae qua futurum sit, ut Messias, Emmanuel, natus e Virgine, in terra Israel in summa adolescat paupertate (Is. 7,12-21). Achaz autem monita prophetae spernit et eam quam iam tenere coeperat salutis viam prosequitur : Theglathphalasar regem Assyriorum adit per nuntios : servus tuus et filius tuus sum ego; ascende et salvum me fac de manu regis Syriae et de manu regis Israel qui consurrexerunt adversum me (4 Reg. 16,7). Et spoliata domo Domini misit regi larga munera auri et argenti (v. 8). Theglathphalasar quidem Damascum expugnavit, Rasin regem interfecit, Israelitas quoque afflixit multosque in captivitatem abduxit (4 Reg. 15,29; 16,9 ; verum haec solum in maiorem redigebant servitutem regnum iudaicum; id quod elucet eo quod Achaz profectus Damascum ad regem Assyriorum regis favorem muneribus sibi comparare studuit et cum thesauri auri et argenti iam antea donis ad regem missis essent exhausti, ex templo Domini bases caelatas et luterem et duodecim boves aereos auferens regi dono dedit (4 Reg. 16,17). Regni sui libertatem vendiderat neque muneribus illis sibi utilitatem acquisivit; nam Theglathphalasar afflixit eum et nullo resistente vastavit (2 Par. 28,20); in inscriptionibus cuneiformibus recensetur inter eos qui regi tributum solverint. Quam servili ingenio placere studuerit oppressoribus suis ostenditur 4 Reg. 16,10 ss.; 2 Par. 28, 22; neque calamitatibus edoctus ad meliorem frugem rediit, e contra idololatriae magis indulsit et altare holocaustorum Domini semovit, cui alterum ad exemplar damasceni altaris factum suffecit (4 Reg. 16,14 ss.; 2 Par. 28,22-25). Praeterea eius tempore regnum iudaicum ab Idumaeis quoque et Philisthaeis est afflictum; « humiliaverat enim Dominus Iudam propter Achaz eo quod contemptui habuisset Dominum » (2 Par. 28,19).

Legimus quidem et 4 Reg. 16,1 et 2 Par. 28,1 : viginti annorum erat Achaz cum regnare coepisset et sedecim annis regnavit. At id mendum esse ab amanuensibus inductum certum videtur; nam filius eius Ezechias qui post eum regnavit, iam erat viginti quinque annorum cum regnare coepisset. Sed quis credet Achaz undecim annos natum iam filium genuisse? Ceterum apud LXX et Syrum legitur in loco parallelo 2 Par. 28, 1 Achaz 25 annos natum regnare coepisse. De ratione temporis alii statuunt eum regnasse 741-726 (cf. *Oppert,* Salomon et ses successeurs; *Al. Schaefer,* Die bibl. Chronologie), alii 744-728 (*Renard* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible I. 130; *Schoepfer-Pelt,* Histoire de l'Ancien Test. *ed.* 3, p. 128 : 743-728), alii 748-727 (cf. *Lederer,* Die biblische Zeitrechnung), alii 724-709 (cf. *Neteler,* Zusammenhang der alttest. Zeitrechnung mit der Profangeschichte II. Heft p. 27); *Bickell* censet eum incepisse regnare anno 734, verum solum sex annos regni ei esse attribuendos (cf. Zeitschrift für katholische Theologie, Innsbruck 1883, p. 152). Satis certum videtur Theglathphalasar expeditionem contra Damascum suscepisse priorem an. 733, alteram 732 (cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscript. and Old Test I. p. 256).

ACHAZIB, ACHZIB, ACHZIBA (אַכְזִיב).

1. Achazib, Achziba (Ἐγοζόϛ Ios. 19, 29; Ἀσχαζί Iud. 1,31), urbs maritima tribus Aser, ex qua Chananaei ab Israelitis expelli non poterant. Sennacherib contra Ezechiam regem Iuda profectus eam expugnavit; prisma hexagonum Sennacherib nomen exhibet *Ak-zi-bi;* cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 158. 281. — Onomasticon (*ed. Lag.* 95,12 et 224,77) : « Achziph... haec est Ecdippa (Ἐκδίππα) in nono miliario Ptolemaidis pergentibus Tyrum ». *Ptolemaeus* V. 15,5 (*ed. Müller-Fischer* 14,3) : Ἐκδίππα; *Plinius* V. 19,75 : Ecdippa; *Flav. Ioseph.* Bell. Iud. I.

13,4 : Ἐκδίππων, Ant. V. 1,22 : Ἐκδείπους et cf. Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XIX. 1896, p. 223, ubi ostenditur Ant. V. 1,22 non posse verti, ut hucusque fiebat : Urbs Arce in eorum (Aseritarum) portione erat, quae etiam Ecdipus nuncupatur, sed potius verti debere : Urbs Ἄκη (Accho) in eorum portione erat et Ecdipus. — Ex Gemara hierosolymitana adnotat *Relandus*, Palaestina 1714, p. 544 : « Hunc limitem terrae israeliticae faciunt Iudaei, eius videlicet quae possessa fuit ab iis qui Babylone redierunt, ita ut ab ea septemtrionem versus censeretur terra Gentium ». — Est hodiernus vicus *el-Zib* trium fere horarum itinere ab *ʿAkkā* septemtrionem versus nec procul ab ostio *Wādi Qurn*.

Cf. *Guérin*, Galilée II. 164. 165; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 152. 155. 193; *A. Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 233; *F. Buhl*. Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 228; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, III. 293 s.; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 705. — *I. P. van Kasteren* in Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XIII. 1890, p. 101 in nota nomen hodiernum *el-Zīb* reducit ad *Ezzīb*, quod per assimilationem ex *Achzib* ortum esse ostendit.

2. Achzib (Κεζίβ), urbs in campestribus Iuda, in tertia provincia urbium Sephelae enumerata (Ios. 15,44). Eadem nominatur in textu hebr. Mich. 1,14 : Domus אַכְזִיב i. e. mendacis in mendacem fient regibus Israel; aliis verbis : urbs illa, cui nomen *mendacium*, revera omen habebit, in potestatem hostium Israel tradetur, omnis spes humana regum theocraticorum egregie falletur, ut in Deo totam fiduciam suam collocare discant (cf. *Knabenbauer* ad h. l.). Eadem quoque latet in textu hebr. Gen. 38,5 : Fuit autem (Iuda) in Kezib (כְּזִיב, Χασβί), cum pareret illa (filia Sue, Chananaea) istum (Sela); quam sententiam *Vulg.* mendose vertit : Quo nato parere ultra cessavit. Ad Gen. 38,5-30 alludit etiam Onomasticon (*ed. Lag.* 112,18 et 301,37) : « Chazbi, ubi geminos Iudae filios Thamar edidit. Ostenditur autem nunc locus desertus iuxta Adollam in finibus Eleutheropoleos. » Denique 1 Par. 4,22 inter posteros Sela enumerantur אַכְשִׁי כְּזִבָא, (*Vulg.* viri mendacii, B ἄνδρες Σωχηθά, A ἄνδρες Χωζηβά neque desunt interpretes, qui in Chozeba urbem nostram Achzib agnoverint. Ipsum nomen antiquum conservari videtur in *ʿAin Kezbe* inter septemtrionem et orientem ab Eleutheropoli nec procul ab *ʿId el-Mā* (Odollam) septemtrionem versus. Attamen aliqui distinguere malunt Achzib, *ʿAin Kezbe* (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 36) a Chozeba (1 Par. 4,22), quam agnoscunt in *Khirbet Kueiziba* inter Hebron et Bethlehem (Mem. III. 313).

Cf. *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.

ACHIA, ACHIAS (אֲחִיָּה et אֲחִיָּהוּ; Ἀχιά).

1. Filius Achitob, nepos Phinees filii Heli; fungebatur munere pontificis tempore Saulis (1 Reg. 14,3 : portabat ephod). Philisthaeis a Ionatha eiusque armigero in praecipitem fugam actis Achias a Saule iussus est oracula petere. Utrum admoto ephod (LXX) an ab arca (*Hebr. Vulg. Chald. Syr.*) oraculum petiturus fuerit, critice vix dirimi potest; rationes militantes pro et contra breviter proponit *F. de Hummelauer* ad h. l. Ceterum Sauli contraria iubenti obsecundans ab oraculo consulendo illico destitit (1 Reg. 14,18. 19). De Achia sermo non recurrit. Paucis annis post pontifex erat Achimelech, qui David panes propositionis manducandos tradidit (1 Reg. 21,1-6); cum is quoque filius Achitob dicatur (1 Reg. 22,9), erat frater Achiae vel secundum aliquos interpretes idem cum illo; identitatem hanc non necessario stabiliendam esse ostendit *F. de Hummelauer* in 1 Reg. 22,9. Notare etiam iuvat, quod idem interpres ad Num. 31,6 innuit potuisse pontificem iusta de causa filio suo ac successori committere munus oracula requirendi.

2. Quintus filius Ieramcel, filii Hesron, ex tribu Iuda (1 Par. 2,25). Sed cum in quinto nomine desit waw copulativum, quo quattuor praecedentes filii iunguntur et contextus 2,26 de altera

uxore mentionem faciat, pronum est concludere *Achia* esse nomen matris istorum quattuor et praepositionem בי post ב nominis אצם excidisse. LXX loco Achiae legunt ἀδελφὸς αὐτοῦ.

3. Princeps cognationis beniaminiticae in Gabaa (1 Par. 8,7).

4. Levita a Davide constitutus super thesauros domus Dei et vasa sanctorum (1 Par. 26,20). LXX ἀδελφοὶ αὐτῶν, quod pro אחיה supponit lectionem אחיהם ad instar inscriptionis : Et levitae fratres eorum super thesauros etc.

Alii quattuor eiusdem nominis hebraici in *Vulg.* scribuntur AHIA, AHIAS.

ACHIACHARUS (Ἀχιάχαρος; א 1,21. 22 Ἀχείχαρος, 2,10 Ἀχειάχαρος, 11,18 Ἀχειακάρ, 14,10 Ἀχείκαρος, Ἀχίκαρος), filius Anael fratris Tobiae senioris, in aula Sacherdon seu Asarhaddon regis Ninive pocula ministrans, custos annuli regii, administrator, procurator (Tob. LXX 1,21. 22; 2,10; 11,18; 14,10); idem in *Vulg.* 11,20 appellatur Achior.

Cf. Revue bibl. VIII. 1899, p. 50 ss. 510 ss., ubi *E. Cosquin* demonstrare conatur 14,10 in textu graeco et Itala haberi allusionem ad historiam « sapientis Ahicar » in regionibus orientalibus longe lateque notam et variis recensionibus divulgatam ac proinde librum Tobiae non esse narrationem historicam, sed ad finem quendam moralem confictam i. e. magnam parabolam. Animadvertere liceat hanc hypothesin meris coniecturis contineri, quibus historicus libelli Tobiae character non tollitur.

ACHIM (Ἀχείμ), filius Sadoc et pater Eliud, in tertia tessaradecade genealogiae Christi septimus post Iechoniam (Matth. 1,14).

ACHIMAAS (אֲחִימַעַץ, Ἀχιμάας).

1. Pater Achinoam uxoris Saul (1 Reg. 14,50).

2. Filius Sadoc pontificis (2 Reg. 15, 27. 36; 1 Par. 6, 8. 9. 53 [hebr. 5,34. 35; 6,38]), fidelis sectator Davidis. Cum Absalom rebellis Hierosolyma occuparet, Davide suadente in urbe manserunt Sadoc et Abiathar pontifices, ut a Chusai, consiliario Absalomis simulato, audirent regique nuntiarent, quaecumque Achitophel et Absalom acturi essent. Sed ne suspicio excitaretur, interruntiis opus erat; Achimaas filius Sadoc et Ionathas filius Abiathar extra civitatem iuxta fontem Rogel latuerunt ibique per ancillam fidelem ex condicto missam certiores facti sunt de consilio Achitophel repudiato et lucro temporis Davidi exoptatissimo (17,17). Sed ecce dum iter ad Davidem arripiunt, visi sunt ab uno ex speculatoribus Absalomis circa urbem dispositis et paulo post a satellitibus Absalomis quaesiti in ipsa domo Bahuritae cuiusdam, quam ingressi erant; latentes in puteo, super quem uxor illius viri velamen tetendit quasi ptisanas supersparsas exsiccatura, exploratores eluserunt et itinere confecto Davidi auctores fuerunt, ut illico Iordanem traiiceret (17,18-22). Post pugnam in saltu Ephraim, qua Absalom fugatus et occisus est, a Ioab facultatem Achimaas petiit victoriae Davidi quam citissime nuntiandae; et licet Ioab abnueret alterumque nuntium Chusi mitteret, Achimaas iterato instans facultatem tandem obtinuit et per aliam viam currens nuntium priorem praetergressus est, scilicet per viam compendii (*Vulg.*), quae de se longior eaque de causa a Chusi relicta, sed sine dubio facilior erat; ducebat enim haec via per *ha-kikkar* seu depressionem Iordani adiacentem. Victoriam regi nuntians mortem Absalomis celavit dicens, se, cum a Ioab missus esset, tumultum vidisse nec plura scire (18,19-29). Ab ipso Davide laudibus effertur 18,27 : « Vir bonus est et nuntium portans bonum venit », quod *F. de Hummelauer* interpretatur : Est vir fortis, qui non primus conspiciatur in fuga, ergo non cladem nuntiaturus adest. *Flav. Iosephus* (Ant. X. 8,6) asserit Sadoc pontifici in honorem successisse Achimaas et huic Azariam. Sed probabilius Sadoc pontifici successit Azarias, filius Achimaas (cf. 1 Par. 6,8 s. hebr. 5,34 s. cum 3 Reg. 4,2). Unde concludere licet Achimaas mortuum esse ante Sadoc patrem.

3. Unus ex duodecim praefectis, qui Salomoni eiusque domui annonam praebebant singuli per mensem; administrabat terram Nephthali et uxorem ha-

bebat Basemath filiam Salomonis (3 Reg. 4,15).

ACHIMAN v. AHIMAN.

ACHIMELECH (אֲחִימֶלֶךְ; Ἀϐιμέλεχ et 1 Reg. 30,7; 2 Reg. 8,17 Ἀχιμέλεχ).

1. Filius Achitob filii Phinees, pontifex tempore Saulis in Nobe, quae erat sedes tabernaculi et sacerdotum; Davidi fugitivo Noben venienti panes propositionis et gladium Goliath tradidit (1 Reg. 21,1-9). Ob hanc opem Davidi praestitam ipse pontifex cum octoginta quattuor sacerdotibus iussu Saulis a Doeg Idumaeo trucidatur (22,9-18) totaque civitas Nobe in ore gladii percutitur (22,19). Hoc facinore audito David psalmum 51 [52] composuit. Unus Abiathar filius Achimelech caedem effugiens a Davide benigne exceptus est (22,20-23). Eius nomen praeterea legitur 1 Reg. 23,6; 30,7. Vide ABIATHAR et ACHIAS 1.

Difficultatem parit Marc. 2,26 : « introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum et panes propositionis manducavit ». S. Marcus additis illis verbis : sub, ἐπί i. e. tempore Abiathar censendus est velle non solum designare tempus, sed etiam insinuare id factum esse tali viro, qualem se praebuerit Abiathar pontifex, minime prohibente vel impediente. Iam vero eodem tempore una cum Achimelech patre etiam Abiathar filium in Nobe fuisse facile colligitur ex supra dictis (cf. 1 Reg. 2,19. 20). Iesus autem Abiathar nominat, ut ostendat et patrem Achimelech, qui ex narratione omnibus notus erat et filium Abiathar, qui postea Davidi erat familiaris et adiutor, modum agendi Davidis approbasse; vocat autem eum quoque principem sacerdotum vel eo modo quo tempore Christi filii pontificum vocabantur principes sacerdotum vel quia patre occiso apud Davidem munere pontificis fungebatur vel quia vicarius patris illa occasione pontificatum gerebat vel quia principatum gerebat familiae sacerdotalis, quod munus a pontificatu separatum esse poterat (cf. *Knabenbauer* ad Marc. 2,26).

2. Hethaeus quidam socius Davidis exsulis (1 Reg. 26,6).

3. Achimelech filius Abiathar (2 Reg. 8,17; 1 Par. 18,16; 24, 3. 6. 31), pontifex tempore Davidis una cum Sadoc filio Achitob; sed vide s. v. ABIATHAR in fine.

4. Vide ABIMELECH 4 et ACHIS.

ACHIMOTH (אֲחִימוֹת, Ἀχιμώθ), levita de stirpe Caath (1 Par. 6,25 [10]).

ACHINOAM (אֲחִינֹעַם, Ἀχινόαμ, Ἀχινάαμ). **1.** Filia Achimaas et uxor Saulis (1 Reg. 14,50). — **2.** Uxor Davidis de Iezrahel in monte Iuda oriunda (1 Reg. 25,43), quam eodem fere tempore ac Abigailem fugitivus in deserto Iuda uxorem duxit. Utriusque uxoris eadem fata narrantur 1 Reg. 27,3; 30,5. 18; 2 Reg. 2,2 (v. ABIGAIL 1). Hebrone Achinoam Davidi filium primogenitum peperit Amnonem (2 Reg. 3,2; 1 Par. 3,1).

ACHIOR in *Vulg*. Tob. 11,20 v. ACHIACHARUS.

ACHIOR (Ἀχιώρ), dux Ammonitarum in exercitu Holofernis, quem Holofernes iratus in urbem Bethuliam duci et Israelitis tradi iussit, Israelitae vero benigne exceperunt ac civitate donarunt (Iudith 5,5 ss. 6,1 ss.). Idem viso Holofernis capite prae pavore angustiatus in faciem cecidit, sed mox resumpto spiritu Deum Israel magnificavit (13,27-31). Relicto gentilitatis ritu credidit Deo et facta in ipsius favorem legis Deut. 23,3 derogatione circumcisus populoque Dei aggregatus est (14,6).

ACHIS (אָכִישׁ, Ἀγχοῦς), rex Geth urbis Philisthaeorum. In titulo Ps. 33 [34] vocatur Abimelech; aliqua mss. hebraica et editiones quaedam Vulgatae legunt Achimelech, quod forte idem est atque Achis melech, Achis rex. Ad eum David exsul Nobe relicta confugit, sed societatem Philisthaeorum propter caedem Goliath minus tutam sibi reputans amentiam simulavit, quae sacrum quid apud antiquos habebatur, et in pace dimissus est (1 Reg. 21,10-15). Ad eundem iterum David cum sescentis viris confugit, postquam in colle Hachila deserti Ziph hastam et scyphum Saulis dormientis abstulit. Achis ei Siceleg urbem incolendam cessit, ex qua David contra meridiem excurrens multas praedas

egit et gentes Iudaeorum inimicas, Gessuri, Gerzi, Amalecitas percussit, quae utrum fuerint Philisthaeorum foederatae necne, non constat. Davidis responsa ambigua, quibus se damna aut ipsis Iudaeis aut eorum foederatis intulisse innuebat, sufficienter explicantur ex studio persuadendi regi se Iudaeis nocuisse; non est necesse supponere studium celandarum cladium regis amicis inflictarum (1 Reg. 27,1-12 et cf. *F. de Hummelauer* ad 27,10). Achis Davidi adeo confidit, ut aciem in Aphec prope Gelboe contra Israel instructurus cum eiusque socios in novissimo agmine secum haberet; ab aliis vero principibus Philisthaeorum Davidi diffidentibus adactus Hebraeos ex acie in urbem Siceleg relegavit (28,1. 2; 29, 1 s.). Tota Davidis in ditione Achis commoratio annum et quattuor menses complectebatur (vide textum hebr. 27,7 et 29,3). Fortasse idem est Achis rex Geth filius Maacha, ad quem primis regni salomonici annis servi Semei aufugerunt (3 Reg. 2,34. 40); Maoch et Maacha formae diversae eiusdem nominis censeri possunt neque repugnat Achis regnum per quinquaginta annos durasse, scilicet a prima Davidis in Geth commoratione usque ad fugam servorum Semei.

Cf. *P. Renard* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.; *H. Weiss*, David und seine Zeit 1880, p. 113 s.

ACHISAMACH (אֲחִיסָמָךְ, Ἀχισαμάχ), pater Ooliab de tribu Dan (Ex. 31,6; 35,34; 38,23).

ACHITOB (אֲחִיטוּב, Ἀχιτώβ). **1.** Filius Phinees filii Heli, pater Achiae et Achimelech pontificum (1 Reg. 14,3; 22,9. 11. 12. 20); v. ACHIAS 1.

2. Filius Amariae de domo Eleazari et pater Sadoc vel potius pater Meraioth et avus Sadoc pontificis (2 Reg. 8,17; 1 Par. 6,7.8 [hebr. 5,33. 34]; 6,52. 53 [hebr. 6,37. 38]; 9,11; 18,16; Esdr. 7,2; Neh. 11,11). Vix dubium est, quin ipse munere pontificis functus sit paulo ante regnum davidicum. Cf. *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v. Censent recentiores critici huius Achitob existentiam errori alicuius amanuensis deberi. *I. A. Selbie* apud *Hastings*, Dict. of the Bible I. 58 textum 2 Reg. 8,17 emendandum esse putat : Et Sadoc et Abiathar filius Achimelech, filii Achitob (ita *Wellhausen*, *Budde*, *Kittel*, *Driver*). Sed alii textum retinent (*Klostermann*). Emendatio illa rationibus solidis destituitur.

3. Filius alterius Amariae pontificis (tempore Iosaphat regis 2 Par. 19,11) et pater alterius Sadoc (1 Par. 6,11. 12 [hebr. 5,37. 38]).

4. Filius Melchiae de tribu Ruben in genealogia Iudith (Iudith 8,1).

ACHITOPHEL (אֲחִיתֹפֶל, Ἀχιτόφελ), pater Eliam herois davidici (2 Reg. 23, 34), consiliarius David, oriundus de Gilo in montanis Iuda sita, ab Absalome in rebellionem prorumpente Hebronem accersitus (2 Reg. 15,12). Defectio Achitophel, cuius consilia tum Davidi tum Absalomi data prout divina habita sunt (16,23), regis ruinam certam reddere videbatur, unde David ad Deum confugiens : « Infatua quaeso, Domine, (inquit) consilium Achitophel » (15,31). Absalomi primum auctor fuit vir perfidus, ut decem concubinis Davidis in urbe Ierusalem relictis actione incestuosa abuteretur (16,21. 22). Dein alterum consilium proposuit astutissimum ac Davidi perniciosissimum (17,1-3). Praevaluit autem consilium Chusai Arachitae Davidi secreto faventis (17,14). Tum Achitophel causam Absalomis desperatam esse perspiciens stravit asinum suum et in civitatem suam profectus disposita pro naturali sua prudentia domo sua se suspendit sepultusque est in sepulcro patris sui (17,23). Allusio ad perfidiam Achitophel habetur Ps. 40 [41], 10; 54 [55], 13-15; verba Ps. 40 [41], 10 ratione typica in Messia, qui David a prophetis vocatur, impleta esse elucet ex Io. 13,18.

ACHOBOR (עַכְבּוֹר, Ἀχοβώρ). **1.** Pater Balanan regis Idumaeae (Gen. 36,38; 1 Par. 1,49). — **2.** Filius Micha et pater Elnathan, unus e principibus in aula Iosiae, a rege cum Helcia sacerdote ad Holdam prophetissam missus, ut Dominum super libro legis reperto consulerent (4 Reg. 22,12. 14; Ier. 26,22; 36,12).

Idem 2 Par. 34,26 appellatur Abdon (עַבְדּוֹן, Ἀϐδόμ, A Ἀϐδών, B Ἀϐδοδόμ).

ACHOR (עֵמֶק עָכוֹר, *vallis tumultus sive turbarum*, ut S. Hieronymus in Onomast. s. v. Achor interpretatur; Ἐμεκαχώρ, φάραγξ Ἀχώρ, κοιλὰς Ἀχώρ), vallis, in qua Achan cum tota familia sua iubente Iosue lapidatus est propter furtum de anathemate Iericho (Ios. 7). Nomen vallis ab hoc eventu derivari patet ex Ios. 7,25. 26 : « Quia turbasti nos, exturbet te Deus... Vocatumque est nomen loci illius Vallis Achor usque hodie » (עָכַר *turbare*). Ad Ios. 7,26 et vim vocis Achor alluditur Os. 2,15 [17]; sicut enim illa perturbatio post expiationem morte Achan factam versa est in victoriam, ita nunc vallis afflictionis est ianua et ostium spei. Cf. Is. 65,10 : « vallis Achor in cubile armentorum populo meo (erit) ». — Ad situm determinandum ex Ios. 7,24 (וַיַּעֲלוּ *ascendere fecerunt*; *Vulg.* minus accurate : *duxerunt*) colligimus vallem altiorem fuisse quam urbes Galgala et Iericho ac proinde inter colles planitiem Ierichuntinam secantes quaerendam esse; porro ex Ios. 15,7, ubi fines septemtrionales tribus Iuda dicuntur de valle Achor contra aquilonem respicere Galgala, colligimus Achor fuisse ad meridiem Iericho et Galgala. Sed obstat Onomasticon; S. Hieronymus Eusebium secutus s. v. Achor ponit vallem ad septemtrionem Iericho (*ed. Lag.* 217,25; 89,34), dum s. v. Emecachor solum dicit : iuxta Iericho haud procul a Galgalis. Quare *Guérin* (Samarie I. p. 125. 126) anceps haeret, utrum vallis Achor sit *Wādi el-Qelt* ad meridiem urbis Iericho an *Wādi el-Nuweime* ad septemtrionem Iericho. Prius videtur admittendum esse propter Ios. 15,7 contra Onomasticon.

Eundem situm scil. *Wādi el-Qelt* valli Achor assignant *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 s. v.; *A. Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v. et Carte de la Palestine; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 167. 170 et cf. 227; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV; *Grove-Wilson* apud *Smith-Fuller*, Dict. of the Bible s. v.; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. p. 13 s. Neque multum dissentit *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 98 vallem Achor designans *Wādi tel'at el-dām*, quae vallis a *Wādi el-Qelt* secedens Ierusalem versus dirigitur.

ACHSA (עַכְסָה, Ἀχχὰ, filia Caleb filii Hesron (1 Par. 2,49). Distinguitur scriptione *Vulg.* ab Axa (vide s. v.) filia alterius Caleb tempore Iosue; sed v. CALEB 2.

ACHSAPH (אַכְשָׁף, Ἀζίφ), urbs antiqua chananaea, cuius regulus cum Iabin rege Asor aliisque regulis chananaeis foedere iunctus a Iosue devictus est (Ios. 11,1; 12,20); postea tribui Aser assignata est (Ios. 19,25; *Vulg.* Axaph, LXX Κεάφ). Censetur esse *Kefr Yāsīf* haud procul ab Accho inter aquilonem et orientem.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. I. 146. 153. 169; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. VI; *A. Legendre*, Carte de la Palestine; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. p. 702. 703 (addito signo?). — *Guérin* (Galilée II. 269) cum *Robinson* (Neuere bibl. Forsch. 1857, p. 70) opinatus erat Achsaph esse *Khirbet Iksāf* prope angulum rectum Leontis fluvii, qui Coelesyria meridiem versus permeata subito ad occidentem se vertit. Consentit *Riess*, Bibel-Altas s. v. Rationes, quibus haec opinio dissuadetur, exponit *A. Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v. Etiam *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 237 contra hanc opinionem urget, situm *Iksāf* ad territorium tribus Aser (Ios. 19,25) referri non posse.

ACHZIB et **ACHZIBA** v. ACHAZIB.

ACINUS uvae explicatur a S. Hieronymo hebr. זָג (Num. 6,4), quod hoc uno tantum loco occurrit, ubi « quidquid ex vinea esse potest, ab חַרְצַנִּים usque ad זָג » nazaraeo interdicitur. LXX interpretes ἀπὸ στεμφύλων ἕως γιγάρτου exponunt, i. e. a vinaceis seu pellicula exteriore usque ad nucleum acini, ac similiter versio syriaca et Targum a nonnullis intellegitur (cf. *F. Levy*, Chald. Wbch. I. 211 s. v. דְּגָא); alii vero cum Onkelos vice versa חרצנים nucleos, זג pelliculam vocant (*Siegfried-Stade* s. v.). Rursus alii זג cum *Dillmann* teneros vitis anulos extremos

interpretantur (cf. arab. *zugg*). הרצנים autem uvas immaturas (cf. *Gesenius-Buhl ed.* 13 s. v.). — Acinos colligere in Vulgata praeterea dicitur pro graeco καλαφάσαι: Eccli. 33,16), quod plerumque generatim *legere spicas* significat. Cf. UVA, VITIS.

L. FONCK.

ACRABATHANE v. ACRABIM.

ACRABIM (מעלה עקרבים, ἡ ἀνάβασις Ἀκραβείν, ἡ προσανάβασις Ἀκραβείν, *Vulg.* ascensus scorpionis), terminus terrae promissae (Num. 34,4), sortis Iuda (Ios. 15,3), regionis Amorrhaeorum (Iud. 1, 36) inter meridiem et orientem spectans. Generatim iste ascensus agnoscebatur in scopulis albidis cretaceis, quibus regio palustris infimo mari Mortuo adiacens *el-Ghōr* per modum semicirculi cingitur et a valle *el-'Araba* inter mare Mortuum et Rubrum porrecta separatur (*Robinson*, Palaestina III. 32. 38. 46, *Keil*, *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, quibus accedunt *R. Conder* et *E. Hull* apud *Hastings*, Dict. of the Bible I. 59. 575). Aliter sentiunt *Legendre*, *Riehm*, *Grove-Wilson* in Lexicis a *Vigouroux*, *Riehm-Baethgen*, *Smith-Fuller* editis. His auctoribus ascensus scorpionis est saltus montanus *el-Ṣafā*. Nempe iuxta marginem septentrionalem *Wādi el-Fiqre* extenduntur montana, quae ab extremitate *el-Ghōr* occidentem et nonnihil meridiem versus tendunt et tribus saltibus transcendi possunt. Saltus maxime orientalis est *el-Ṣufei*, occidentalis *el-Yemen*, medius *el-Ṣafā*. Atque per hunc saltum medium via brevissima a Petra (Sela) Hebronem ducit. Recte igitur hic saltus vocari poterat ascensus scil. pro iis, qui a meridie Palaestinam ingrediuntur. Verba S. Scripturae et topographia suadent saltum *el-Ṣafā* esse Acrabim. Quoad nomen antiquum sufficit addere scorpiones in tota illa regione abundare.

Ab Acrabim nomen mutuata est regio Acrabathane (ἡ Ἀκραβαττίνη), pars Idumaeae secundum textum graecum 1 Mach. 5,3 et versionem syriacam; *Vulg.* l. c. filios Esau in Idumaea a filiis Esau in Acrabathane distinguit. Post purificationem et dedicationem templi Iudas Mach. tum alios populos finitimos tum Edomitas in Acrabathane debellavit (cf. *Flav. Ioseph.* Ant. XII. 8,1: Ἀκραβατήνη).

Acrabathane, quae circa ascensum scorpionis sese extendebat, distinguenda est a toparchia Acrebitena *Plin.* V. 14, 70 ubi decem toparchiae numerantur seu Acrabatta Ἀκραβατά, *Flav. Ioseph.* Bell. iud. III. 3,5 ubi undecim toparchiae numerantur), cuius urbs principalis erat Acrabbi (Ἀκραββεῖν) 9 mil. pass. a Neapoli (Sichem) inter orientem et meridiem (Onomast. *ed. Lag.* 87,28; 214,61), hodie *'Aqrabe* (*Guérin*, Samarie II. 3-5). Haec toparchia Acrabatta in S. Scriptura quidem non commemoratur; sed apud Flav. Iosephum et in Onomast. saepius occurrit atque nobis occasione data inservit ad variorum locorum situs facilius determinandos. Cf. *Flav. Ioseph.* Bell. iud. II. 12,4; 20,4; 22,2; III. 3,4; IV. 9,3. 4. 9; Onomast. *ed. Lag.* 214. 255. 267. 294. 295.

ACRON Ios. 19,43 v. ACCARON.

ADA (עָדָה, Ἀδά). **1.** Uxor Lamech prior, ex qua geniti sunt Iabel et Iubal (Gen. 4,19-23). — **2.** Filia Elon Hethaei, secunda uxor Esau, mater Eliphaz (Gen. 36,2. 4. 10. 12. 16). Eadem Gen. 26,34 appellatur Basemath et distinguenda est a Basemath filia Ismael, tertia uxore Esau.

ADAD (הדד, Ἀδάδ, 1 Par. 1,51 B Ἀδδά).

1. Filius Badad, rex Edom in Avith urbe principali, qui post Husam regnavit et Madianitas in regione Moab percussit (Gen. 36,35. 36; 1 Par. 1,46. 47).

2. Ultimus rex Edom in urbe Phau, quo mortuo duces pro regibus in Edom esse coeperunt (1 Par. 1,50. 51). Idem Gen. 36,39 appellatur Adar (הֲדַר, Ἀράδ).

Eius uxor erat Meetabel filia Matred filiae Mezaab. Ad Gen. 36,39 adnotat *F. de Hummelauer*: « Viri prosapia reticetur, fortasse e textu excidit. Sed uxor accurate recensetur, ut conieceris narrata scriptoris sacri fere tempora attigisse ».

3. Adad (3 Reg. 11,17 אֲדַד, alias הֲדַד; Ἄδερ), Idumaeus de stirpe regia, qui, cum David et Ioab Idumaeos vicissent,

puer parvulus per aliquos servos e communi clade ereptus et in Aegyptum ductus est. Ibi a Pharaone benigne exceptus, cum adolevisset, uxorem duxit sororem germanam Taphnes reginae aegyptiacae. Audita morte Davidis et Ioab principis militiae petiit a Pharaone, ut sibi in terram suam redire liceret (3 Reg. 11,14-22). Cur redire voluerit, sacer auctor satis indicat 11,14 : Suscitavit autem Dominus adversarium Salomoni Adad Idumaeum. Adad bellum intulisse Israelitis, ut Idumaeam a Davide occupatam recuperaret, satis colligitur ex textu hebr. et *Vulg.* 11,25 quamvis mutilo; secundum LXX Adad afflixit (ἐβαρυθύμησεν) Israel et regnavit in terra Edom, unde saltem aliquam partem Edom regno Salomonis videtur eripuisse. Haec facta sunt ultimis annis Salomonis, cum eiusmodi adversarii, uti Razon quoque, ei a Domino suscitarentur in poenam idololatriae (cf. 11,14. 23).

ADADA (עֲדָעָדָה; Ἀρουήλ, A Ἀδαδά), urbs in meridiana parte (Negeb) tribus Iuda (Ios. 15,22). *Riess* (Bibel-Atlas s. v.) et *Legendre* (Carte de la Palestine) situm urbis assignant ruinas *ʿAdada* orientem versus a Bersabee non longe a mari Mortuo. Si forte (cum *Wellhausen* et *Dillmann*) legendum est ערערה (Arara), urbs nostra eadem censeri potest atque Aroer 1 Reg. 30,28 (v. AROER 3); idem statuit *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 183.

ADADREMMON (הַדַּדְרִמּוֹן), vicus prope Mageddôn in planitie Esdrelon (Zach. 12,11). Propheta alludit ad eventum luctuosissimum, qui in Adadremmon accidit, ubi Iosias rex pius vulnus letale accepit (4 Reg. 23,29. 30; 2 Par. 35,22 s.); eius mortem brevi secutam universus Iuda et Ierusalem luxerunt (2 Par. 35, 24. 25). LXX Zach. 12,11 : planctus Adadremmon in campo Mageddon (*Vulg.*) vertunt : κοπετὸς ῥοῶνος ἐν πεδίῳ ἐκκοπτομένου i. e. planctus mali granatae, quae in campo succiditur; haec interpretatio explicatur ex רִמּוֹן = malus granata seu arbor Punica, sed a textu prorsus aliena est.

Hadad est idolum syriacum, deum coeli et solis repraesentans, qui idem est ac *Rammānu* seu Rāmānu deus tempestatum ac tonitruum. Nomen compositum Hadadremmon indicat Hadad deum praesertim tamquam deum tempestatum ac tonitruum considerari; conferri potest Iupiter tonans (*Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. II. p. 154). Insuper vero, ut Zach. 12,11 docemur Adadremmon nomen idoli est etiam nomen loci; nomina analoga urbium sunt v. g. Baalgad, Baal Hamon, Baal Hermon, Baalmeon etc. Quod igitur 4 Reg. 23,29 et 2 Par. 35,22 in Mageddo factum esse narratur, id prope Mageddo in vico Adadremmon accidisse ex Zach. 12,11 discimus. Cf. *Knabenbauer* ad h. l.

Sacculo quarto post Christum Adadremmon vocabatur Maximianopolis (S. Hieronymus ad Zach. 12,11; *M.* 25, 1515). Itinerarium Burdigalense autem dicit Maximianopolim a Caesarea 17 (18?) mil. pass., a Stradela (Iezrael, *Zerʿīn*) 10 mil. pass. distare (apud *P. Geyer*, Itinera Hierosol. p. 19). Haec cum aliqua mutatione vera esse probantur quoad vicum *Rummāne*, qui vestigium nominis antiqui conservavit et 6 km a *Ledjdjūn* (Mageddo) meridiem versus distat; animadvertit enim *Guérin* (Samarie II. 230) *Rummāne* a Caesarea 21 mil. pass., a Iezrael (*Zerʿīn*) 9 mil. pass. distare.

Cf. *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v. et Carte de la Palestine; *Survey of West. Pal.* Mem. II 45.68 et *Conder and Kitchener*, Large Map, sheet VIII, Reduced Map, sheet 10; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land p. 389 nota 2; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 615.

Contra situm propositum obiicit *F. Buhl* (Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 208. 209) Maximianopolim fuisse stationem quandam praecipuam inter Caesaream et Iezrael ac proinde vicum *Rummāne*, qui a via principali nimium abest, cum Maximianopoli componi non posse; insuper addubitat, num ex isto unico loco S. Hieronymi ad Zach. 12,11 iuremerito stabiliri possit Maximianopolim esse Adadremmon.

Cf. *Raumer*, Palaestina *ed.* 4, p. 446-448;

Van de Velde, Memoir to accompany the Map of the Holy Land 1858, p. 333.

ADAIA עֲדָיָה, Ἀδαία, Ἀδαίας).

1. Hadaia (4 Reg. 22,1 ; vide s. v.

2. Adaia, levita de stirpe Gerson et ex maioribus Asaph (1 Par. 6,41 [26]; Ἀδαί). Idem 6,21 [6] appellatur Addo (עִדֹּו; Ἀδδί).

3. Adaia, Benjaminita, filius Semei (1 Par. 8,21).

4. Adaia (עֲדָיָהוּ; Ἀδίας), pater Maasiae centurionis a Ioiada pontifice electi, ut ipsum iuvaret contra Athaliam (2 Par. 23,1).

5. Adaia, Adaias, sacerdos filius Ieroham, Babylone reversus cum 242 patribus familias (1 Par. 9,12; Neh. 11,12).

6. Adaia, unus de filiis Bani, matrimonio cum uxore alienigena iunctus post reditum ex captivitate (Esdr. 10,29).

7. Adaias, unus de posteris alterius Bani, etiam cum uxore alienigena iunctus (Esdr. 10,39).

8. Adaia vir ex posteris Iuda de stirpe Phares (Neh. 11,5; B Δαλεά).

9. Adaia, nomen familiae sacerdotalis tempore Ioacim pontificis (Neh. 12,16; *Kethib* עִדּוּא; Ἀδαδαί, א Ἀδδαί, B A omitt.); v. ADDO 4.

ADALI (חֲדָלִי; Ἐλδαί, B Χοάδ, A Ἀδδί) ex tribu Ephraim, pater Amasa illius, qui cum aliis principibus Ephraim Iudaeos captivos domum dimittendos curavit tempore Phacee regis Israel (2 Par. 28,12).

ADALIA (אַדַלְיָא, Βαρεά, א A Βαρέλ, B Βαρσά), quintus filius Aman cum novem fratribus suis a Iudaeis occisus (Esth. 9,8).

ADAM (אָדָם, Ἀδάμ) nomen primi hominis et parentis totius generis humani. Eius creatio summatim refertur Gen. 1, 26. 27, accuratius 2,7. Dignitas eius et prae reliquis rebus excellentia declaratur eo quod creatus est ultimo loco, postquam scil. terra resque ceterae ad eius usum et commodum essent instructae, quod Deus eius creationem modo sollemni annuntiat eamque fore ait ad imaginem et similitudinem suam et quod eum constituit dominum totius creaturae Gen. 1,26). Eadem dignitas et excellentia elucet quoque ex modo quo creatur: formavit Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem. Corpus itaque formatur de materia iam exsistente, principium autem vitae, anima, immediate ab ipso Deo oritur, procedit i. e. creatur. Unde hominis vitam ipsa sua origine toto coelo differre a vita animalium clare enuntiatur. Recentiore tempore agitata est quaestio sitne corpus Adam formatum immediate a Deo ex pulvere terrae an descendat a bruto cum speciali Dei interventu, ita ut corpus animalis (simiae hominis formam quam maxime prae se ferentis) sit a Deo aliquatenus immutatum et proxime dispositum in corpus humanum. Quae altera sententia nacta est aliquos patronos. Notandum est non quaeri quid fieri absolute potuerit, sed qualem viam et rationem ex iis quae cogitari possint Deus revera elegerit et sintne certa vel sufficientia eius viae indicia in sacris litteris necne. Atque hoc ultimum satis clare exprimi videtur.

Et primo quidem ex modo quo sermo fit de origine plantarum et animalium: 2,9 et produxit Deus de humo (מִן־הָאֲדָמָה) omne lignum pulchrum visu et 2,19 et formavit Dominus Deus de humo (eadem est expressio) cuncta animantia terrae. Iam certe priore loco *de humo* dicit Deum arbores creasse non ex nihilo sed adhibuisse ad eas producendas materiam iam exsistentem; pariter in altero loco nequit dici animalia esse producta ex plantis; unde si de formatione Adam eodem modo narratio instituitur, arbitrarium esset dicere corpus eius esse formatum ex animali. Secundo, non sine emphasi dicitur: et formavit Iahwe Deus Adam (hominem) pulverem (עָפָר) de terra, qua voce sane causa materialis designatur et hanc de humo esse sumptam asseritur. Tertio homo appellatur Adam quia de adama sumptus est; cf. Gen. 2,7 et 5,2; iam nomina induntur in s. litteris ex eventibus proximis, immediatis. Quarto Eva vocatur virago quia de viro sumpta est Gen. 2,23; eodem autem modo dicitur Gen. 3,19 ad Adam: donec

revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris; sicut itaque in nomine *virago quia de viro sumpta est* origo immediata designatur in Genesi descripta, ita idem de altera locutione : *Adam de adama sumptus est* intellegi debet idque membro adiuncto confirmatur : pulvis es et *in pulverem* reverteris, corpus autem corruptione dissolvitur non in corpus quoddam animalis! Quinto, cum Eva ad Adam adducitur, ille, hoc nunc, inquit, os ex ossibus meis et caro de carne mea; in altera sententia Adam potius dicere debuit, cum animalia ad eum adducerentur, se esse os et carnem ex ossibus et carne eorum; verum id ipsa illa exclamatione negat; inter se et animalia nullam agnoscit corporis propinquitatem is qui tamen de sua origine edoctus esse debuit. Sexto ea quae in primis capitibus Geneseos narrantur merito censentur ex ipsa traditione Adam ad posteros pervenisse; unde iis ea enuntiantur quae ipse Adam de sua origine scivit et sensit, nec negari poterit ea esse ab Adam intellecta obvio sensu verborum. Septimo idem aliis s. litterarum locis abunde confirmatur et suadetur; cf. Eccl. 12,7; Eccli. 17,1.2. Sap. 7,1 primus homo vocatur terrigena, dum alii ab isto terrigena orti in matris vulva formari dicuntur : γηγενοῦς ἀπόγονος πρωτοπλάστου καὶ ἐν κοιλίᾳ μητρὸς ἐγλύφην σάρξ; porro Eccli. 33,10 ἄνθρωποι πάντες ἀπὸ ἐδάφους καὶ ἐκ γῆς ἐκτίσθη Ἀδάμ; sensus aperte est : omnes homines originem habent ex pulvere, quia Adam formatus est ex terra; unde simul elucet cur dicatur : pulvis sumus (Ps. 102,14), de eodem luto ego quoque formatus sum (Iob 33,6). Apte haec dicuntur si primus homo eam habuit originem, sicut eodem modo reges Iuda dicuntur filii David, sacerdotes filii Aaron, omnes Iudaei filii Israel vel filii Abraham. Ex quo loquendi modo etiam patet perperam ab aliquibus obiici : omnes homines dicuntur pulvis, de luto formati, ergo haec locutio de primo quoque homine non arguit originem immediatam. Sed vitium in aperto est : omnes Iudaei dicuntur filii Abraham, ergo nemo immediate ab Abraham habuit originem?! nonne e contra ideo dicuntur eo nomine quia primus ortum habet immediate ab eo? Neque aliter explicare poteris terram dici vulvam matris et vulvam matris appellari inferiora terrae : nudus egressus sum de utero matris et nudus revertar *illuc* (Iob 1,21); non est occultatum os meum a te et substantia mea in inferioribus terrae (Ps. 138,15), iugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium (Eccli. 40,1). Haec omnia recte dicuntur, si corpus Adam ex terra formatum est et hisce locutionibus haec ipsa sententia substat iisque enuntiatur. Quare dici posse videtur, si omnia haec considerantur, alteram sententiam sacris litteris adversari. Ex veteribus nemo de sententia priore dubium movit. Propter similitudinem affectuum S. Augustinus occasionem capit quaerendi possitne anima humana ex belluina oriri; at de corpore ne similem quidem quaestionem movet, adeo ei persuasum erat corpus Adam nullatenus ab animali derivari posse ex narratione sacra (cf. de Genesi ad litt. 6,12; 6,1. 5. 6. 15; 7,20. 22; de Gen. c. Man. 2,7).

Homo creatus est ad imaginem Dei, ut scil. in eo sit imago Dei; ratio imaginis animae est impressa, ratione enim animae homo habet propriam quândam similitudinem cum Deo in eo gradu, in quo proprie et formaliter Deus exsistit, in gradu vitae intellectualis, proin in intellectu, in voluntate, in libero arbitrio. Ex qua vita intellectuali illud consequitur : et praesit piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae (Gen. 1,26), in quo dominio quo sibi subiicere debeat terram (Gen. 1,28) pariter relucet imago dominationis divinae. Quod dicitur : ad imaginem et similitudinem nostram (Gen. 1,26 LXX, *Vulg.*) a multis ita concipitur ut prius ad naturam animae, alterum ad gratiam animae inditam referatur; cf. *Suarez*, de opere sex dierum 3,8. 30; sed recte censet Suarez n. 31 non significari iis vocibus res diversas sed eandem rem de imagine naturali magis declarari esseque imaginem illam valde perfectam. Quae explicatio textu hebraeo commen-

datur in quo בצלמנו explicatur addito כדמותנו. Hominem primum fuisse constitutum in gratia supernaturali aliunde probari debet et constat. Eius autem status supernaturalis indicium quoddam habetur in familiari Dei cum homine consuetudine quae servi conditionem excedere videtur, habetur in dono integritatis et immortalitatis collato (cf. Gen. 2,25. 17), quod utrumque conditionem naturae qua talis excedit, unde iam innuitur hominem ad altiorem quandam conditionem esse elevatum. Clare id probatur ex Novo Testamento et ex opere redemptionis quo damnum ab Adam nobis illatum reparatum est ab altero Adam, per quem Deo sumus reconciliati. Positus est Adam in paradiso voluptatis (vide s. v.) ut operaretur et custodiret illum (Gen. 2,15). Proinde quod Deus in consilio de hominis creatione enuntiaverat (Gen. 1,26), id in primo suo habitaculo homo in effectum deducere iubetur. Quod ut facere posset, variis cognitionibus debuit esse instructus. Et primo quidem Sapiens cognitionem hominis primi celebrat Eccli. 17,5. 6; dein ea colligitur ex re ipsa; nam certe debuit scire Deum esse creatorem, mundum cunctaque a Deo esse condita, debuit nosse ea quae ad officium explendum necessaria et utilia erant. Porro eius scientia nobis quoque satis ostenditur Gen. 1,19. 20, cum animalibus nomina vocet; nam nomen alicui rei vocare idem est quod naturam rei habere perspectam ac cognitam, uti recte iam veteres explicarunt (cf. *Suarez* l. c. 3,9 n. 2).

Vere itaque, uti Eccli. 49,19 dicitur, super omnem animam ὑπὲρ πᾶν ζῶον gloriam adeptus est Adam ἐν τῇ κτίσει in origine. Deerat solum, ut fideli ad Deum subiectione dona collata conservaret. Quem in finem Deus ei praecipit : ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris (Gen. 2,16, 17). Dominus creationis constitutus Adam iubetur ipsa sua obedientia agnoscere et colere creatorem suum eique se subiectum esse profiteri continuo. Ex quo fine sicut etiam ex sanctione addita praeceptum esse graviter obligans perspicitur. Arbor fructus prohibiti dicitur, uti videtur, ex eventu lignum scientiae boni et mali, quia fructu eius gustato adeoque peccato commisso protoparentes in se experti sunt discrimen boni et mali. Ipsum vero nomen aptum erat quo suam ad Deum probarent subiectionem. Nam scientiae appellatione bonum proponitur intellectuale, bonum itaque quod desiderabile omnino videbatur. Proinde in eo erat subiectio ostendenda, ut nullo modo contra Dei Domini voluntatem altiorem quendam scientiae et excellentiae gradum appeterent, sed humili submissione intra limites a Deo assignatos se continerent. Verum Eva a diabolo seducta (vide s. v. HEVA) seduxit virum, deditque viro suo qui comedit (Gen. 3,6). Debito ordine violato Adam statim expertus est etiam in se ipso ordinem turbari; unde erubescentiam expertus et mali facinoris sibi conscius se abscondit, in qua absconsione, sicut in responsione Deo data Gen. 3,12, etiam turbatio quaedam intellectus et prava voluntatis affectio deprehenditur. Peccatum sequitur alia poena, eiectio ex paradiso et vita in sudore et labore degenda. Sed acerbitatem poenae Deus pro sua clementia mitigat promittens fore ut semen mulieris caput serpentis conterat i. e. ut malum per peccatum illatum tandem vincatur, reparetur, sanetur. Adam autem peccato suo imperium peccati et mortis introduxit in mundum (Rom. 5, 12). Quod imperium ratione varia ostenditur; ipse coram Deo gratia amissa spiritualiter est mortuus; eandem gratiam amisit pro posteris suis qui nascuntur destituti gratia sanctificante (Rom. 5,12-18); ipse omnesque posteri morti sunt obnoxii; propter eius peccatum terra quoque maledicto subiicitur (Gen. 3,17; Rom. 8,20). Adam pro peccato egisse poenitentiam docemur Sap. 10, 2 : haec (sapientia) illum qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum eduxit a delicto suo. Filii eius nominantur Cain, Abel, Seth; praeter quos alios quoque genuit filios et filias et factum est omne tempus quod vixit anni nongenti triginta et mortuus est (Gen. 5, 4. 5).

Adam est et nominatur typus Christi (Rom. 5,14). Quae sit ratio typica, S. Paulus declarat : factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem (1 Cor. 15,45). Quibus verbis indicatur brevissime quae intercedat habitudo inter utrumque parentem et genus humanum. Primus quippe Adam vitam nobis legavit naturalem, mortalem; alter Adam nobis legat vitam supernaturalem. Id quod apostolus pluribus exponit Rom. 5,12 s., simili quippe modo nobis salutem obtingere, sicut pernicies a priore parente in nos sit transfusa; unius enim delicto omnes constitutos esse peccatores, aequa ratione unius merito et gratia salutem concedi, dummodo quemadmodum participes facti sunt naturae ab Adam propagatae, ita quoque gratiae quasi altioris naturae consortes facti cum Christo altero parente generis humani coniungantur; si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes in vita regnabunt per unum Iesum Christum; sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem iusti constituentur multi (Rom. 5,17, 19). Christus autem summam exhibuit obedientiam per mortem in cruce (Phil. 2, 8), quare quicumque baptizantur in Christum, in mortem eius baptizantur (Rom. 6,3); Christus sua obedientia fit alter parens generis humani, unde quicumque gratia tamquam altiore natura ab eo donantur et cum eo coniunguntur, cum eo tamquam obediente et in cruce moriente complantantur, ut cum eo quoque ad novam vitam gratiae et gloriae resurgant. Sicut itaque in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur, quoniam quidem per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum (1 Cor. 15,21. 22).

Vertit S. Hieronymus Ios. 14,15 : « nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe; Adam maximus ibi inter Enacim situs est »; unde idem scribit : « Adam sepultum iuxta Hebron et Arbe in Iesu filii Nave volumine legimus » (ad Matth. 27,33; *M.* 26, 209) quam sententiam de sepulcro Adam in epistula 108,11 (*M.* 22,886) Hebraeis autumantibus attribuit « licet plerique Caleb putent, cuius ex latere memoria monstratur » ibique Cariath Arbe explicat oppidum virorum quattuor (ארבע) qui sint Abraham, Isaac, Iacob, Adam (Caleb). Verum de Adam non est sermo Ios. 14,15; sed *Arbe* nomen est alicuius gigantis ex gente Enac (cf. Ios. 15,13 et 21,11) et Ios. 14,15 est vertendum : Arbe vir erat magnus inter Enacim; ponitur scil. אדם, uti saepissime, sensu generali pro homine. Quo usu et qua nominis communicatione omnes homines ab uno illo Adam protoparente descendere apte significatur. Apud veteres quandoque fertur traditio Adam sepultum esse in colle Calvariae, indeque nomen ipsum Calvariae esse ortum (sed v. CALVARIA).

I. KNABENBAUER.

ADAMA (אֲדָמָה; Ἀδαμά), urbs Pentapoleos in termino terrae Chanaan sita (Gen. 10,19); eius rex Sennaab cum quattuor regibus vicinis urbium Sodoma, Gomorrha, Seboim, Bala (seu Segor) foedere iunctus contra Chodorlahomor eiusque socios pugnavit; proelio in valle Silvestri (Siddim) commisso reges Pentapoleos a Chodorlahomor devicti sunt (Gen. 14,1-3; 14,8-10). Non multo post Adama una cum Sodoma et Gomorrha deleta est, ut sacer textus implicite Gen. 19,24. 25 et explicite Deut. 29,23; Os. 11,8 testatur. Praeterea LXX vertunt Is. 15,9 : τὸ κατάλοιπον Ἀδαμά, sed *Vulg.* rectius vertit : reliquiis terrae. — Situs urbis generali aliquo modo tantum determinari potest. Sodoma sine dubio erat prope *Djebel Usdum* i. e. ad occidentem maris Mortui inferioris. Segor seu Zoar ad orientem maris Mortui inferioris sita erat in *Ghōr el-Sāfiye* (v. SODOMA et SEGOR). Inter has duas urbes interiacet *el-Ghōr*, regio palustris infimo mari Mortuo adiacens, hodie *el-Sebkha* appellata. Aliae igitur tres urbes Gomorrha, Adama, Seboim, quae inter Sodoma et Segor nominari solent (Gen. 14,2. 8), quaerendae erunt vel in illa regione palustri vel etiam in inferiore parte maris Mortui, quae per ca-

tastrophen Sodomae et Gomorrhae ex probabili saltem sententia aquis submersa est et ubique vado traiici potest; de hac re vide s. v. SIDDIM.

ADAMAS, ADAMANTINUS. Vox hebraica שָׁמִיר, quae ter in Scriptura occurrit (Ier. 17,1; Ez. 3,9; Zach. 7,12), a S. Hieronymo adamas seu adamantinus (Ier. 17,1) explicatur. LXX versus in Ieremia omittunt, in aliis locis vocem hebraicam non exprimunt; in Ieremia tamen ex alia versione graeca ἀδαμαντίνῳ legitur; Peshitta vocem hebraicam retinet. In textibus citatis nihil de valore adamantis innuitur, sed de eius duritie tantum sermo est: unde fuerunt qui non adamantem, sed minerale aliquod satis durum *smyris* seu *corundum* dictum intellegendum censuerint (*Bochart*, *Rosenmüller* al.). At licet de hoc dici possit « faciem ut adamantem et ut silicem » Ez.) et « cor ut adamantem » (Zach.) fuisse, minime tamen « ungue (seu cuspide) adamantino » sculpere (Ier.) de alio praeter ipsum adamantem exponendum videtur. Quare communius Vulgatae interpretatio admittitur.

Adamas iam aetate Plinii « maximi in rebus humanis, non solum inter gemmas, pretii » aestimabatur (XXXVII. 4,55-61); prius tamen minus videtur notus fuisse, ita ut ab Homero non commemoretur et a Theophrasto solummodo praetereundo tangatur (fragm. II. de lapid. *ed. Fr. Wimmer* 3,19). Duritie alia mineralia ac metalla omnia excedit atque ad sculpendum in tabulis durissimis etiam antiquitus adhibebatur. Ars vero ipsum levigandi, qua pretium eius magnopere augetur, non nisi medio aevo exeunte videtur inventa esse. Reperiebatur adamas usque ad finem medii aevi maxime in India insulisque vicinis; postea praesertim etiam in Brasilia atque aliis paucis locis.

Cf. *Fr. Rueus*, De gemmis 2,15; *I. Braun*, Vest. Sac. Hebr. II. 2,8 n. 475; *I. Bochart*, Hierozoicon II. p. 842, *ed. Rosenmüller* III. 843 s.; *F. C. Lesser*, Lithotheologie, Hamburg 1735, p. 345-47. 356 s. 1034 s. etc.; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterthumsk. IV. 1 p. 44-6; *K. E. Klugc*, Handb. d. Edelsteinkunde, Leipzig 1860, 171-259; *Leunis-Senft*, Synopsis III. 1 p. 909-11; *Naumann-Zirkel*, Mineralogie *ed.* 11, p. 254-6; *M. Bauer*, Mineralogie, Berlin u. Leipzig 1886, p. 249-52. — V. LAPIDES PRETIOSI.

L. FONCK.

ADAMI (אֲדָמִי הַנֶּקֶב; *Vulg.* Adami quae est Neceb; Ἀρμὲ καὶ Νεκέβ, A Ἀρμὰ καὶ Νακέβ, urbs in extremis finibus Nephthali sita (Ios. 19,33). Quaeritur utrum Adami et Neceb duae urbes sint an una. Textus hebraicus unam urbem esse suadet eumque sequitur *Targum Ionathan*. Interpres arabicus vertit: et a possessoribus torcularis. *Vulg.* unam urbem duobus nominibus Adami et Neceb appellari supponit. *Rosenmüller* (Scholia in Vet. Test.) ad h. l. notat: « Nomina אֲדָמִי הַנֶּקֶב in statu regiminis sunt posita, ita ut prius urbis sit nomen, posterius locum indicet, in quo exstaret; est autem נֶקֶב *locus excavatus, caverna* ». *Gesenius* (Thesaurus p. 909) vertit: Adami caverna. Recentiores vertunt: saltus Adami (*Dillmann*: der Pass Adami) atque vix dubium est, quin hic sit sensus obvius.

Duas esse urbes supponunt LXX et *Peshitta*. Etiam Onomast. distinguit Ἀδαμί, Adami tribus Nephthali (*ed. Lag.* 224,85 et 95,20) a Νεκέμ, Neceb tribus Nephthali (l. c. 283,16 et 142,25). Gemara hierosolymitana nomina antiqua explicat per recentiora scil. Adami per Damin (דָּמִין) et *ha-Neqeb* per Siadatha (ציידתא); cf. *Reland*, Palaestina 1714, p. 545. 717. 817; *Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 225. Accedit quod index geographicus urbium a Thotmes III. expugnatarum duas urbes *Adimim* et *Nekabu* continet, quae non inepte Adami et Neceb Nephthali esse putantur (*Maspero*, Noms géographiques de la liste de Thoutmos III. qu'on peut rapporter à la Galilée, p. 6. 11).

Quibus testimoniis pro distinctione duarum urbium propositis *A. Legendre* (apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.) rem in medio relinquit idque merito, praesertim cum combinationes talmudicae nullo modo certae sint neque aliae rationes adductae certitudinem evincant contra sensum obvium ipsius textus.

Exploratores anglici censent Adami

esse *Khirbet Adma* ad dexteram ripam Iordanis paulo infra lacum Tiberiadis et Neqeb seu Siadatha talmudicum esse *Khirbet Seyade* ad occidentem inferioris lacus Tiberiadis (*Survey of West. Pal.* Mem. II. 89 et I. 365). Ita etiam *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, qui Adami ab Edema (vide s. v.) non distingui putat. *D. Zanecchia* (La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 635) agnoscit Adami = Neceb in *Khirbet Adma*. Alii pro Adami praeferunt *Dāmiye* inter Tiberiadem et montem Thabor (*Legendre* l. c. et Carte de la Palestine). Aliqui auctores totam seriem urbium Ios. 19,33 magis aquilonem versus quaerendam esse putant (*F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 248); sed *F. de Hummelauer* Ios. 19,33 ostendit describi pagum illum commutatorium, qui Nephthalitis ad austrum lacus Tiberiadis concessus sit, postquam Danitae urbem Lais-Dan in finibus Nephthali occuparunt; idem interpres situm *Dāmiye* contextui congruere censet.

ADAN (Esdr. 8,6) v. ADIN.

ADAR. 1. Adar, Addar (Num. 34,4 : חֲצַר־אַדָּר i. e. septum seu pagus Addar; ἔπαυλις Ἀράδ, *Vulg.* villa nomine Adar; Ios. 15,3 : אַדָּרָה cum ה locali; Σάραδα, A Ἀδδαρά; *Vulg.* Addar), urbs tribus Iuda in extremis finibus Palaestinae meridiem versus sita. Onomast. Eusebii et S. Hieronymi (*ed. Lag.* 219,83 et 92,3) : « Addara in tribu Iuda iuxta desertum ». Situs ex enumeratione urbium aliquo modo coniici potest. Nominatur Num. 34,4 inter Cadesbarne et Asemona; accedit, quod Ios. 15,3 Cadesbarne et Esron ante Addar leguntur, Carcaa et Asemona post Addar; denique terminus australis usque ad torrentem Aegypti et mare Mediterraneum porrigitur (Num. 34,5; Ios. 15,4). Si igitur Cadesbarne eadem cum *ʿAin Qadīs* esse supponitur, ut plerique sentiunt, reliquae urbes, inter quas Addar, in ea fere linea quaerendae sunt, quae ab *ʿAin Qadīs* inter occidentem et aquilonem usque ad ostium Torrentis Aegypti (*Wādi el-ʿArīsh*) decurrit. — Vide etiam HESRON 3.

2. Adar, rex Idumaeae (Gen. 36,39) v. ADAD 2.

3. Adar (אֲדָר, Ἀδάρ), mensis duodecimus (Esdr. 6,15; Esth. 3,7. 13; 8,12; 9, 1 s. 10,13; 13,6; 16,20; 1 Mach. 7,43. 49; 2 Mach. 15,37); v. MENSIS.

4. Adar, deus Chaldaeorum v. ADRAMELECH.

ADAREZER (הֲדַרְעֶזֶר 2 Sam. 10,16. 19; 1 Par. 18 et 19, sed הֲדַדְעֶזֶר 2 Sam. 8,3-12 et 1 [3] Reg. 11,23; lectio Hadadezer praeferri debet, cum Hadad nomen idoli Syrorum alias quoque in nominibus propriis reperiatur; LXX Ἀδραεζάρ), filius Rohob, rex Soba regni aramaici, cuius situs inter mare Mediterraneum et Euphraten accuratius definiri nequit (v. SOBA). Foedere iunctus erat cum Syro Damasceno et postea cum aliis quoque regibus Syriae et cum Ammonitis, sed a Davide duplici expeditione ipse eiusque socii devicti sunt (2 Reg. 8,3-12 quibuscum cf. 1 Par. 18, 3-10 et 2 Reg. 10,16-19 quibuscum cf. 1 Par. 19,16-19); de chronologia proeliorum et de additamento LXX ad 2 Reg. 8,7 consule commentarios. Dux quidam in exercitu Adarezer erat Razon, qui aufugiens et princeps latronum factus regnum Damasci occupavit (3 Reg. 11,23; A Ἀδαδέζερ, B omitt.).

ADARSA seu **ADAZER** (Ἀδασά), urbs Iudaeae, prope quam Iudas Mach. Nicanorem ducem Syrorum devicit die 13. mensis Adar anni 161 a. Ch. (1 Mach. 7,40 s.). Iudaei hostes fugientes persecuti sunt viam unius dici ab Adazer usquequo veniatur in Gazara (7,45). Flavius Iosephus insuper addit Adarsa vicum 30 stadiis distare a Bethoron, ubi Nicanor castra posuerat (Ant. XII. 10, 5 : ἐν Ἀδασοῖς et cf. Bell. iud. I. 1,6 : κατὰ κώμην Ἀκέδασαν *ed. Niese*, var. Ἀδασάν). Censetur esse *Khirbet ʿAdāsā* ad septemtrionem Ierusalem et 3 km ad orientem Gabaon seu *el-Djīb*. Animadvertit *V. Guérin Khirbet ʿAdāsā* 30 fere stadiis distare a Bethoron superiore (*Beit ʿŪr el-fōqā*), quo satisfiat Ant. XII. 10,5.

Cf. *Guérin*, Judée III. 5.6; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 30. 105 s.; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate, I. IV; *Grove-Wilson* apud *Smith-Fuller*

Dict. of the Bible s. v.; *Hastings*, Dict. of the Bible s. v.; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 s. v.; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 477.

Attamen alii (*Buhl*, *Schurer*) obiiciunt distantiam inter *Kh.* *'Adāsā* et Bethoron superiorem non esse 30 stadia sed fere duplo maiorem. Insuper vero Eusebius in Onomast. (*ed. Lag.* 220,6) mentionem facit vici Adasa iuxta Guphnas; Gophna autem in confinibus Beniamin et Ephraim sita duabus horis, a *Kh.* *'Adāsā* septemtrionem versus abest. Unde putant Adarsa magis in vicinia *Djifna* (Gophna) quaerendam esse. Sed notandum est neque Iosephi verba quoad numeros stadiorum neque Eusebii quoad situm oppidorum adeo premenda esse. Ceterum Eusebius urbem nostram cum Hadassa in campestribus Iuda (Ios. 15,37) confundere videtur; nam vicum Adasa l. c. tribui Iuda attribuit.

Cf. *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, I. 218; *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 172.

ADBEEL (אַדְבְּאֵל, Ναβδεήλ), tertius filius Ismael, princeps unius ex duodecim tribubus ismaeliticis (Gen. 25,13; 1 Par. 1,29). Correspondet in inscriptionibus cuneiformibus Theglathphalasar II. nomen *Itibiilu*, quae tribus sedes habuisse censetur inter meridiem et occidentem a mari Mortuo versus fines Aegypti (*Delitzsch*, Paradies p. 301. 302; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 135).

ADDAR urbs v. ADAR 1.

ADDAR (אֲדָר, 'Αδίρ), filius Bale filii Beniamin (1 Par. 8,3). Idem vocatur Hered, progenitor familiae Hereditarum Num. 26,40 (אֶרֶד, 'Αδάρ).

ADDI ('Αδδεί), filius Cosan et pater Melchi in genealogia Christi Luc. 3,28.

ADDO 1. Idem atque ADAIA 2.

2. Pater Ahinadab unius ex duodecim praefectis Salomonis (3 Reg. 4,14; עִדֹּא, Σαδδώ, B 'Αχέλ, A Σαδώκ).

3. Propheta in regno Iuda tempore Roboam et Abia regum (2 Par. 12,15; 13,22 עִדּוֹ, 'Αδδώ et 2 Par. 9,29 יֶעְדּוֹ, *Qeri* יעדו; 'Ιωήλ). Eius scripta deperdita sunt.

4. Sacerdos cum Zorobabel Babylone reversus (Neh. 12,4), pater Barachiae et avus Zachariae prophetae (Esdr. 5,1; 6, 14; Zach. 1,1. 7). Scribitur Zach. 1,1 עִדּוֹ, aliis locis עִדּוֹא, LXX 'Αδδώ. Insuper v. ADAIA 9.

ADDON urbs v. ADON.

ADDUS urbs v. ADIADA.

ADEODATUS scribitur mendose in *Vulg.* 2 Reg. 21,19 : « Percussit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethaeum » et 1 Par. 20,5 : « Percussit Adeodatus filius saltus Bethlehemites fratrem Goliath Gethaei ». Textus hebraicus 2 Reg. 21,19 corrupte legit : « Percussit Elchanan filius Iaare Oregim Bethlehemites Goliath Gethaeum », sed genuinum sensum praebet 1 Par. 20,5 : « Percussit Elchanan filius Iair Lachmi fratrem Goliath Gethaei »; idem LXX. Vide. ELCHANAN 1.

ADIADA, ADDUS, HADID (הָדִיד, Esd. 2,33 Λοδαδί, Neh. 7,37 Λοδαδίδ per fusionem cum nomine Lod), una urbs in campestribus Iuda seu Sephela sita. Urbium Lod, Hadid, Ono viri 725 (721) duce Zorobabel e captivitate redierunt (Esdr. 2,33, B 'Αρώθ, A Λοδ 'Αδίδ; Neh. 7,37, B 'Αδιά, A 'Αδίδ). Post captivitatem Hadid (א 'Αδώδ) a Beniaminitis habitabatur (Neh. 11,34). Aetate machabaica sicut Ascalon et Ioppe, ita etiam Adiada ('Αδιδά) a Simone Mach. munita est (1 Mach. 12,38). Brevi post idem Simon apud Addus (ἐν 'Αδιδᾷ, A ἐν 'Αδίδοις) Tryphonem ducem Syrorum prohibuit, quominus ex Sephela in montana Iudaeae irrumperet (1 Mach. 13,13); cf. *Flav. Ioseph.* Ant. XIII. 6,5 : Addida ('Αδδιδα) in monte posita, cui subiecta erant Iudaeae campestria. Anno circiter 85 a. Ch. Aretas III. rex Arabum Alexandrum Iannaeum apud Adida ('Αδιδα) profligavit (Ant. XIII. 15,2). Vespasianus, ut Ierusalem circumquaque cingeret, apud Iericho et Adida (ἐν 'Αδίδοις) castella exstruxit (Bell. iud. IV. 9,1). Haud dubie eadem urbs est, quae in Onomast. (*ed. Lag.* 220,4; 93,1) dicitur

Ἀδαθά, Aditha iuxta Diospolim (Lyddam) quasi ad orientalem plagam respiciens. Agnoscitur hodiernus vicus *el-Haḍîthe* 4 km orientem versus ab *el-Ludd* (Lydda, Lod).

Quodsi Adiada 1 Mach. 12,38 in Sephela fuisse dicitur, intellegitur Sephela septemtrionalis, quae a Sephela meridionali seu inferiore distinguenda est; cf. *Mishna* (Shebiith 9,2), quae distinguit inter campestria Lyddae et campestria austri.

Cf. *Raumer*, Palaestina *ed.* 4, p. 168 s.; *Guérin*, Samarie II. 64-67; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 297. 322 et *Conder and Kitchener*, Large Map, sheet XIV, Reduced Map, sheet 10; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land p. 160 et Plate I. IV; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 s. v.; *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, I. p. 238. 239; *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 197; *A. Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v. et Carte de la Palestine; *A. Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 85-86; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. p. 422.

ADIEL (עֲדִיאֵל). **1.** Unus ex tredecim principibus cognationum Simeon in diebus Ezechiae regis Iuda (1 Par. 4,36; Ἰεδιήλ, A Ἐδιήλ). — **2.** Sacerdos, pater vel unus ex maioribus Maasai incolae Ierusalem instauratae (1 Par. 9,12; Ἀδιήλ); fortasse est idem atque Azreel pater Amassai (Neh. 11,13). — **3.** Pater Azmoth a David gazae regiae praepositi (1 Par. 27,25; Ὀδιήλ).

ADIN (עָדִין), princeps familiae, cuius prognati Babylone redierunt numero 454 (Esdr. 2,15; Ἀδίν) vel 655 (Neh. 7,20; Ἠδίν); idem Esdr. 8,6 *Vulg.* appellatur Adan (Ἀδίν). Fortasse idem nomen est atque Adin (Ἠδίν) inter signatores foederis Neh. 10,16.

ADINA (עֲדִינָא, Ἀδινά), princeps quidam Rubenitarum tempore Davidis (1 Par. 11,42).

ADINO Eznites, heros Davidis in textu hebr. 2 Sam. 23,8 originem suam corruptioni textus debet. *F. de Hummelauer* h. l. vertit: Iesbaam, filius Hachamoni, Rosh ha-shalishim, *iste levavit hastam suam* (hebr.: iste Adino Eznites) super trecentos (?) vulneratos impetu uno.

ADITHAIM (עֲדִיתַיִם; deest in LXX), urbs tribus Iuda, in prima provincia urbium Sephelae inter Saraim et Gedera enumerata (Ios. 15,36). Onomasticon (*ed. Lag.* 220,4; 92,32) s. v. notat duos esse vicos: Adia iuxta Gazam et Aditha iuxta Diospolim; prior videtur referendus esse ad Adithaim, alter haud dubie est Adiada (vide s. v.). Praeterea *Legendre* (apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.) coniicit Adithaim esse *Hatita*, quam tabulae geographicae urbis Karnak n° 76 exhibent (cf. *Mariette*, Les listes géographiques des pylônes de Karnak, Leipzig 1875, p. 12-44) et ex illis cum Ios. 15, 33-36 collatis situm urbis approximative determinat. Ceterum urbs Adithaim e textu Ios. 15,36 videtur eliminanda esse; *F. de Hummelauer* ad h. l. emendatione adhibita vocem facit appositionem nominis praecedentis: Saraim urbs Gethaeorum.

ADIURARE adhibetur in *Vulg.* pro hebr. הִשְׁבִּיעַ eadem notione: aliquem iureiurando adigere vel iuramento obstringere, ut aliquid faciat vel promittat (cf. Gen. 24,3; 50,5; 3 Reg. 18,10); et notione latiore: aliquem obtestari, instanter rogare (cf. 3 Reg. 22,16; 2 Par. 18,15. Cant. 2,7; 3, 5 etc.).

ADIUTORIUM v. LAPIS ADIUTORII.

ADLI (עַדְלִי abbrev. ex עַדְלִיָּה; Ἀδλί), pater Saphat a David gregibus boum in vallibus pascentium praepositi (1 Par. 27,29).

ADMATHA (אַדְמָתָא, LXX omittunt), unus ex septem principibus in aula Assueri (Esth. 1,14).

ADOLEO v. INCENSUM.

ADOM (אָדָם), urbs prope quam aquae Iordanis ad instar montis intumescentes steterunt, dum Iosue cum Israelitis flumen pertransiit (Ios. 3,16). Textus hebr. legit: « Steterunt aquae descendentes desuper, adstiterunt cumulo uno elongando se valde ab Adam (*Kethîb* בְּאָדָם, sed *Qeri* מֵאָדָם cum multis mss. hebr.) urbe, quae a latere Sarthan ». LXX vertunt: Καὶ ἔστη τὰ ὕδατα τὰ καταβαίνοντα

ἄνωθεν, ἔστη πῆγμα ἓν ἀφεστηκὸς μακρὰν σφόδρα σφοδρῶς ἕως μέρους Καριαθιαρίμ (corruptio nominis Sarthan?); lectio σφόδρα σφοδρῶς supponit lectionem מאֹד מְאֹד atque multum confirmat lectionem *Qeri* מאֹד מֵאָדָם, quam *Vulgata* quoque sequitur: ab urbe quae vocatur Adom usque ad locum Sarthan. Insuper LXX et *Vulg.* loco עִיר *urbs* legerunt עַד (ἕως, *usque ad*). His suadetur maius quoddam intervallum statuendum esse inter utramque urbem et Sarthan magis aquilonem versus ab Adom abfuisse. A plerisque Adom agnoscitur, etsi cum dubio, in *Tell Dāmiye* trans Iordanem prope vadum Iordanis *el-Dāmiye* paulo infra confluentem Iaboc et Iordanis. Sarthan autem cis Iordanem quaeritur vel in monte *Qurn Ṣarṭaba* e regione urbis Adom vel longiore intervallo admisso in *Tell el-Sārem* paulo infra Bethsan (v. SARTHAN).

Cf. *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v. et Carte de la Palestine; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 387; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land. Plate I. V; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 s. v.; *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 181. 206, qui animadvertit vadum *Adam* fortasse etiam 3 Reg. 7,46 commemorari scil. supposita emendatione מַעְבֶּרֶת אדמה vadum Adam pro מַעֲבֵה הָאֲדָמָה *argilla terrae* (ita *Moore* ad Iud. 7,22).

ADOMMIM מַעֲלֵה אֲדֻמִּים; πρόσβασις Ἀδαμμίν, ἀνάβασις Αἰθαμίν; *Vulg.* ascensio Adommim, ascensus Adommim), confinium inter Iuda et Beniamin (Ios. 15,7; 18,18); ex contextu colligitur Adommim fuisse ab australi parte torrentis cuiusdam et in via, quae Galgalis seu ex valle Iordanis Ierusalem versus ducit. Onomast. S. Hieronymi (*ed. Lag.* 92,9; cf. 219,89 breviorem Eusebii descriptionem): « Adommim quondam villula, nunc ruinae in sorte tribus Iuda, qui locus usque hodie vocatur Maledomim (*Euseb.* Μαληδομνεῖ) et graece dicitur ἀνάβασις πυῤῥῶν, latine autem appellari potest ascensus ruforum sive rubrantium propter sanguinem, qui illic crebro a latronibus funditur; est autem confinium tribus Iuda et Beniamin descendentibus ab Aelia in Ierichum, ubi et castellum militum (*Euseb.* φρούριον) situm est ob auxilia viatorum; huius cruenti et sanguinarii loci dominus quoque in parabola descendentis Ierichum de Hierosolyma recordatur ». His indiciis respondet hodie *Tal'at el-Dām* (ascensus sanguinis), quo nomine locus editior ad ripam dexteram *Wādi el-Qelt* inter Iericho et Ierusalem designatur; ascensus a Iericho usque ad *Tal'at el-Dām* est continuus, inde vero Ierusalem versus varii colles montani viatoribus transcendendi sunt. Summitatem illius ascensus *Ta'lat el-Dām* occupant ruinae *Qal'at el-Dām* (castellum sanguinis) dictae, quod castellum medio aevo exstructum esse putatur, sed probabilissime situm castelli militaris, cuius Onomasticon meminit, nobis indicat. Ibidem infra castellum invenitur magnum xenodochium seu diversorium *Khān el-Ḥaṭrūr* appellatum. Traditio hoc loco situm fuisse dicit diversorium (πανδοχεῖον, *Vulg.* stabulum) in parabola boni Samaritani Luc. 10,34 commemoratum; etsi enim ipsa narratio ficta esse supponatur, tamen huius praesertim parabolae peculiare videtur, quod circumstantiae loci parabolam illustrantes ex vero desumptae sint. Ceterum itineraria antiquiora istam traditionem ignorant neque aliud quidquam dici potest, quam probabiliter ibidem inter Jerusalem et Iericho iam ab antiquissimis temporibus fuisse diversorium (*L. Fonck*).

Etymon ascensus Adommim (אָדַם *rubuit*, אָדֹם *rufus*) S. Hieronymus explicat a sanguine, qui illic crebro fundebatur; recentiores vero rationem geologicam illius loci assignant, scilicet saxa rubri coloris, quae a colore subalbido ac flavescente locorum vicinorum satis discrepant (cf. *de Saulcy*).

Cf. *Felicis Fabri* Evagatorium, *ed. Hassler* II. p. 78 s.; *de Saulcy*, Voyage en Terre Sainte I. p. 193; *Guérin*, Samarie I. 150-159; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 172; 207-209; *Riess*, Bibel-Atlas Tab. VIII; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land p. 265; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. p. 7 s.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, II. 308 s., qui traditionem de diversorio boni Samaritani refert

ad *Khān el-Aḥmar*; *L. Fonck*, Die Parabeln des Herrn im Evangelium, Innsbruck 1902, p. 573. 579.

ADON, ADDON (Esdr. 2,59 : אַדָּן ; Ἠδάν; Neh. 7,61 : אַדּוֹן; Ἠρών), urbs chaldaica, de qua aliqui Israelitae duce Zorobabel in Iudaeam redierunt, qui originem suam israeliticam ex genealogiis demonstrare non poterant. Sunt qui putent locis citatis Cherub, Addon et Emer (Emmer) esse nomina personarum, non locorum vel regionum; hoc tamen vix admitti potest, cum versu proximo (Esdr. 2,60 et Neh. 7,62) filii Dalaia, filii Tobia, filii Necoda in specie recenseantur, postquam in genere dubium illud de eorum genealogia propositum est. Alia quaestio est, sitne fortasse Cherub-Addon-Emmer una regio; hoc suaderi videtur parallelismo, quo tria genera Dalaia, Tobia, Necoda tribus regionibus Thelmela, Thelharsa, Cherub-Addon-Emmer corresponderent. Attamen idem fere parallelismus servatur, si Cherub, Addon et Emmer supponuntur fuisse tria oppida vicina a filiis eiusdem generis habitata. In quanam parte Babyloniae fuerint, ignoramus. — Esdras graecus (apocryphus) haec tria nomina in duo contraxit et personarum esse supposuit (LXX 1 Esdr. 5,36 ἡγούμενος αὐτῶν Χαραθαλὰν καὶ Ἀλλάρ, *Vulg.* 3 Esdr. 5,36 principes eorum Carmellam et Careth).

ADONAI (אֲדֹנָי, Ἀδωναΐ LXX Iud. 13,8; 16,28). Vox hebraica de solo Deo dicitur; notio eius est : Dominus (proprie Dominus meus; cf. Ps. 35,23; sed vis pronominis plerumque iam non sentitur, uti similiter in syriaco מרי et gallico Monsieur etc.). In Vulgata Adonai legitur Ex. 6,3 : nomen meum Adonai non indicavi eis, quo loco ex hebraeo explica : secundum nomen meum Iahwe non scitus sum eis, scil. Abraham, Isaac et Iacob i. e. Deus ut El shaddai, ut Deus omnipotens dedit promissa patriarchis de terra Chanaan possidenda, sed ut Iahwe, ut is qui est, ea promissa in opus deducit; cum itaque patriarchae impletionem non viderint, Deum tamquam qui compleat et exsequatur promissa non sunt experti; quare dicit Deus l. c. se illis ut Iahwe non esse experimento cognitum. Atque scire Iahwe eum habere sensum statim colligitur Ex. 6,7 et plurimis illis locis apud Ezechielem : et scient quia ego Iahwe, qua formula minae ac promissiones absolvi et claudi solent. Eodemque sensu dicitur scire nomen Iahwe. Nullibi tamen sermo est de ipsa eius enuntiationis cognitione qua tali, ac si nomen Iahwe plane fuisset incognitum ante Ex. 6,3. Legitur praeterea in Vulgata Iudith 16,16 : Adonai Domine magnus es tu (LXX solum κύριε μέγας εἶ). De decem Dei nominibus agit S. Hieronymus in ep. 25; septimo loco ponit « Adonai quem nos Dominum generaliter appellamus » (*M.* 22,429). In textu massorethico יהוה tetragrammaton generatim punctis vocalibus ab Adonai sumptis instruitur (accipit puncta ab Elohim et Elohim legi solet, quotiescumque sequitur Adonai); in LXX et Vulgata idcirco κύριος, Dominus exprimitur.

ADONIAS (אֲדֹנִיָּה, אֲדֹנִיָּהוּ; Ἀδωνίας, Ἀδωνία, 2 Reg. 3,4 Ὀρνία, Neh. 10,16 Ἀδανιά). **1**. Quartus filius David, Hebrone genitus ex matre Haggith (2 Reg. 3,4; 1 Par. 3,2). Ultimo vitae tempore Davidis affectabat regnum; mortem iam obierant filius David primogenitus Amnon et tertius Absalom, probabilius etiam secundus Cheleab (cuius nulla mentio fit praeter 2 Reg. 3,3 et 1 Par. 3,1 quo loco Daniel vocatur). Adoniae partes adiuvabant Ioab et Abiathar sacerdos. Verum David per Nathan prophetam edoctus, quod antea iam constituerat, tum statim fieri iussit; Salomon scilicet rex unctus et cum ingenti populi gaudio palam declaratus est. Qui autem Adoniam secuti erant, territi ab eo fugerunt. Adonias timens Salomonem asyli locum petiit ac tenens cornu altaris a Salomone in pace dimissus est, adiecta tamen comminatione mortis subeundae, si in posterum malum in ipso inventum fuerit (3 Reg. 1,5 s. 2,28). Neque defuit exsecutio; Adonias cum uxorem sibi peteret Abisag Sunamitidem (quae Davidi seni ministraverat eumque dormientem foverat 3 Reg. 1,1-4), iussu Salomonis per Banaiam interfectus est (3 Reg.

2,13 s.); ea quippe petitione regnum appetere videbatur et hoc modo Salomon petitionem intellexit (2,22: nam Absalom quoque ad concubinas David ingressus thronum patris se usurpare declarat; cf. 2 Reg. 16,21. 22).

2. Unus ex levitis, quos Iosaphat rex cum aliis viris nobilibus misit, ut populum docerent et idololatriam exstirparent (2 Par. 17,8).

3. Unus ex principibus populi, qui cum Nehemia signatores foederis renovati erant Neh. 10,16 [17].

ADONIBEZEC (אֲדֹנִי־בֶזֶק i. e. dominus Bezec, Ἀδωνιβέζεκ), rex urbis chananaeae Bezec, a tribu Iuda oppressus et captus. Praecisis pollicibus ludibrio habitus ipse fatetur iustam crudelitatis suae poenam ab infenso numine sibi esse inflictam. A Iudaeis ad oppugnationem Ierusalem progressis captivus abducitur et paulo post in ipsa urbe expugnata mortuus est (Iud. 1,5-7). Sunt qui duce Flav. Iosepho (Ant. V. 2,2) Adonibezec (*ed. Niese* Ἀδωνιζέδεκος) commune nomen regulorum civitatis Bezec (*ed. Niese* Ζεδέκη) fuisse putent, sicut nomen Pharao regum Aegypti; alii illud pro nomine proprio accipiunt (cf. simile nomen proprium Adonisedec Ios. 10,1 ubi LXX mendose legunt Ἀδωνιδέζέκ). De urbe Bezec vide s. v.

ADONICAM (אֲדֹנִיקָם, Ἀδωνικάμ), princeps familiae, cuius filii 666 (Esdr. 2,13) vel 667 (Neh. 7,18) cum Zorobabel ex captivitate redierunt; quibus accedunt 60 filii Adonicam, qui Esdra duce redierunt (Esdr. 8,13).

ADONIRAM (אֲדֹנִירָם) sive **ADURAM** אֲדוֹרָם 2 Reg. 20,24 et 3 Reg. 12, 18; הדורם 2 Par. 10,18; LXX Ἀδωνιράμ. Erat praepositus super tributa solvenda tempore Davidis (2 Reg. 20,24), Salomonis (3 Reg. 4,6; 5,14), Roboam (3 Reg. 12,18; 2 Par. 10,18). A Roboam missus est, ut decem tribus contra regem irritatas sedaret ac reduceret; populus vero lapidibus obrutum interfecit.

ADONIS idolum. Bene usus est eo nomine S. Hieronymus in translatione loci Ez. 8,14, ut scil. lectores latini intellegerent qualem cultum etiam mulieres exercuissent: mulieres sedebant plangentes Adonidem; in hebr. Tammuz תַּמּוּז, LXX Θαμμούζ. Fabula est Adonidem iuvenem pulcherrimum amatum esse a Venere ideoque a Marte in venatione immisso apro esse occisum. Adnotat S. Hier. ad Ez. 8,14: quia iuxta gentilem fabulam in mense iunio amasius Veneris occisus et deinceps revivisse narratur, eundem iunium mensem eodem appellant nomine (תמוז) et anniversariam ei celebrant sollemnitatem, in qua plangitur a mulieribus quasi mortuus et postea reviviscens canitur atque laudatur. Cultus eius praecipue celebrabatur in urbe Byblo in Phoenicia, unde Adonis etiam vocatur Byblius Adon, sed praeterea quoque in magna Asiae parte, in Aegypto, Graecia, Romae. Cum Ez. 8,1 visio prophetae attribuatur mensi sexto, concluserunt aliqui in Palaestina illam sollemnitatem non mense iunio sed septembri esse celebratam; sed cum ea visione omnia genera idololatriae quibus Iudaei iram et ultionem Dei provocabant *per modum visionis* (cf. v. 7. 8) exhibeantur, uti dici nequit ea solum mense sexto in quinta die mensis esse exercita, ita nihil pro tempore planctus illius colligi potest. Post luctum (quo tempore Bybli mulieres se prostituebant una die peregrinis; cf. *Lucianus*, de Syria dea n. 6) sequebantur dies lasciviae maximae. Cum voce Tammuz componunt assyriologi nomen mensis Du-u-zi (quod Dumuzi quoque scriptum reperitur) in inscriptionibus babylonicis; praeterea in carmine quod descensus Istar dicitur mentio fit Dumuzi, sponsi Istar et luctus pro eo (cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old. Test. II. p. 120. 315). Nomen Adon, Adonis petitum est ex semitico אָדוֹן; mortuum enim plangere solebant clamantes הוֹי אָדוֹן וְהוֹי הֹדָה (cf. Ier. 22,18). Et de tempore posteriore accipe quae scribit S. Hier.: ab Hadriani temporibus usque ad imperium Constantini per annos circiter 180 in loco resurrectionis simulacrum Iovis, in crucis rupe statua ex marmore Veneris a gentibus

posita colebatur... Bethleem nunc nostram et augustissimum orbis locum lucus inumbrabat Thamuz, id est, Adonidis, et in specu ubi quondam Christus parvulus vagiit Veneris amasius plangebatur (epist. ad Paulinum 58,3; *M.* 22, 581). Ceterum vide *Movers*, Phoenizier I. p. 195; *Scholz*, Goetzendienst und Zauberwesen 1877, p. 217 s.

ADONISEDEC (אֲדֹנִי־צֶדֶק *dominus iustitiae*, LXX mendose Ἀδωνιβεζέκ), Amorrhaeus, rex Ierusalem, qui cum aliis quattuor principibus Amorrhaeorum contra Iosue foedus pepigit. Dum quinque reges foederati Gabaon urbem oppugnant, Iosue de Galgalis ascendens eorum exercitus percussit et usque Azecam ac Macedam persecutus est. Quinque reges, qui in spelunca apud Macedam urbem se absconderant, inde extracti et super quinque stipites suspensi sunt. Cum sol occumberet, de patibulis depositi et in speluncam, in qua latuerant, proiecti sunt (Ios. 10,1-27).

ADOPTIO FILIORUM (υἱοθεσία). Homo natura sua est servus Dei. Sola Dei liberalitate et benignitate adoptatur a Deo in filium. Haec vero adoptio in s. litteris praesertim duobus modis nobis exhibetur. Priore modo magis improprio totus populus Israel, quem Deus secundum promissa patriarchis facta sibi elegit in peculium de cunctis populis (Ex. 19,5), appellatur filius Dei : haec dicit Dominus : filius meus primogenitus Israel (Ex. 4,22) et Moyses iubetur nomine Dei dicere id ad Pharaonem et : dimitte filium meum. Sicut totus populus ea appellatione honoratur, ita eadem de singulis quoque adhibetur : filii estote Domini Dei vestri (Deut. 14, 1) et Deus conqueritur apud Isaiam : filios enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me, et : affer filios meos de longinquo et filias meas ab extremis terrae (Is. 1,2; 43,6); similiter orasse scribitur Salomon : tu elegisti me regem populo tuo et iudicem filiorum tuorum et filiarum (Sap. 9,7; cf. 12,19. 21; 18, 4). Peculiari autem ratione rex qui sedet super solium Domini in Ierusalem (1 Par. 28,5) dicitur filius Dei; « ipsum enim elegi mihi in filium et ego ero ei in patrem » (1 Par. 28,6; cf. 2 Reg. 7, 14; 1 Par. 22,10; Ps. 88,27. 28). Sensu itaque theocratico haec υἱοθεσία accipienda est, quatenus Deus populum Israel prae reliquis sibi elegit in regnum sacerdotale (Ex. 19,6) et de hac adoptione loquitur apostolus Rom. 9,4 : quorum adoptio est filiorum. Qua necessitudine populus Israel cum Deo coniungatur, aliter quoque exprimitur, si Deus vir, maritus, populus sponsa, uxor appellatur. Sensu etiam magis improprio aliae quoque gentes, utpote a Deo creatae, nomine filiorum designantur; ita Ier. 3,19 Deus enuntiat consilium suum quod de populo suo exaltando conceperat : ego autem dixi : quomodo ponam te in filios i. e. statuerat eum exaltare prae reliquis filiis; eodemque modo Israel dicitur filius Dei primogenitus (Ex. 4, 22).

Altero modo et sensu multo sublimiore dicuntur filii Dei iusti qui gratia sanctificante praediti et inhabitatione Spiritus sancti donati participes effecti sunt naturae divinae (2 Petr. 1,4) ideoque vero aliquo sensu filii adoptivi Dei vocantur. Hi sunt filii Dei et ut filii heredes, isti spiritum adoptionis habentes clamant : abba pater (Rom. 8,14-17). Quam adoptionem ut consequeremur Deus misit Filium suum factum ex muliere (Gal. 4,4. 5), nam per Iesum Christum Deus nos in adoptionem filiorum praedestinavit (Eph. 1,5) et eam adoptionem consequimur eo quod in Christum baptizati Christum induimus (Gal. 3,26. 27), qua dignitate per baptismum in Christum accepta praecellimus prae sanctis veteris foederis; illi quippe erant filii sub tutoribus et actoribus constituti (Gal. 4,1 s.), nos autem filii quos Christus in libertate constituit; quare minimus quoque in regno messiano maior est Ioanne Baptista, non utique sanctitate, sed dignitate illa quae ex baptismo in Christum redundat (Matth. 11,11). Sensu plenissimo dicitur adoptio filiorum Rom. 8,23, quando scil. vita mortali transacta filii Dei in gloria et beatitate animae et corporis conformes erunt imagini Filii unigeniti Dei, quae est revelatio filiorum Dei (Rom. 8,19); nam « nunc filii Dei sumus et

nondum apparuit quid erimus; scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus quoniam videbimus eum sicut est » (1 Ioan. 3,2). Filii heredes sunt bonorum paternorum; quare nos quoque heredes Dei vocamur qui scil. destinati sunt consortes fieri ipsorum bonorum divinorum in visione beatifica et ad hanc participationem gloriae divinae dirigitur haec adoptio filiorum.

In Vulgata bis de adoptione inter homines fit mentio: Ex. 2,10 filia Pharaonis puerulum Moysen « adoptavit in locum filii » hebr. : et erat ei in filium; et Esth. 2, 7 Mardochaeus sibi eam (Esther) adoptavit in filiam (item v. 15), hebr. : accepit eam sibi in filiam. Ceterum adoptionem proprie dictam cum iis effectibus, quos v. g. lege romana et ecclesiastica statui videmus, Iudaei ignorabant. Ad conciliandam inter se genealogiam Iesu apud Matthaeum et Lucam S. Augustinus inter alia etiam dixerat Iosephum habere potuisse unum patrem a quo genitus, alterum a quo adoptatus esset (De cons. evang. 2,3; quaest. ev. 2,5; *M.* 34, 1072; 35, 1335); verum eam explicationem non consistere postea intellexit (Retract. 2, 17; *M.* 32, 633).

ADOR v. ADURAM.

ADORAM הֲדוֹרָם. **1.** Quintus filius Iectan (1 Par. 1,21; B omitt., A Κεδουρά). Idem Gen. 10,27 *Vulg.* Aduram, LXX Ὀδορρά. Ubinam hic sedes fixerit, non eadem certitudine statui potest ac de compluribus aliis filiis Iectan. *Bochartus* putaverat populum Adramitarum ab Adoram descendere, Chatramotitas vero in Hadramaut seu Chatramitide residentes ab Asarmoth tertio filio Iectan. Sed re accuratius perpensa Adramitas eosdem esse cum Chatramotitis perspexit, unde conclusit Adoram sedes fixisse in extremo Arabiae angulo versus orientem (Phaleg 2,20). Res non liquet. Aliqui Adramitas (*Ptolem.* VI. 7,10) distingui volunt ab Atramitis (*Plin.* VI. 28, 155; XII. 14, 52 Astramitae) et utrosque a Chatramotitis, alii omnem distinctionem illorum populorum negant. Quidquid est de Adramitis, quos ad Adoram referre poteris, saltem Atramitae et Chatramotitae iidem videntur et communiter referuntur ad Asarmoth (vide s. v.) progenitorem.

2. Filius Thou regis Hemath (1 Par. 18,10 Ἀδουράμ; 2 Reg. 8,10 יוֹרָם, Ἰεδουράμ, Ioram : ad Davidem missus est, ut ei nomine Thou patris sui de clade Adarezer regi Soba inflicta congratularetur ac vasa aurea, argentea, aerea dono offerret. Apud *Flav. Iosephum* (Ant. VII. 5,4) vocatur Ἀδώραμος.

ADORARE, ADORATIO (הִשְׁתַּחֲוָיָה, προσκυνεῖν) adhibetur in s. litteris notione generali aliquem submisse venerandi et honorandi. Quae veneratio exprimitur inclinatione corporis, prostratione in terram; quo sensu saepissime reperitur; ita Abraham adorat populum terrae filios scil. Heth Gen. 23,7, Iacob et uxores eius adorant Esau (Gen. 33, 3 s.); intellegi adoratione inclinationem elucet eo quod v. g. dicitur : vestros manipulos circumstantes adorare manipulum meum, solem et lunam et stellas undecim vidi adorare me (Gen. 37,7. 9). Haud raro quoque additur : adoravit pronus in terram, procidens in terram, procumbens; adoravit super faciem terrae, prono vultu, super terram (ארצה i. e. in terram inclinatus), corruens in terram adoravit etc.; cf. Gen. 19,1; 33,3; 43,26; 50,18; Ruth 2,10; 1 Reg. 24,9; 25,23. 41; 28,14 etc. etc. Saepissime autem iis dictionibus designatur cultus religiosus et honor qui Deo Domino exhibetur; v. g. Gen. 24,26 inclinavit se homo et adoravit Dominum; 47,31 adoravit Israel Dominum; Ex. 4,31 proni adoraverunt; 1 Reg. 1, 19 adoraverunt coram Domino. Eadem notio habetur iis in locis quibus cultus idolorum, solis, militiae coeli prohibetur; cf. Ex. 20,5; 23,24 non adorabis deos eorum; 34,14 noli adorare deum alienum; Lev. 26,1; Deut. 4,19 etc., atque hisce satis quoque exprimitur exsistere cultum et honorem qui nulli rei creatae, sed soli Deo exhiberi possit ac debeat; id quod conceptis quoque verbis declaratur : Deus tuus unus est, non habebis deos alienos (Ex. 20,3; Deut. 5, 7; 6,4 s.).

Adoratio autem et cultus qui soli Deo debetur exprimitur dictione *invocare*

nomen Domini i. e. Deum celebrare, laudare (cf. Gen. 4,26; 12,8; 21,33; 26, 25; 3 Reg. 18,24; Is. 64,7; Ioel 2, 32 etc.); re autem exprimitur sacrificiis, quibus scil. Deus agnoscitur et colitur tamquam summus omnium rerum dominus, tamquam largitor bonorum; simul cum sacrificiis offerebantur preces (cf. 1 Par. 23,30). Praeterea soliti erant pii Israelitae crebro fundere orationes (v. ORATIO).

In Novi Testamenti libris Cornelius centurio romanus procidens ad pedes Petri adoravit, maxima scil. reverentia Petrum ut nuntium Dei sibi missum coluit, quem tamen honorem ille declinavit dicens cum eum elevaret : surge, et ego ipse homo sum (Act. 10,25. 26). Ioannes quoque, cum angelus ad eum loqueretur, cecidit ante pedes eius, ut adoraret eum (Apoc. 19,9; 22,8), id quod ne faceret ille prohibuit. Qui ad Christum accedunt favorem vel miraculum petentes eum adorant (cf. Matth. 8, 2; 9,18; 14,33; 15,25 etc.); magi infantem procidentes adoraverunt; caecus ille a nativitate, postquam sanatus et de Iesu Filio Dei edoctus est, procidens adoravit eum (Ioan. 9,38) etc. Quibus in locis singulis accurate dispiciendum erit quo sensu *adorare* accipi possit et debeat; neque enim supponi potest qui miraculum vel favorem a Iesu expetebant eum iam cognovisse Deum; verum sane plerumque eum venerabantur sicut propheta a Deo missus coli solebat; et si eum etiam tamquam Messiam agnoscebant, nondum sequitur eos naturam quoque eius divinam novisse. Nihilominus fieri potest, ut aliqui vero sensu eum adoraverint; nam Iesus, uti ex evangelio Ioannis cumprimis patet, clare suam naturam divinam et aequalitatem cum Patre asseruit (Ioan. 5,21 s. 8, 58; 10,30 s.), quod cum Iudaei maligni optime intellegerent (Ioan. 10,33), cur non etiam ii qui in eum credebant? Neque absonum erit supponere alios, uti magos (Matth. 2,11), fuisse singulari illustratione superna edoctos. In notione cultus latriae qui soli Deo debetur ipse Iesus docens ea voce saepius utitur (Ioan. 4,20 s.) et veram adorationem fieri debere iubet in spiritu et veritate, id quod Iesus eo loco opponit adorationi i. e. cultui divino per sacrificia vetera exercito in monte Garizim et in Ierusalem; unde declarat novum cultum Dei in regno messiano fieri modo longe excellentiore, in spiritu i. e. enasci debet ex illo spiritu quem Deus ipse promisit se daturum tempore messiano : dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri et *spiritum meum* ponam in medio vestri (Ez. 11,19 et 36,26. 27), qui spiritus clamat et postulat et desiderat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (Rom. 8,26) et postulat secundum Deum pro sanctis (v. 27); in veritate : vetera enim sacrificia in Ierusalem oblata umbra solum erant et figura ad emundationem carnis neque auferre poterant peccata neque offerentem facere perfectum (Hebr. 9,13; 10,1 s.); huic autem umbrae in regno messiano succedit ipsa imago rerum, ipsa veritas (Hebr. 10,1), ipsum scil. opus redemptionis in oblatione corporis Christi peractum, qui sua oblatione consummavit sanctificatos (Hebr. 10,14). Unde adoratio vera fit in intima coniunctione cum hac una oblatione. Et quia regnum messianum debet esse universale, eo ipso concidit lex illa qua pro cultu sacrificali unum solum statuebatur templum in centro theocratiae veteris; id quod Iesus pariter exponit Ioan. 4,21. 23.

Quanto autem studio et quanta reverentia et assiduitate adoratio Dei peragenda sit, sublimi modo nobis proponitur in Apocalypsi 4,8-11; 7,11. 12; 11, 16. 17; 14,7; 15,4; 19,4 : et ceciderunt seniores viginti quattuor et quattuor animalia et adoraverunt Deum sedentem super thronum dicentes : amen, alleluia; et 7,12 : benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum, amen. Ipsa autem adoratione Deus agnoscitur et colitur ut summus omnium dominus, creator omnium et finis omnium (Rom. 11,36 quoniam ex ipso et per ipsum et in ipsum [εἰς αὐτὸν] sunt omnia; ipsi gloria in saecula).

I. KNABENBAUER.

ADRAMELECH (אַדְרַמֶּלֶךְ, Ἀδραμέλεχ).

1. Idolum eorum qui erant de Sepharvaim: hi cultum Adramelech in Samaria secum transtulerunt, cum a rege Asarhaddon ea in regione pro filiis Israel essent collocati (4 Reg. 17,31). Nomen idem est quod assyriacum *Adar-malik*: Adar est rex; Adar deus saepe commemoratur inter deos assyriacos. Cum 4 Reg. 17,31 dicatur combustos esse filios Adramelech igni, istud idolum similitudinem quandam habet cum Moloch. Vocem Adar, primitus Atar esse originis accadicae et significare *patrem determinationis* refert *Schrader-Whitehouse* (Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 276). Antea aliae proponebantur explicationes: rex praeclarus; rex astutus aramaice *daram*; imo ex neo-persico *adhar*: ignis regis, ignis regius.

2. Filius Sennacherib regis, qui simul cum fratre suo Sarasar patrem, cum in templo Nesroch adoraret, gladio percussit: parricidio patrato fugerunt ambo in terram Ararat (4 Reg. 19,37; Is. 37, 38), quae regio apud Assyrios *Urartu* dicitur et planitiem significat, quam Araxes fluvius permeat; post Sennacherib regnum obtinuit filius eius Asarhaddon. Haec ex S. Scriptura. Eandem rem narrat *Abydenus* apud Eusebium (Chronicon I. *M.* 19,123; cf. *ed. A. Schoene* I. p. 35 nota 6 hoc modo: Sennacherib ab Adramelo filio occisum esse eique in regno successisse Nergilum, hunc autem ab Axerde fratre interfectum esse. Quae narratio satis congruit ratione habita nominum cum sacris litteris. Nam Adramelus certe est Adramelech, Axerdis est Asarhaddon. At Nergilus? Nomen reperitur in inscriptionibus cuneiformibus *Nirgal-sar-usur* (Nirgal regem protege) i. e. Neriglissor (Νηριγλίσσαρος apud *Flav. Ios.* cont. Ap. 1,20 *ed. Niese*). Coniicere licet nomen filii Sennacherib integrum fuisse *Nirgal-sar-usur*, cuius unam partem (Nergil) nobis servaverit *Abydenus*, alteram (Sarasar) S. Scriptura. — Alexander Polyhistor apud Eusebium (Chronicon I. *M.* 19,118; cf. *ed. Schoene* I. p. 27 ex tribus filiis nonnisi unum nominat, qui Sennacherib interfecerit, cui nomen Ardumusanus seu Ardumuzanus i. e. Adramelech. Cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. II. p. 15.

ADRAMYTTIUM v. ADRUMETINA.

ADRIA. Navis, qua S. Paulus Romam vehebatur, inter Caudam (Καῦδα, ad meridiem Cretae et Melitam (Malta) fluctibus agitabatur in Adria, ἐν τῇ Ἀδρίᾳ (Act. 27,27). Adriaticum nunc dicitur mare inter Italiam, Dalmatiam, Illyriam. Alius autem erat antiquus usus loquendi. Flavius Iosephus (Vita 3), cum ex Iudaea in Italiam navigaret, naufragium passus in medio sinu Adriatico κατὰ μέσον τὸν Ἀδρίαν alia navi exceptus est, quae Cyrenis Puteolos vela faciebat; haec igitur iisdem fere in aquis versabatur ac navis S. Pauli Act. 27,27. Apud Ptolemaeum (VIII. 9,2; III. 15,1; 17,1 [*ed. Muller-Fischer* 14,1; 15,1]) mare Adriaticum est inter Siciliam, sinum Corinthicum et Cretam. Cf. *Patrizi, Felten, Knabenbauer* ad Act. 27,27.

ADRUMETINA scil. navis (Act. 27, 2). S. Paulus aliique captivi Romam ducendi Caesareae navem mercatoriam conscendere iussi sunt, quae ad urbem Adramyttium pertinebat (πλοῖον Ἀδραμυττηνόν, navis Adrumetina). Eligebatur navis, quae Adramyttium revertens ad varios Asiae Minoris portus appellebatur, quo facilius navis Romam navigatura inveniri posset; Myrae in Lycia ad ostium Andriaci (*Andraki*) fluminis Iulius centurio navem Alexandrinam in Italiam tendentem invenit (Act. 27,5. 6). — Adramyttium est urbs maritima Mysiae ad sinum Adramyttenum sita; Lesbus insula sinum ab Archipelago protegit et portum naturalem efformat, ad quem ex utraque insulae parte fauces angustae aditum praebent. Inde ab aetate regum Pergamenorum Adramyttium erat emporium celebre. Tempore S. Pauli ibidem erat forum seu conventus iuridicus, cuius iurisdictio usque Apolloniam ad Rhyndacum sitam sese extendebat (*Plin.* V. 30,122. 123). Aliqui veri simile esse putant S. Paulum in secundo suo itinere, cum a Galatia per Mysiam Troadem proficisceretur, etiam Adramyttii fuisse (Act. 16,6. 7). Hodiernus vicus *Adramiti* seu *Edremid* a litore remotior nomen urbis antiquae sortitus est, sed urbs Adramyttium posita erat in colle iuxta mare ab Eveno fluvio meri-

diem versus. Cf. *Pauly-Wissowa*, Real-Encycl. der klass. Altert. s. v.

ADULLAM v. ODOLLAM.

ADULTERIUM v. MATRIMONIUM.

ADURAM (2 Par. 11,9 : אֲדוֹרַיִם; Ἀδωραί, A Ἀδωραίμ) et

ADOR (1 Mach. 13,20 : Ἄδωρα, urbs tribus Iuda a Roboam munita (2 Par. 11, 9; *Flav. Ioseph.* Ant. VIII. 10,1 : Ἀδωραίμ). Tryphon Syrorum dux cum a montanis Iudaeae per Simonem Mach. arceretur, longiore per Sephelam circuitu Ador usque progressus est, ut ab austro contra Ierusalem ascenderet (1 Mach. 13,20; Ant. XIII. 6,5 : Ἄδωρα). Haec ex S. Scriptura innotescunt, reliqua ex Flav. Iosepho. Anno 128 a. Chr. cum Antiochus VII. Sidetes in bello Parthico occubuisset, Adora (Ἄδωρα) a Ioanne Hyrcano Syris erepta est aeque ac Marissa, quacum apud Iosephum simul nominari solet (Ant. XIII. 9,1). Annis 57-55 a. Chr. urbes, quas Iudaei post tempus machabaicum iterum subegerant ac partim deleverant, a Gabinio proconsule restitutae sunt, inter quas Marissa et Dora (Ant. XIV. 5,3 : Ἄδωρα) seu Adoreus (Bell. iud. I. 8,4 : Ἀδώρεος). — Nunc vicus *Dūra* 9 km a Hebron occidentem versus.

Cf. *Guérin*, Judée III. 353-355; *Robinson*, Palaestina III. p. 209; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 301. 304. 305 et *Conder and Kitchener*, Large Map, sheet XXI, Reduced Map, sheet 14; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3. s. v.; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v. et Carte de la Palestine; *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 165; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 262 ; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, II. 140.

ADURAM, nomen virorum v. ADORAM 1 et ADONIRAM.

ADVENA (גֵּר, LXX plerumque προσήλυτος, saepius πάροικος, raro γειώρας), homo ex alia gente oriundus qui habitat in medio populo Israel vel generatim alienigena, peregrinus. Tamquam alienigena Lot contemnitur a Sodomitis (Gen. 19,9); Abraham tamquam advena versatur in terra Chanaan (Gen. 21,23); advena sum et peregrinus apud vos, dicit ad filios Heth (Gen. 23,4). Legislatione mosaica bene providetur protectioni et iuribus advenae : si habitaverit advena in terra vestra et moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei, sed sit inter vos quasi indigena et diligetis eum quasi vosmetipsos; fuistis enim et vos advenae in terra Aegypti (Lev. 19,33, 34) et : Deus amat peregrinum (גֵּר) et dat ei victum et vestitum, et vos ergo amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenae in terra Aegypti (Deut. 10,18. 19). Quare saepius inculcatur ne advenam opprimant, ne ius eius laedant : advenam non contristabis neque afflíges eum, advenae enim et ipsi fuistis in terra Aegypti (Ex. 22,21; cf. Ier. 7,6; 22,3; Zach. 7,10) et : maledictus qui pervertit iudicium advenae (Deut. 27,19). Advenis quoque sicut Israelitis civitates refugii subsidium et tutelam praebebant (Num. 35,15; Ios. 20,9); iis sicuti levitis e bonis terrae, e primitiis, decimis aliqua erant largienda : et epulaberis in omnibus bonis quae Dominus Deus tuus dederit tibi, tu et levites et advena qui tecum est etc. (Deut. 26,11-13). Et advenas quandoque satis divites fieri posse declaratur eo quod Israelita pauper se ei vendere potest, sed ita, ut unicuique Israelitae ius sit eum redimendi (Lev. 25,47. 48). Verum advena quoque certis adstringitur legibus; debet renuntiare idololatriae; si dederit de semine suo idolo Moloch, lapidari debet (Lev. 20,2); debet abstinere a comestione sanguinis (Lev. 17,10. 12), sed debet sanguinem ferae vel avis venatione captae effundere et operire terra (Lev. 17,13); si morticinum comederit, debet lustratione expiari (Lev. 17,15); pariter debet observare sabbatum, tempore paschali abstinere a fermentato, diem expiationis observare ieiunio et cessatione ab opere, item annum observare sabbaticum (cf. Ex. 12,19; 20,10; 23,12; Lev. 16,29; 25,6); in deserto debebant pariter cum Israelitis si mactare voluerint ad ostium tabernaculi mactare et offerre Domino (Lev. 17,8). Advenae quoque licuit Deum colere oblationibus et votis et ei eaedem normae erant observandae quae Israelitis prae-

scribebantur (cf. Lev. 22,18 s.; Num. 15,13. 15. 26. 29).

Quantopere advenae Deo cordi sint eo quoque demonstratur, quod iniuriae illis illatae inter scelera populi Israel gravissima recensentur Ps. 93,6 : viduam et advenam interfecerunt; Ez. 22, 7 : advenam calumniati sunt in medio tui; 22,29 : advenam opprimebant calumnia absque iudicio. — Promissiones quoque et bona messiana aeque iis a prophetis proponuntur Is. 54,15 : advena quondam tuus adiungetur tibi (cf. 14,1) et 56,3 : non dicat filius advenae qui adhaeret Domino dicens : separatione dividet me Dominus a populo suo; et profecto, cum ad omnes gentes bona messiana dicantur perventura, potiore quodam iure advenae erunt sicut indigenae inter filios Israel et divident cum iis possessionem, ut Ezechiel loquitur (47,22). — Advenae incolunt non in terra sua, sed in terra aliorum. Iam terra palaestinensis est singulari quadam ratione terra Domini. Quare ipsi Israelitae appellantur advenae Lev. 25, 23 : terra non vendetur in perpetuum, quia mea est et vos advenae et coloni mei estis (גֵרִים וְתוֹשָׁבִים); 1 Par. 29,15 : peregrini sumus coram te et advenae, sicut omnes patres nostri (cf. Ps. 38,13; 118,19).

I. KNABENBAUER.

AEGYPTUS. 1. *Nomen*. Aegyptus, graece Αἴγυπτος, vocatur regio, quae hebraice מִצְרַיִם et rarius מֵצוּר audit (יְאוֹרֵי מָצוֹר; 4 Reg. 19,24 *Vulg.* aquas clausas; Is. 19,6 et 37,25 *Vulg.* rivi aggerum; Mich. 7,12 עָרֵי מָעוּז *Vulg.* civitates munitae). Poetice eadem regio חָם dicitur (Ps. 77 [78], 51; 104 [105], 23.27; 105 [106], 22; cf. 1 Par. 4,40. *Vulg.* item Cham, atque etiam רַהַב (Ps. 86 [87], 4; 88 [89], 11 *Vulg.* superbum; Is. 30,7 *Vulg.* superbia; 51,9 *Vulg.* superbum). Pro Aegypto superiore nomen speciale פַּתְרוֹס, *Vulg.* Phatures vel Phetros occurrit, cui מִצְרַיִם tamquam appellatio Aegypti septemtrionalis opponitur (Is. 11,11; Ier. 44,1.15; Ez. 29,14; 30,14); proprie est nomen aegyptium etiam in linguam assyriacam sub forma *Paturisi* transmissum ac « terram meridionalem » designat. Origo aliorum nominum non satis videtur constare, ac praesertim nominis graeci et latini derivatio minus liquet. Vocem מִצְרַיִם plerique formam dualem a duabus terrae partibus vel duobus eius limitibus, montibus scilicet orientalibus et occidentalibus derivatam, alii formam localem vel pronuntiationem diphthongicam explicant eiusdem radicis, a qua etiam מָצוֹר ac nomina Aegypti babylonico-assyriaca *Miṣri*, *Miṣri*, *Muṣri*, *Miṣir*, *Muṣur*, syriacum מצריי, arabicum *Miṣr*, graecum Μόσρα (ap. *Steph. Byz.*) aliaque derivantur. Radicem hanc plerique semiticam, alii aegyptiacam (cf. *Ios.* Ant. I. 6,2) volunt, cui significatio muniendi (*Bochart.*) vel coercendi seu terminandi (*Gesenius*) vel circumvallandi seu occludendi (*Ebers*) conveniret, eo quod Aegyptus in parte septemtrionali urbibus munitis tamquam vallo quodam contra finitimas tribus orientales clausa sit, vel quod aggeribus et vallis adversus nimiam fluvii inundationem se defenderit. חָם vero probabiliter cum nomine aegyptiaco regionis componitur, quod in lingua coptica est ⲕⲏⲙⲉ seu ⲭⲏⲙⲓ, et a radice *Km* derivatum proprie terram *nigram*, scil. Nili undis adductam et a « rubra » terra deserti distinctam significat. De altero nomine v. RAHAB. Notandum vero, Babylonios et Assyrios eadem voce *Muṣri* et *Miṣri* praeter Aegyptum plures alias regiones designasse, tum ad orientem Assyriae, tum in Syria septemtrionali inter Orontem fluvium ac montem Taurum, tum in superiore Arabiae parte versus Palaestinam sitas. Fortassis in uno vel altero textu Scripturae, praesertim 3 Reg. 10,28 = 2 Par. 1,16 s., 4 Reg. 7,6 (v. comment.), cum *H. Winckler* loco Aegypti potius regio illa *Muṣri* in Syria septemtrionali intellegi poterit; at quae idem auctor de substituenda Muṣri arabica pro Aegypto in plurimis aliis locis audacius more suo coniicit, nullo videntur niti solido fundamento.

Incolae Aegypti hebr. מִצְרִי, plur. מִצְרַיִם (fem. מִצְרִית, plur. מִצְרִיּוֹת),

graece Αἰγύπτιοι, Aegyptii appellantur; praeterea פַּתְרוֹסִים (Gen. 10,14; 1 Par. 1,12) dicuntur incolae terrae Phatures seu Aegypti superioris.

Cf. *S. Bochart*, Geogr. Sacra I. 4,24; *H. Reland*, Palaestina I. 12 p. 62-6; *I. D. Michaelis*, Suppl. ad lex. hebr. 1542 s.; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterthumsk. III. p. 189-93; *W. Gesenius*, Thesaurus 815; *G. Ebers*, Aegypten u. d. Bücher Mose's 115 ss.; *Eb. Schrader*, Keilinschr. u. Geschichtsf. p. 246-85; *id.* Keilinschr. u. Alt. Test. *ed.* 2, 89; *Frd. Delitzsch*, Paradies 308-10; *Ad. Erman* in Zeitschr. für alttest. Wiss. X. 1890,118 s.; *H. Winckler*, Alttest. Untersuchungen, Leipzig 1892, 168-74; *id.* Altorient. Forsch. I. 24 ss. 195. 337; *id.* Muṣri, Melubba, Ma'in (Mitteil. d. Vorderas. Ges. 1898, 1 et 4); *F. Ventre Bey* in Bull. de l'Inst. Ég. III. Sér. n. 4, 1894, p. 331-8; *Fr. de Hummelauer*, *A. Dillmann* al. Comment. in Gen. 10,6.14.

2. *Descriptio.* Aegypti fines Ezechiel propheta generatim describit « a Migdol usque Syenen et usque ad terminos Aethiopiae » (29,10; 30,6 *Vulg.* a turre Syenes); Migdol enim seu Magdalum (Ex. 14,2 etc.) urbs erat in terminis Aegypti septemtrionalibus versus Palaestinam sita (v. MAGDALUM 2), Syene vero in extremitate meridionali Aegypti superioris Aethiopiam versus. Atque in hac quidem parte australi ipsa natura duce Aegypti fines communiter prope Syenen assumuntur, cum in regione syenitica montes ex utraque parte vallem Nili quasi occludant primamque seu potius ultimam fluvii cataractam efficiant. Altera ex parte mare Mediterraneum satis clare fines septemtrionales indicat; at Palaestinam versus non ita distincte termini a natura positi apparent. Satis tamen communiter ille qui in Scriptura saepe tamquam finis Palaestinae meridionalis commemoratur *torrens Aegypti* i. e. vallis Arabibus *Wādi el-'Arīsh* dicta (v. TORRENS AEGYPTI) Aegyptum a Palaestina dividere admittitur, licet fines politici hodie ulterius usque ad Raphia (*Tell Rifaḥ*) progrediantur. — Praecipua pars totius regionis inter istos terminos australem et septemtrionalem comprehensae constituitur valle Nili, ultra quam Aegyptus orientem versus generatim usque ad mare Rubrum extenditur, dum in plaga occidentali desertum Libycum terminos provinciae naturales designat. — Bifariam vero in Scriptura atque in omnibus historiae monumentis inde ab antiquissimis temporibus Aegyptiorum terra divisa apparet : altera enim pars est Aegyptus superior atque australis, alio nomine Phatures, vel tempore posteriore Thebais dicta, altera inferior est atque aquilonaris, nomine communi Aegypti comprehensa. Haec posterior septem Nili partibus irrigata, antiquitus sicut et hodie magna ex parte, praesertim iuxta litus maris lacubus ac paludibus consita, et probabiliter primis historiae temporibus omnino inhabitabilis erat. Provincia vero meridionalis, a propheta merito « terra nativitatis » Aegypti dicta (Ez. 29,14; v. *infra*), hinc inde frugiferis Nili aquis pariter alluitur, paludum autem omnino expers, praesertim versus mare Rubrum montibus variisque vallibus indolem prorsus distinctam exhibet. Utraque Aegypti pars antiquitus in plures districtus seu *nomos* distributa erat, numero fere 22 in provincia superiore totidemque in inferiore. De quibus hic ulterius agere supersedemus, cum in Scriptura non videantur commemorari. — Urbes vero in libris sacris hae fere nominantur, de quibus singuli articuli consulendi erunt : Alexandria, Beelsephon, Bubastus, Etham, Hanes, Heliopolis, Magdalum, Memphis, No, Pelusium, Phihahiroth, Phithom, Ramesses, Socoth, Syene, Tanis, Taphnis (Taphnae).

Cf. *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterthumsk. III. 189-345; *H. Brugsch*, Geogr. Inschr. altäg. Denkm., 3 voll., Leipzig 1857-60; *id.* Dictionnaire géogr. de l'anc. Egypte, ib. 1879-80; *G. Ebers*, Aegypten u. die Bücher Mose's, Leipzig 1868; *id.* Durch Gosen zum Sinai, *ed.* 2, ib. 1881; *id.* Aegypten in Bild u. Wort, *ed.* 2, 2 voll., Stuttgart u. Leipzig 1879 s.; *id.* Cicerone durch d. alte u. neue Aegypten, 2 voll., Stuttgart 1886; *Joh. Dümichen*, Geogr. d. alten Aeg. (Oncken I. 1), Berlin 1878; *id.* Zur Geogr. d. alt. Aeg. (opus posth.), Leipzig 1894; *Frd. Delitzsch*, Paradies 308-19; *Ad. Erman*, Aegypten u. aeg. Leben im Altertum, Tübingen 1885-87, praes. p. 19-50; *Fr. Kayser*, Aegypten einst u. jetzt, *ed.* 2, Freiburg 1889, praes. p. 1-22; *I.*

de Rougé, Géogr. anc. de la Basse Égypte, Paris 1890. *G. Rawlinson*, Ancient Egypt, *ed.* 5. London 1890; *W. Max Müller*, Asien u. Europa nach altaeg. Denkm., Leipzig 1893; *W. Groff*, L'Egypte et la Bible au point de vue geogr., Le Caire 1893; *Baedeker-Steindorff*, Aegypten, *ed.* 4, Leipzig 1897; *W. M. Fl. Petrie*, Syria and Egypt from the Tell el-Amarna Letters, New York 1898. Alia v. ap. *H. Jolowicz*, Biblioth. aeg., Leipzig 1858-61, n. 1-914. 2622-2653. 2676-2917. 3433-3439.

3. ***Conditiones naturales.*** Terra Aegypti « donum Nili » merito ab *Herodoto* appellatur (δῶρον τοῦ ποταμοῦ 2,5). Geologice enim considerata tribus potissimum stratis constat : solida rupe, arena superposita, limo denique undis fluvii tempore annuae inundationis adducto. Licet autem montium quoque rupes atque valles saxosae suam incolis praestent utilitatem, ingentes lapidum moles ac marmora aedificiis statuisque aptissima, aurique fodinas ac lapillos pretiosos praebendo, multo tamen maioris emolumenti est contemptibile illud Nili donum, terra scil. aquis fluvii aggesta, quae maiorem soli aegyptiaci partem constituit. Nam omnis Aegypti fertilitas ab illo dono dependet, quod plantis alendis et solum feracissimum et humorem a caelo pluviae praeparco negatum suppeditat. Praeterea idem limus praecipuam domibus aedificandis ac fingendis vasis variisque rebus formandis materiam praestat. Idem vero beneficus fluvius etiam piscium maximam copiam potumque optimum incolis praebet ac magnam per totam provinciam commercii viam constituit. — Scriptura Aegyptum tamquam regionem irriguam ac fertilissimam describit (Gen. 13,10), atque etiam inundationem annuam Nili commemorat (Am. 8,8; 9,5) eique potissimum regionis fertilitatem tribuendam innuit (cf. Gen. 41,1 ss.) et punitionem Aegypti praecipuam in exsiccandis fluvii aquis constitutam indicat (Is. 19,5 s.; Ez. 30,12; 32,14); aquas vero per canales (Is. 7,18; Ez. 30,12; 32,14) ac machinas (Deut. 11,10) etiam agris hortisque a fluvio remotis communicari, et hodiernus usus et monumenta antiqua testantur. — Terram Aegypti praecipue frumenti fertilissimam libri sacri referunt (Gen. 12,10; 41,47 ss.; cf. Ex. 16,3; Num. 20,5), in qua imprimis triticum, hordeum, far colebantur (Ex. 9, 31 s.). Praeterea « cucumeres et pepones, porrique, cepe et allia » (Num. 11,5), ac linum (Ex. 9,31), fici, vineae, malogranata (Num. 20,5; cf. Gen. 40, 9 ss. atque papyrus (Ex. 5,3 hebr.; Is. 18,2; 35,7 hebr.) inter plantas Aegypti commemorantur, quas ibidem abundasse ex monumentis et scriptoribus antiquis obvium est (v. speciales de singulis artic.). Aptissime vero Pharao eiusque potentia baculo arundineo comparatur (4. Reg. 18,21; Is. 36,6; Ez. 29,6), cum Aegyptus arundinetis abundet et insigne regium regionis septemtrionalis papyrus, arundinis species, fuerit (v. ARUNDO). — Ex animalibus vero aegyptiis in textu sacro recensentur oves et boves et asini (Gen. 12,16; 47,17; Ex. 9,3 etc.), cameli (Gen. 12,16; Ex. 9,3), equi (Gen. 47,17; 50,19; Ex. 9,3; 14,18 s.; 15, 19 etc.), canes (Ex. 11,7); praeterea crocodilus (Leviathan), sub cuius figura etiam Pharao repraesentatur (Ez. 29,3 ss.), hippopotamus (Behemoth), pisces Nili (Ex. 7,18. 21; Num. 11,5; Ios. 19,8; Ez. 29,4 s.), atque inter plagas Aegypti serpentes, ranae, scimiphes, muscae (cf. Is. 7,18), locustae nominantur (v. speciales artic.). Obiiciunt adversarii Scripturae, camelum ante Graecorum tempora non occurrere in monumentis aegyptiacis atque etiam equos satis sero in Aegyptum esse introductos. At equos, qui in Scriptura prima vice sub Iosepho commemorantur (Gen. 47,17), saltem aetate regum pastorum (*Hyksos* c. 1800-1600 a. Chr. in Aegypto fuisse omnes concedunt ideoque haud ita difficile erit, eos etiam pro tempore Iosephi, maxime in provincia Arabibus finitima, admittere; cameli vero licet in tabulis pictis et sculptis antiquioribus nondum inventi sint, tamen in textu papyraceo ex saeculo 14. a. Chr. commemorantur, atque vix erit qui neget quin apud Arabes aliosque finitimos populos etiam multo antea exstiterint. Quid igitur mirum, Abrahamo, gregum pastori ex Palaestina per Arabiae partem in Aegyptum inferiorem venienti etiam camelos fuisse, quos ex donis

ipsius Pharaonis eum accepisse Scriptura minime dicit. Praeterea argumentum ex silentio monumentorum petitum minimam habet contra Scripturae explicitum testimonium probandi auctoritatem, praesertim cum Aegyptii a camelo, qui potius tribuum impurarum orientalium proprius erat, magnopere abhorruisse ex cognita indole ipsorum rationabiliter supponantur.

Cf. de FLORA aegyptiaca *Pr. Alpini* de plantis exoticis, l. secundus, Venetiis 1627; *id.* de plantis Aegypti liber cum observ. et notis *I. Vestingii*, Patavii 1640; *P. Forskål*, Flora aegyptiaco-arabica, *ed. C. Niebuhr*, Hauniae 1775; *M. Vahl*, Symbolae botanicae, 3 tom., Havniae 1790-94; *S. de Sacy*, Relation de l'Égypte par Abd-Allatif, Paris 1810, p. 16-134; Description de l'Ég., *ed. Panckoucke*, t. XIX. Paris 1824; *Fr. Unger*, Bot. Streifzüge IV. V. VII. VIII. in Sitz.-Ber. Wien. Akad., Math.-Nat. Cl., XXXVIII. (1859), 60-140; XLV. 2 (1862). 75-88; LIV. 1 (1866), 33-62; LV. 1 (1867), 198-205; *G. Schweinfurth*, Plantae Niloticae, Berlin 1862; *id.* var. dissert. de plantis aeg. in Linnaea XXXV. 1867-68, 309-76; *A. Petermann's* Geogr. Mittheil. 1868, 113-129; 155-169. 244-8; Arch. d. sciences phys. et nat. VII. 1882, 147-9; Rev. Scientif. VI. 1883, 72-77; Nature XXVIII. 1883, 109-14; Berichte d. deutschen bot. Ges. I. 1883, 544-6; II. 1884, 357 s.; Bull. Inst. Eg. 1884 et 1886; *Engler's* bot. Jahrb. V. 1884, 189-202; VIII. 1887, 1-16; Verh. d. Ges. f. Anthrop. 1891, 649-69; Bull. Soc. Khédiv. de géogr. IV. 1895, 93-104; *E. Boissier*, Flora orientalis, 6 voll., Basileae et Genevae 1867-1888; *A. Braun* in Zeitschr. f. Ethnol. IX. 1877, 289-310; *P. Ascherson* in Sitz.-Ber. Ges. naturf. Freunde 1877, 141-61; 1879, 39-53; *id.* in Sitz.-Ber. bot. Vereins d. Prov. Brandenb. XXI. 1879, 63-74; *id.* et *G. Schweinfurth*, Illustration de la Flore d'Égypte, Le Caire 1887 (Mém. Inst. Égypt. II. 25-261; 745-820); *Fr. Woenig*, Die Pflanzen im alten Aeg., Leipzig 1886 (eius « *editio altera* » hoc solo addito a librario exterius notato a priore differt); *Ch. E. Moldenke*, Die in altaeg. Texten erwähnten Bäume, Leipzig 1887; *V. Loret*, var. diss. in Recueil de travaux II. 1880, 21-6. 60-5; VII. 1886, 101-14; XV. 1893, 105-30; XVI. 1894, 1-14. 92-102; XVII, 1895, 177-99 (cum *I. Poisson*); *id.* La Flore pharaonique *ed.* 2, Paris 1892.

De FAUNA aegyptiaca cf. *P. Forskål*, Descriptiones animalium, *ed. C. Niebuhr*, Hauniae 1775; *S. de Sacy* op. cit. p. 135-70; Description de l'Ég., *ed. Panckoucke*, t. XXI. 325 — t. XXIV. Paris 1826-9; *R. Hartmann*, var. diss. in Annalen d. Landwirtsch. 1864; Ztsch. Ges. f. Erdkunde III. 1868, 28-69; 232-79; 345-68; 404-20; *id.* in *I. Duemichen*, Resultate I. Berlin 1869, 28-30; *F. Chabas*, Études sur l'antiquité hist., Paris 1873, praes. 398-457; *F. G. Wilkinson*, Manners and customs, *ed. S. Birch*, London 1878, II. 78-135; III. 242-353; *V. Loret* in Ztschr. f. Aeg. Spr. XXX. 1891, 24-80; *id.* in Recueil XVIII. 1896, 196-209; *Ph. Boussac*, La faune de l'Ég. ant. in Revue Larousse, oct. 1897.

De aliis rebus naturalibus Aegypti cf. Description de l'É.. *ed. Panck.* XXI. 1-324 (Minéralogie); *O. Fraas*, Aus d. Orient I. Stuttgart 1867; *R. Lepsius*, Die Metalle in d. aeg. Inschr., in Abh. Berlin. Akad., Philol.-histor. Cl., 1871, 27-143; *F. C. H. Wendel*, Über die in altaeg. Texten erwähnten Bau- und Edelsteine, Leipzig 1888; *Baedeker-Steindorff* op. cit. p. LXV-LXXIX. Alia v. ap. *H. Jolowicz* op. cit. n. 915-1064. 2668-2670. 2918-2958, et ap. *G. A. Pritzel*, Thes. Litt. botan., ed. nova, Lipsiae 1872-77, p. 465 s.

4. *Incolae.* Aegyptii in Scriptura dicuntur filii Cham, et fratres Chus, Phuth et Chanaan (Gen. 10,6); ab ipsis derivantur « Ludim et Ananim et Laabim, Nephtuim et Phetrusim et Chasluim... et Caphtorim » (10,13 s.; v. Comm. *F. de Hummelauer* et al.). Aegyptiorum igitur originem textus sacer ex Asia derivat, atque ex ea quidem parte, ubi Noe cum filiis ac posteris suis ante dispersionem habitasse et Nemrod ex posteris Chus regni babylonici initium habuisse legitur (10,8-10). Atque haec quidem asiatica Aegyptiorum origo generatim satis communiter a recentioribus admittitur; praeterea vero etiam babylonica culturae aegyptiacae origo, quam ex linguae affinitate, ex signis in scribendo adhibitis, ex mythologiis religiosis, ex artium totiusque culturae similitudine atque ex aliis rationibus *F. Hommel* aliique defendebant, ex iis quae ultimis hisce annis in Aegypto et Babylonia inventa sunt monumentis satis magnam nacta est probabilitatem. Quodsi alibi in Scriptura (Ez. 29,14) Phatures i. e. Aegyptus superior « terra nativitatis » Aegyptiorum appellatur (cf. *Herod.* 2,4. 15), id non eo sensu intellegendum est, quasi inde primam suam

originem ducant, sed quod advenae primitus in Aegypto superiore sedes fixerint, deinde ex austro Nilum secuti in Aegyptum inferiorem descenderint. Atque revera in regione australi primas fuisse Nilicolarum sedes et monumentis in illis locis detectis abunde demonstratur et a recentioribus communiter admittitur. Primos autem advenas ex regione euphratica per Arabiam meridionalem ac fretum *Bāb el-Mandeb* dictum ad vallem Nili venisse, *G. Schweinfurth* aliique haud improbabiliter supponunt. — Ex variis incolarum classibus (cf. *Herod.* 2,164; *Diod. Sic.* 1,73 s.; *Strabo* XVII. 1,2 *ed. Cas.* 787 in libris sacris praeter Pharaonem et principes atque aulicos, praesertim sacerdotes (Gen. 41,45), quibus statuta cibaria ex horreis publicis praebebantur (ib. 47,22 aliaeque tribus sacerdotales, sapientes, consiliarii, coniectores somniorum, magi, medici commemorantur (Gen. 41,8-24; 50,2; Ex. 7,11; 8,7. 18; 9,11; Is. 19,11 s.), praeterea milites (Gen. 37,36; 39,1; Ex. 14,7 etc.), operantes linum, « pectentes et texentes subtilia » (Is. 19,9; cf. Prov. 7,16; Ez. 27,7), atque piscatores (Is. 19,8). Varios insuper alios opifices « ad faciendum opus in auro et argento et aere, sculpendisque lapidibus et opere carpentario » atque ad praeparanda thymiamata et unguenta aliaque opera aptos apud Aegyptios floruisse, ex iis quae de tabernaculo rebusque ad cultum sacrum requisitis in libro Exodi narrantur, merito concludimus (Ex. 35 ss.). Specialiter etiam plaustra et quadrigae aegyptiacae in Scriptura laudantur, quae ad vehendum patriarcham Iacob (Gen. 45,21) et tamquam merces aetate Salomonis (3 Reg. 10,29; 2 Par. 1,17, ubi tamen alii regionem *Muṣri* in Syria intellegunt; v. Comm.) ex Aegypto in Palaestinam mittuntur. Quae quidem omnia ex monumentis veterum Aegyptiorum abunde confirmantur et illustrantur, ex quibus magna praesertim variorum opificum ars et perfectio passim elucet. — De vita moribusque Aegyptiorum pauca tantum in libris sacris innuuntur potius, quam describuntur, quae iisdem illis monumentis prorsus conformia apparent. Ita Iosephum legimus tonsum ad Pharaonem introductum (Gen. 41,14) atque a rege stola byssina, annulo, torque aurea insignitum et curru regio vectum, uti nobilibus Aegyptiis moris erat (ib. v. 42 s.). Onera a viris in capite portari Scriptura commemorat (ib. 40,16), quod et *Herodotus* expresse refert, addens mulieres in humeris eadem gestasse (2,35). « Pisces, cucumeres, pepones porrosque et cepe et allia », quae Israelitae in deserto desiderant (Num. 11,5), vulgus quoque aegyptium potissimum adamabat, dum « ollae carnium », super quas dicuntur sedisse in Aegypto (Ex. 16,3), potius sacerdotibus ac nobilioribus conveniunt (cf. *F. de Hummelauer*, Das vormos. Priestert., Freiburg 1899, p. 10-12). Pharaonem praeter uxorem legitimam alias habuisse mulieres, ex narratione de Abraham et Sarai apparet (Gen. 12,15-19), earumque custodia eunuchis tradita erat (ib. 37,36; 39,1); uxori autem nobilis Aegyptii satis libere cum externis agere licebat (ib. 39,7 ss.); coniugia cum consanguineis et affinibus, Hebraeis prohibita, « iuxta consuetudinem terrae Aegypti » licita considerabantur (Lev. 18,3 ss.). Indoles autem Aegyptiorum ad superbiam propensa indicatur, qua ab exteris gentibus, praesertim asiaticis, tamquam barbaris atque impuris abhorrebant et convivio cum ipsis interesse profanum putabant (Gen. 43,32), atque pastores gregum prae ceteris detestabantur (ib. 46,34), uti passim in monumentis apparet. Praecipue vero Pharaonis fastus vehementer ab Ezechiele propheta reprehenditur (Ez. 29,3 ss.; cf. *I. Knabenbauer* Comm. in h. l.). Posteriore autem aetate Aegyptii connubia atque commercia cum externis Asiatisque minime respuebant (3 Reg. 3,1; 9,16; 10,28; 11,19 etc.), uti etiam ex tabulis in *Tell el-ʿAmarna* inventis passim elucet; etiam militibus mercenariis ex diversis nationibus oriundis, iam a primis regni saeculis usi sunt (cf. Ier. 46,9. 21; Ez. 30,5). Praeterea vero Aegyptii saltem aevo prophetarum ad luxuriam atque libidinem admodum proclives saepius notantur (Ier. 2,16; Ez. 16,26; 23,20; cf. Gen. 39,7 ss.); atque id quidem, licet artem Aegyptiorum primi aevi puram et castam cum

E. Guillot del. et Paris

P. LETHIELLEUX Editor Paris

P. Keppler quis velit praedicare, posteris saltem saeculis omnino convenire tum ex papyro obscoeno taurinensi, tum ex aliis documentis satis manifeste ostenditur.

De origine Aegyptiorum cf. *G. Ebers*, Aeg. u. d. Bücher Mose's I. 40-54; *R. Virchow* in Verh. d. Ges. f. Anthrop. 1888, 344-99; *F. Hommel*, Der babylon. Urspr. d. aeg. Kultur, München 1892; *id.* in Transact. of the IX. intern. Congr. of Orient., II. London 1893, 218-44; *id.* Proceed. Soc. Bibl. Arch. 1898, 291-5; cf. *C. I. Ball* ib. 296-8; *I. de Morgan*, Recherches sur les origines de l'Égypte, I. II. Paris 1896. 1897; *W. M. Fl. Petrie* et *I. E. Quibell*, Nagade and Ballas, London 1896; *Quibell* in Ztschr. f. aeg. Spr. XXXV. 1897, 134-40; XXXVI. 1898, 81-4; *G. Schweinfurth* in Verhandl. d. Ges. f. Anthrop. 1897, 263-86; *R. Virchow* ib. 401; *Schweinfurth* in *Baedeker* op. cit. p. XLV-LXV. — *K. Sethe* in Ztschr. f. aeg. Spr. XXXV. 1-6; *G. Steindorff* ib. 135 nota, 172 s.; *G. Maspero*, Revue crit. VI. 1897, 115-8; *W. M. Müller*, Orient. Litztg. I. 1898, 101-4; 185-7; 217-22. — *H. V. Hilprecht*, Sunday School Times XL. 1898, 267 s.; *E. Amélineau*, Les nouvelles fouilles d'Abydos, Paris 1899.

De vita, moribus, arte veterum Aegyptiorum cf. *I. G. Wilkinson-S. Birch, A. Erman, F. Kayser* opp. cit.; *G. Perrot-Ch. Chipiez*, Histoire de l'art dans l'antiquité I. (ed. germ. *R. Pietschmann* I. Leipzig 1882-1884); *R. Lepsius* in Abhandl. Berlin. Akad., Philol.-histor., 1871 p. 1-26; *G. Maspero*, L'archéologie égypt., Paris 1887; *id.* Lectures historiques ib. 1890; *R. Virchow* in Verhandl. d. Ges. f. Erdkunde XV. 1888, 428-42; *P. Keppler*, Wanderfahrten u. Wallfahrten, Freiburg 1894, 68-85. 93-112; *G. Steindorff* apud *Baedeker* op. cit. p. CLII-CLXXII.

De hodiernis Aegyptiis cf. *E. W. Lane*, Manners and customs of the modern Egyptians, London 1836 (ed. nova ib. 1890, ed. germ. *I. Th. Zenker* Leipzig 1852); *E. F. Klunzinger*, Bilder aus Oberaegypten *ed.* 2. Stuttgart 1878. Plura recenset *Steindorff l. c.* CXCVII. — Alia v. apud *Jolowicz* op. cit. n. 2447-2580; 3374-3422.

5. *Lingua, litterae.* De lingua ac litteris Aegyptiorum textus sacer pariter non ita multa commemorat. Voces aliquae ex lingua aegyptiaca desumptae in Scriptura occurrunt, veluti nomina Aegyptiorum Putiphar, Putiphare, Aseneth, probabiliter etiam Moysis etc., cognomen regium Pharao, nomenque Ioseph datum צַפְנַת פַּעְנֵחַ, nomina urbium aegyptiarum (v. *supra* n. 2), vocabula אַחוּ, גֹּמֶא aliaque. Sapientia vero Aegyptiorum celebris erat, ita ut Salomo sapientissimus inde quoque laudetur quod « sapientiam omnium Orientalium et Aegyptiorum » praecesserit (3 Reg. 4,30, hebr. 5,10). Moyses pariter laudatur a Stephano, quod « eruditus omni sapientia Aegyptiorum » fuerit (Act. 7, 22). — Iam vero lingua aegyptiaca diu prorsus ignota hoc nostro saeculo ex monumentis antiquis iterum eruta est. Postquam prioribus saeculis post *Ath. Kircher* plures viri docti frustra in interpretandis signis hieroglyphicis insudarunt, demum anno 1799 inscriptio trilinguis in monumento rosettensi reperta viam rectae interpretationi aperuit. Quae praeeuntibus *Th. Young* et *I. Fr. Champollion* potissimum a *R. Lepsius, S. Birch, E. de Rougé, F. Chabas, H. Brugsch* magis magisque perfecta est, ac licet ad perfectiorem ipsius linguae cognitionem multa remaneant facienda, signa tamen quibus lingua exprimitur, generatim omnia fere satis bene nota atque explicata sunt. Triplice autem scripturae genere Aegyptii utebantur : hieroglyphicae, hieraticae, demoticae; de singulis pluribus disserere non videtur huius loci esse. Id unum quoad linguam liceat notare, quod iam satis inter omnes constat, magnam intercedere inter linguam aegyptiacam variaque idiomata semitica affinitatem, tum in copia verborum radicibusque usitatis, tum in formis legibusque grammaticis. In ipsa autem lingua aegyptiaca varia iterum stadia distinguuntur, cum lingua antiqua satis differat ab idiomate regni novi, atque paulatim, mutationibus variis sibi succedentibus ad eum quem in lingua coptica noscimus statum pervenit. — Cognita vero lingua, mox etiam quanta quamque varia fuerit veterum Aegyptiorum sapientia, ex magna textuum copia ac varietate perspectum est, qui tum in parietibus sepulcrorum et templorum, tum in aliis monumentis regiis, tum etiam in voluminibus papyraceis nobis conservati sunt. Ac licet maxima eorum pars de rebus religiosis agat, non desunt tamen textus

historici, iuridici, medici (Papyrus *Ebers*), astronomici et mathematici (Pap. *Rhind*), poetici (Pap. *Prisse* didacticus, fabulae fictae Pap. *Westcar* etc.), alii. Ex quibus laus sapientiae aegyptiacae hac nostra aetate revixit.

Cf. *I. F. Champollion*, Gramm. égypt., Paris 1836; *E. de Rouge*, Chrestom. égypt., 4 voll., ib. 1867 ss.; *H. Brugsch*, Gramm. démotique, ib. 1855; *id.* Hieroglyph. Wörterbuch 7 voll., Leipzig 1867-1882; *id.* Hierogl. Gramm., ib. 1872; *L. Reinisch*, Aeg. Chrestomathie, 2 voll., Wien 1873-1875; *A. Erman*, Neuaeg. Gramm., Leipzig 1880; *id.* Aegypt. Gramm., Berlin 1894, *ed.* 2, 1902; *S. Levi*, Vocabolario geroglifico, copto-ebraico, 7 voll., Torino 1887-89; *G. Steindorff*, Kopt. Gramm., Berlin 1894. Novum dictionarium linguae aegyptiacae praeparat commissio academica ex variis universitatibus Germaniae constituta. — De re litteraria et scientiis Aegyptiorum cf. *A. Erman*, Aegypten 442-529; *H. Luening*, Die über die medicin. Kenntnisse der alten Aeg. berichtenden Papyri, Strassburg 1888; *F. N. Lockyer*, The dawn of Astronomy, London 1894; *A. Baumgartner*, Gesch. d. Weltlitteratur I. 1897, p. 76-136. — Alia v. ap. *Jolowicz* op cit. n. 1065 — 1715; 1850-2018; 2535-2580; 2671; 2959-3171; 3211-3289; 3409-3422; 3440-3443; praeterea ap. *A. Erman*, Aeg. Gramm. p. 194-200; *G. Steindorff*, Kopt. Gramm. p. 212-20.

6. ***Religio.*** Aegyptiorum idololatriam prophetae saepius reprehendunt (Is. 19,1 ss.; Ier. 43,12 s.; 46,25; Ez. 20,7 s; 30,13), praesertim ex eo quod Israelitae exemplo Aegyptiorum seducti, tum ante Moysis aetatem (Ios. 24,14; Ez. 20,7 s; cf. Ex. 15,25; 20,4. 23; Act. 7,39), tum postea (Ier. 44) diis alienis servierunt. Ex diis unus tantum videtur nominari *Amon*, qui Thebis colebatur (v. AMON 1); praeterea vero ex nominibus personarum et urbium *Rē'* seu *Rē' Rē'* (cf. פֹּוטִי פֶּרַע, רַעְמְסֵס, הָפְרַע) et *Bastet* (פִּי־בֶסֶת), fortasse etiam *Neith* (אָסְנַת, Aseneth) erui possunt, dum Chanaanaeorum deus Ba'al oppido in confinio Syriae et Aegypti sito Beelsephon nomen dedit. Praecipuae vero sedes cultus religiosi commemorantur Heliopolis (Gen. 41,45. 50; 46,20; cf. Ier. 43,13), Memphis (Ez. 30,13), Thebae (Ier. 46,25 hebr.; cf. Nah. 3,8). De natura vero huius cultus idololatrici plura in libris sacris innuuntur. Imprimis oppositio magna inter cultum Iahwe et idololatriam Aegyptiorum in eo erat, quod in variis templis Aegypti statuae ac simulacra multa colebantur (Is. 19,3; Ier. 43,12 s.; Ez. 30,13), dum Israelitae nullam Domini similitudinem aut figuram habebant. Deinde ex verbis Moysis ad Pharaonem de sacrificiis Deo offerendis « abominationes Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro; quod si mactaverimus ea quae colunt Aegyptii coram eis, lapidibus nos obruent » (Ex. 8,26), apparet, Aegyptios praesertim animalia, hostias scil. Israelitarum, coluisse (cf. Ex. 10,25 s.). Huic cultui zoolatrico Aegyptiorum assuetus ipse populus israeliticus in deserto tam facile in cultum vituli aurei relabebatur (Ex. 32), atque ob eandem causam Dominus tantopere insistit in inculcando secundo mandato (Ex. 20,3-6; Lev. 26,1; Deut. 5,7-10), et Moyses moriturus tam instanter monet Israelitas, « ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem aut imaginem masculi vel feminae, similitudinem omnium iumentorum, quae sunt super terram, vel avium sub caelo volantium, atque reptilium quae moventur in terra, sive piscium qui sub terra morantur in aquis : ne forte elevatis oculis ad caelum videas solem et lunam et omnia astra caeli et errore deceptus adores ea et colas, quae creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quae sub caelo sunt. Vos autem tulit Dominus et eduxit de fornace ferrea Aegypti » (Deut. 4,16-20). Quae verba satis indicant, qualem Israelitae in Aegypto viderint idololatriam. Praecipuum vero in ea locum cultum solis obtinuisse, ex verbis Ieremiae apparet de Nabuchodonosor prophetantis : « Et conteret statuas domus Solis, quae sunt in terra Aegypti, et delubra deorum Aegypti comburet igni » (43,13). Praeterea reliquiae Iudaeorum qui in Aegyptum confugerant, etiam « reginae caeli » sacrificare non cessarunt (Ier. 44,17. 18. 19. 25); cultui enim Astartes seu deae lunae, cui iam in Iudaea addicti fuerant (Ier. 7118; 44,17. 21; cf. *I. Knabenbauer* Comment. in Ier. 7,18), eo magis in

Aegypto indulgent, quod similem apud incolas regionis idololatriam exerceri vident. Atque actus huius cultus triplex potissimum nominatur : scil. oblatio incensi (קטר, *Vulg.* sacrificare), libaminum, placentarum (Ier. 44,15 ss.). Etiam oracula ex diis suis quaerere Aegyptii consueverant; quare praeter sacerdotes divini quoque et pythones et arioli munere religioso in cultu sacro fungebantur (Is. 19,3), ac fortasse ipsorum erat exponere somnia, quibus Aegyptii magnum momentum tribuebant (Gen. 40. 41). Cultum vero idololatricum Aegyptios ad magnam induxisse libidinem, iam supra ex prophetis monuimus (Ier. 2,16; Ez. 16,26; 23,20). — Iam quae ex monumentis et scriptoribus antiquis de religione aegyptiaca novimus, verba Scripturae egregie illustrant. Licet enim ingens de variis Aegyptiorum opinionibus religiosis ac mythologicis confusio tum in variis variarum aetatum monumentis, tum in scriptoribus veteribus aeque ac recentioribus appareat, praecipua tamen capita quae ex libris sacris attigimus, ab omnibus admittuntur. Principalem inter deos aegyptios locum sol obtinuit, qui sub nomine *Rēʿ* et *Rēʿ-Harmachis* imprimis Heliopoli colebatur, sed mox per totam Aegyptum templa et simulacra, atque in singulis fere maioribus templis etiam aliorum deorum sacellum quoddam speciale *Pi-Rēʿ* i. e. domus solis dictum possidebat (H. *Brugsch*, Dict. géogr. 409; cf. *I. Knabenbauer*, Comm. in Ier. 43,13). Postquam autem Thebarum dynastae regno totius Aegypti potiti sunt (fere ab anno 2200 a. Chr.), eorum deus Amon in locum *Rēʿ* successit et sub nomine *Amon-Rēʿ* per totam provinciam magnifica templa cultumque praecipuum obtinuit. Praeter ipsos unusquisque pagus suum colebat deum, cui templa et simulacra erigebat; ex quibus *Ptah* praesertim in urbe Mempheos, *Bastet* Bubasti, *Neith* in Sais, Esne, alibi colebantur; *Bastet* autem et *Hathor* et *Mut* postea etiam locum « reginae caeli », Astartes seu Aphrodites, obtinuerunt. Cum patrono principali urbis plerumque duo vel etiam plures alii dii coniungebantur, ita ut v. g. Thebis cum deo *Amon* dea *Mut* filiusque *Chons* triadem quamdam familiamque sacram efficerent; ex religiosis istis deorum familiis tres illi *Osiris, Iris, Horus* magnum prae ceteris honorem potissimum in cultu mortuorum adepti sunt, quorum veneratio ex Abydos in Aegypto superiore profecta per totam regionem propagata est. — Praecipuum quemdam in cultu aegyptiaco locum animalia obtinuisse ex monumentis antiquis pariter notum est. Singulis fere diis speciale aliquod animal sacrum erat, quod saepe in templo dei sui magnis honoribus nutriebatur atque post mortem aromatibus conditum, in sepulcro speciali servabatur : ita ex quadrupedibus taurus niger seu *Apis* Ptah memphitico sacer erat, taurus albi coloris seu *Mnevis* Atum heliopolitano, vacca deae Hathor denderitae, hircus Amoni thebaeo, felis deae Bubasti etc.; ex avibus vultur deae Mut et Nechbet, falco nisus diis Chons, Harmachis, Horo, ibis Thout et Isidi, etc.; ex reptilibus atque insectis crocodilus deo Sobk, praesertim in nomo arsinoitico, cerastes Amoni, scarabaeus Soli et Ptah, etc.; ex piscibus oxyrrhynchus in urbe ex eius nomine picta et Thebis, phagrus apud Syenitas ac Phagroriopoli colebatur etc. Merito itaque Moyses quatuor istas animalium classes in exhortatione contra idololatriam specialiter commemoravit (Deut. 4,16-20). Posteriore vero aetate non modo unum aliquod animal in templo Dei sui specialiter colebatur, verum etiam totum istius animalis sacri genus divinis fruebatur honoribus ac post mortem in tumulis sacris honorifice sepeliebatur : in quibus nostris diebus innumera fere corpora divinorum felium (*Bubasti* et *Beni-Hassan*), crocodilorum (*Maʿabde, Thebis, Ombos*), ibium (*Ashmunēn* seu Hermopoli) aliorumque animalium sacrorum reperta sunt. — Denique actus illos religiosos, quos propheta commemorat (Ier. 44,15 ss.), oblationem incensi, libaminum, placentarum, magnum in idololatria habuisse locum monumenta aegyptiaca passim ostendunt. — Cum religione autem cultuque sacro intime coniungitur cura mortuorum, quae apud Aegyptios maxima diligentia

magnisque sumptibus fiebat. Ea quae textus sacer de mortuis Iacob et Ioseph refert (Gen. 50,2 s. 25), et quae scriptores antiqui (praeserlim *Herodotus* 2,85-90) de sepultura apud Aegyptios narrant, ex textibus sepulcrisque ac mumiis aegyptiacis praeclare illustrantur. Speciali medicorum classi cura ista incumbebat, qui corpus per unum vel duos menses variis modis praeparatum aromatibus pretiosis, praesertim oleo cedrino myrrha, cinnamomo, condiebant condituque in loculo seu sarcophago ornato reponebant.

Cf. *R. Pietschmann* in Ztschr. f. Ethnol. X. 1878, 153-82; *H. Brugsch*, Religion und Mythologie d. alt. Aegypter, Leipzig 1884-90 et ib. 1891; *R. Lanzone*, Dizion. di mitologia egiz., 6 voll., Torino 1881-1888; *A. Wiedemann*, Religion d. alten Aeg., Münster 1890 (ed. angl. London 1897); *C. P. Tiele*, Geschiedenis v. d. godsdienst in de oudheit I. 1 Amsterdam 1891 (ed. germ. *G. Gehrich*, I. 1 Gotha 1895); *F. Robiou* in Compte rendu du congrès scient. internat. des cath. 1891, 2. sect., 235-50 (et in Science cath. 1891); *G. Maspero*, Études de mythologie et d'archéol. égypt., 3 voll., Paris 1893-98; *A. Wiedemann*, Thierkult d. alt. Aeg. in Mélanges *Ch. de Harlez*, Leide 1896, 372-80 (cf. Muséon VIII. 1889, 211-25); *W. M. Fl. Petrie*, Religion and conscience in ancient Egypt, London 1898; praeterea v. *Wilkinson-Birch*, *Erman*, *Kayser*, *Baedeker-Steindorff* opp. cit., et historicos infra citandos. — De cura mortuorum ap. Aeg. cf. praeterea *H. Brugsch*, Die aeg. Gräberwelt, Leipzig 1868; *E. A. W. Budge*, The mummy, Cambridge 1893; *id.*, The book of the Dead, 3 voll., London 1898; *G. Ebers* ap. *Riehm-Baethgen* I. 367-9; *G. Maspero* in Revue de l'hist. des religions XV. 1887, I. 159-88; XXXV. 1897, I. 275-330; XXXVI. 1897, II. 1-19. — Alia v. ap. *Jolowicz* op. cit. n. 1716-1849. 2672 s. 3172-3210.

7. *Historia.* Licet totius historiae aegyptiacae seriem enarrare non sit huius loci, praecipua tamen capita, quae ad illustrandam historiam sacram alicuius videntur esse momenti, breviter exponenda sunt. Fontes praecipui, unde cognitio historiae aegyptiacae potissimum hauritur, sunt antiqua ipsius regionis monumenta atque relationes veterum scriptorum, quibus ea quae in libris sacris de Aegypto obiter narrantur, tamquam fontem cognitionis omnino securum, etiam nolentibus adversariis criticis, addenda censemus. Ex monumentis praecipuum locum obtinent quinque regum aegyptiorum catalogi, ex quibus duo in Abydos, tertius Thebis, quartus prope Saqqarah, omnes in parietibus templorum ac sepulcrorum, inventi sunt, quintus papyraceus Taurini asservatur; praeterea inscriptiones regum aegyptiorum titulique sepulcrorum privatorum consideratione specialem merentur. Ex scriptoribus vero antiquis primo loco nominanda sunt fragmenta *Manethonis*, sacerdotis aegyptii (c. 250 a. Chr.), a *Iosepho Flavio* (c. Ap. 1,14 s. 26-31), *Iulio Africano*, *Eusebio Caesariensi*, *Syncello* conservata; insuper *Herodotus*, *Eratosthenes* (ap. Syncellum), *Diodorus Siculus* aliique auctores plura de historia aegyptiaca reliquerunt. — Manethonem secuti recentiores communiter 31 dynastias aegyptias inde a primis historiae initiis usque ad Alexandrum Macedonem numerant, quas plerique ita distribuunt, ut decem priores regnum vetus (c. 3200-2200 a. Chr.), septem sequentes (11-17) regnum medium (c. 2200-1600 a. Ch.), quatuordecim posteriores (18-31) regnum novum (c. 1600-332 a. Chr.) appellent. Alii autem regnum novum vocant aetatem dynastiarum 17-20. (c. 1600-950 a. Chr.), dein tempus regum alienigenarum a dynastia 21-25. (c. 950-663 a. Chr.) ac postremam aetatem dynastiarum 26-31 (a. 663-332 a. Chr.) distinguunt. Dynastiae autem non omnes sibi successisse, sed aliquae cum aliis simul in diversis Aegypti partibus videntur regnasse, atque ex hac aliisque causis universa chronologia aegyptiaca regni veteris ac medii satis incerta, imo etiam in regno novo usque ad aetatem regis *Psammetich I.* (663 a. Chr.) multis dubiis obnoxia manet. — Prima dynastia a *This* prope Abydos in Aegypto superiore originem duxisse narratur, primusque eius rex *Menes* non post annum 3200 a. Chr. vixisse a plerisque cum *E. Meyer* supponitur; sepulcra ipsius aliorumque primorum regum et monumentum nomine regio *Mene* insignitum in ruinis abydenis ultimis hisce annis detecta

sunt. Ex sequentibus dynastiis quarta specialem mentionem meretur, ex qua reges *Snofru* in *Medum*, *Cheops*, *Chefren*, *Mencheres* seu Mykerinos apud *Gizeh* celeberrima illa pyramidarum monumenta erexerunt (c. a. 2800 a. Chr.). Tempore regni medii praesertim sub pluribus regibus nomine *Amenemhēt* et *Wesertesen* appellatis ex dynastia duodecima (c. 2100. a. Chr.) Aegyptus florentissimis rebus publicis gloriabatur. Probabilissime ea fere aetate Abraham cum Sarai uxore in Aegyptum descendit unumque ex istis Pharaonibus Amenemhēt vel Wesertesen convenit (Gen. 12, 10 ss.), ac probabiliter ibi inter servas et famulas etiam « ancillam aegyptiam nomine Agar » accepit, matrem Ismaelis futuram (ib. 16,1 ss.), cui mater rursus uxorem de terra Aegypti obtinuit (ib. 21,21). Sub eadem vel sequenti dynastia 175 fere annis post Abrahae in Aegyptum ingressum Ioseph eodem delatus est (ib. 37, 28), ubi quindecim fere annis elapsis ad secundum imperii locum a Pharaone evectus patrem suum Iacob cum universa familia in terra Gessen habitare fecit (Gen. 41 ss.). Ea vero quam textus sacer narrat fames septem annorum inscriptioni ex tempore Ptolemaeorum in insula *Sehēl* prope Assuān inventae omnino conformis est, quae sub rege perantiquo Zoser Nili inundationem per septem annos continuos defecisse magnamque inde famem exortam esse refert (*H. Brugsch,* Die bibl. 7 Iahre der Hungersnoth nach d. Wortlaut einer altaeg. Felseninschrift, Leipzig 1891), eademque fortasse etiam in alia inscriptione sepulcrali commemoratur (*G. Ebers* apud *Riehm-Baethgen* Handwörterbuch I. 55). — De aliis regni medii dynastiis, sub quibus filios Israel in Aegypto habitasse ex Scriptura supponendum est, historia non ita multa praeter regum quorumdam nomina tradit. Partem istorum regum, quos *Hyksos* (haq-shasu) i. e. duces nomadum arabum vel reges pastores vocant et dynastiae 15. et 16. adscribunt, ex Asia in Aegyptum invasisse regnumque saltem provinciae septemtrionalis cum urbe regia Tanis per duo vel tria saecula occupasse constat, eosque Semitas, Israelitis affines, fuisse verisimile est, quamvis aliis potius Hethitae videantur. Ipsos mites ac benignos erga filios Israel fuisse merito supponere licet. — Legitimi vero principes aegyptii, praesertim dynastiae 17., Thebis in Aegypto superiore profecti, ubi iam inde a dynastia 12. (c. 2200) principalis regni sedes fuerat, diuturnis bellis invasores Asiatas aggressi sunt, ac denique sub Amose eos feliciter expulerunt. Successerunt principes dynastiae 18., plerique nomine Thutmosis vel Amenophis appellati, qui fere ab anno 1540-1350 regnarunt, et ex quibus plures rebus domi bellique praeclare gestis, navibus in terras longinquas (*Punt*) missis commerciisque externis celebres sunt. Probabiliter unus ex istis Pharaonibus, qui prima post expulsos tyrannos aetate omnibus accolis Asiatis ac Semitis merito supponuntur alieni, erat ille « rex novus, qui ignorabat Ioseph » et laboribus gravissimis populum Israel opprimebat (Ex. 1,8 ss.). Nam si iterata textus biblici indicia non prorsus reiicienda supponamus, dicendum erit, Moysen populum ex Aegypto duxisse 645 annis post exitum Abrahae de Haran (Gen. 21, 5; 25,26; 47,9; Ex. 12,40 s.), circiter 340 annis ante Iephte (Iud. 11,26; cf. aliae notae chronologicae in eodem l. Iud. 3,8. 11. 14. 30 etc.), 480 annis ante quartum Salomonis annum (3 Reg. 6,1; LXX legunt 440). Iam vero ista omnia satis conformiter Israelitas mediante fere saeculo decimo quinto a. Chr. ex Aegypto liberatos esse indicant; atque etiam accuratius, si annum Salomonis quartum iuxta probabiliorem opinionem 958 a. Chr. dicamus, exitum filiorum Israel c. a. 1438 contigisse ex 3 Reg. 6,1 consequens erit, quamquam menda in textum irrepere potuisse non negamus. Illo autem tempore Amenophim II. in Aegypto regnasse cum *C. F. Lehmann* haud improbabiliter supponere possumus (c. 1461-1436); unde ipse vel potius eius praedecessor Thutmosis III. (c. 1515-1461) pharao oppressionis dicendus foret, qui et odium erga populum ex Asia oriundum timoremque ne inimicis addatur (Ex. 1,10) ex maximis contra Syros et Asiatas bellis facile

poterat concipere et occasiones opprimendi suspectos ex ingentibus templorum aliorumque aedificiorum constructionibus ubique habebat. Atque haec quidem opinio, cui etiam monumenta magis favent (cf. Ztschr. f. kath. Theol. XXIII. 1899, 273-6; 377-9), alteri videtur praestare, quae propter Exod. 1,11 Israelitas a Ramse II. (c. 1324-1258 sec. *Lehmann*, c. 1347-1280 sec. *E. Mahler*, non post 1300-1230 sec. *E. Meyer*) dicit oppressos, et sub eius sucessore Meneptah exisse liberatos. — De duobus aliis dynastiae 18. pharaonibus, Amenophi III. et IV., plura nobis conservata sunt in epistulis cuneiformibus in *Tell-el-Amarna* anno 1888 inventis in quibus praeter alia etiam de statu Palaestinae atque invasione in eam per *Chabiri* facta multa narrantur; quo nomine Hebraeos designari multis non omnino improbabile videtur. — Sub pluribus pharaonibus dynastiae 19. (Sethos I., Ramses II.) et 20. (Ramses III.) Aegyptus optimo rerum statu domi fruebatur bellicisque expeditionibus feliciter peractis Libyes Asiatasque hostes reprimebat. At brevi post sub externo alienigenarum imperio a dynastia 21. usque ad 25. (c. 950-663) gloria atque opes Aegyptiorum dilabebantur. Aliqui ex istis dynastiis pharaones in Scriptura commemorantur. Celebris est imprimis expeditio a rege *Sesac* (שִׁישַׁק), quem Ieroboam supplex adierat (3 Reg. 11,40) contra Roboam, filium Salomonis, anno quinto regni ipsius peracta, qua civitates munitissimas in Iuda atque ipsam urbem Ierusalem cepit multamque praedam ac praesertim aurea templi vasa secum in Aegyptum abstulit (3 Reg. 14,25 s.; 2 Par. 12,5-9). In monumentis aegyptiis *Sheshonq* appellatur, primus pharao ex libyca dynastia 22., qui fere c. a. 940 a. Chr. ad regnum pervenit, ac probabiliter c. a. 920 ex urbe regia Bubasti expeditionem illam suscepit, cuius descriptio cum catalogo urbium palaestinensium in eius tropaeo in templo Amon Thebis inventa est (*Baedeker-Steindorff*, Aeg. ed. 4. p. 247; v. SESAC). Iuxta communiorem opinionem etiam de eius successore, *Asorkon* sub nomine Zara Aethiopis (זֶרַח) mentio in Scriptura occurrit, qui contra Asa, regem Iuda cum magno exercitu Libyum atque Aethiopum egressus praelio devictus est (2 Par. 14,9-15; 16,8; v. ZARA). Sub dynastiis sequentibus opes aegyptiacae bellis continuis inter reges Tanitas Aegypti inferioris atque Aethiopes in regno superiore in dies magis diminutae sunt, ac licet Cushitae in dynastia 25. (c. a. 728 sec. *Meyer*) totius Aegypti imperio potiti sint, satis infirma tamen atque exigua potentia nitebantur. Nihilominus Osee, rex Israel, auxilium a Sua (סוֹא, fort. leg. סוֹא, 4 Reg. 17,4), rege Aegypti, postulavit, quo nomine opinio communior *Sabako* (seu Sevechum), primum dynastiae 25. pharaonem designari censet (v. SUA); similiter Iudaei ab Aegyptiis opem contra Assyrios flagitarunt (4 Reg. 18, 21. 24; Is. 36,6), frustra praemonente Isaia atque punitionem Aegypti per Assyrios futuram praedicente (Is. 19; 20; 29,15; 30-33; cf. Ioel 3,19). Quae punitio ex parte quidem iam ipsi Sabako accidit, qui prope Raphiam per Sargonem, regem Assyriorum devictus est c. a. 715 (inscriptio Khorsab. l. 25-27, ubi Arabum regem esse intelligendum *Winckler* [Muṣri etc. p. 3 s.] minime probat); dein regnante secundo regis Sabako successore *Tharaca* plenior punitio subsecuta est, partim per Sennacherib, qui Aegyptios cum exercitu magno aggressus est (cf. Is. 37,25; *Herodot.* 2, 141), multo magis vero per Asarhaddon et Asurbanipal, ex quibus prior c. a. 671 Aegyptum ipsam ingressus Memphim omnemque provinciam septemtrionalem atque australem sibi subiecit et Tharaca in Aethiopiam fugato regem tributarium *Nechao* in oppido Sais instituit, alter iteratos Aegyptiorum ad libertatem recuperandam conatus repressit et regem Nechao captivum Niniven abduxit (v. NECHAO). At filius huius Nechao *Psammetichus I.* iugum Assyriorum rursus excussit et cum reliquis dynastiae 26. regibus (663-525) res aegyptiacas iterum ad meliorem quemdam statum perduxit. Quare denuo Iudaeorum spes ad Aegyptum conversa est, denuo frustra gravissimis verbis contra foedus aegyptia-

cum invehentibus praesertim Nahum (3, 8-13) et Ieremia (2,16-18. 36; 41,17-44; 46) atque Ezechiele (29-32). Iterum punitio divina brevi secuta est; alter pharao Nechao (610-594) bellum Assyriis illaturus Palaestinam et Syriam expugnavit, Iosia in praelio apud Mageddo occiso a. 609 (4 Reg. 23,29), cuius filium Ioachaz idem Nechao vinctum in Aegyptum abduxit, throno Eliacim, filio Iosiae, sub nomine Ioakim concesso et tributo annuo a Iudaeis exacto (ib. v. 33-35). Quarto huius Ioakim anno (a. 605) Nechao cum exercitu suo « iuxta fluvium Euphratem in Charcamis » a Nabuchodonosor rege Babyloniorum devictus atque in Aegyptum repulsus omnesque possessiones suas « a rivo Aegypti usque ad fluvium Euphratem » victori relinquere coactus est (Ier. 46,2; cf. 25,1; 4 Reg. 24,7). Iudaei nihilominus, iterum atque iterum arundineo baculo Aegyptiorum freti, iugum Babylonis excutiebant et praesertim cum pharaone Ephree (חָפְרַע, gr. Οὐαφρή, aeg. *Wehebrē'*), secundo Nechao successore (588-569), foedus inierunt (4 Reg. 24, 20; Ez. 17,25; cf. Ier. 37,5 ss.); at neque urbis sanctae excidium a pharaone impeditum, et ipse Ephree ab *Amase,* exercitus sui duce, regno privatus, et Aegyptus iterum ab hostibus sub Nabuchodonosor vastata est, uti prophetae praedixerant (Ier. 43,8-13; Ez. 29,17-20; cf. *I. Knabenbauer,* Comment. in Ier. 43,13). Post Amasim (569-526) Aegyptus sub Psammeticho III. anno 525 a *Cambyse,* Persarum rege, provincia magni regni persici facta est, et sub iugo Persarum, per breve tantum tempus excusso, permansit usque ad *Alexandrum* Macedonem, qui anno 332 haereditatem regni persici suscepit (332-323). De postremis hisce Aegypti temporibus nihil fere in libris sacris habetur, si illa excipias, quae in libro *Danielis* de quatuor regnis mundi referuntur (cf. *Knabenbauer,* Comm. in Dan. c. 2. 7. 8. 11,2-4). De successoribus Alexandri aegyptiacis, qui omnes nomine *Ptolemaeus* appellabantur (323-30 a. Chr.), imprimis bella continua inter reges Aegypti et Syriae gesta in prophetia Danielis describuntur (11,5 ss.; cf. *Knabenbauer* in h. l.); praeterea nominatim commemorantur *Ptolemaeus VI. Philometor* (181-146; 1 Mach. 10,51 ss.; 11,1-18; cf. 1,19 de ipso vel de sequenti), cuius magister dicitur Aristobulus Iudaeus (2 Mach. 1,10), quique Iudaeis magnopere favebat et Oniae, sacerdotis magni Oniae filio, facultatem templum pro Iudaeis in Aegypto degentibus Leontopoli in nomo Heliopolitano erigendi concessit » (*Ios.* Ant. XI. 5,1; 9,7; XIII. 3,1-3; Bell. iud. VII. 10,2 s.); praeterea frater eius *Ptolemaeus VIII. Physkon Euergetes II.,* qui primum simul cum fratre per sex annos in Aegypto regnavit (170-164), dein divisione regni facta Cyrenen et Libyam accepit (164-146) et post mortem fratris iterum thronum Aegypti obtinuit (146-617); ipsi directae sunt litterae Romanorum 1 Mach. 15,16-23, et anno 38. regni eius i. e. anno 132 a. Chr., cum annos suos ab initio primi regni sui aegyptiaci a. 170 computet, nepos Iesu filii Sirach in Aegyptum pervenit (Eccli. Prolog.; cf. *E. Schürer,* Gesch. d. iüd. Volkes *ed.* 3, III. 159). Quinam vero sint illi Ptolemaeus et Cleopatra in libro Esther (*Vulg.* 11,1), non satis constat, cum quatuor Ptolemaei uxorem Cleopatram habuerint (v. CLEOPATRA 2). De altero *Ptolemaeo IV. Philopatore* agitur in apocrypho tertio Machabaeorum libro. — Anno 30. a. Chr. Romani, devictis Cleopatra et Antonio, Aegypto potiti sunt, quae proinde tempore fugae Domini Nostri cum Maria matre et S. Ioseph (Matth. 2,13) provincia magni Romanorum regni erat. Plurimos autem eo tempore Iudaeos in Aegypto fuisse, tum ex iis, quae in libris Machabaeorum legimus, tum inde concludimus, quod in festo pentecostes etiam advenae Iudaei ex Aegypto commemorantur (Act. 2,10) et quod Alexandrini specialem Hierosolymis synagogam habuisse perhibentur (ib. 6,9).

Cf. *R. Lepsius,* Königsbuch d. alten Aeg. I. II. Berlin 1858; *G. Maspero,* Hist. des peuples de l'Orient, Paris 1875; *id.* Hist. des peuples de l'Orient classique I. II. *ib.* 1895. 1896; *H. Brugsch,* Gesch. Aeg., Leipzig 1877; *id.* Zusätze u. Verbess. ib. 1878; *A. Wiedemann,* Aeg. Gesch. (Handb. d. alten Gesch. I. 1), Gotha 1884 et Supplem. ib. 1888; *id.*

Herodot's zweites Buch, Leipzig 1890; *id.* Gesch. v. Altaeg., Calw 1891; *Ed. Meyer*, Gesch. d. Altert. I., Stuttgart 1884; *id.* Gesch. d. alt. Aeg. *Oncken* I. 1,2, Berlin 1887; *F. Bruyseh* et *V. Bouriant*, Le livre des rois, Le Caire 1887; *C. de Cara*, Gli Hyksos, Roma 1889; *E. Amélineau*, Resumé de l'hist. de l'Eg., Paris 1894; *W. M. Fl. Petrie*, A history of Egypt. I. II. London 1894. 1896; *J. P. Mahaffy*, The empire of the Ptolemies, ib. 1895; *R. F. Valbuena*, Egipto y Asiria resucitados I. Madrid 1895; *F. Vigouroux*, La Bible et les découv. mod. *ed.* 6, Paris 1896; *M. Jullien*, L'Egypte, Lille 1896; *K. Sethe*, Untersuch. z. Gesch. u. Altertumskunde Aeg. I. 1. 2, Leipzig 1896 (cf. *F. Narille* in Ztschr. f. aeg. Spr. XXXV. 1897, 30-67; *Sethe ib.* XXXVI. 1898, 24-81); praeterea dissert. variae in Zeitschrift für aeg. Sprache und Altertumskunde; Recueil de travaux relatifs à la Philologie et Archéologie égyptiennes et assyriennes; Revue égyptologique; Sphinx etc.

De monumentis aegyptiacis etc. cf. Description de l'Égypte, 10 voll. text., 14 voll. tab., Paris 1809-29; ed. minor *C. F. L. Panckoucke*, 24 voll. text., 12 voll. tab. ib. 1821-29; *I. Rosellini*, I Monumenti dell' Egitto e della Nubia, 9 voll. text., 3 voll. tab., Pisa 1832-44; *I. F. Champollion*, Monuments de l'Egypte et de la Nubie, 4 voll. Paris 1835-45; *R. Lepsius*, Denkmäler aus Aegypten und Aethiopien, 894 tab. Berlin 1849-58; Text. u. Ergänzungsband, *ed. E. Naville, L. Borchardt, K. Sethe* Leipzig 1897; ss.; praeterea alia opera ab *S. Sharpe, C. Leemans, H. Brugsch, E. de Rougé, A. Mariette, I. Duemichen, K. Piehl* aliisque edita. Cf. etiam Mémoires publiés par les membres de la mission archéol. franç. au Caire, Paris 1884 ss.; Memoirs of the Egypt Exploration Fund, London 1885 ss.

Alia v. ap. *Jolowicz* op. cit. n. 2111-2435. 2674 s. 3299-3372; *A. Erman*, Aeg. Gramm. p. 194-200; *Baedeker-Steindorff* op. cit. p. CXCV-CXCVIII.

L. FONCK.

AELAM (עֵילָם, Αἰλάμ). **1.** Primus inter filios Sem enumeratur Aelam (Gen. 10,22; 1 Par. 1,17; v. AELAM, regio et gens.

2. Princeps familiae beniaminiticae de posteris Sesai (1 Par. 8,24).

3. Levita de stirpe Core, ianitor templi tempore Davidis (1 Par. 26,3; LXX B Ἠλάμ).

4. Princeps familiae, cuius filii duce Zorobabel ex captivitate redierunt 1254 numero Esdr. 2,7, B Μαλάμ; Neh. 7, 12). Postmodum duce Esdra de filiis Alam, ut *Vulg.* scribit LXX Ἠλάμ, Isaias quidam cum 70 viris rediit Esdr. 8,7; B Ἠλά, A Ἠλάμ. Inter eos, qui Esdram in opere cultus instaurandi adiuverunt, recensetur Sechenias filius Iehiel de filiis Aelam (Esdr. 10,2; *Kethib* עירם; Ἠλάμ. De filiis Aelam sex viri uxores alienigenas mandante Esdra dimiserunt Esdr. 10,26; Ἠλάμ.

5. Alter princeps familiae, cuius filii duce Zorobabel ex captivitate redierunt Esdr. 2,31, Ἠλαμάρ; Neh. 7,34, Ἠλαμάρ. Mirum est, quod hi quoque 1254 numero redierint; attamen hi filii Aelam addita voce *alterius* explicite a filiis istius prioris distinguntur.

6. Nomen principis populi inter signatores foederis (Neh. 10,14 [15]; Ἠλάμ.

7. Levita tempore Nehemiae (Neh. 12, 41 [42]; B A omitt.).

AELAM (עֵילָם, Αἰλάμ, nomen regionis et gentis. Gens aelamitica ad Sem refertur Gen. 10,22; 1 Par. 1,17. Iam Gen. 14,1. 9 rex Aelamitarum Chodorlahomor (vide s. v.) reperitur. Aelamitae etiam inter eas gentes erant, quas Asenaphar (Asurbanipal, Sardanapallus) in regionem samaritanam transtulit (Esdr. 4,9) et quamquam complures ex illis gentibus iam Asarhaddon, pater Asurbanipal, transtulerat (cf. Esdr. 4,2), Aelamitae certe non ab Asarhaddon, sed ab Asurbanipal translati sunt (v. ASENAPHAR). Tempore messianico ab Aelam quoque Deum vocaturum esse residuum populi sui Isaias vaticinatur (11,11). Contra Aelam Ieremias oraculum habet, fore ut vires bellicae Aelamitarum frangantur iique in omnes partes dispergantur; verum in novissimis diebus iis quoque promitti salutem (Ier. 25,25; 49,34-39). Aelam exhortatur Isaias: ascende Aelam (Is. 21,2), scil. ut se parent ad oppugnationem Babylonis et in oraculo adversus Ierusalem prolato vates ostendit Aelamitas, socios Babyloniorum, urbem Ierusalem obsidentes: et Aelam sumpsit pharetram (Is. 22,6) i. e. ascendent Aelamitae arcu insignes et pharetra. Cum Ezechiel interitum hostium Dei describit, inter prostratos etiam cernit

Aelam et multitudinem eius (Ez. 32,24). Daniel cum esset Susis in Aelam regione, vidit visionem de regno secundo et tertio, de ariete et hirco (Dan. 8,2). — Aelamitae quoque die Pentecostes, cum Spiritus sanctus in apostolos descenderet, in Ierusalem erant (Act. 2,9).

Regio Aelam sita erat a Tigride inferiore orientem versus, a sinu Persico septemtrionem versus usque ad Assyriam et Mediam; complectebatur eosdem fere tractus, quos postmodum Susiana et Elymais. Accuratior determinatio finium antiquae regionis Aelam fieri nequit; addere tamen iuvat nunquam intra limites Aelam comprehensam fuisse Persiam, ut Flav. Iosephus (Ant. I. 6,4) aliique opinati sunt. Nomen assyriacum regionis est *'Ilam* seu *'Ilamtu*, *'Ilamti* i. e. montana, quo nomine regio apte describebatur a Babyloniis planitiem incolentibus, nomen persicum *Uvaya*, hodiernum Khuzistan. Aelam duas urbes principales habebat: Susun vel Susan iuxta fluvium Ulai seu Eulaeum et Anzan vel Ansan magis Babyloniam versus inter meridiem et occidentem. Ab istis duabus urbibus nomen habebant duae provinciae *Susinak* seu Susiana et Anzan. Provincia Anzan maiorem extensionem habebat, quam Susiana et aliquo tempore pro tota regione Aelam usurpabatur. In inscriptionibus babylonicis Cyrus, rex Persarum, semetipsum et suum patrem, avum, proavum titulo regis Anzan insignire solet, non regis Aelam.

De lingua Susiana, qualem ex inscriptionibus novimus, nihil certi statui potest; videtur partim sumerico-accadicae, partim protomedicae affinis, partim etiam sui iuris esse. Ceterum nomina geographica in regione Aelam ut plurimum sunt semitica, unde apparet regionem saltem magna ex parte in Semitarum manibus fuisse.

Cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. 96; II. 64. 276. 293. 294; *F. Delitzsch*, Paradies p. 320 s.; *I. Oppert*, Les inscriptions en langue susienne [Mémoires du Congrès international des orientalistes de Paris II. 1873, p. 72-216]; *A. H. Sayce*, The languages of the cuneiform Inscriptions of Elam [Transactions of the Society of Biblical Archaeology III. 1874, p. 465-485]; *A. H. Sayce*, The inscriptions of Mal-Amir [Actes du sixième Congrès international des orientalistes, tenu en 1883 à Leyde, II. p. 637-756]; *A. Quentin*, Textes susiens [Journal asiatique, Paris XVII. 1891, p. 150 s.]; *Th. Nöldeke* in Nachrichten von der Göttinger Gesellschaft der Wissenschaften 1874, p. 173 s.

AELATH (ita 4 Reg. 14,22; Elath Deut. 2,8; Aila 4 Reg. 16,6; Ailath 3 Reg. 9,26; 2 Par. 8,17; 26,2; אֵילַת, etiam אֵילוֹת; Αἰλάθ plerumque, sed Αἰλών Deut. 2,8; Αἰλώθ 4 Reg. 14,22), urbs cum portu ad sinum eius nomine Aelaniticum appellatum in ditione Edomitarum. Prima urbis mentio fit Gen. 14,6 hebr. (cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.); El Pharan enim non est planities Pharan, sed probabilissime Aila, Aelath ad orientem deserti Pharan, in ipso limine deserti Pharan (apud LXX ἡ τερέμινθος τῆς Φαράν). Anno quadragesimo migrationis Israelitae de monte Hor iter meridiem versus direxerunt i. e. versus Elath et Asiongaber, ut montes Edom circumirent (Deut. 2,8; sed v. ASIONGABER). Cum David universam Idumaeam sibi subiiceret, etiam Aelath ad eius regnum pertinuisse censendum erit; cui plane congruit, quod Salomon rex classem sibi fecit in portubus Asiongaber et Aelath ad oram maris Rubri in terra Edom (3 Reg. 9,26; 2 Par. 8,17). In diebus regis Ioram filii Iosaphat recessit Edom, ne esset sub Iuda et constituit sibi regem (cf. 4 Reg. 8,20); unde Aelath quoque regno Iudae erepta est. At Ozias (seu Azarias) rex eam urbem ditioni Iuda restituit ac munitionibus auxit (4 Reg. 14,22; 2 Par. 26,2). Verum mox regnante Achaz Rasin rex Syriae eam Iudaeis eripuit et Idumaei (vel Aramaei i. e. colonia aramaica, ut *Keil* et alii *Kethib* interpretantur) venerunt in Ailam et habitaverunt ibi usque in diem hanc (4 Reg. 16,6). — Onomast. (*ed Lag.* 84,25; cf. 210,75): « Ailath in extremis finibus Palaestinae iuncta meridianae solitudini et mari rubro, unde ex Aegypto Indiam et inde ad Aegyptum navigatur; sedet autem ibi legio Romana cognomento decima. ». Eadem scribitur apud *Flav. Ioseph.* (*ed. Niese*) Ant. VIII. 6,4: Ἴλανις quae nunc Berenice vocatur, IX. 12,1: Ἠλαθούς,

apud *Ptolem.* V. 17,1 : Ἐλάνα *ed. Müller-Fischer* 16,1 : Αἴλανα, apud *Strab.* XVI. 4,4 : Αἴλανα, apud *Plin.* V. 11,65. VI. 28,156 Aelana. *Theodoretus* in Ier. 49,35 Aelath urbem, quam cum regione Aelam confundit, sic describit : « Aelam urbs est sita ad extremam partem maris Rubri. Erat autem haec quondam emporium insigne; unde nunc etiam solvunt, qui navigant ad Indos ». Situs urbis hodie audit *'Aqaba* (i. e. declivitas, descensus in termino aquilonari sinus *'Aqaba*; cernuntur ibidem ruinae castelli, quod tempore Abulfedae circa 1300 p. Ch. inserviebat ad protegendos Muhamedi cultores ex Aegypto Meccam tendentes, et circa castellum nonnullae casae.

Sunt qui putent ad Aelath etiam referendum esse Ela אֵלָה ducem Esau (Gen. 36,41; 1 Par. 1,52), supponentes nomina ducum Esau esse nomina et tribuum et pagorum (*F. de Hummelauer* ad Gen. 36,41). Idem innuere videtur Onomast. (*ed. Lag.* 121,16; cf. 258,57) : « Elath regio principum Edom et civitas Esau in decimo a Petra miliario contra orientem. » Sed nostra Aelath est a Petra meridiem versus.

Cf. *Reland*, Palaestina 1714, p. 554-558; *Robinson*, Palaestina 1841, I. p. 280-284; *Ritter*, Erdkunde XIV. p. 49 et saepius; *I. L. Burckhardt*, Reisen in Syrien, Palaestina, *ed. W. Gesenius* p. 827 s. 1074; *M. Jullien*, Sinai et Syrie, Lille 1893, p. 54. 56; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 1643-1645.

AEN v. AIN.

AENEAS (Αἰνέας) paralyticus a S. Petro Lyddae sanatus Act. 9,33. 34), Hellenista ut ex graeco nomine concludere licet. Non explicite discipulus appellatur, dum versu proximo (9,35) Tabitha discipula vocatur; nihilominus cum a Petro visitetur et nomen Domini Iesu Christi noverit, christianus fuisse dicendus est (*Patrizi*, *Belser*, *Felten*, *Knabenbauer* ad h. l.).

AENGANNIM v. ENGANNIM.

AENNON (Αἰνών) Io. 3,23 : « Erat autem et Ioannes baptizans in Aennon iuxta Salim, quia aquae multae erant illic ». Copia aquae ipso nomine Αἰνών indicatur, in quo graeca transcriptio formae pluralis aramaicae עֵינָן (fontes) facile agnoscitur. Ex Io. 1,28 et 3,22. 26 colligitur Aennon ab occidente Iordanis fuisse. Tempore Eusebii et S. Hieronymi (Onomast. *ed. Lag.* 229,88; 99,22) ostendebatur hic locus 8 mil. pass. a Scythopoli (Bethsan) meridiem versus iuxta Salim et Iordanem. Addit S. Hieronymus s. v. Salem (*ed. Lag.* 149,15) : in octavo quoque lapide a Scythopoli in campo vicus Salumias appellatur. Alibi (Ad Evangelum, Epist. 73, n. 7; *M.* 22, 680) notat : oppidum iuxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur Salem et ostenditur ibi palatium Melchisedech ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnificentiam; ex num. 8 eiusdem epistulae apparet haec a S. Hieronymo referri ad Salim Io. 3,23. Locum a S. Hieronymo indicatum satis certo determinare non est difficile. Circiter 12 km a Bethsan meridiem versus cernuntur ruinae *Umm el-'Amdān*, prope quas septem fontes in circulo satis angusto conclusi scaturiunt; vicinus est collis *Tell Ridhgha*, in cuius vertice sepulcrum *Sheikh Sālim* ab Arabibus colitur. Unde *Wilson* in *Smith-Fuller*, Dict. of the Bible s. v. Aenon merito asserit, illos fontes prope *Umm el-'Amdān* designare locum ab Eusebio et S. Hieronymo indicatum. Cum situ modo descripto fere coincidit *'Ain el-Shemsiye* quod alii proponunt. Conferri possunt, quae S. Silvia Aquitana (Peregrinatio ad loca sancta *ed. P. Geyer*, Itinera hieros. 1898, p. 56-58) narrat de vico *Sedima*, ante Salem dicto, in valle Iordanis amoenissima ac de vicino horto S. Ioannis, in quo ei fons ostendebatur, « ubi parebat fuisse operatum sanctum Ioannem Baptistam ». In eadem regione, sed ad orientem Iordanis nuperrime *C. Mommert* (Aenon und Bethania, Leipzig 1903) agnoscit Aennon = *'Ain Djirm*.

Alii situs ab aliis excogitati sunt : fontes in *Wādi Fāra* ad orientem Sichem inter *Salim* et *Ainun* (*Conder*, Tent Work in Pal. I. p. 91-93), *Wādi Salim* et fontes in *Wādi Fāra* prope Ierusalem inter septemtrionem et orientem (*Barclay*, City of the Great King, 1858 p. 558 s.), immo

etiam urbes Selim et Aen Ios. 15,32 in meridiana plaga tribus Iuda sitae (*Mühlau* apud *Riehm-Baethgen*, Handwörterbuch s. v.). Ratio cur aliqui Aennon in Iudaea quaerant, est contextus Io. 3,22 s. (cf. 4,3), quo Aennon in Iudaea postulari supponitur, ubi etiam Iesus baptizabat, non in Samaria. Sed gratuito supponitur Iesum et Ioannem in eadem regione commoratos esse; invidia discipulorum Ioannis etiam excitari poterat, etsi Iesus et Ioannes in locis dissitis versabantur neque discipuli Ioannis cum discipulis Iesu disceptabant, sed cum Iudaeis (Io. 3,25). E contra Ioannem Baptistam ditioni Herodis appropinquasse omnino probabile est, quoniam mox ab Herode in carcerem coniicietur.

AERUGO in *Vulgata* imprimis morbus frumenti vocatur, hebraice יֵרָקוֹן (3 Reg. 8,37) et שִׁדָּפוֹן (2 Par. 6,28) dictus; v. FRUMENTUM n. 6. — Praeterea aerugo dicitur etiam robigo metalli (gr. ἰός Baruch 6,11. 23; Iac. 5,3; cf. Eccli. 12,10; v. METALLA. — In psalmo 77,41 hebr. חָסִיל seu locustae species in Vulgata aerugo explicatur; v. LOCUSTA. — Denique in Evangelio graec. σὴς καὶ βρῶσις i. e. tinea et comestio secundum sensum *aerugo et tinea* redditur (Matth. 19.20); v. TINEA.

L. FONCK.

AES hebraice נְחֹשֶׁת ac graece χαλκός vocatur, quo nomine imprimis cuprum variaque aera cupro temperata comprehenduntur; nomen hebraicum etiam in linguis aramaica, arabica, aethiopica occurit atque aliquantulum mutatum in aegyptiacam (*teḥ* [*ḥ*] *ost*) videtur transiisse quae nomine communiore hoc metallum *chomt* appellabat. Inde a primis temporibus aes in Scriptura frequenter commemoratur, et iam Tubalcain, filius Lamech, « faber in cuncta opera aeris et ferri » dicitur (Gen. 4,22). Saepe cum auro et argento nominatur, ita ut vilius ipsis appareat ac locum suum post argentum, sed ante ferrum et plumbum habeat (Ex. 21,3; 31,4; 35,5 etc.; Num. 31,22; 1 Par. 22,14. 16; 2 Par. 2,7 etc.; Is. 60,17 etc. Dan. 2,32 ss.). Ex verbis Moysis (Deut. 8,9) in montibus terrae Israelitis promissae aeris metalla inveniebantur; atque revera in montibus Antilibani metalla instructa fuisse, ex annalibus Sargonis apparet (*H. Winckler*, Alttestamentl. Untersuch. p. 180). Praecipuae vero aeris fodinae in paeninsula sinaitica exsistebant, ubi pharaones in vallibus hodie *Wādi Maghara* et *Wādi Naṣb* dictis aliisque locis prope *Ṣarbūt el-Khādem* inde a prima aegyptiacae historiae aetate metalla aeraria exercebant. Praeterea etiam ex insula Cypro (aes cyprium, unde cuprum) atque ex variis Asiae interioris locis aeris copia Israelitis facile praebebatur.

Usus aeris praecipuus erat ad varia vasa sacra et profana facienda, unde praesertim in tabernaculo pleraque vasa minora et maiora ex aere constabant (Ex. 26; 27 [*Vulg.* plerumque *aenea*]; 38 etc.) ac pariter in templo hierosolymitano Salomon mare magnum, columnas, vasa plurima aenea fecit (3 Reg. 7; 2 Par. 4 etc.). Etiam cantores « in cymbalis aeneis concrepantes » ante arcam incessisse legimus (1 Par. 15,19; cf. 1 Cor. 13,1). Similiter in usu profano vasa (Lev. 6,28; Ios. 6,19 etc.), specula mulierum (Exod. 38,8), arma bellatorum (1 Reg. 17, 5. 6 38 etc.), catenae captivorum (נְחֻשְׁתַּיִם Iud. 16,21 *Vulg.* catenas; 2 Reg. 3,34 *Vulg.* compedibus, etc.) statuaeque idolorum (Dan. 5,4. 23) ex aere fieri solebant. Artifices autem aerarii in populo Israel non ita multi videntur exstitisse, cum Salomon ad fabricanda vasa sacra « Hiram de Tyro... plenum sapientia et intellegentia et doctrina ad faciendum omne opus ex aere » requisierit (3 Reg. 7,13 s.); qui in campestri regione Iordanis in argillosa terra cuncta vasa fudit (ib. v. 46). — Quoniam aes, licet vilius argento et auro, satis tamen magni pretii habebatur, etiam nummi ex eo fiebant, quales magno numero nobis conservati sunt; unde etiam χαλκός simpliciter pro pecunia adhibetur (Marc. 6,8; 12,41; cf. *aes* in *Vulg.* Luc. 21,2; Ioan. 2,15).

Sensu minus proprio ponitur aes tamquam symbolum roboris ac fortitudinis (Ier. 1,18; 15,20; Mich. 4,13 etc.) atque ad designandam quamcumque duritiem

(Lev. 26,19 terra aenea; Deut. 28,23 caelum aeneum; Iob 6,12 caro aenea; Is. 48,4 frons aerea; Zach. 6,1 montes aerei; de Dan. 2,39 « regnum aereum » cf. comment.) etiam sensu vili et contemptibili de corruptis primatibus populi (Ier. 6,28 et de domo Israel perversa (Ez. 22,18) adhibetur. — Alia. v. in art. METALLA.

Cf. *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterthumsk. IV. 1. p. 56-60; *R. Robinson*, Palaestina I. 126-9; *C. Ritter*, Erdkunde XIV. 755 s. 785-90; 799-808; *I. Duns*, Bibl. Nat. Science I. 153-7; II. 171 s; *Fr. Gensler* in Ztschr. f. aeg. Spr. X. 1870, 137-50; *R. Lepsius*, Die Metalle, Philol. u. histor. Abhand. Berl. Akad. 1871, p. 91-102; 119 s.; *G. Ebers*, Durch Gosen zum Sinai, Leipzig 1872, 145-63; 447-56; 536-62; 592-4; *Leunis-Senft*, Synopsis III. 1 p. 299-302; *A. Erman*, Aegypten p. 620-2. *F. Vigouroux*, Mélanges bibliques *ed.* 2, Paris 1889; p. 257 ss.; *I. H. Gladstone* in Proceed. Soc. Bibl. Arch. XII. 1890, 227-34; *M. Jullien*, Sinai et Syrie, Lille 1893, p. 73-77; *W. M. Müller*, Asien u. Europa, Leipzig 1893, 126 s.; *Baedeker-Benzinger*, Palaestina *ed.* 4,212. 218 s. 238 s.

L. FONCK.

AETERNITAS, AETERNUS. Cum in *Vulgata* vox hebraea עוֹלָם saepissime reddatur per adiectivum aeternus, haec vox omnes illas induit notiones quas habet vel pro quibus usurpatur vox hebraea. Dicitur itaque de aliquo tempore valde remoto, longissimo; ita colles vocantur aeterni (Gen. 49,26; Deut. 33, 15), quia ab antiquissimo tempore consistunt; eodem modo saepissime id vocatur aeternum quod firmiter et stabili modo permanere debet; unde frequenter dicitur pactum, foedus aeternum (Gen. 17, 13; Lev. 25,46; 2 Reg. 23,5; Eccli. 45,8. 19. 30 etc.). Simili modo dicitur aeternum quod semper valere debet; ita pro hebr. תָּמִיד Ex. 28,29; quod pro tota vita alicuius consistere debet : serviet tibi usque in aeternum (Deut. 15,17; cf. Ex. 21,6) vel quod pro aliqua gente quamdiu exsistet observari debet: mamzer non intrabit in Ecclesiam Dei usque ad decimam generationem; Ammonites et Moabites non intrabunt in aeternum (Deut. 23,3; Neh. 13,1). Hyperbolice adhibetur in salutatione : rex in aeternum vive (3 Reg. 1,31; Neh. 2,3; Dan. 3,9). Praeter עוֹלָם etiam quandoque לְנֵצַח exprimitur : in aeternum (Iob 4,20; Ps. 48,20 ; frequentius tamen : in finem; item לָעַד in aeternum (1 Par. 28,10; Prov. 29,14; cf. Is. 57,15).

Notio verae aeternitatis voci inest, quando de Deo adhibetur : Deus aeternus (Gen. 21,33); vivo ego in aeternum (Deut. 32,4). Ad quam notionem exprimendam saepe duae voces usurpantur : Dominus regnabit in aeternum et ultra (Ex. 15,18), fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates (Dan. 12,3); Dominus regnabit in aeternum et in saeculum saeculi (Ps. 10,16 sec. hebr.). Dei aeternitas declaratur dictione : ab aeterno in aeternum (Ps. 102,17) et : a saeculo et usque in saeculum tu es Deus (Ps. 89,2), Deus aeternus in saecula et potestas eius usque in aeternum. Ceterum notio durationis aeternae aliis quoque modis exprimitur : negatione : mitti in ignem inexstinguibilem; in gehennam, ubi vermis eorum non moritur et ignis non exstinguitur (Marc. 9,44 s.); non habent requiem die ac nocte, fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum (Apoc. 14,11).

Quamvis notio *vitae aeternae* qua apud Deum pii fruentur in antiquissimis libris Scripturae explicite non enuntietur, tamen ea clare indicantur, ex quibus haec notio necessario consequitur. Clare enim nota supponitur immortalitas animae, seu vita post mortem corporis; Deus proponitur is qui est; foedus initur ita ut Iahve sit Deus foederis, qui se dicit Deum Abraham, Isaac et Iacob. Proin consequitur facile, pactum et foedus consistere quamdiu paciscentes exsistunt; nam si Deus se dicit Deum alicuius (« ut sim Deus tuus et seminis tui » Gen. 17,7; « ero Deus eorum » v. 8 etc.), eo ipso se profitetur largitorem bonorum pro omni tempore quo ille exsistit. Vitam cum Deo et apud Deum post commorationem terrestrem iam indicatur dari Gen. 5,24 : Henoch ambulavit cum Deo et non apparuit, quia tulit eum Deus, et explicite enuntiatur in Psalmis; ita 15,10 postquam de morte sermo illatus est, pergitur : adimplebis

me laetitia cum vultu tuo; similiter 16, 15 et cumprimis 48,15. 16 : verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me; id quippe dicitur, postquam antea impii et iusti post mortem ita descripti sunt : sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos, et dominabuntur eorum iusti in matutino. Huic consonum est illud Ps. 72,26 : Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum. Unde clare enuntiatur : revertetur pulvis in terram suam unde erat et spiritus redibit ad Deum qui dedit illum (Eccl. 12,7); haec vita coram Deo post mortem etiam a Iobo significatur (19,25-29) et declaratur, quotiescumque misericordia Domini, salus Domini dicitur aeterna, sempiterna, futura in aeternum (2 Par. 5,13; 7,6; Ps. 135,1 s.; Is. 51,6 : coeli sicut fumus liquescent, terra sicut vestimentum atteretur, habitatores eius sicut haec interibunt : salus autem mea in sempiternum erit et iustitia mea non deficiet). Quae notio praeclare quoque exprimitur Dan. 12,2. 3 : multi de his qui dormiunt in terrae pulvere evigilabunt; alii in vitam aeternam et alii in opprobrium ut videant semper; qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates. Atque eximie quoque id proponitur in libro Sapientiae : iustitia enim est perpetua et immortalis (1,15); Deus creavit hominem inexterminabilem, invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum (2,23); sed iustorum animae in manu Dei sunt; visi sunt oculis insipientium mori,... illi autem sunt in pace; spes illorum immortalitate plena est (3,1-9); iusti in perpetuum vivent et apud Dominum est merces eorum; accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini (5,16). Vitam aeternam profitentur etiam martyres illi pro lege paterna 2 Mach. 7,9 : rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit; nam fratres mei modico nunc dolore sustentato sub testamento aeternae vitae effecti sunt (2 Mach. 7,36).

Frequentius multo sermo fit de vita aeterna in Novo Testamento. Et quantum bonum in ea contineatur, iam inde elucet quod Incarnatio et mors Christi in id tendunt ac diriguntur, ut hominibus haec vita aeterna contingat : sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam — exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam (Ioan. 3,14-16). Et Christus venit, ut vitam habeant et abundantius habeant (Ioan. 10, 10); ipse dat ovibus suis vitam aeternam (Ioan. 10,28). Iam tamquam conditia assequendi vitam aeternam postulatur observatio mandatorum : si vis ad vitam ingredi, serva mandata, respondet Iesus quaerenti : quid faciendo vitam aeternam possidebo? (Matth. 19,16; Marc. 10, 17; Luc. 18,18). Postulatur fides in Iesum : qui credit in Filium, habet vitam aeternam — amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam — haec est voluntas Patris, ut omnis qui videt Filium et credit in eum habeat vitam aeternam — amen, amen dico vobis qui credit in me habet vitam aeternam — qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam (Ioan. 3,36; 5,24; 6,40. 47. 55). Quae vita acquiri non potest, nisi spretis deliciis peccaminosis; immo etiam pretio ipsius vitae temporalis est emenda : quam angusta porta et arcta via est, quae ducit ad vitam (Matth. 7, 14); qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam (Ioan. 12,25; cf. Matth. 10,39; 16,25; Marc. 8,35; Luc. 17,33). Contingit hominibus vita aeterna ex gratia Dei (Rom. 6,23), iis scil. qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt (Rom. 2,7), quibus Deus coronam tribuit iustitiae iustus iudex (2 Tim. 4,8).

Haec vita aeterna proponitur tamquam futura, ad quam a Deo vocati sumus (1 Petr. 5,12; Rom. 6,22; Col. 3,4; Apoc. 2,10 etc.); nihilominus iam haberi dicitur (Ioan. 3,36; 5,24; 6,40 etc.); nam baptismo et complantatione cum Christo efficimur membra Christi capitis (Rom. 6,4 s.); Deus enim convivificavit nos in Christo et conresuscitavit et consedere

fecit in coelestibus in Christo Iesu (Eph. 2,6). Huius enim vitae radicem iam hisce in terris habent iusti, id quod Christus indicat dicens : aqua quam ego dabo fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam (Ioan. 4,14). Habent vitam aeternam quia « vivo iam non ego, vivit vero in me Christus » (Gal. 2,20), quia Christum induerunt (Gal. 3,27); si autem Christus in iis est, spiritus vivit propter iustificationem (Rom. 8,10). Iesus enim est vita (Ioan. 11,25; 14,6); unde qui cum eo complantatur, de morte transit ad vitam (Ioan. 5,24), quae indole sua et destinatione tendit ad vitam aeternam.

Haec autem vita aeterna describitur nobis a Christo : recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno coelorum (Matth. 8,11), tamquam convivium nuptiale (Matth. 25,10), beati servi illi quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes : amen dico vobis, quod praecinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis (Luc. 12,37). Proin ipse Dominus quasi suam in eo collocat operam, ut illi summopere beentur; unde : euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui (Matth. 25,20. 23). Consistit in intima et beata Dei cognitione : haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te et quem misisti Iesum Christum (Ioan. 17,3). Quae cognitio describitur ab apostolo : tunc videbimus facie ad faciem; tunc cognoscam sicut et cognitus sum (1 Cor. 13,12). Qua cum cognitione ingens gaudium coniungitur; videbimus enim eum sicuti est; nam ei erimus similes (1 Ioan. 3,2); ipse autem intravit in gloriam suam (Luc. 24,26). Quod vero Deus praeparavit suis, omnem excedit cogitandi vel imaginandi mensuram; nam : oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit quae Deus praeparavit illis qui diligunt eum (1 Cor. 2,9); quare alibi haec vitae aeternae beatitas exhibetur tamquam hereditas qua in ipsa bona et possessiones Dei et Christi ingredimur : heredes Dei et coheredes Christi (Rom. 8,17), unde apostolus etiam loquitur de immenso quodam gloriae pondere : quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur (2 Cor. 4,17).

Uti aeternitas vitae iustorum clare efferfertur, ita quoque aeternitas suppliciorum pro peccatoribus. Haec enim aeternitas iam enuntiatur omnibus illis locis, in quibus Christus loquitur de igne qui non exstinguitur, de igne inexstinguibili (Matth. 3,12; Marc. 9,42. 43 s.); elucet ex sententia iudicis : discedite a me maledicti in ignem aeternum (Matth. 25,41), cuius exsecutio describitur : et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam (l. c. v. 46). Indicatur quoque, si apostolus recitatis variis peccatorum generibus concludit : qui talia agunt regnum Dei non possidebunt (1 Cor. 6,9. 10; Gal. 6,19-21; cf. Apoc. 21,8). Quae aeternitas iam affirmatur Dan. 12,2; haec colligitur ex querelis impiorum (Sap. 5,4-15); haec designatur nomine mortis secundae (Apoc. 21,8), et stagni ignis et sulphuris, ubi cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum — et qui non inventus est in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis (Apoc. 20,9. 15; cf. 14,11). Quae aeternitas quoque declaratur, si Christus loquitur de peccato quodam quod neque in hoc saeculo neque in futuro remittetur (Matth. 12,32; Marc. 3, 29) et pariter, cum affirmetur inter eum qui in flamma cruciatur et Lazarum in sinu Abraham recumbentem firmatum esse chaos magnum, ut hi qui volunt hinc transire ad vos non possint neque inde huc transmeare (Luc. 16,26).

AETHIOPES explicatur hebr. ציים Ps. 71,9 et 74,14. In priore loco ex membro parallelo fortasse צרים *inimici* cum *Olshausen* aliisque legendum erit. In altero feles ferae vel alia deserti animalia designantur. V. DRACO n. 6.

AETHIOPIA, AETHIOPS (כוּשׁ, Αἰθιοπία, Αἰθίοψ). Ea natio originem traxit a Chus (v. s. v.) filio Cham. Primas sedes habuit prope paradisum Gen. 2,13, ubi iam distinctas effloruisse tribus prodit nomen Hevila v. 11. Nemrod Cushita regnum fundavit Babylone Gen. 10,8-12. Postea in Arabiam primum commigrarunt Cushitae (Saba, שְׁבָא = Sabaei),

inde traiecto mari in Africam, ubi Chus est nomen Aethiopiae; assyr. *kus*, aeg. *kes*. Alio nomine Assyrii regionem vocabant *Milukhkhi*. Aethiopia (Chus) ita copulatur cum Mesraim (Aegypto), Phuth et Lud (Is. 45,14; Ier. 46,9; Ez. 30,5; Dan. 11,43; Nah. 3,9 etc.), uti Gen. 10,6. 13 Chus cum Mesraim, Phuth, Ludim. Incipiebat Aethiopia a Syene urbe; modo longius, modo propius Abyssiniam versus pertingebat. Antiquitus Pharaones solos in Nubia Nigritas obiectos habuerant. Primus Usertesen I. 12ae dynastiae pharao ibidem Cushitas offendit. Plura pharaones contra eosdem bella gesserunt, quoad Thotmes I. regionem in provincias divisit, colonos misit, templa exstruxit. A dynastia 18. ad 20. novimus fere omnes, qui regioni praefuerunt, satrapas titulo « principes Chus » insignitos. Paulo post formabatur in Aethiopia potens illud regnum, cuius caput Napata urbs ad Nilum sita prope *Djebel Barkal*. Ubi extrema dynastia 23. regnabat *Pianchi*, qui anno regni 21. omnes Aegypti regulos subegit. Hac fortasse vel simili ante hanc occasione Zara Aethiops 2 Par. 14,9 ss. (cf. 16,8) cum decies centenis millibus in Iudaeam irruptionem fecit, regnante ibidem Asa. Dynastia vero 25a tota exstitit Aethiopum. Quorum primus *Sabaco* (4 Reg. 17,4 סוֹא vel fortasse verius סִוֵּא, assyr. *Sab'i*) Assyrios in Asia anteriore coercere aggressus est. Sed Sargon II. eius consilia praeveniens anno 720 regnum Emath provinciam fecit assyriam Aegyptiosque Gazaeis sociatos in ipso limine Aegypti apud Raphiam devicit. Ad eundem Sabaconem nuntios miserat Osee, rex Israel, denegato Assyriis quod ante pependerat tributo; quam ob rem a Sargone in carcerem coniectus et brevi post Samaria capta est. Rursum anno 711 Sargoni pugnandum fuit contra Azotios : quorum regulum Iaman fugitivum Aegyptii adiuvare non sunt ausi, sed catenis vinctam Assyriis tradidere. Sabaconi successit filius *Sabataca*, Sargoni Sennacherib anno 705. Quo tempore regna Chanaanitidis omnia contra Assyrios insurrexere. Quibus iunctus est Ezechias rex Iuda. Sed cito accurrens Sennacherib alios terorre compulsos in deditionem recepit, Ascalonem expugnavit, Aegyptiorum exercitum prope Elthece (Ios. 19,44, tribus Dan fudit. Allatus est circa illud tempus (c. 702) nuntius *Tharacam*, Aethiopum regem, cum exercitu appropinquare (4 Reg. 19,9; Is. 37,9). Imperaveritne iam tum Tharaca Aegypto, an a Sabataca ex Aethiopia in auxilium sit accitus, tanto facilius transmittere possumus, quod is tum reapse contra Assyrios in aciem non videatur esse progressus. Sennacherib vero fines Aegypti ingressus Dei interventu ad ignominiosissimam fugam compulsus est. Sabatacam Tharaca adortus trucidavit. Brevi post regem Tyri, ut ab Assyriis deficeret, induxit 672. Sed 671 Asarhaddon, Tyro obsidione cincta, tribus proeliis Aegyptios devicit, Memphi potitus est, Tharacam ut in Aethiopiam se reciperet compulit. Mortuo Asarhaddone 668 revertitur Tharaca, sed proelio superatus a tartano (i. e. duce militari), quem submiserat Assurbanipal, primum Thebas, inde in Aethiopiam refert pedem. Mortuo succedit privignus *Urdamanu*. Qui Aegypto rursus potitus tamdiu Memphi substitit, ut ibi duas porticus templo Ptah addiderit. Appropinquante tandem Assyriorum exercitu sine proelio, uti videtur, in Aethiopiam secessit. Celebris eo aevo exstitit *Ameneritis*, regis cuiusdam Aethiopis (?) Kashta filia, Sabaconis soror, alterius cuiusdam regis Pianchi uxor, cuius plura per Aegyptum reperta sunt monumenta; filia vero Shepenapet nupsit Psammeticho I., a quibus nuptiis Saitae 26ae dynastiae ius nacti sunt imperandi toti Aegypto. Quo tempore reges Aethiopes in Asia anteriore cum Assyriis decertabant, uti patet, prophetae etiam Aethiopiae meminerunt : Is. 18; 20; cf. 43,3; 45,14; Ier. 46,9; Ez. 29,10; 30,4. 5. 9. Cambyses Aethiopiam subegit, sed ea mox defecit, quare Esth. 1,1; 8,9; 13,1; 16,1 regnum Persarum ad eam usque pertingere scribitur. — 2 Par. 21, 16 et Iudith 1,9 agitur sane de Cushitis Arabiae. Cf. etiam CANDACE.

AFFINITAS v. MATRIMONIUM.

AFRICA. Quod Is. 66,19 hebr. habetur : in Phul et Lud (LXX Φούδ, Λούδ,

vertitur in *Vulg.* in Africam et Lydiam. Pro hebr. Phut quod nomen alibi non reperitur legendum erit cum LXX מיט Phut, qua appellatione oram maritimam designari putant haud pauci cui hodie nomen Somali. Eodem modo Nah. 3,9 legitur in *Vulg.* : Aphrica et Libyes erunt in auxilio tuo, ubi hebr. Phut et Lubim. Plura vide s. v. PHUT.

AFRICUS v. VENTI.

AGABUS (Ἄγαβος) propheta christianus (Act. 11,28; 21,10. 11). Priore loco legimus Agabum cum aliis prophetis Hierosolymis Antiochiam venisse ac per Spiritum significasse famem magnam futuram in universo orbe terrarum; ibidem additur famem illam sub Claudio factam esse (11,28). Notandum est Agabum famem quandam praedixisse non certo anno futuram neque uno eodemque tempore ubique futuram. Iamvero Claudio imperatore (41-54 p. C.) assiduae sterilitates in imperium romanum ingruebant (*Sueton.* Claud. 18). Famis ingentis, quae anno secundo Claudii erat, meminit Dio Cassius (60,11). Decem fere annis post, anno undecimo Claudii, Romae frugum egestas et orta ex eo fames praevalebat (*Tacit.* Annal. 12,43). Octavo vel nono anno Claudii annona in Graecia saeviebat (*Euseb.* Chron. II. *M.* 19,542; vel ed. *Schoene* II. 152 s.). Eodem Claudio regnante Iudaea fame afflicta est, cum procuratores ibi essent Cuspius Fadus (44-?) et eius successor Tiberius Alexander (?-48), ut refert Flavius Iosephus (Ant. III. 15,3; XX. 2,5; 5,2); annona haec ad solam Iudaeam videtur restringenda esse, quoniam Iosephus *loc. cit.* narrat liberalitate Helenae reginae Adiabenorum frumentum grandi pecunia ex Aegypto et Cypro coemptum egenis distributum esse. Ceterum etiam Act. 11,29 suadetur Antiochenos verba Agabi de annona Iudaeae praesertim imminente intellexisse, cum de se nihil solliciti Iudaeis opem ferendam esse decernerent. — Altero loco (Act. 21,10. 11) cum Paulus Hierosolyma profecturus (58 p. C.) Caesareae in domo Philippi evangelistae et diaconi moraretur, Agabus propheta ex Iudaea illuc veniens vaticinatus est S. Paulum a Iudaeis in Ierusalem alligatum ac manibus gentium traditum iri; notatu dignum est Agabum prophetantem actione symbolica zonam Pauli tulisse sibique manus ac pedes alligasse, sicuti in Vet. Test. prophetae actionibus symbolicis utebantur ad vaticinia sua prodenda.

AGAG אֲגַג Ἀγάγ) videtur fuisse nomen regibus Amalecitarum commune, uti Pharao regibus Aegypti. Nomen iam reperitur in vaticinio Balaam Num. 24,7 quo praedicitur regnum Israel fore potentius quam regnum Agag (attamen v. *F. de Hummelauer* ad h. l.). Eodem nomine vocatur rex Amalecitarum, contra quem Saul bellum gerere iubetur (1 Reg. 15,8. 9. 20. 32). Saul ei pepercit, quamvis iussus esset scelera eius morte inflicta punire : vade et interfice peccatores Amalec et pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum (v. 18). Quare Saul audit a Samuele : pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex (v. 23) et Samuel ipse sententiam mortis in Agag a Deo latam exsequitur dicens : sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua — et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis (v. 33).

AGAG, AGAGITES. Aman vocatur האגגי Esth. 3,1. 10; 8,35; 9,24; *Vulg.* Agagites, de stirpe Agag 3,1. 10; 8,3; 9, 6. 24; et Bugaeus 12,6; LXX Βουγαῖος 3, 1; 9,10; ὁ Μακεδών 9,14. Censebant plerique interpretes Aman fuisse Amaleciten (ut *Fl. Ioseph.* Ant. XI. 6,5 asserit), ex prosapia Agag filii Amalec (ut *Targum Esther* interpretatur). Verum animadvertit *Oppert* (Commentaire historique et philologique du livre d'Esthèr 1864, p. 13. 14) ex inscriptionibus cuneiformibus in Khorsabad inventis terram Agag probari Mediae partem fuisse; cf. *Fillion*, La Sainte Bible commentée ad Esth. 3,1.

Quonam sensu Aman Bugaeus vocetur, plane incertum est. Idem epitheton apud Homerum (Odyss. 18,79; Il. 13, 824) designat immodicum sui aestimatorem, iactatorem.

AGAPE, AGAPAE (ἀγάπαι); nomen hoc apud scriptores ecclesiasticos

usitatum est pro conviviis Christianorum quae ante celebrationem Eucharistiae olim haberi solebant, quibus pauperes simul cum ditioribus accumbebant ditioribus ea quae necessaria erant suppeditantibus. De iis conviviis agit S. Paulus 1 Cor. 11,17 s. et ea indicantur Act. 2,46 et fortasse etiam 20,7. Vox ipsa ἀγάπαι ea notione legitur in epistula Iudae v. 12 : hi sunt in epulis suis (ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν) maculae, convivantes sine timore etc., quibus verbis apostolus invehitur in falsos doctores et seductores, qui luxuriae dediti sunt. Item legitur 2 Pet. 2,13 : in conviviis suis luxuriantes (ἐν ταῖς ἀγάπαις αὐτῶν συνευωχούμενοι) saltem secundum lectionem codicis Vaticani et lectionem correctam in codice Alexandrino et lectionem *Vulg.* et versionem aeth. sah. et lectionem quam praebent S. Ephraem et auctor de singularitate clericorum (cf. *Tischendorf*, Novum Testamentum graece, ed. 8 critica maior II. p. 309); altera lectio communior habet ἐν ταῖς ἀπάταις.

Verum mox epulae illae a celebratione Eucharistiae separabantur (cf. *Tertull.* Apol. 39). Immo *Batiffol* contendit nunquam cum Eucharistia eiusmodi epulas fuisse coniunctas, sed voce illa significari vel Eucharistiam solam vel eleemosynas; cf. Études d'histoire et de théologie positive, Paris 1902, p. 270 ss.

AGAR (הָגָר, Ἄγαρ), Aegyptia, ancilla seu serva Sarai uxoris Abraham. Cum Sara ipsa esset sterilis, Abraham ipsa suadente ex Agar genuit filium Ismael. Verum eo favore Agar superbire coepit et Sara conquesta est quod ab ancilla despectui haberetur. Quare Abraham permisit, ut Sara illam affligeret. Unde Agar fugit; at angeli monitu revertit (Gen. 16,2-16). Postea, cum Ismael filium Sarae Isaac despiceret, Sara postulavit, ut Agar cum filio eiiceretur. Abraham a Deo admonitus acquievit et Agar dimisit. Erravit illa in deserto Bersabee, ubi miro Angeli Dei interventu et sortem filii futuram didicit et puerum siti laborantem refecit (Gen. 21,9-21).

Filii Agar i. e. Ismaelitae dicuntur Bar. 3,23 exquirere prudentiam (σύνεσιν) quae de terra est; filii Ismael recensentur Gen. 25,13 s.

AGARAI (הַגְרִי, Ἀγαρί), pater Mibahar herois davidici (1 Par. 11,38); sed v. BONNI 1.

AGARENI, AGAREI (הַהַגְרִיאִים, הַגְרִים; οἱ Ἀγαρηνοί, Ἀγαραῖοι), tribus arabica. Tempore Saul Rubenitae Agarenos devicerunt eorumque sedes ad orientem Galaad occuparunt (1 Par. 5, 10). Posteriore aliquo tempore Rubenitae, Gaditae, Manassitae transiordanici Agareos cum Ismaelitis Ietur, Naphis, Nodab foedere iunctos debellarunt, ingentem praedam 50.000 camelorum, 250.000 pecudum generis caprini et ovini, 2.000 asinorum, 100.000 virorum ceperunt, pascua Agareorum usque ad captivitatem assyriacam occuparunt (1 Par. 5,19-22). Erant igitur Agarei populu pastorius; idem eo confirmatur, quod tempore David super oves praepositus erat Iaziz Agareus (1 Par. 27,31; ὁ Ἀγαρίτης, B ὁ Γαρείτης). Cum contra Iosaphat regem Iuda Moabitae et Ammonitae ab Assyriis instigati magnum populorum vicinorum foedus excitarent, Agareni iis se iunxerunt (Ps. 82 [83],7; cf. 2 Par. 20; *Flav. Ioseph.* Ant. IX. 1,2). — Iidem cum Agareis sine dubio sunt Ἀγραῖοι (*Strabo* XVI. 4,2; *Ptolem.* V. 19,2 [*ed. Müller-Fischer* V. 18]) et Agraei (*Plin.* VI. 28,154). Multi existimant Agareos nomen suum sortitos esse ab Agar matre Ismael tum propter nominis similitudinem, tum quia 1 Par. 5,19 foedere iuncti erant cum tribubus Ietur et Naphis filiorum Ismael. Ex altera parte ab Ismaelitis distinguuntur Ps. 82 [83], 7. Ceterum admitti potest unam ex tribubus ismaeliticis nomine Agar matris Ismael prae ceteris insignitam fuisse. *Gesenius* (Thesaurus ling. hebr. p. 365) non dubitat, quin Agarei iidem sint cum Gerrhaeis, populo mercatura florentissimo ad sinum Persicum in regione *Bahrein* habitante i. e. in ea parte Arabiae, quae nunc *Hedjar* seu frequentius *el-Hasā* appellatur inter *Nedjd* et sinum Persicum sita. Contra hanc opinionem nimia distantia Galaad inter ac sinum Persicum urgeri non potest. Agareni

enim ab Israelitis transiordanicis devicti ac sedibus pulsi sunt; praeterea vero erant nomades pecorum pabula sequentes ac subinde sedem mutantes. Nomen *Hedjar* seu *Hadjar* non admodum rarum est in Arabia: etiam in *Yemen*, *Hedjis*, *Hadramaut* loca eius nominis inveniuntur. — Cf. *Riess*, Bibel-Atlas: Agareni... nunc *Hadjar* cum urbe principali *el-Ahsa*, antiquitus Gerrha (nunc *Djeraa*).

AGE אגא. Ἄσα, pater Semma, unius ex quattuor principibus Shalishim Davidis (2 Reg. 23,11).

AGGAEUS חגי. Ἀγγαῖος, ἑορτάζων quem nos festivum vel sollemnem possumus dicere, ita S. Hieronymus prolog. in Ioel et ad Agg. 1,1; *M.* 25,948. 1390 decimus est in ordine prophetarum minorum. Munere prophetico functus est anno secundo Darii (Hystaspis) regis; eo proinde tempore quo a reducibus ex exsilio babylonico opus Domini in Ierusalem quod tempore Cyri ob infestationes intermissum erat iterum fieri coeptum est (cf. Esdr. 4,4. 5. 24). Verum aliquam neque parvam intermissionis culpam fuisse apud Iudaeos ex eius sermonibus discimus. Quater eo anno allocutus est reduces; primo, mensis sexti primo die locutus est verba Domini ad Zorobabel et Iesum sacerdotem magnum et ad reliquias populi exprobrans socordiam in aedificatione templi, cum tamen suam quisque domum ad luxum ambitiosum ornet: Dei ea de re indignationem discant ex omnium rerum penuria quam a tempore operis intermissi experti sint. Redeant alacriter ad opus et sciant fore ut Dominus sit propitius (1,1-11). Neque frustra adhortatus est; omnes opus aggrediuntur. Secundo eos alloquitur iussus a Domino versus finem festi tabernaculi i. e. die vigesima prima mensis septimi. Cum enim aliqui recordati splendorem prioris templi de aedificio viliore moestos gererent animos, eos erigit et consolatur dicens templum hoc maiore gloria fore illustre quam prius propter tempus messianum (2,2-10). Tertio eos die 24. mensis noni docet de causis pristinae calamitatis, quia scil. socordes erant in opere Domini; verum obedientibus Deum daturum esse largam benedictionem 2,11-20). Et quarto demum eodem die sublimior quoque promissio fit Zorobabeli duci ex domo David: potentiam regnorum mundi iri prostratum, at domum David et eius principem in gloria exaltatum a Deo (2,21-24).

Aggaei mentio quoque fit Esdr. 5,1 et 6, 14. Itaque Dominus qui ipsis exsulibus prophetas concessit (Ieremiam, Ezechiel, Baruch, Daniel) etiam reduces munere prophetico per Aggaeum et Zachariam edocuit et excoluit et ad instaurandam pietatem excitavit. Urgebat autem iussu Domini Aggaeus aedificationem templi, cum templum symbolum esset foederis cum Deo initi, habitatio Dei in medio populo; quare sacrum hoc aedificium ad foedus innovandum innovatumque retinendum summopere valuit; debuit esse centrum unitatis et pignus quasi quoddam visibile theocratiae instauratae. Atque prophetam opus templi completum cum laetitia spectasse legitur in vitis prophetarum (apud *Ps. Epiphanium* 20; *M.* 43,412); id quod satis verisimile est, cum anno sexto Darii templum iam sit consecratum (Esdr. 6, 15). — Cernitur nomen Aggaei adscriptum in Vulgata ad Ps. 111 et 145, apud LXX ad Ps. 137 (in codice Vaticano) et ad Ps. 145-148; in versione syriaca ad Ps. 125. 126.145-147. At eum non designari auctorem iam eo patet quia iidem psalmi fere etiam Zachariae, Davidi inscribuntur. Ipsum eorum psalmorum argumentum vel sententiae quaedam (Dominus solvit compeditos; aedificans Ierusalem Dominus dispersiones Israelis congregabit etc.) videntur occasionem dedisse eius inscriptionis. — Aggaei verbis celebrat Sapiens Zorobabelem (Eccli. 49,13 et Agg. 2,24) et S. Paulus verba eius 2,7 adducit et de regno messiano explicat (Hebr. 12,26 s.).

Cf. *L. Reinke*, Der Prophet Haggai 1868; *Cornely*, Introductio in S. Script. *ed.* 2, II. 2, p. 589 s.; *Knabenbauer*, Comm. in Proph. min. II. p. 174 s.; *Kaulen*, Einleitung *ed.* 4, n. 432. 433; *Zschokke*, Hist. sacra Ant. Test. *ed.* 5, p. 312 s.; *Vigouroux*, Manuel bibl. *ed.* 9, II. n. 1105 s.; *Schoepfer-Pelt*, Histoire de l'Ancien Test. *ed.* 3, II. p. 362.

AGGI v. HAGGI.

AGGITH v. HAGGITH.

AGNUS v. OVIS.

AGNUS DEI, nomen symbolicum pro Christo. Quid hoc symbolo repraesentetur, iam Isaias (53,7) indicat Messiam patientem comparans cum agno, qui ad mactationem ducitur neque os suum aperit ad querelam. Christus est Agnus Dei, qui tollit peccata mundi (Io. 1,29. 36), antitypus agni paschalis Iudaeorum (Io. 19,33. 36; cf. Ex. 12,46; Num. 9,12). In Apocalypsi Christus passim Agnus vocatur: est Agnus pro nobis occisus (5,6), adoratus a 24 senioribus (5,8) et ab omnibus electis (7,9. 10; 15,3), sedens in throno (7,17; 22,1. 3); electi laverunt et dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni (7,14), vincunt in virtute Agni (12, 11; 17,14), cum Agno habitant in coelesti Ierusalem (14,1-4), vocati sunt ad coenam nuptiarum Agni (19,7. 9; 21,9); Agnus est templum et lucerna urbis coelestis (21,22. 23. 24), quam ii solum intrabunt, qui scripti sunt in libro vitae Agni (21,27; 22,14). Praeterea in liturgia ecclesiastica saepius ad Christum applicantur loci prophetici, in quibus nomen Agni occurrit: Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae (Is. 16,1) et: Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam (Ier. 11,19); ceterum adverte sensum messianicum Is. 16,1 saltem indirecte haberi et Ier. 11,19 merito typicam rationem ab interpretibus agnosci.

Cf. *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v. Agneau de Dieu et etiam *Knabenbauer* ad Is. 16,1 et Ier. 11,19.

De usu huius symboli in arte christiana vide *F. X. Kraus*, Real-Encyklopaedie der christl. Alterthümer s. v. Agnus Dei et Lamm.

AGNUS PASCHALIS v. PASCHA.

AGON (ἀγών). Certamina illa graeca quae in gymnasiis exerceri solebant, athletarum, cursorum, apud Iudaeos in morem introducere conatus est Iason, frater Oniae, qui summum sacerdotium ambiebat; ut ei concederetur potestas constituendi gymnasium et ephebeion, promisit Antiocho Epiphani argenti talenta 150 (2 Mach. 4,9; cf. 1 Mach. 1,14). Idem misit ad quinquennalem agonem qui Tyri celebrabatur viros ab Ierusalem cum didrachmis trecentis in sacrificium Herculis (Melkart). Agon iste quinquennalis celebrabatur, uti videtur, imitatione ludorum olympiacorum, qui quarto quoque anno habebantur, sed πεντάετερὶς ἑορτά a Pindaro (Ol. 10 [11], 69) vocabantur, quia ludorum anni etiam computabantur (cf. *Grimm* et *Keil* ad 2 Mach. 4,18). S. Paulus ex agone saepius petit similitudinem et documenta ad virtutes christianas docendas et commendandas; ita 1 Cor. 9,24-27: qui in stadio currant et in agone contendant, ab omnibus se abstinere, ut corruptibilem coronam accipiant; se pugnare non quasi aerem verberantem, sed qui adversarium suum graviter percutiat; Phil. 1,30; 3,13. 14; 1 Tim. 6,12: certa bonum certamen; 2 Tim. 4,7: bonum certamen certavi, cursum consummavi etc.; Hebr. 12,1 adhortatur: τρέχωμεν τὸν προκείμενον ἀγῶνα, ut scil. certamen sibi propositum quo sibi ad perfectionem enitendum est omni alacritate subeant. Quo in agonis usu iam praeivit auctor Sap. 4,2, cum fore dicat, ut casta generatio in aeternum coronata triumphet incoinquinatorum certaminum praemium vincens (τὸν τῶν ἀμιάντων ἅθλων ἀγῶνα νικήσασα).

AGONIA CHRISTI. Sensu latiore ita vocatur tristitia illa et moestitia quam Christus in horto Gethsemani ante suam passionem experiri voluit: coepit contristari et moestus esse (Matth. 26,37), ἀδημονεῖν i. e. ut Euthymius explicat βαρυθυμεῖν animo esse aggravato, Hesychius ἀγωνιᾶν i. e. angi gravissime, vehementi metu obiecti discriminis angi; id quod declarat ipse dicens discipulis: tristis est anima mea usque ad mortem (Matth. 26,38; Marc. 14,34) i. e. quae sufficeret ad vitam auferendam. Haec autem tristitia, quam Christus libere pati voluit, ut in omnibus et satisfaceret et nobis esset exemplo, ex variis causis orta est: ex vividissima apprehensione suppliciorum ac cruciatuum dirissimorum, ex immensa peccatorum multitudine et foeditate, ex hominum multorum interitu. Eius tristitiae et angoris vehementia inde quoque elucet quod pronus super terram in faciem procidens orat ad Pa-

trem : Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste (Matth. 26,39), Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me (Marc. 14,36). Uti ea voce testatur naturae horrorem ac repugnantiam tantis cruciatibus propositis, ita altera voce plane acquiescit beneplacito Patris : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu ; verumtamen non mea voluntas sed tua fiat (Luc. 22, 42). Strictiore autem sensu dicitur agonia illa passionis Christi in horto pars ad quam sustinendam per angelum voluit confortari, in qua prolixius, ἐκτενέστερον, intentius vel vehementius orabat et qua factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram (Luc. 22,43. 44) i. e. simul cum sudore sanguis ex venis protrudebatur vehementia commotionum et affectuum animae, ita ut sudor cum sanguine mistus, proin sudor sicut guttae sanguinis, sudor qui formam habebat guttarum sanguinis, in terram decurreret. Haec autem agonia componi videtur vehementissima quadam affectuum conflictatione et veluti pugna (ἀγών, qua notione ἀγωνία etiam usurpatur). Aderat enim ex Christi voluntate in eius anima horror ille summus suppliciorum a quibus natura refugiebat, aderat simul maximus ille ac fortissimus conatus quo horrorem illum repellebat et vincebat et Patris beneplacito expugnata naturae repugnantia se plane subiiciebat maxima animi fortitudine et alacritate. Plura vide apud *Knabenbauer,* Comm. in Luc. ad h. l. et cf. GETHSEMANI.

AGRICULTURA. Ea iam protoparenti praecipitur : in labore comedes ex terra cunctis diebus vitae tuae; in sudore vultus tui vesceris pane (Gen. 3,17. 19); quare merito monet Sapiens : non oderis laboriosa opera et rusticationem (γεωργίαν) creatam ab Altissimo. Eamque exercitam esse ab initio discimus ex sacrificio Cain qui obtulit de fructibus terrae munera Domino (Gen. 4,3). Antequam terra palaestinensis daretur Israelitis in possessionem stabilem, patres eorum erant ea in terra peregrini a regione in regionem migrantes quorum divitiae potissimum gregibus constabant. Nihilominus Isaac et Iacob aliquando sevisse refertur : sevit Isaac in terra illa et invenit in ipso anno centuplum (Gen. 26,12) et idem elucet ex somnio Ioseph : putabam nos ligare manipulos in agro (Gen. 37,7). At eam culturam minime primum quasi occupasse locum patet, quia cum in Aegyptum transmigrarent, Pharaoni dicunt : pastores ovium sumus servi tui et nos et patres nostri (Gen. 47, 3). Neque tamen agriculturam ignorabant. Nam sicut Isaac eam novit et laudavit (Gen. 27,27), ita filios Israel in Aegypto quoque agros coluisse colligitur ex eo quod in deserto murmurant : adduxistis nos in locum istum pessimum qui seri non potest (Num. 20,5; cf. Deut. 11,10). Ea autem praecipue exercebatur in Palaestina, quae regio, utpote terra bona, terra rivorum aquarumque et fontium, in cuius campis et montibus erumpunt fluviorum abyssi, terra frumenti et hordei et vinearum (Deut. 8,7 s.) maxime ad agriculturam apta erat et quandoque fructum reddebat centuplicem (Gen. 26,12; Matth. 13,8). Colebant autem in agris non solum frumentum et hordeum, sed etiam fabam, lentem, cicer (2 Reg. 17,28), cucumeres (Is. 1,8), cyminum, milium, nigellam sativam (gith, Is. 28,25). Solebant triticum, hordeum aut fabis aut vicia aut aliis vilioris generis leguminibus circumcingere, ne meliora semina a praetereuntibus animalibus depascerentur. Terra diffindebatur aratro, cuius partes sunt vomer, stiva, dentale, iugum, temo; arabant autem vaccis, plerumque bobus, etiam asinis (cf. Iud. 14,18; 3 Reg. 19, 19; Iob 1,14; Is. 30,24; Am. 6,13); at praeceptum erat : non arabis in bove simul et asino (Deut. 22,10), et similiter : agrum tuum non seres diverso semine. Semina vel spargebantur vel etiam sulcis ordine indebantur manu (cf. Is. 28, 25). Humus ad fertilitatem praeparabatur stercoratione (sicut stercus super faciem terrae in agro 4 Reg. 9,37; facti sunt ut stercus terrae Ps. 82,11), ad quam stramen quoque in sterquilinio comminutum inservisse, comparatione apud Is. 25,10 hebr. discimus; ad idem valebant stipulae in agro combustae (cf. Is. 5,24; 47,14); neque irrigationem per

canales esse ignoratam, ex פלגי מים consequitur et Eccl. 2,6 : exstruxi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum feracem.

Sementis fiebat post festum tabernaculorum, mense octobri exeunte et per mensem novembrem quo tempore imber temporaneus, pluviae autumnales exspectabantur quae non subito irruunt sed quibusdam intervallis terram placide irrigant seminibusque iactis necessariae. Fruges vero aestivae serebantur mensibus ianuario et februario. Imber autem serotinus, pluviae vernae, mense martio et aprili quam maxime ad messem maturandam conferunt; iis deficientibus messis quoque deficit; quare imber serotinus vehementissime desiderabatur(cf. Iob 29,23; Prov. 16,15; Zach. 10,1); legem observantibus promittebatur : dabit pluviam terrae vestrae temporaneam et serotinam, ut colligatis frumentum et vinum et oleum (Deut. 11,14); verum peccatoribus annuntiat Ieremias : polluisti terram in malitiis tuis; quam ob rem prohibitae sunt stillae pluviarum et serotinus imber non fuit (Ier. 3,3), sicut Deus iam per Moysen minatus erat (Deut. 28,23. 24; cf. 3 Reg. 17,1). Etiam locustis, aerugine, rubigine messis in poenam peccatorum perdebatur (3 Reg. 8, 37; cf. Deut. 28,22. 42; Ioel 1,4; 2,25). Messis hordei fiebat duabus vel tribus hebdomadis antequam triticum ad maturitatem perveniebat; die 16. mensis Nisan primus hordei manipulus offerendus erat (Lev. 23,11. 15) tamquam sacrum messis initium; messis frumenti fere tempore pentecostes i. e. post septem a paschate hebdomadas collecta erat. Quae falcibus demessa erant (cf. Deut. 16,9 falcem in segetem mittere), in manipulos colligabantur, ex quibus acervus fiebat (cf. Ruth 3,7; Iob 5,26). Verum in ipsa metendi ratione pauperum debebant esse memores : cum messueris segetes terrae tuae, non secabis eam usque ad solum nec remanentes spicas colliges, sed pauperibus et peregrinis dimittes eas (Lev. 19,9; 23,22; cf. Ruth 2,2). Quattuor modis grana fuisse excussa, docemur Is. 28,27. 28. Et debiliora quidem semina virgis et flagellis ex folliculis excutiebant; ita de gith (cymino) : tribula non trituratur nec rota plaustri super cyminum vehitur, sed baculo excutitur. Sed etiam frumentum quandoque ita excutiebatur, praesertim quando non multum erat aut id clam fieri debuit metu hostium (Ruth 2,17; Iud. 6,11). Alias grana excutiebantur quodam tribuli genere facto ex tabula lapidibus aut ferro exasperata, quae imposito pondere gravi trahebatur a iumentis; cf. Is. 41, 15 : posui te tribulum acutum, novum, habens acies. Etiam plaustris utebantur ad grana excutienda; demum etiam ab ipsis bobus vel iumentis grana obterebantur, de quibus Deut. 25,4 : non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas (cf. Os. 10,11). — Agri singulorum terminis designabantur : non assumes et transferes terminos proximi tui; maledictus qui transfert terminos (Deut. 19, 14; 27,17; Prov. 22,28) et si laeserit quispiam agrum vel vineam et dimiserit iumentum suum, ut depascatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro suo vel in vinea, pro damni aestimatione restituet; pariter si segetes destructae fuerint igne quem quis ad stipulas comburendas accendit (Ex. 22,5. 6). Licitum erat ex segete spicas frangere et manu conterere, non autem falce demetere (Deut. 23,25; Matth. 12,1; Luc. 6,1).

Ad fertilitatem agrorum, sicut etiam ad obedientiam erga Deum exhibendam praeceptum erat ut septimo quoque anno agri vacarènt cultu (Ex. 23,11), ut sabbatum esset terrae requietionis Domini (Lev. 25,4); quinquagesimo autem quoque anno revertetur homo ad possessionem suam (Lev. 25,10) i. e. quia terra erat Domini, Israelitae autem coloni Domini, nemo poterat plane se abdicare agro suo, sed solum eum fruges que vendere usque ad annum iubilaei, quo anno singuli agri ad herum revertebantur, ne scil. ulla familia plane pauper evaderet. In anno iubilaei (vide s. v.) pariter non serebatur; annus iste, uti annus sabbaticus, initium habebat mense septimo i. e. a tempore sementis prioris. Ex 2 Par. 36,21 (cf. Lev. 26,34. 35. 43) videtur colligendum esse annos illos sabbaticos ante exsilium male esse observatos. Reduces ex exsilio promittunt

se servaturos annum septimum (Neh. 10. 31) idque factum esse exemplum habetur 1 Mach. 6,49. 53.

Cum agricultura a Deo esset ordinata et protecta, non mirum est eam a nobilibus quoque esse exercitam; ita Saul iam unctus in regem ei incumbit (1 Reg. 11,5). Eliseus arat in duodecim bobus (3 Reg. 19,19). David quoque operi rustico et agricolis, qui terram exercebant, praefecit Ezri filium Chelub (1 Par. 27,26) et Ozias rex dicitur homo agriculturae deditus (2 Par. 26,10). — Quantae fertilitatis terra fuerit, inde coniicere licet, quod Salomon per singulos annos praebebat Hiram regi Tyriorum coros tritici viginti millia (3 Reg. 5,11) et etiam Ez. 27,17 Tyrii dicuntur accipere triticum ex regione palaestinensi.

De re rustica veterum Hebraeorum fuse agit *Blasius Ugolinus* in Thesauro Antiquitatum XXIX. p. 2-520. — V. etiam FRUMENTUM.

I. KNABENBAUER.

AGRIPPA v. HERODES.

AGUR אָגוּר legitur in textu hebr. Prov. 30,1 : Verba Agur filii Iaqeh Massaensis seu de Massa הַמַּשָּׂא, quae vox in *Vulg.* vertitur *visio*). Putarunt nonnulli nomen Agur esse symbolicum; ita iam S. Hieronymus in Vulgata : Verba Congregantis filii Vomentis, quo nomine secundum rabbinos Salomon filius David designatur, utpote congregans sapientiam אָגַר *colligere, congerere*). Sed cum multis antiquioribus omnes fere recentiores nomen proprium agnoscunt et Agur filium Iaqeh de Massa censent esse auctorem quendam inspiratum, cui Prov. 30,1-33 tribuendum sit. Plura de illo Agur et de regione vel tribu Massa non innotescunt. Aliqui (ut *Delitzsch* ad Prov. 30,1) putant Massa esse illam tribum ismaeliticam, de qua Gen. 25,14 et 1 Par. 1,30. Alii Agur faciunt fratrem Lamuel regis, cui Prov. 31,1-9 adscribitur et filium reginae regionis Massa. At hae sunt merae coniecturae. Cf. *Cornely*, Introd. II. n. 202. — LXX. Prov. 30,1 vertunt : Τοὺς ἐμοὺς λόγους υἱὲ φοβήθητι (cf. גּוּר, יָגֹר *timere*) καὶ δεξάμενος αὐτοὺς μετανόει.

AHALAB (אחלב, Δαλάφ), urbs tribus Aser, ex qua Chananaei non sunt expulsi (Iud. 1,31). Desideratur in enumeratione urbium tribus Aser Ios. 19,25-30. Eadem plerumque esse censetur ac Gischala (τὰ Γίσχαλα) apud Flav. Iosephum (Vita 10. 13. 14. 20. 25. 38. 44. 45. 53. 59. 62; Bell. iud. II. 20,6; 21,1. 7.8 [10?]; IV. 1,1; 2,1-5; 3, 1. 2. 13), patria Ioannis ducis Iudaeorum famosi, qui Gischala a Tito expulsus in expugnatione Ierusalem a Romanis captus est. Gischala Iosephi in Mishna (Arachin 9,6) vocatur Gush Khalab (גוש חלב) i. e. gleba pinguis; abundabat oleo, quod magni aestimabatur (*Flav. Ios.* Vita 13; Bell. iud. II. 21,2; cf. *Neubauer*); non procul aberat a territorio Tyriorum (Bell. iud. IV. 2,3 ad fin.) et sine dubio hodie est *el-Djīsh* Galilaeae septemtrionalis et eiusdem fere latitudinis geographicae ac terminus australis lacus *Ḥūle* (cf. *Ritter*, Erdkunde XVI. 770. 771; *Conder and Kitchener*, Large Map, sheet IV, Reduced Map, sheet 6). — Sed iam quaeritur, sitne revera Gischala seu Gush Khalab eadem atque Ahalab. Dubium movetur ex eo, quod *el-Djīsh* nimium orientem versus sita et territorio Nephthali assignanda esse videtur, dum Ahalab est urbs Aser. Ex altera parte nomen Gush Khalab elementa continet tum vici hodierni (Gush = *Djīsh*) tum urbis antiquae (Khalab = Ahalab). Res manet dubia. Hoc dubio non obstante satis multi *el-Djīsh* etiam cum Ahalab componunt (*Riess*, *Guérin*, exploratores anglici, *Legendre*, *G. A. Smith*). Alii vero urbem biblicam Ahalab cum urbe munita *Makhalliba* inter Tyrum et Achzib sita, quae in inscriptionibus cuneiformibus commemoratur (cf. *Winckler*), componere malunt (*W. Max Müller*, *Delitzsch*, *Buhl*).

Mirum est quod S. Hieronymus (Liber de viris illustribus 5; *M.* 23,615) refert : « Paulus apostolus... de tribu Beniamin et oppido Iudaeae Giscalis fuit, quo a Romanis capto cum parentibus suis Tarsum Ciliciae commigravit »; eiusdem traditionis, quam fabulam vocat, meminit S. Hieronymus in Comment. in Philem. 23 (*M.* 26,617). Verum S. Paulus de seipso testatur : Ego sum vir Iudaeus

natus in Tarso Ciliciae (Act. 22,3; cf. 9,11; 21,39). Ceterum Gischala Iosephi non poterat esse in Iudaea; altera autem Gischala scilicet Iudaeae nulli unquam auctori innotuit.

Cf. *Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 230 s.; *Riess*, Bibel-Atlas *ed* 3, p. 1; *Guérin*, Galilée II. 94-100; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 198. 224. 225; *Legendre*, Carte de la Palestine; *idem* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate 1; *Winckler*, Keilinschriftl. Textbuch p. 30. 31; *W. Max Müller*, Asien und Europa nach altaegypt. Denkmaelern, p. 194; *Delitzsch*, Paradies p. 284; *F. Buhl*, Geogr. des Altén Pal. 1896, p. 229. 233.

AHARA v. AHIRAM et ECHI.

AHAREHEL (אַחַרְחֵל, ἀδελφὸς Ῥηχάβ), filius Arum ex familia Cos et tribu Iuda (1 Par. 4,8).

AHASTHARI (הָאֲחַשְׁתָּרִי cum articulo, ὁ Ἀασθήρ) ex tribu Iuda, filius Assur de Naara uxore (1 Par. 4,6).

AHAVA (אַהֲוָא, ὁ Εὐί, ὁ Ἀουέ), fluvius ad cuius ripam Esdras Iudaeos in Palaestinam redituros congregavit (Esdr. 8,15. 21. 31). Generatim intelleguntur fluvius et regio, quae nomine fluvii vocabatur, propter Esdr. 8,15 : ad fluvium, qui decurrit ad Ahava (*Vulg.*); attamen textus hebraicus etiam verti potest : ad fluvium, qui influit in Ahava. Contextus fluvium vel potius canalem (et regionem) in Babylonia suadet. *Gesenius* (Lexicon s. v.) : Quid si Euphrates sit, qui κατ' ἐξοχήν fluvius appellari poterat? Aliqui recentiores suggerunt urbem *Hit* in ripa Euphratis sitam recta fere linea orientem versus a Damasco. In hac suppositione Ahava (urbs et regio) eadem esset cum Ava seu Avah (vide s. v.).

AHAZ (אָחָז, Ἀχάζ), Beniaminita, filius Micha ex posteris Saul per Ionatham, pater Ioada seu Iara (1 Par. 8,35. 36; 9,41. 42).

AHAZI (אֲחַזִּי, BA omitt.), sacerdos, a quo descendit Amassai (Neh. 11,13). Ahazi et Amassai vocantur 1 Par. 9,12 Iezra et Maasai.

AHER (אַחֵר, Ἀόρ), Beniaminita, pater cognationis Hasim (1 Par. 7,12).

AHI (אחי). **1.** Filius Somer ex tribu Aser (1 Par. 7,34; Ἀχί).

2. Filius Abdiel ex tribu Gad tempore Ioathan regis Iuda (1 Par. 5,15; LXX omitt., *Vulg.* fratres).

AHIA, AHIAS (אֲחִיָּה et אֲחִיָּהוּ; Ἀχιά). **1.** Ahia Phelonites, unus ex fortissimis in exercitu Davidis (1 Par. 11,36). Sed textus corruptione laborare videtur et pro Ahia Phelonite potius legendum : Eliam Gelonites, ut loco parallelo 2 Reg. 23,34 legitur.

2. Filius Sisa, scriba Salomonis (3 Reg. 4,3).

3. Pater Baasa regis Israel de domo Issachar (3 Reg. 15,27. 33; 21,22; 4 Reg. 9,9).

4. Ahias Silonites, propheta, qui Ieroboamo Ephrathaeo actione symbolica praedixit post mortem Salomonis ab unitate regni decem tribus ablatum iri Ieroboamo tradendas, eidemque divinam domus davidicae praerogativam et exemplar Davidis imitandum ob oculos posuit (3 Reg. 11,29-39). Praedictionem probavit eventus (3 Reg. 12,15; 2 Par. 10,15). Dum Ieroboam rex Israel Davidis exemplum et monita accepta spernens idololatriae favet, Ahias Siluntem se recepit. Ibi iam senex et caecutiens ab uxore Ieroboam de fato Abiae filii aegrotantis consulitur, simulationem mulieris divinitus edoctus detegit, regem impietatis strenue redarguit, filium moriturum domumque Ieroboam prorsus evertendam praedicit. Mors pueri cum ipso matris in urbem Thersa reditu coincidens genuinitatem vaticinii corroboravit (3 Reg. 14,1-18). Commemorantur 2 Par. 9,29 libri Ahiae Silonitis de rebus a Salomone gestis compositi, sed deperditi.

Alii quattuor eiusdem nominis hebraici in *Vulg.* scribuntur ACHIA, ACHIAS.

AHIALON (אילון, Αἰλών), Zabulonites qui iudicavit Israel decem annis, undecimus in ordine iudicum, sepultus in Aialon (vide s. v.) terrae Zabulon (Iud. 12,11. 12).

AHIAM (אֲחִיאָם, Ἀχίμ), filius Sa-

char, unus ex heredibus David (1 Par. 11, 34 35). Idem 2 Reg. 23,33 scribitur in *Vulg.* Aiam (Ἀμάν filius Sarar.

AHICAM (אחיקם, Ἀχικάμ), filius Saphan scribae et pater Godoliae praefecti Iudaeae, unus ex principibus Iuda tempore Iosiae, Ioachaz et Ioakim regum. Cum Helcia sacerdote a Iosia missi sunt Ahicam, Achobor, Saphan, Asaia ad Holdam prophetissam, ut Dominum super libro legis reperto consulerent (4 Reg. 22,12 ss. 2 Par. 34,20). Tempore Ioakim Ieremias a sacerdotibus falsisque prophetis comprehensus, ut morti traderetur, per principes seniores liberatus est, inter quos Ahicam eminebat nominatim a prophela laudatus (Ier. 26,24). Godolias iterato a Ieremia (cpp. 39. 40. 41. 43 dicitur filius Ahicam.

AHIEZER (אחיעזר, Ἀχιέζερ). **1.** Filius Ammisaddai, princeps tribus Dan (Num. 1,12; 2,25; 7,66. 71; 10,25); erat dux 62.700 Danitarum, cum Moyses populum recenseret.

2. Filius Samaa, Gabaathites i. e. ex Gabaa Saulis seu Beniamin, egregius fundibularius et sagittarius, qui Davidi a facie Saulis fugienti se iunxit (1 Par. 12,3).

AHILUD (אחילוד, Ἀχιλούδ, Ἀχιλούθ), pater Iosaphat annalistae regii Davidis et Salomonis tempore et Banae unius ex duodecim praefectis Salomonis (2 Reg. 8,16; 20,24; 3 Reg. 4,3. 12; 1 Par. 18, 15). LXX in scribendo nomine permultum variant v. g. in Cod. B Ἀχειά, Ἀχειλούθ Ἀχειλιάδ, Ἀχειμάχ, in Cod. A Ἀχιμέλεχ, Ἀχιλούθ, Ἀχιμά, Ἐλούδ, Ἀχιλούδ.

AHIMAM v. AHIMAN 2.

AHIMAN (אחימן, Ἀχιμάν). **1.** Gigas ex stirpe Enac, Hebronem habitans cum Sesai et Tholmai fratribus suis eo tempore, quo duodecim exploratores a Moyse missi illuc pervenerunt (Num. 13,23 [22]). Filii Iuda duce Caleb illas tres Enacitarum familias Hebrone eiecerunt (Ios. 15, 14 Ἀχιμά; Iud. 1,10).

2. Levita, ianitor templi post captivitatem babylonicam (1 Par. 9,17. *Vulg.* Ahiman; Δειμάν, B Λιμάμ, A Λιμάν).

AHIMELECH (1 Par. 18,16; 24,3. 6. 31) v. ACHIMELECH 3.

AHIN (אחין, Ἀίμ), filius Semida ex tribu Manasse (1 Par. 7,19).

AHINADAB (אחינדב, Ἀχιναδάβ), unus ex duodecim praefectis a Salomone constitutis; praeerat regioni Manaim (Mahanaim) trans Iordanem (3 Reg. 4, 14).

AHIO (אחיו). **1.** Filius Abinadab cum Oza fratre suo arcam Domini ex domo Abinadab Hierosolyma concomitans (2 Reg. 6,3. 4 LXX οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, *Vulg.* Ahio; loco parallelo 1 Par. 13,7 LXX οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, *Vulg.* frater eius).

2. Filius Abigabaon (Iehiel) et Maachae, Beniaminita (1 Par. 8,31; 9,37; LXX ἀδελφὸς αὐτοῦ, ἀδελφός, *Vulg.* Ahio).

3. Filius Baria, Beniaminita (1 Par. 8,14; LXX ἀδελφὸς αὐτοῦ, *Vulg.* Ahio).

AHION (עיון, ἡ Ἰόν, 2 Par. 16,4 ἡ Αἰών), urbs tribus Nephthali septemtrionem versus sita. Benadad rex Syriae, cum Asa, regi Iuda, contra Baasa, regem Israel, opem ferret, urbes Nephthali omnes cepit, inter quas prima Ahion recensetur (3 Reg. 15,20; 2 Par. 16,4). In diebus Phacee regis Israel Theglathphalasar rex Assyriae universam terram Nephthali ac primo loco Ahion occupavit et incolas in Assyriam transtulit (4 Reg. 15,29 *Vulg.* Aion). Ab illo tempore nulla fit mentio huius loci. Situm urbis hodie plerique existimant collem *Tell Dibbīn*, qui ruinis coopertus est et ex planitie irrigua ac fructifera *Merdj 'Ayūn* assurgit, quae nomen ab urbe *'Iyyōn* traxisse censetur; est haec planities inter duos fluvios *Nahr el-Ḥāṣbānī* et *Nahr el-Līṭānī*.

Cf. *Guérin*, Galilée II. p. 280; *Robinson*, Palaestina III. 611; Neuere bibl. Forsch. 491 s.; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.; *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 238; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. praefert *el-Khiyam* paulo orientem versus a *Tell Dibbīn*.

AHIRA (אחירע, Ἀχιρά), filius Enan, princeps tribus Nephthali; erat dux 53.400 pugnatorum, cum Moyses populum recenseret; duodecimus inter principes duodecim tribuum oblationes in dedica-

tionem tabernaculi et altaris obtulit (Num. 1,15; 2,29; 7,78. 83; 10,27).

AHIRAM (אֲחִירָם, Ἀχιράν), tertius filius Beniamin, princeps familiae Ahiramitarum (Num. 26,38). Idem 1 Par. 8,1 vocatur *Ahara* (אַחְרַח, Ἀαρά). Forte est idem, qui Gen. 46,21 appellatur Echi (אֵחִי, Ἀγχίς); sed hoc loco non tertius, sed sextus inter filios Beniamin enumeratur; LXX hunc Echi dicunt filium Bela (Βαλά) filii Beniamin. Nomen Ros, quod Echi subsequitur, videtur ex corruptione textus ortum esse et nomen Ahiram ibidem latere. Cf. *F. de Hummelauer* ad Gen. 46,21.

AHISAHAR (אֲחִישַׁחַר, Ἀχισαάρ), filius Balan ex tribu Beniamin (1 Par. 7,10).

AHISAR (אֲחִישָׁר, Ἀχισάρ), praepositus domus Salomonis (3 Reg. 4,6).

AHIUD (אֲחִיהוּד). **1.** Filius Salomi ex tribu Aser, a Domino electus in numerum virorum, qui cum Iosue et Eleazar terram promissam sorte distribuerent (Num. 34,27; Ἀχιώρ).

2. Filius Ahod ex tribu Beniamin (1 Par. 8,7; Ἰαχαχώ).

AHOBBAM (אֲחֻבָּן, Ἀχαβάρ), filius Abisur et Abihail ex tribu Iuda (1 Par. 2,29).

AHOD (אַחַד, Ἀώδ), unus ex sex filiis Simeon, qui cum Iacob avo suo in Aegyptum descendit (Gen. 46,10; Ex. 6,15). Familia Ahod desideratur Num. 26,12-14 in censu familiarum Simeon anno quadragesimo migrationis facto et etiam 1 Par. 4,24.

AHOD (אַחוּד, Ἀώδ), Beniaminita, princeps familiarum in Gabaa Beniamin habitantium (1 Par. 8,6).

AHOE (אַחוֹחַ, Ἀχιά), sextus filius Bale primogeniti Beniamin (1 Par. 8,4).

AHOHITES (אֲחוֹחִי, ὁ Ἀωΐτης, ὁ Ἀχωχί, ὁ Ἀχωνί, 1 Par. 27,4 ὁ ἐκ Χώκ) videtur derivatum esse ab Ahoe 1 Par. 8,4, nisi forte locum originis vel habitationis designat (2 Reg. 23,9. 28; 1 Par. 11,12. 29; 27,4).

AHUMAI (אֲחִימַי, Ἀχιμαί), filius Iahath ex tribu Iuda (1 Par. 4,2).

AIA (אַיָּה). **1.** Filius Sebeon ex genere Seir Horraei (Gen. 36,24 Ἀιέ; 1 Par. 1,40 Ἀέθ).

2. Pater Respha concubinae Saulis (2 Reg. 3,7; 21,8. 10. 11; Ἀιά, sed 2 Reg. 3,7 Ἰώλ).

AIALON (אַיָּלוֹן, Αἰλών, Αἰλώμ, Αἰλάμ, Ἐλών). **1.** Urbs et vallis in confinibus Dan et Beniamin. Vallis Aialon celebris facta est verbis Iosue in proelio contra quinque reges Amorrhaeorum prolatis: « Sol contra Gabaon ne movearis et luna contra vallem Aialon » (Ios. 10,12). Urbs tribui Dan erat assignata (19,42), levitis tradita (21,24; 1 Par. 6,69 [54]; hoc loco *Vulg.* Helon). Danitae Amorrhaeos inde expellere non valebant, domus Ioseph autem i. e. Ephraimitae et Manassaei Amorrhaeos ibidem habitantes tributarios fecerunt (Iud. 1,34. 35), dum pars Danitarum in Palaestina septemtrionali sedes quaerebant (Iud. 18,1 s.). Postea Aialon habitata erat a Beniaminitis, qui habitatores Geth (Philisthaeos) fugaverunt (1 Par. 8,13). Saul Philisthaeos persecutus est a Machmis usque ad Aialon (1 Reg. 14,31); erat igitur Aialon non procul a Philisthaea et bellis inter Hebraeos et Philisthaeos multum exagitata. Roboam rex Iuda Aialon urbem munitionibus firmavit ibique procuratorem et horrea ciborum, vini, olei constituit (2 Par. 11,10). Denique regnante Achaz Aialon in manus Philisthinorum incidit (2 Par. 28,18). Post haec eius mentio non fit. — *Onomasticon:* Eusebius s. v. Αἰλώμ (*ed. Lag.* 216,19) ponit eam 3 mil. pass. a Bethel orientem versus, sed s. v. Αἰλών (*Lag.* 224,90) prope Nicopolim (*ʿAmwās*) idque recte; S. Hieronymus s. v. Aialon (*Lag.* 89,25) 2 mil. pass. a Nicopoli versus Ierusalem. Omnino recte dicitur esse *Yālō*, qui vicus est hodie prope *ʿAmwās* orientem versus in colle positus; ibidem deprehenduntur ruinae parvi castelli et muri vicum cingentis; septemtrionem versus se extendit vallis Aialon (*Merdj ibn ʿumār*), de qua Ios. 10,12; aliqui cum *F. Buhl* putant vallem Aialon non minus apte

agnosi posse in *Wadi Salman*, quae vallis ab *el-Djeb* Gabaon Valo versus decurrit.

Cf. *Robinson*, Palaestina III. 278 s.; Neuere bibl. Forsch. 188 s.; *Guérin*, Judée I. p. 290-293; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 19; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land p. 209 s.; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. p. 105. 106; *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 101. 198 et quoad illam traditionem, quae eventum Ios. 10,12 ad orientem Bethel refert, vide Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins VII. 1884, 36.

2. Aialon in tribu Zabulon, ubi Ahialon (אילון) iudex sepultus est (Iud. 12, 12 *Vulg.* nomen urbis omisit). Situs accuratior ignoratur. *Van de Velde*, Memoir p. 283 proposuit *Kh. Djalūn* quattuor circiter horis ab *'Akkā* orientem versus; *Legendre*, Carte de la Palestine, eum situm adoptat, ita ut urbs in confinibus Zabulon et Aser fuerit.

AIAM v. AHIAM.

AIATH v. HAI.

AIEPHIM (עִיפִים), nomen loci, ut contextus 2 Reg. 16,14 exigit. Versiones quidem omnes nomen appellativum *lassus, fatigatus* supponunt; sed verba sequentia *et refocillati sunt ibi* indicationem loci cuiusdam postulant. Unde dicendum erit aut nomen loci excidisse aut incuria librariorum in Aiephim defiguratum esse aut nomen proprium loci fuisse Aiephim. Quaeri debet prope Galgala vel Iericho, certe non procul a ripa Iordanis occidentali, ut patet ex 2 Reg. 17,16.

AILA, AILATH v. AELATH.

AIN (עַיִן) i. e. oculus et fons ab oculi similitudine dictus. *Ain* est fons naturalis ex terra vel rupe effluens. Distinguitur usu constanti S. Scripturae a *puteo* (באר); potest tamen *puteus* etiam *fons* vocari (Gen. 16,7. 14; 24,11. 13. 16). A fontibus vicinis multa Palaestinae oppida nominata sunt, quae secundum orthographiam Vulgatae suis locis inserenda hic breviter indicantur: Aengannim (Engannim), Endor, Engaddi, Engallim, Enhadda, Enhasor, Ensemes seu Fons Solis, Fons Misphat seu Cadesbarnei, Enaim i. e. duo fontes. Alibi contrarium obtinet, scilicet ipsi fontes additis nominibus propriis designantur: Fons Harad, Fons Rogel, Fons Draconis, Fons Taphuae. — Ain sine addito bis occurrit:

1. Cum articulo: הָעַיִן (Num. 34,11). Terminus orientalis terrae promissae de Sephama descendit in Rebla contra fontem Daphnim (מִקֶּדֶם רִבְלָה i. e. ad ortum Ain, ἀπὸ ἀνατολῶν ἐπὶ πηγάς) et pervenit usque ad mare Cenereth (Genesareth). *Daphnim*, quod nunc in *Vulg.* legitur, in aliquibus mss. antiquis deest; videtur esse glossa ex commentariis S. Hieronymi transumpta, qui (in Ez. 47,18 apud *M.* 25,478) nostram Rebla Antiochiam Syriae esse putat propter additum: *contra fontem*, « quem perspicuum est significari Daphnem ». Cf. *Vercellone*, Var. Lect. Vulg. lat. I. p. 475. Daphne utique fons erat celeberrimus prope Antiochiam; sed fines terrae promissae nunquam Antiochiam usque protendebantur.

Ubinam Ain fuerit, difficile dictu est, quia ipsa Rebla (quam a Rebla seu Reblatha in terra Emath distinguere oportet), ignota est. Emendationem textus proponunt *Trochon*, *F. de Hummelauer*, alii, pro הַרִּבְלָה legendum esse הַר בְּלָה i. e. mons Bel; emendationem hanc commendant LXX: ἀπὸ Σεπφαμὰρ Βηλά. Mons Bel autem poterit esse mons Baal Hermon (Iud. 3,3), qui sane ad limitem orientalem terrae sanctae indicandum aptissimus est. Ain erit unus ex fontibus Iordanis. Accedit quod teste Flavio Iosepho (Bell. iud. IV. 1,1) prope fontem Iordanis minoris (*Nahr Leddān*) erat altera Daphne, hodie *Diffin* (*Dafne*) prope *Tell el-Qādi* (Lais-Dan); cf. *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 515. 516; *Guérin*, Galilée II. 343; *Legendre*, Carte de la Palestine: *Difne*. Verum attentione digna est alia coniectura ab *I. P. van Kasteren* facta (Revue bibl. IV. 1895 p. 33), qui terminum septemtrionalem terrae sanctae infra Libanum et Hermonem maiorem delineat et nostram Ain agnoscit circa ruinas *'Ayūn* orientem versus a termino australi lacus Tiberiadis nec

procul a fluvio *Yarmuk*, cuius loci descriptionem exhibet Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins IX. 1886, p. 144.

2. Ain seu Aen (עין), urbs tribus Iuda (Ios. 15,32) postea tribui Simeon assignata (Ios. 19,7; 1 Par. 4,32). In textu hebr. Neh. 11,29 Ain et Remmon in unum coniunguntur : בעין רמון; LXX ℵ ἐν Ῥεμμόν, *Vulg.* in Remmon. Alibi (Ios. 15,32; 19,7; 1 Par. 4,32) Remmon immediate sequitur Ain; LXX Ios. 15,42 Ἐρωμώθ et Ios. 19,7 Ἐρεμμών per fusionem Ain et Remmon; 1 Par. 4,32 Ἠν. Unde recte concluditur Ain non procul a Remmon abfuisse; immo aliqui putant Ain et Remmon unum oppidum fuisse nomine En-Remmon. Praeterea Remmon Zach. 14,10 terminus australis terrae sanctae dicitur. Vestigium urbis Remmon agnoscitur in *Kh. Umm el-Rumāmīn* tribus fere horis a Bersabee septemtrionem versus.

Cf. *Robinson*, Palaestina III. 213; *Van de Velde*, Memoir p. 344; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 392. 398 et *Conder and Kitchener*, Large Map, sheet XXIV, Reduced Map, sheet 13; *F. Buhl*, Goegr. des Alten Pal. 1896, p. 183; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *Legendre*, Carte de la Palestine; *idem* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.

3. Inter urbes sacerdotales Ios. 21,16 (hebr., *Vulg.*) recensetur etiam Ain, sed LXX Ἄσα idque rectius videtur; cf. s. v. ASAN.

AION v. AHION.

AISORA (Αἰσωρά) urbs, quam Iudaei firmaverunt contra Holofernem (Iudith 4,4 graece, *Vulg.* omitt.). Censetur esse *Asiret el-ʿAtab* septemtrionem versus a Nablus (Sichem).

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. II. 155; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of. the Holy Land, Plate I. V; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 554.

AITAM (Ios. 15,59 LXX) v. ETAM 2.

ALABASTRUM, graece ἡ ἀλάβαστρος (Marc. 14,3), atque etiam ὁ ἀ. (4 *Reg.* 21,13 LXX cod. B) et τὸ ἀλάβαστρον LXX ib. cod. A) antiquis imprimis lapidem calcarium vel gypseum designabat, qui etiam nunc eodem nomine appellatur et ab auctoribus classicis etiam onyx (*Plin.* XXXVI. 8,60; *Diosc.* Mat. med. 5, 152) et alabastrites (*Plin.* ib. et 24,182; alabastritis XXXVII. 10,143), gr. ἀλαβαστρίτης (*Diosc.* l. c.; ἀλαβαστρῖτις *Athen.* 5, 206) dicitur. Nomen alii ab urbe Alabastro, alii ab ἀ-λάβη « sine ansa », alii ab arabico *al-baṣrah* « lapis albidus », alii aliter explicant. Est lapis tenerrimus, plerumque candidi vel rubri subalbicantis coloris, venis quibusdam variatis interdum distinctus, qui antiquitus praecipue circa Thebas aegyptias prope oppidum Ababastrum et circa Damascum Syriae inveniebatur (*Plin.* XXXVI. 8,61; XXXVII. 10,143; cf. ib. 8,109; V. 9,61); hodie in eadem regione Aegypti, sed maxime in agro florentino prope Volterram multisque aliis in locis reperitur. — Praeterea vero praesertim inde ab Herodoti temporibus usus invaluit, ut eae res quae potissimum ex illo lapide fiebant, simpliciter alabastrum nominarentur. Quamquam autem etiam ad statuas, tabulas, discos (4 Reg. 21,13 צלחת, LXX ἀλάβαστρος, *Vulg.* tabulae) aliaque inserviebat, praecipue tamen adhibebatur ad parva vasa unguentaria, « quoniam optime servare incorrupta » diceretur (*Plin.* XXXVI. 8,60; XIII. 2,19; *Theophr.* fragm. IV. de odorib. 9,41). Unde « alabastrum unguenti », μύρου ἀλάβαστρον (*Herod.* 3,20) vel simpliciter alabastrum ipsum vas unguentarium designabat, quamvis interdum non ex lapide alabastro, sed ex auro (*Theocrit.* 15,114 συρίῳ δὲ μύρῳ χρύσεϊ ἀλάβαστρα) vel vitro vel alia materia constarent. Talia alabastra antiqua ex varia materia confecta magno numero in multis locis reperta sunt, quae plerumque formam inferius quidem ampliorem, superius vero prolongatam atque angustam ostendunt. Atque huiuscemodi videtur fuisse alabastrum illud quod in Evangelio commemoratur (Matth. 26,7; Marc. 14,3; Luc. 7,37), cuius collo superius fracto (Marc. 14,3 unguentum super caput Domini recumbentis a muliere effusum est. Similia vasa etiam apud Assyrios et praesertim apud Aegyptios inde a prima aetate in usu erant. Utrum vero alabastrum evangelicum ex vero lapide alabastrite, an

potius ex vitro, quod S. Epiphanio placuit, constiterit, ex dictis videtur vix posse determinari.

Cf. *F. K. Rosenmüller*. Bibl. Alterth. IV. 1,24-6; *K. E. Kluge*. Handb. d. Edelsteinkunde, Leipzig 1860, 470-2; *O. Fraas*. Aus d. Orient I. Stuttgart 1867, 34; *Leunis-Senft*. Synopsis III. 1 p. 811-7; *M. Bauer*. Lehrb. d. Mineralogie, Berlin u. Leipzig 1886, 515-9.

L. FONCK.

ALAM (Esdr. 8,7) v. AELAM 4.

ALAMATH (עַלְמֹת. Σελαμάθ, Γαμελέθ), filius Ioada seu Iara ex posteris Saul (1 Par. 8,36; 9,42). Coniiciunt aliqui eum fuisse conditorem vel possessorem urbis Almath vide s. v.).

ALCIMUS (Ἄλκιμος), perfidus Iudaeorum pontifex (161-159 a. Chr.). Nomen graecum Ἄλκιμος videtur ipse assumpsisse ex nimio morum graecorum studio; nomen patrium ei fuisse Ioachim vel Eliacim infertur ex Fl. Iosepho Ant. XII. 9,7 : Ἄλκιμος ὁ καὶ Ἰάκιμος κληθείς et XX. 10,3 : ὁ δὲ Ἰάκιμος). Alcimus erat sacerdos ex semine Aaron (1 Mach. 7,14), sed ambitione ductus summum sacerdotium ambiebat ope Syro-Macedoniorum et tempore Antiochi IV. Epiphanis participatione cultus idololatrici coinquinatus est (2 Mach. 14,3 . Post obitum Menelai pontificis Antiochus V. Eupator suadente Lysia tutore suo pontificatum Alcimo dedit, quamquam hic non erat de genere pontificali (*Flav. Ios.* Ant. XII. 9,7). Sed regnante Antiocho V. (164-162 a. Chr.) Alcimus pontificatu fungi potuisse non videtur (1 Mach. 7,5). Simulatque Demetrius I. Soter thronum Syriae occupavit (162 a. Chr.), Alcimus cum principibus factionis hellenisticae Antiochiam profectus est, ut regis auxilium contra Iudam Machabaeum imploraret; a Demetrio pontifex constitutus et a Bacchide duce Demetrii in Iudaeam reductus Alcimus statim potestate sua abusus est, ut sexaginta viros ex Assidaeis simulatione deceptos uno die trucidaret; Bacchides relicto praesidio ad regem rediit (1 Mach. 7,5-20). Alcimus plagam magnam fecit in Israel, sed a Iuda Machabaeo in angustias coniectus iterum ad Demetrium I. abiit, ut pretiosis donis oblatis Iudam criminaretur (1 Mach. 7,21-25; 2 Mach. 14,3-11). Rex Nicanorem ducem in Iudaeam misit; hic vero cum Iuda amicitias iunxit (1 Mach. 7,26. 27 a; 2 Mach. 14,12-25). Quare Alcimus tertio ad Demetrium I. abiit de Nicanore conquesturus; Nicanor mandatis regiis obsecundans cum Iuda conflixit, sed duobus proeliis superatus ipse interemptus est (1 Mach. 7,27 b s.; 2 Mach. 14,26 s.). Neque vero Alcimus animum despondit; Bacchides et Alcimus a Demetrio I. rursum in Iudaeam missi victoriae compotes facti sunt, cum Iudas Machabaeus apud Laisam superatus interiret (1 Mach. 9,1-18). Pro brevi tempore Alcimus pontificatu functus est; *iniqui* et *impii* triumphabant, amici Iudae vexabantur, cruciabantur, occidebantur (1 Mach. 9,23-27; *Fl. Ios.* Ant. XIII. 1,1). Sed vindicta divina impium pontificem mox attigit. Mense secundo anni 153 aer. Seleuc. (mense Maio a. 160 a. Chr.) Alcimus coepit destruere « muros domus sanctae interioris » (probabiliter murum, quo atrium interius sacerdotum ab atrio populi separatum erat); sed paralysi tactus et cum tormento magno mortuus est (1 Mach. 9,54-56) brevi post illud scelus sacrilegum patratum.

Cf. *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes etc. *ed.* 3, I. p. 216 s. 219. 223. 225; *H. Weiss*, Iudas Makkabaeus 1897, p. 99 s.; *I. Danko*, Historia Rev. div. Vet. Test. 1862, p. 560; *F. Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.; *Pauly-Wissowa*, Real-Encycl. der klass. Altert. I. 153.

ALEXANDER (Ἀλέξανδρος).

1. Alexander Magnus, rex Macedoniae (336-323 a. Chr.). Devictis Persis ad Granicum (334 a. Chr.) et apud Issum (333), Tyro et Gaza expugnatis (332) Palaestinam occupavit. Fl. Iosephus (Ant. XI. 8,3-6) narrat factum peculiare, quod neque in S. Scriptura neque ab aliis scriptoribus traditum est : Alexander urbem Ierusalem ingressurus obviam habuit Iaddum (Ieddoa Neh. 12,11. 22) pontificem hyacinthina veste indutum et tiaram in capite gerentem priorque pontificem salutavit; sacerdotibus Iudaeorum comitantibus in templum ascendit ac Deo ad pontificis praescriptum sacrificium obtulit; ostenso vaticinio danie-

lico, quo regnum Persarum a Graecorum quodam abolendum significatur, rex multum gaudebat et postridie pontifice petente, ut patriis legibus uterentur annisque sabbaticis tributo solvendo essent immunes, omnia concessit; eadem privilegia ad Iudaeos in Babylonia et Media degentes extendit. Narrationem Iosephi confirmant traditiones rabbinicae et samaritanae. Eam totam esse confictam dici nequit. Quidquid est de singulis narrationis partibus, extra dubium est Iudaeos in exercitum Alexandri M. esse receptos (cf. *Hecataeus* apud *Flav. Ioseph.* contra Apion. 1,22) et incolarum Alexandriae, quam urbem Alexander in Aegypto fundavit, partem non spernendam Iudaeos fuisse (contra Apion. 2,4; Ant. XIX. 5,2).

Alexandri Magni mentio fit 1 Mach. 1,1-10; 6,2. Adversarii librorum deuterocanonicorum hodie adhuc contra 1 Mach. argumentantur ex eo, quod 1,7 Alexander M. ante mortem regnum suum inter duces suos partitus esse dicitur. Sed iam *Drusius* in h. l. bene adnotavit : « Ceterum iniuriam faciunt huic scriptori, qui hinc illi calumniam struunt. Nam de Alexandro teste Arriano alii alia memoriae prodiderunt, neque ullus est, de quo aut plures exstent scriptores aut magis inter se dissentientes ». Immo *Qu. Curtius* (De rebus gestis Alexandri M. X. 10) refert nonnullos credidisse Alexandri testamento provincias inter duces eius esse distributas. Praeterea optime adnotat *Patrizi* (De consensu utriusque libri Mach. p. VIII) ex mente auctoris 1 Mach. Alexandrum singulis ducibus singulas provincias attribuisse, quibus praeessent, non in quibus regnarent, praesertim cum paulo inferius (1,10) affirmet non Alexandrum, sed ipsos imposuisse omnes sibi diademata post mortem eius. Denique auctores profani, praeterquam quod de Alexandri M. morte maxime inter se dissentiunt, omnes sunt multo recentiores nostro auctore, qui ante a. 106 a. Chr. scripsit; ergo fide dignior erit aliis, etsi ad eius inspirationem non attendamus.

De Alexandro M. eiusque regno etiam Daniel plura vaticinatus est. Regnum graeco-macedonicum est venter aereus in statua symbolica Nabuchodonosor (Dan. 2,39). Regnum Alexandri est quasi pardus quattuor alis instructus i. e. in arripienda praeda velocissimus (7,6). Idem regnum hirco designatur, cuius cornu insigne et conspicuum est Alexander Magnus (8,5-7). Denique ipse Alexander describitur generali modo (11,3. 4) : « Surget vero rex fortis et dominabitur potestate multa et faciet quod placuerit ei. Et cum steterit, conteretur regnum eius et dividetur in quattuor ventos coeli, sed non in posteros eius neque secundum potentiam illius qua dominatus est ».

In historia Alexandri M. praeclarissime elucet providentia divina, quae sapienter suaviterque Evangelio viam praeparavit. Regnum macedonicum Orientem cum Occidente coniunxit. Deus Alexandrum M. instrumentum elegit, qui linguam disciplinasque graecas regnis orientalibus inferret. Eiusdem providentiae consilio regnum graeco-macedonicum mox in varia regna discissum est, quo facilius Romani totum Orientem cum Occidente in unam rempublicam coniungerent et ipsi quoque lingua disciplinisque graecis imbuerentur. Apostolis igitur in mundum universum missis omnes terrae sceptro romano subiectae graecisque litteris imbutae patebant.

Cf. *Flathe*, Geschichte Macedoniens I. 310 ss.: *Kaerst*, Forschungen zur Geschichte Alex. des Grossen, Stuttgart 1887; *Grote*, History of Greece XI-XII; *Henrichsen* in Theol. Studien und Kritiken 1871, p. 458 ss.; *Blümner*, Alexander der Grosse in Ierusalem, Festschrift 1872; *Bois*, Alexandre le Grand et les Juifs en Palestine (Revue de théol. et de philos., Lausanne 1890-1891); *Büchler*, La relation de Josèphe concernant Alexandre le Grand (Revue des études juives XXXVI. 1898, 1-26); *E. Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, I. p. 180. 181; *Pauly-Wissowa*, Real-Encycl. der klass. Altert. 1412-1434.

2. Alexander Balas, qui anno 153 a. Chr. (160 aer. Seleuc.) cum Demetrio I. Sotere de throno Syriae contendere coepit (1 Mach. 10,1 ss.) et undecimus rex Syriae factus per quinque annos regnavit (150-145 a. Chr.; aer. Seleuc. 162-167). Eius ortus obscuritate involvi-

tur. Ipse se filium Antiochi IV. Epiphanis esse dixit; Strabo (XIII. 4,2 et Flav. Iosephus Ant. XIII. 2,1 cum Antiochi filium nominant nulla adiecta dubitatione; unde 1 Mach. 10,1 secundum opinionem hominum recte vocatur Alexander Antiochi filius. Alii vero scriptores affirmant eum fuisse impostorem, sortis extremae iuvenem, Smyrna oriundum, cui nomen Balas, Alexandri nomen ei postea inditum esse (*Appian.* Syr. 67; *Justin.* 35,1; *Polyb.* 33,16; *Diodor. Sic.* apud *Müller*, Fragm. Histor. Graec. II. praef. p. XII. n. 14). A senatu romano agnitus est rex legitimus (*Polyb.* 33,14. 16). Insuper eius partes fuebantur Attalus II. rex Pergami, Ptolemaeus VI. Philometor rex Aegypti, Ariarathes V. rex Cappadociae (*Strabo* I. c; *Justin.* l. c.; *Appian.* l. c.; *Euseb.* Chron. I. 40,15 apud *M.* 19,262 vel *ed. Schoene* I. 253). Demetrius I. ut Ionathan Machabaeum Iudaeosque sibi devinciret eis potestatem fecit exercitum colligendi obsidesque in arce Ierusalem conclusos recipiendi (1 Mach. 10,1-14). Sed Balas ut Demetrii I. promissa vinceret, Ionathan pontificem constituit eique stolam purpuream et coronam auream transmisit; quibus grato animo acceptis Ionathas ad partes Alexandri Balae transiit (10,15-21). Demetrius quidem nova promissa multo pleniora Iudaeis obtulit, sed promissis fidem facere non poterat; anno 150 a. Chr. ab Alexandro victus in pugna occubuit (10,22-50). Eodem anno Alexander Cleopatram filiam Ptolemaei Philometoris Ptolemaide uxorem duxit et Ionathan illuc invitatum purpura induit eumque ducem et participem principatus στρατηγὸν καὶ μεριδάρχην constituit (10,51-66). Sed regno potitus mollem et effeminatum se praestitit, quem teste Iustino (35,2) insperatae opes et alienae felicitatis ornamenta velut captum inter scortorum greges desidem in regia tenebant (cf. *Liv.* Epitome 50). Neque diu pace gaudebat. Anno 147 a. Chr. (165 aer. Seleuc.) Demetrius II. filius Demetrii I. se regni aemulum Alexandro opposuit et Apollonius praefectus Coeles Syriae ad Demetrium transiit. Ionathas quidem Apollonium devicit et in praemium fidei servatae urbem Accaron cum confinibus ab Alexandro Bala accepit (1 Mach. 10,67-89). Sed Alexander ab ipso socero suo perditus est. Ptolemaeus Philometor, ut regnum Syriae Aegypto adderet, Cleopatram Alexandro ablatam Demetrio II. uxorem tradidit et magno exercitu Alexandrum prope Antiochiam devicit; is quidem in Arabiam aufugit, sed a Zabdiel Arabum dynasta occisus et caput eius abscissum Philometori missum est. Cum vero Philometor ex vulneribus in proelio acceptis intra paucos dies vitam finiret, Demetrius II. Nicator regnum Syriae occupavit (1 Mach. 11,1-19; cf. *Diodor. Sic.* apud *Müller*, Fragm. Histor. Graec. II. praef. p. XVI. n. 19. 20 et *Strabo* XVI. 2,8). — De Alexandro Bala Flav. Iosephus agit Ant. XIII. 2,1-4; 4,1-8; sed 4,4 rem falso ita narrat, ac si Apollonius ex partibus Alexandri stetisset; praeterea 4,8 scribit: Ἀλέξανδρος ὁ Βάλας λεγόμενος, ac si Balas fuisset cognomen Alexandri.

3. Alexander filius Simonis Cyrenaei (Marc. 15,21).

4. Vir de genere sacerdotali conspicuus inter eos, qui congregati sunt, ut de Petro et Ioanne iudicium ferrent (Act. 4,6). Circumfertur opinio quorundam hunc esse Alexandrum Lysimachum, Philonis fratrem, Alexandrinorum alabarchen, Claudio nondum imperatori amicitia iunctum (cf. *Flav. Ioseph.* Ant. XVIII. 8,1.3; XIX. 5,1 et v. *Patrizi* in Act. 4,6).

5. Iudaeus vel forte Iudaeo-christianus, qui in seditione ephesina a Demetrio contra S. Paulum agitata conatus est in theatro verba facere, sed Iudaeus cum esset, clamoribus remotus est (Act. 19,33. 34). Coniiciunt aliqui eum esse filium Simonis Cyrenaei (Marc. 15,21).

6. Christianus ephesinus, qui cum Hymenaeo circa fidem naufragavit et a S. Paulo traditus est satanae (1 Tim. 1,20).

7. Aerarius, probabiliter ephesinus, qui S. Paulo multum restitit (2 Tim. 4, 14. 15). Multi censent hunc esse eundem, de quo 1 Tim. 1,20.

ALEXANDRIA. ALEXANDRINI. Inter urbes hoc nomine insignes potissima fuit ea Alexandria (ἡ Ἀλεξάν-

δρεια), quae a. 332 a. Chr. ab Alexandro M. in Aegypto inferiore condita est. Sita erat in ora mari Mediterraneo lacuique Mareotidi interiecta e regione Phari insulae, eoque situ exstitit praecipuum veterum emporium frequenti cum universo ferme orbe per naves onerarias commercio celebre. Nam inter civitatem insulamque agger 7 stadiorum (Heptastadion) exstructus est singulique utrinque portus appositi navibus appellendis aptissimi; praeterea lacu Mareotide cum ore Nili per canalem iuncto urbs commercio cum Oriente habendo patuit. Bis S. Paulus Alexandrina nave vectus esse narratur (Act. 27,6; 28,11). — Cum Ptolemaei reges urbem sui regni sedem creassent, brevi florere coepit magnitudine, divitiis, liberis artibus. Etenim iam saec. 1. a. Chr. unam leucam semis longa fuit, semileucam lata a trecentisque milibus hominum liberorum ac duplici fere numero servorum habitata; et quidem partem urbis occidentalem, vetusto oppido Rhacoti vicinam, maxime Aegyptii incolebant, mediam —Bruchium appellabant— Graeci, suburbium orientale muro conclusum Iudaei tenebant amplius 100.000. Civitatis pulchritudo in proverbium abierat, ac paene tertiam partem spatii palatia, templa, musea, hortique publici occupasse feruntur, lataeque per urbem viae porticibus amoenae exstructae erant. Ceteris urbis partibus ornatu magnificentiaque praestitit Bruchium, ubi domus regiae erant, Museum, ingens 4-700.000 librorum bibliotheca, amplissima Academia, ipsius Alexandri M. mausoleum, theatrum, Neptuni templum, obelisci, columnae, gymnasium, hippodromus. In Pharo insula cernebatur pharos ille, inter 7 mundi mirabilia celebris, e marmore albo per 8 contignationes constructus. In vico occidentali cernere erat Serapeum, cum altera 30.000 voluminum collectione, ad quam priore bibliotheca bello alexandrino combusta Cleopatra bibliothecam pergamenam 200.000 voluminum adiunxit. Quibus litterariis subsidiis comparatis factum est ut omne ibi genus litterarum atque artium mirum quantum effloruerit, maxime poësis, rerum litterarumque antiquarum studium, geographia, mathesis, astronomia, ars medica, philosophia. — Hic saeculo a. Chr. 3. et 2. sacri V. T. libri eorum Iudaeorum gratia, qui hebraice non didicerant, in graecum sunt conversi (« Septuaginta », eoque toti, ut ita dicam, orbi terrarum innotuerunt. Praeterea viguit ibidem propria quaedam Iudaeorum sacra philosophia ac sacrorum librorum exponendorum ratio, ab Aristobulo maxime et Philone exculta. Iudaeorum ab ingenio quantumvis reliqui cives abhorrerent, tamen cum mercatura exercenda opes civitatis augerent, ab iis, penes quos imperium erat, protecti sunt licuitque eis in suo vico uti proprio magistratu (« alabarcho » nomen erat) propriisque legibus. Iudaei Alexandrini cum iis qui Palaestinam incolebant coniuncti erant; tamen proprium Leontopoli templum, quod erat hierosolymitano ritibus, sacrificiisque simile, circa a. 150 a. Chr. aedificaverunt. Hierosolymis *Alexandrini* cum Libystinis (ita legendum probabiliter est Act. 6,9 cum textu arm.; sed v. LIBERTINUS) et Cyrenensibus propriam synagogam africanam habuerunt, e qua quidam Stephano summo cum odio adversati sunt. Apollo, S. Pauli adiutor, Alexandrinus genere nominatur (Act. 18,24). Christianam fidem a S. Marco in Aegypto praedicatam esse Alexandriaeque ecclesias constitutas Eusebius testis est (Hist. eccles. 2,16). — Ipsum Alexandriae nomen in S. Scriptura non occurrit nisi in versionibus Ier. 46,25; Ez. 30,14-16; Nah. 3,8, ubi tamen secundum textum originalem intellegendum est No-Amon i. e. Thebae, ubi idolum Amon colebatur (v. AMON 1 et NO AMON).

Cf. *Strabo* l. XVII; *Arrian.* l. 3-7; *Polyb.* 39,14; *A. F. Dähne,* Geschichtliche Darstellung der jüdisch-alexandrinischen Religionsphilosophie, Halle 1834; *Néroutsos-bey,* L'ancienne Alexandrie, Paris 1888; *Mahmud-bey,* Topographie des alten Alexandrien, Kopenhagen 1872; *Th. Mommsen.* Röm. Geschichte V. p. 581 s.

F. ZORELL.

ALGUM (almug) v. THYINUM.

ALIA v. ALVA.

ALIAN v. ALVAN.

ALICARNASSUS (Ἁλικαρνασσός), urbs praecipua Cariae in Asia minore ad sinum Ceramicum (hodie *Golfo di Stanco*) sita, una ex illis urbibus, quibus Romani a. 139 a. Chr. scripserunt, ne Iudaeis mala inferrentur (1 Mach. 15,23). Iudaeos ibi habitasse tempore Caesaris elucet ex decreto Halicarnassensium (apud *Flav. Ios.* Ant. XIV. 10,23), quo Iudaeis ius ac potestas conceditur tum sabbata observandi tum sacra peragendi ex legibus iudaicis et preces faciendi ad mare pro more patrio; quod decretum influxui Caesaris deberi videtur. Nomen hodiernum est *Budrun*.

Cf. *Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes etc. *ed.* 3. III. p. 68. 76; *C. T. Newton*, History of discoveries at Halicarnassus, Cnidus and Branchidae, London 1862-1863.

ALIENIGENA v. ADVENA.

ALIMIS (1 Mach. 5,26 ἐν Ἀλέμοι, *Vulg.* in Alimis), urbs munita in Galaad, in qua Iudaei ab alienigenis oppressi, sed a Iuda Machabaeo liberati sunt; cf. 5,36. Quae 1 Mach. 5,9 s. et 2 Mach. 12, 9-22 narrantur, gesta sunt in Gaulanitide (*Djōlān*) et Auranitide (*Ḥaurān*). In *Djōlān* urbem nostram quaerunt *Schumacher* et *Furrer* in Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins IX. 335-337; XII. 151; ab oriente lacus Tiberiadis in collibus, qui ripam dexteram *Nahr el-Ruqqād* superant, est vicus grandis et bellus *Kefr el-Mā* i. e. vicus aquae (Wasserdorf); ab indigenis autem nomen vici pronuntiatur *Kefrélma*, in quo vestigium nominis antiqui (ἐν Ἀλέμοις) deprehendi potest. Huic sententiae favet, quod non procul a *Kefr el-Mā* aquilonem versus invenitur *Khisfīn* seu Casphor, quae 1 Mach. 5,26 simul cum Alimis nominatur. Unde *Legendre*, Carte de la Palestine hunc situm pro Alimis adoptat.

Aliis vero praeplacet *'Ilmā* in *Ḥaurān* sita, 18 km a *Der'at* (Edrai) septemtrionem versus; cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XIII. 1890, 42; *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 245. 253 et vide Zeitschr. der Deutschen Morgenl. Gesellschaft XXIX. 1875, 432. 433.

ALLELUIA (הַלְלוּ יָהּ, Ἀλληλούϊα) i. e. laudate Iahwe. Hoc epiphonema quo Deum laudibus celebrandum esse edicitur omnesque ad id admonentur legitur in textu hebraeo in fine Ps. 104-106, et in initio Ps. 106. 111-113; in fine Ps. 115-117; in initio ps. 135 et utroque loco, in initio et fine Ps. 147-150. In Vulgata Alleluia inscribuntur Ps. 104-106. 110-118. 134. 135. 145-150; ponitur quoque in fine Ps. 147-150. In LXX iidem qui in Vulgata inscripti sunt Ἀλληλούϊα. Voce hac alleluia Christianos usos esse in suis orationibus iam Tertullianus commemorat (de orat. 27; *M.* 1,1194) et S. Augustinus iam nominat psalmos alleluiaticos et disserit de psalmis qui in initio et fine habent alleluia (in Ps. 105; *M.* 37,1404) et scribit: alleluia cantare nobis certo tempore sollemniter moris est secundum Ecclesiae antiquam traditionem (in Ps. 101, 1 l. c. 1419); pariter commemorat consuetudinem antiquae traditionis Ecclesiae, ut post pascha per quinquaginta dies alleluia dicatur (serm. 252,9; *M.* 38,1176; cf. in Ps. 110,1; in ep. 1 Ioan. tract. 8,1; *M.* 35,2035; in Ps. 148,1) et « in hoc verbo consonantes ore et consentientes corde exhortamur nos invicem ad laudandum Deum » (serm. 255,1; *M.* 38,1186). Et S. Gregorius Magnus contra aliquos qui eum reprehendebant quod morem ecclesiae constantinopolitanae imitaretur alleluia dici faciens ad missas extra Pentecostes tempora, scribit: « Nam ut alleluia hic diceretur de Ierosolymorum ecclesia ex beati Hieronymi traditione tempore beati Damasi papae traditur tractum » (ep. 9,12; *M.* 77,956). Etiam S. Augustinus (in ep. 55,17. 32; *M.* 33,220) commemorat varium ecclesiarum usum; immo non desunt testimonia etiam in exsequiis mortuorum alleluia quandoque apud Romanos fuisse cantatum (cf. *S. Hier.* in epitaphio Fabiolae, ep. 77,11; *M.* 22,697). In eo cantu significari ait S. Augustinus nobis laborantibus actionem quietis nostrae; « cum enim post istum laborem ad illam requiem veniemus, solum negotium laus Dei erit, actio nostra ibi alleluia est; ibi cibus noster alleluia, potus alleluia, actio quietis alleluia, totum gaudium erit alleluia i. e. laus Dei » (serm. 252,9 l. c.); hisce s. doctor tangit quae in Apocalypsi nobis exhibentur: audivi quasi

vocem turbarum multarum in coelo dicentium : alleluia... et iterum dixerunt alleluia... et ceciderunt seniores viginti quattuor et quattuor animalia et adoraverunt Deum sedentem super thronum dicentes alleluia, et audivi quasi vocem turbae magnae et sicut vocem aquarum multarum et sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium alleluia (Apoc. 19, 1. 3. 4. 6). Quae laudes Deo canuntur quia iudicavit de meretrice magna.

I. KNABENBAUER.

ALLIUM. 1. *Allii usus apud Orientales.* Allium semel tantum in Scriptura occurrit, cum Israelitis in deserto « in mentem veniunt cucumeres et pepones porrique et cepe et allia » Aegypti (Num. 11,5). Significatio vocis hebraicae שומים dubia non est atque in ea explicanda interpretes veteres et recentiores consentiunt (LXX σκόροδα, *Peshitta* et *Chald.* תומא etc.). Licet posterioribus Graecis et Romanis allia propter molestum quem generant odorem invisa fuerint (*Aristoph.* Equ. v. 946; *Horat.* Epod. 3; *Plaut.* Mostellaria I. 1,38 etc.), tamen vel ipsi allii culturam usumque frequentem in Oriente ac praesertim pro Aegypto testantur (*Herod.* 2,125 et ex eo *Plin.* XXXVI. 12,79 [cf. *infra*]; *Theophr.* Hist. pl. VII. 4,7-12 etc.; *Columella* 11,3; *Dioscur.* Mat. med. 2,181; *Plin.* XIX. 6,101 ss.; *Juvenal.* 15,9 ss. etc.). Idem vero usus tum apud antiquos Babylonios viguit, quorum inscriptiones cuneatae allia (*shūmu*) inter oblationes diis debitas enumerant (*Nabuchodonosor,* Cyl. Grotef. Col. 1,19; 2,29; 3,13) ac praesertim in contractibus innumeris vicibus commemorant (*I. N. Strassmaier,* Inschr. v. Nabonidus n. 123. 130. 134. 151. 169 etc.; Nabuchodonosor n. 290. 309 etc.; Cyrus n. 12. 41. 340 etc.), tum maxime apud Aegyptios florebat, apud quos testes culturae antiquae hodiedum supersunt reliquiae seminum et bulborum in sepulcris aegyptiacis inventae, imagines frequentes alliorum in picturis superstites, textus non pauci allii laudem commemorantes. Atque nostra etiam aetate vulgus orientale alliis herbisque affinibus cum pane vesci admodum delectatur iisque tamquam cibo suo ordinario vescitur, cum ollae carnium ut plurimum ditioribus sint reservatae (cf. Ex. 16,3 et *F. de Hummelauer,* Vormos. Priesterthum, Freiburg 1899, p. 10 s.).

Cf. de alliis aegyptiacis *A. Braun* in Ztschr. f. Ethnol. IX. 1877, 295. 309 s.; *Wilkinson-Birch,* Manners and Customs I. 181; II. 25 s. 461. 515; III. 350 s. 417-9; *A. Erman,* Aegypten 654 s.; *Fr. Woenig,* Die Pflanzen im alt. Aeg., Leipzig 1886, 192-200; *V. Loret,* Flore pharaonique *ed.* 2, Paris 1892, 36-8; *Ch. Joret,* Les plantes dans l'antiquité I. Paris 1897, 178 s.; *G. Maspero* in Revue de l'Hist. des Relig. XXXV. 1897, I. 289; XXXVI. 1897, II. 4 s. — Relatio *Herodoti,* a *Plinio* repetita, in cibandis operariis pro construenda pyramide magna adhibitis « in raphanos et allium ac cepas mille quingenta (*Herod.* mille sexcenta) talenta erogata » esse (*Plin.* XXXVI. 12,79 ex *Herod.* 2,125), auctoribus recentioribus nulla fide digna videtur, argumentis fortasse non omnino solidis; cf. *A. Wiedemann,* Gesch. Aegyptens, Leipzig 1880. p. 87-91; *id.* Aeg. Gesch., Gotha 1884, p. 112 s.

De usu moderno cf. *F. Hasselquist,* Reise, Rostock 1762, p. 562 s.; *E. W. Lane,* Sitten und Gebräuche, *ed. I. Th. Zenker* I. 207 etc.

2. *Allii species.* Plurimae quidem generis Allii ex ordine *Liliacearum* species in ditione orientali crescunt atque etiam in deserto sinaitico plures ex istis inveniuntur. At certe Israelitae cibum illum gratissimum in Aegypto abundantem desiderabant scil. *Allium sativum* Linné (gall. *ail,* germ. *Knoblauch*), horticultoribus nostris pariter et antiquis notissimum. Quae quidem species, quae hodiedum nomen biblicum apud Arabes retinet (*tūm* = שום), in statu silvestri nonnisi in desertis soongoro-khirgisicis in Asia invenitur, sed una cum caepi (*Allium Cepa* Linné) et porro (*Allium Porrum* Don, quae est varietas *Allii ampeloprasi* Linné) praesertim in Aegypto ab antiquissimis temporibus colebatur, immo ab auctore gravissimo *G. Schweinfurth* fortasse cum ipsis cerealibus illuc primitus ex Asia introducta censetur. Alia praeterea species affinis communiter colebatur et colitur, quae ex Asia minore oriunda ab urbe Ascalon nomen accepit (*Allium ascalonicum* Linné); quae species ab *A. de Candolle* tamquam va-

rietas Allii Cepae, cultura diuturna derivata, consideratur, id quod *A. Engler* cum aliis minime probat.

Cf. *G. W. Wedel*, De Allio, Ienae 1718; *A. v. Haller*, De Allii genere naturali libellus, Gottingae 1745; *Chr. L. Treviranus*, Allii species, Vratislaviae 1822; *E. Regel*, Alliorum adhuc cognitorum monographia, Petropoli 1875; *A. de Candolle*, Origine des plantes cultivees, Paris 1883, p. 50-8; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3, II. 2 p. 786-90; *E. Boissier*, Flora orientalis V. 229-85 (142 Allii species orientales); *Engler-Prantl*, Nat. Pflanzenfam. II. 5, Leipzig 1889, 55-7 (c. 250 allii species notae); *V. Hehn*, Kulturpflanzen und Hausthiere *ed.* 6, 189-201; *A. Engler* ib. 201 s.; *G. E. Post*, Flora of Syria, Palest. and Sinai, 785-95.

De allio biblico generatim cf. praeterea *I. H. Ursinus*, Arboreti bibl. contin., Norimbergae 1699, II. 106-8; *M. Hiller*, Hierophyticon, Traj. ad Rh. 1725, II. 36-38; *O. Celsius*, Hierobotanicon II. 52-57; *H. O. Lenz*, Botanik d. alt. Gr. u. Römer, Gotha 1859, 294-302; *P. Cultrera*, Flora biblica, Palermo 1861, 168 s.; *M. Duschak*, Zur Botanik d. Talmud, Pest 1870, 112-4; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen, Leipzig 1881, n. 336; *G. Schweinfurth*, Verhandl. d. Ges. f. Anthrop. 1891, p. 666.

L. FONCK.

ALLON (אַלּוֹן, Ἀλών), Simeonita, ex maioribus Ziza (1 Par. 4,37).

ALLOPHYLI v. PHILISTHAEI.

ALMATH (עָלֶמֶת, Ἐληεμέθ), nonus filius Bechor filii Beniamin (1 Par. 7,8).

ALMATH (עַלְמֶת, Γαλεμάθ), urbs sacerdotalis Beniamin (1 Par. 6,60[45]), inter Gabee (*Djeb'a*) et Anathoth (*'Anātā*) enumerata. Coniiciunt aliqui eam conditam esse ab Alamath ex posteris Saul 1 Par. 8,36; 9,42. Eadem Ios. 21, 18 appellatur Almon (עַלְמוֹן, Γάμαλα). Nunc *Khirbet 'Almīṭ* inter aquilonem et orientem ab Hierosolymis.

Cf. *Van de Velde*, Memoir to accompany the Map of the Holy Land 1858, p. 284; *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 376-377; *Guérin*, Judée III. 75. 76; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 35; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 175; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 464; *Legendre*, Carte de la Palestine; *id.* apud *Vigouroux*, Dict de la Bible s. v.

ALMON urbs v. ALMATH.

ALOE 1. *Versiones antiquae.* Aloe hebraice dicitur אֲהָלִים Num. 24,6 ac Prov. 7,17, et אֲהָלוֹת Ps. 44[45], 9 ac Cant. 4,14. Versiones antiquae in explicanda voce hebraica parum inter se consentiunt. In libro Numerorum *Vulgata* nostra cum LXX, *Itala*, *Peshitta*, versione samaritana, *Targum*, graeco veneto « tabernacula » vertit, legendo אֹהָלִים; *Onkelos* vero בסמיא i. e. aromata exhibet. In psalmo versio latina *guttam* interpretatur, similiter ac LXX στακτήν et *Peshitta* אסטקטא; at *S. Hieronymus* in epistula 65 (al. 140) ad Principiam n. 14 in hebraeo potius ligna *aloes* designari innuit, quae etiam *Targum* intellegit (אקסיל ארואין i. e. ξυλαλόην); *Aquila* ibidem signa hebraica retinet (ἀλώθ). In textu Cantici *Vulgata* « aloe » vertit pariterque *Peshitta* עלוי et *Targum* אקסיל אלואון ξυλαλόην, ut habet Graecus venetus; LXX vocem hebraicam transscribunt ἀλώθ (Cod B A; sed א αλοη). In Proverbiis denique duplex videtur lectio antiquitus exstitisse : alteram textus massorethicus exhibet eamque S. Hieronymus et Graecus venetus recte *aloe* explicant; alteram parallelismo membrorum satis commendabilem supponunt LXX (cod א B A etc. et vetus latina, pro אֲהָלִים vertendo אָהֳלִי τὸν οἶκόν μου, domum meam. *Peshitta* vero et *Targum* hoc loco aliquibus כורכמא i. e. crocum pro אהלים ponere videntur; sed cum LXX in membro priore pro hebr. מֹר κρόκῳ κροκινω B? א* habeat, potius lectio huius quoque membri variasse dicenda erit. In Novo Testamento, ubi semel (Io. 19,39) aloes mentio fit, textus graecus ἀλόης legit, eandemque vocem *Itala*, *Peshitta*, *Vulg.* retinent.

2. *Explicatio recentiorum.* De significatione vocis hebraicae et graecae auctores pariter satis dissentiunt. At imprimis in tribus Vet. Test. textibus, supposito quod in Prov. massorethae et Vulg. veram servent lectionem, aloe cum myrrha aliisque pretiosis aromatibus con-

iungitur, quibus vestimenta regia fragrabant (Ps. 44,9), et quae insigne horti decus constituebant (Cant. 4,14) quibusque mulier male fida domum suam implevit (Prov. 7,17). Certe locis istis satis conformis est sententia inter auctores communior, quae aloen illam dicit lignorum frusta resinosa odorifera, ex arbore indica extracta, cui nomen indicum *aghil* seu *aguru* seu *agaru*, scientificum vero a nomine patrio derivatum *Aquilaria agallocha* Roxburgh (= *Aloexylum Agallochum* Loureiro) ex ordine *Thymelaeacearum*. Etiam aliae eiusdem arboris species, v. gr. *A. malaccensis* Lamarck, *A. secundaria* Cavanilles, *A. sinensis* (Lour.) Gilg etc. simile lignum odoriferum videntur praebere; minoris autem pretii est lignum *Excaecariae agallochae* Linné ex ordine *Euphorbiacearum*. Nominis ipsius hebraici, sicut et aliarum linguarum, cum indico affinitas hanc aromatis originem satis probabilem reddit. Neque mirum, illud Orienti, aromatum percupido, cum aliis mercibus ex India terra marique adductis antiquitus innotuisse, sicut et Graecis cum nomine indico iam pridem acceptum erat (*Dioscur.* 1,21 ἀγάλλοχον ξύλον ἐστὶ φερόμενον ἐκ τῆς Ἰνδίας καὶ τῆς Ἀραβίας κτλ.). Fortassis etiam unum ex lignis illis ignotis inscriptionum cuneiformium, *chashuri* odore praeclarissimum, *urkarinu, allakanu, KAL, KU* etc., lignum aloes denotat.

Cf. *I. de Loureiro*, Flora cochinchinensis, *ed. C. L. Willdenow*, Berolini 1793, I. 327-9; *C. Sprengel*, Comment. in Dioscur. 1,21; *A. Garcke* in Verh. d. bot. Ver. d. Prov. Brandenburg VIII. 1866, p. VIII s.; *Chr. Lassen*, Ind. Alterthumsk. I. *ed.* 2, p. 334; *I. Löw*, Aramaeische Pflanzennamen, Leipzig 1881, n. 235; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3, II. 2 p. 368. *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam. III. 6 a, 223 s.; *F. A. Flückiger*, Pharmakognosie *ed.* 3, Berlin 1891, 216 s.

3. Jam vero idem aroma pretiosissimum cum myrrha permixtum a Nicodemo ad sepulturam Domini allatum esse a pluribus haud improbabiliter supponitur (*Celsius, Rosenmüller, Cultrera, Post* etc.). Eodem enim modo, ut in Vet. Test., aloe cum myrrha ab evangelista coniungitur, atque in mixtura aromatica pretiosa meliore iure aroma illud indicum locum suum obtinet, quam herba amara non odorifera aloes vulgaris ab *Hiller, Henslow* aliisque electa.

4. Denique in vaticinio Balaami (Num. 24,6) probabilius arborem, non tabernaculum intellegendum esse contextus et parallelismus suadent, cum vates eodem versu populum Israel vallibus nemorosis hortisque irriguis ac cedris prope aquas similem praedicet. Quamnam autem arborem designet, multis satis dubium videtur, cum parum probabile appareat, arborem remotissimae regionis incolam iam tunc Balaamo eiusque auditoribus notam fuisse. Quare excluso ligno aloes multi rem in ambiguo relinquunt (*Michaelis, Tristram, I. Smith, Kinzler, Gesenius-Buhl* etc.). Alii loco aloes aliam plantam non magis regionis indigenam substituunt scil. cardamomum, arabice *hāl* dictum, audaciore forsitan coniectura, ut *Gesenius* (Thes. 33[b]) notat (*de Sacy, Wetzstein, Socin* etc.). Alii ad tabernaculum veterum versionum redire malunt (*Henslow*), etiam ad Hebr. 8,2 provocantes. Mire dissentiens cl. *M. Hiller* potius cedrum quam aloen in omnibus Vet. Test. textibus intellegit; *A. Dillmann* vero אֵילִים i. e. palmas in loco Num. corrigendum censet. At probabilius alii etiam hoc loco eadem voce eandem illam arborem indicam designari supponunt, sive quod vates arborem celeberrimam ac religiosam ex sola fama noverit, sive quod in hortis prope Iordanem, subtropico calori expositis, vel etiam in paradisis Mesopotamiae cultam viderit; reges enim orientales magnis sumptibus arbores odoriferas aliarum regionum in propriam transtulisse monumenta cuneiformia pariter et hieroglyphica testantur.

Vix est quod moneamus, aloen biblicam non esse confundendam cum *Agave americana* Linné ex ordine Liliacearum, cui nomen aloes a quibusdam immerito tribuitur.

Cf. *G. W. Wedel*, De ligno aloes, Ienae 1693, *I. H. Ursinus*, Arboret. bibl., Norimbergae 1699, p. 72 s. 559-65; *I. H. Schulze*, De aloe, Altdorfi 1723; *M. Hiller*, Hierophyticon, Traj. ad Rh. 1725, I. 394-400; *O. Celsius*, Hierobotanicon, Amstelaedami

1748, I. 135-171; *I. D. Michaelis*. Supplem. ad lex. hebr. p. 31-35; *C. P. Thunberg*. De Aloe, Upsala 1785; *E. F. K. Rosenmüller*. Bibl. Alterth. IV. 1 p. 225-8; *P. Cultrera*. Flora bibl., Palermo 1861, 355-7; *F. Hamilton*. Botanique de la Bible, Nice 1871, 129 s.; *I. Smith*. Bible Plants, 185-7; *W. Heyd*. Gesch. d. Levantehandels II., Stuttgart 1879, 559-62; *A. Künzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, 207 s.; *H. B. Tristram*. Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, 333; *I. H. Balfour*, Plants of the Bible, nova ed., London 1885, 116 s.; *G. Henslow*. Plants of the Bible, 74-6; *P. Schegg*. Bibl. Archaeol. p. 230-2; *I. G. Wetzstein* ap. *Frz. Delitzsch*. Das hohe Lied p. 167 ss.; *G. E. Post* ap. *I. Hastings*. Dict. of the Bible I. 69 s.

L. FONCK.

ALOHES הָלוֹחֵשׁ, pater Sellum principis tempore Nehemiae (Neh. 3,12; Ἀλλωής). Idem nomen legitur inter signatores foederis renovati (Neh. 10,24 [25]; Ἀλωής.

ALPHA ET OMEGA. Christus ter in Apocalypsi dicit se esse Alpha et Omega : Ego sum A et Ω, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est et qui erat et qui venturus est, omnipotens (1,8; sim. 21,6; 22,13). Ut tota vis locutionis apocalypticae perspiciatur, respiciendi sunt loci Veteris Testamenti, quibus ipse Deus se dicit primum et novissimum (Is. 41,4; 43,10; 44,6; 48,12 etc.); quodsi igitur Christus se Alpha et Omega esse dicit sibique attributa adscribit, quae prophetae Deo adscripserunt, praeclare suam ipsius divinitatem testatur. Sensus idem est, qui habetur Hebr. 13,8 : « Iesus Christus heri et hodie : ipse et in saecula » et Col. 1,17 : « Et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant ».

Locutionem apocalypticam Aurelius Prudentius poeta (Cathemerinon 9,10-12) his versibus exornat :

Corde natus ex parentis ante mundi exordium
Alpha et Ω cognominatus ipse fons et clausula
Omnium quae sunt, fuerunt quaeque post futura sunt.

Eandem verborum vim ulterius evolvit Tertullianus : « Sic et duas Graeciae literas, summam et ultimam, sibi induit Dominus, initii et finis concurrentium in se figuras : uti quemadmodum α ad ω usque volvitur et rursus ω ad α replicatur, ita ostenderet in se esse et initii decursum ad finem et finis recursum ad initium, ut omnis dispositio in eum desinens, per quem coepta est, per Sermonem scilicet Dei, qui caro factum est, proinde desinat, quemadmodum et coepit » (De Monogamia c. 5 apud *M.* 2,935).

Symbolum hoc, quo secundum ipsam S. Scripturam et coaeternitas et coaequalitas Filii cum Patre praeclare exprimitur, frequentissime in monumentis artis christianae adhibitum est, praesertim postquam ineunte saeculo quarto lites arianae exortae sunt. Cf. *F. X. Kraus*, Real-Encyclopaedie der christlichen Alterthümer s. v. Αω.

ALPHAEUS (Ἀλφαῖος). **1.** Pater Levi i. e. Matthaei apostoli (Marc. 2,14).

2. Pater Iacobi minoris apostoli (Matth. 10,3; Marc. 3,18; Luc. 6,15; Act. 1,13). Iamvero iste Iacobus minor fratrem habebat Ioseph et matrem Mariam (cf. Matth. 27,56; Marc. 15,40), quae erat soror (vel cognata) matris Iesu et vocatur Maria Cleophae (Ioan. 19,25). A nonnullis quidem haec Maria censetur esse filia Cleophae (*Theophylactus, B. Albert. M., S. Thom., S. Bonav.*); sed quia mulieres non secundum patrem, sed secundum maritum nominari consueverunt (cf. Matth. 1,6; Luc. 8,3), a plerisque uxor Cleophae habetur (*Euthymius, Jansenius, Calmet, Corluy, Schegg, Schanz, Fillion, Knabenbauer, Weiss, Keil*).

Unde sequitur, ut Alphaeus idem sit, qui Ioan. 19,25 Cleophas (Κλωπᾶς) audit. Totum nominis discrimen originem ducere videtur ex graviore vel leniore pronuntiatione nominis apud Talmudistas quoque frequentis חלפי. Ita plerumque explicant. Verum quidem est hebr. ח in initio vocis apud LXX plerumque non exprimi vel reddi per χ, X (cf. Ἀγγαῖος, Ἐμάθ et Χάμ, Χαῤῥάν, Χεβρών, Χωρήβ, etc.). Unde aliqui negant Κλωπᾶς ad חלפי referri posse (cf. *Wetzel* in Studien und Kritiken 1883, p. 620 s.). At respondendum est etiam hebr. טבח et פסח graece fieri ταβέκ et φασέκ atque viceversa grae-



cam vocem κλεψύδρα ab Hebraeis scribi חלפסדרא.

ALTARE (מִזְבֵּחַ, θυσιαστήριον). Erigebantur altaria ad sacrificia et oblationes Deo faciendas. Prima mentio altaris fit Gen. 8,20 : aedificavit Noe altare Domino et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis obtulit holocausta super altare. Abraham quoque aedificavit altare, cum in eo esset ut Isaac filium suum offerret super altare (Gen. 29,9; Iac. 2,21). Praeterea a patriarchis etiam erigebantur altaria iis in locis, ubi Deus se illis singulari ratione manifestavit, proinde ad Dei beneficia commemoranda et ad aliquem locum Deo consecrandum, ita tamen ut de sacrificio oblato nulla ingeratur mentio; Gen. 12,7 apparuit autem Dominus Abram et dixit ei : semini tuo dabo terram hanc, qui aedificavit ibi altare Domino; v. 8 pariter aedificavit altare ab occidente habens Bethel et ab oriente Hai; cf. Gen. 13,4; aliud aedificat in Hebron 13,18; Isaac quoque aedificavit altare, ubi ei Dominus apparuit Gen. 26,25, item Iacob 33,20, qui a Deo quoque iubetur altare facere Deo qui apparuit ei in Bethel Gen. 35,1-7, et de eiusmodi altari quasi memoriali sermo quoque est Ios. 22,22-30. Nihil autem nobis refertur de materia et figura horum altarium. Victoria de Amalecitis reportata Moyses aedificavit altare (Ex. 17,15). Quomodo altare fieri debeat, tandem traditur in legislatione sinaitica, ex qua tamen, uti in aliis quibusdam, colligere licebit nihil plane novi esse statutum, verum morem antiquum esse confirmatum : altare de terra facietis mihi et offeretis super eo holocausta et pacifica vestra in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei; quodsi altare lapideum feceris mihi, non aedificabis illud de sectis lapidibus; non ascendes per gradus ad altare meum Ex. 20,24-26. Reipsa iam exigebatur mensa ad offerenda sacrificia; ea autem non in qualibet mensa esse oblata, sed in mensa singulari ratione ab usu profano separata et unice Deo consecrata, iam ipsa sacrificii sanctitate et religione suadebatur. Quare uti sacrificia, ita altaria quoque ubique gentium reperiuntur.

In tabernaculo mosaico duo erant altaria, altare holocautomatum et altare thymiamatis; utrumque accurate quomodo fieri debeat describitur; illud quod in atrio vel vestibulo collocabatur Ex. 27,1 ss. 38,1 ss., fiebat de lignis setim, quinque cubitorum per quadrum et trium in altitudine, quibus parietibus de lignis setim includebatur altare de terra vel lapidibus non sectis; parietes autem lignei obducebantur laminis aeneis; ex quattuor angulis eminebant quattuor cornua aenea. In sanctuario autem erat altare thymiamatis, positum ante velum quo sanctum sanctorum obtegebatur. Describitur Ex. 30,1 ss. et 37,25-28; erat etiam de lignis setim, per quadrum habens singulos cubitos et in altitudine duos, obtegabatur auro, unde aureum quoque altare vocabatur (Ex. 40,4.24; Num. 4,11; cf. Hebr. 9,4). Utrumque altare oleo sacro consecrabatur ad servitium divinum (Ex. 40,9. 10), sicuti iam patriarcha Iacob unctione olei lapidem consecraverat in titulum, in memoriale Dei Gen. 28,18 et 35,14. Occupata terra Chanaan tabernaculum foederis et utrumque altare primo erat in Silo (Iud. 18,31; 1 Reg. 1,3; 2,12 ss. Ier. 7,12); postea in Nobe (1 Reg. 21,1 s.), et demum in Gabaon (1 Par. 16,39; 21,29; 3 Reg. 3,4; 2 Par. 1,3). Uti Ex. 20,24 Deus dicit altare esse faciendum et holocausta offerenda « in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei », ita invenimus variis locis quoque altaria esse erecta. Iubetur Iosue transito Iordane in monte Hebal aedificare altare de lapidibus impolitis et offerre holocausta (Deut. 27,5) id quod praestitit Ios. 8,30. 31; Gedeon ibi ubi angelus Domini ei apparet aedificat altare Iud. 6,24. 26 etc.; item Samuel propheta aedificavit altare in Rama et sacrificia offerenda curavit in Galgala (1 Reg. 7,17; 11,15) etc. Nam lex de uno sacrificandi loco Lev. 17,8 data erat pro commoratione in deserto et postea cum in eo essent ut terram Chanaan ingrederentur, dabatur pro tempore quo Dominus unum locum stabilem elegisset Deut. 12,11-13. Talem autem electionem stabilem non esse factam ante aedificationem templi certum est; nam, uti modo vidimus, ipse

Moyses iubet altare et holocausta fieri in monte Hebal (Deut. 27,5 ; angelus Domini iubet Gedeonem altare aedificare Iud. 6,24. 26; idem ab eodem angelo iubetur fieri a Davide in area Ornan Iebusaei (1 Par. 21,18; cf. 2 Reg. 24,18). Deinde idem quoque indicare videtur Deus loquens ad Davidem 2 Reg. 7,5-7 et indicans sibi eousque stabilem domum non esse exstructam et praeprimis 3 Reg. 8,16 : a die qua eduxi populum meum de Aegypto non elegi civitatem, ut aedificaretur domus et esset nomen meum ibi; item 2 Par. 6,5; demum cum in sacris litteris toties cum emphasi efferatur Dominum *elegisse* Sion, Ierusalem (3 Reg. 8,44. 48; 11,13. 36; 14,21; 4 Reg. 21,7; 23,27; 2 Par. 6,6. 34.38; 7,12. 16; 12,13; 33,7), nonne hac repetitione adeo frequenti explicatur Deut. 12,11 : in loco quem elegerit Dominus, ut sit nomen eius in eo? quae totidem verba de Ierusalem affirmantur.

In templo salomonico altare holocaustorum (altare aereum, 3 Reg. 8,64), altare aeneum, multo maioris molis erat, scil. longitudinis viginti cubitorum, totidem latitudinis et decem cubitorum altitudinis (2 Par. 4,1). Accuratius non describitur, sed fortasse cogitari potest eo modo quo Ezechiel altare describit 43,13-17. Altare thymiamatis, altare aureum (3 Reg. 7,48) cedro et auro erat vestitum (3 Reg. 6,20. 22; 2 Par. 4,19). In templo herodiano altare holocaustorum etiam maius erat; uti Iosephus dicit (Bell. iud. V. 5,6) erat 50 cubitorum longitudinis et totidem latitudinis et 15 cubitorum altitudinis; sed in Mishna (Middoth 3,1) altare fuisse dicitur quaquaversum 32 cubitorum. — Altare etiam tamquam asylum habebatur et quaerebatur contra persecutores; cf. 3 Reg. 1,50 Adonias autem timens Salomonem surrexit et abiit et tenuit cornu altaris; 2,28 fugit Ioab in tabernaculum Domini et apprehendit cornu altaris et 1 Mach. 10,43 quicumque confugerint in templum quod est Ierosolymis obnoxii regi in omni negotio dimittantur; verum ne ista religio asyli in detrimentum verteretur neve fieret incitamentum criminum, etiam statutum erat : si quis per industriam occiderit proximum suum et per insidias, ab altari meo evelles eum ut moriatur (Ex. 21,14). Per altare etiam iurare solebant; quid vero scribae et quid Iesus de tali iuramento iudicaverit, vide Matth. 23,18-20.

Novi foederis altare eucharisticum indicatur Hebr. 13,10 : habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt. Nam quod aliqui id explicant de altari crucis, in quo Christus sese obtulit, id plane improbabile est. Quis enim dicet nos edere de cruce? In antecedenti versu apostolus locutus est de esciis Veteris Testamenti quae non profuerunt observantibus et quibus cor non stabiliebatur gratia, quae escae aperte intellegi debent comestiones sacrae, epulae sacrificales. Quare omnino consequens est ut nunc ex adverso inferat epulas sacrificales novi foederis, eucharistiam, quam esse vere epulas sacrificales apostolus quoque clare affirmat in tota illa ad Corinthios argumentatione 1 Cor. 10,15-21, qua ostendit illos non posse mensae Domini, eucharistiae, participes esse et mensae daemoniorum, epularum sacrificalium gentilium. Quod hic *mensa* Domini, ibi est altare. Nam mensa (שֻׁלְחָן, τράπεζα) etiam dicitur eodem sensu quo altare Is. 65,11; Ez. 41,16; Mal. 1,7, sicuti profani quoque scriptores altare haud raro τράπεζαν vocant (cf. *Stephanus*, Thes. s. v.). S. Ioannes, cum esset in spiritu, vidit altare aureum quod est ante thronum Dei (Apoc. 8,3; cf. 6,9; 8,5; 9,13; 14,18); cum enim sanctuarium terrestre figura sit coelestis, non mirum est in visione ecstatica coeleste Dei templum sensibus obiici ad modum et formam sanctuarii terrestris (vide Ex. 25,40; Act. 7,44; Hebr. 8,5).

I. KNABENBAUER.

ALTILIA occurrit in Vulgata imprimis pro graeco τὰ σιτιστά in parabola evangelica de nuptiis filii regis (Matth. 22,4), atque significat pecudes saginatas, quae pro cena nuptiali aliisque occasionibus festivis specialiter aluntur. Eodem fere sensu dicitur in prophetia Ezechielis 39,18 : « altilium et pinguium omnium », ubi in Hebraeo proprie legitur « omne

pecus saginatum Basan » (מְרִיאֵי בָשָׁן כֹּלָּם).

De *avibus altilibus*, quae inter cibos mensae regiae Salomonis ultimo loco nominantur (3 Reg. 4,23, hebr. 5,3), v. AVIS.

L. FONCK.

ALUS (אָלוּשׁ, Αἰλούς), una ex stationibus Israelitarum, antequam ad Sinai pervenirent, inter Daphca et Raphidim enumerata (Num. 33,13. 14); omittitur Ex. 17,1 vel potius generali tantum expressione indicatur : per mansiones suas (scilicet Daphca et Alus). Nullum vestigium loci repertum est. Id unum affirmare licet, Alus fuisse inter desertum Sin (planitiem *el-Markha*) et Raphidim (*Wādi Feirān*) vel fortasse in ipso deserto Sin.

ALVA (עַלְוָה, Γωλά) ex posteris Esau, dux tribus edomiticae (Gen. 36,40). Idem 1 Par. 1,51 vocatur Alia (עַלְיָה, Γωλαδά).

ALVAN (עַלְוָן, Γωλάμ), filius primogenitus Sobal filii Seir Horraei (Gen. 36, 23). Idem 1 Par. 1,40 vocatur Alian (עַלְיָן, Ἀλιών).

AMAAD (עַמְעַד, Ἀμιήλ), urbs tribus Aser inter Elmelech et Messal enumerata (Ios. 19,26). Hodie fortasse *Umm el-ʿAmed* prope *Beit Laḥm* (Bethlehem Zabulon), ut *van de Velde* (Memoir p. 284) et *Legendre* (Carte de la Palestine) innuunt vel probabilius *Khirbet el-ʿAmūd* ad septemtrionem Accho nec procul ab *el-Zīb* (Achazib), ut aliis praeplacet.

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 s. v.; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 153 et cf. 170; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 707.

AMADATHI (הַמְּדָתָא, Ἀμαδάθος), pater Aman (Esth. 3,1. 10; 8,5 hebr.; 9,10 hebr.; 9,24; 12,6; 16,10), Agagites (vide s. v.). *Gesenius* (Lexicon) supponit nomen Medatha cum articulo.

AMAL (עָמָל, Ἀμάλ), filius Helem de tribu Aser (1 Par. 7,35); Helem idem est ac Hotham 1 Par. 7,32.

AMALEC (עֲמָלֵק, Ἀμαλήκ). Gens haec tempore Abrahae Gen. 14,7 exsistebat. Obscurior textus Num. 24,20. Primi post Aegyptios Moysi restiterunt in valle Raphidim Amalecitae Ex. 17 (cf. Iudith 4,13); quare ib. et Deut. 25,17 ss. interimendi aliquando praenuntiantur. Reperiebantur postea prope fines terrae sanctae ad meridiem Num. 14,30 (29); 14,25. 43. 45; 1 Reg. 30 usque ad fines Aegypti (1 Reg. 27,8). Iud. 3,13 Moabitis et Ammonitis se iunxerunt ad opprimendos Hebraeos; item Madianitis 6,3. 33; 7,12 (cf. 10,12). Sententiam a Moyse latam exsequi coepit Saul 1 Reg. 14,48; (cf. 28,18). Contra eosdem pugnavit David 1 Reg. 30; 2 Reg. 8,12 (cf. 1 Par. 18,11). — Cf. Iud. 5,14 (ubi emendandus textus cum *Theod.* et LXX cod. A); 2 Reg. 1,8. 13; 1 Par. 4,43. Ubi Iud. 12,15 *Vulg.* habet « in monte Amalec », ibi hebr. « in monte Amalecitae » : ergo ab Amalecitis ei monti nomen erat; de quo monte v. EPHRAIM 3. Nomen Amalec in documentis aegyptiis et assyriacis hucusque non est repertum.

AMALECH (Gen. 36,12. 16), filius Eliphaz, filii Esau, e Thamna concubina; nomen dedit tribui Edomitarum. *Hier.* scriptione eum distinguit a praecedente (Amalec), ut diversum esse suggerat. Scriptio in textu hebr. et LXX est utrobique eadem. Potuerunt uno eodemque nomine gentes duae prorsus diversae appellari, magna gens Amalecitarum et parva aliqua tribus Edomitarum. Potuerunt etiam in hac tribu ita Amalecitae commisceri Edomitis, ut tandem nomen Amalech nacta sit tribus.

AMAM (אָמָם, Σάν), urbs in meridie (Negeb) Iuda (Ios. 15,26). Est ignota.

AMAN (הָמָן, Ἀμάν), Medus ex provincia Agag, quam inscriptiones cuneiformes in Khorsabad inventae partem Mediae fuisse testantur, unde dicitur Agagites (vide s. v.), ab Assuero i. e. Xerxe I. filio Darii super omnes principes regni elevatus (Esth. 3,1). Cum omnes servi regii coram ipso genuflecterent excepto Mardochaeo (3,2), Aman totum populum Iudaeorum perdere statuit (3,6) et mense primo (Nisan) anni

duodecimi Assueri (171), postquam sortem phurim miserat de die, quo Iudaei perire deberent, ab Assuero decretum impetravit, ut die tertio decimo mensis duodecimi Adar eiusdem anni Iudaei in universo regno occiderentur (3,7 ss.). Sed impium consilium in caput auctoris recidit. Non solum Mardochaeo regios honores ipse Aman deferre a rege iussus est, sed ab Esthere accusatus, quod se et gentem suam perdere vellet, in eadem trabe altissima suspensus est, quam Mardochaeo paraverat (6,1-7,10). Paulo post cum novo decreto Iudaeis facultas concessa esset, ut die tertio decimo mensis Adar ab hostibus se defenderent, etiam decem filii Aman interfecti et postulante Esthere in patibulis suspensi sunt (9,5-14).

AMANA v. ABANA.

AMARIAS, AMARIA (אֲמַרְיָה et אֲמַרְיָהוּ, Ἀμαρίας, Ἀμαρία, etiam Σαμαρία, Ἀμαδία). **1**. Pontifex, filius Meraioth et pater Achitob (1 Par. 6,7. 52).

2. Pontifex tempore Iosaphat, filius Azariae et pater Achitob (1 Par. 6,11; 2 Par. 19,11; Esdr. 7,3). Iosephus Ant. IX, 1,1 eum appellat Ἀμασίαν τὸν ἱερέα.

3. Levita, filius Hebron filii Caath (1 Par. 23,19; 24,23; de textu mendoso 24,23 v. HEBRON 1).

4. Unus ex levitis, qui ab Ezechia rege constituti sunt, ut levitico generi oblata distribuerent (2 Par. 31,15).

5. Unus de filiis Bani, qui Esdra praecipiente uxores alienigenas repudiarunt (Esdr. 10,42).

6. Unus ex maioribus Athaiae, incolae Ierusalem post instaurationem, ex tribu Iuda, de filiis Phares (Neh. 11,4).

7. Sacerdos et princeps cognationis, qui cum Zorobabel e captivitate rediit (Neh. 12,2). Idem nomen inter signatores foederis a Nehemia renovati recensetur (Neh. 10,3).

8. Nomen familiae sacerdotalis, cuius princeps erat Iohanan in diebus Ioacim pontificis (Neh. 12,13).

9. Pater Godoliae, avi Sophoniae prophetae (Soph. 1,1; Ἀμορίας).

AMASA (עֲמָשָׂא, Ἀμεσσαί, Ἀμεσαί, Ἀμεσσά, 1 Par. 2,17 Ἀμεσσαῖ, 2 Par. 28, 12 Ἀμασίας).

1. Filius Iethra Ismaelitae (v. IETHER 2) et Abigail sororis David (v. ABIGAIL 2). Absalomis rebellis assecla et ab eo dux super exercitum constitutus traiecto Iordane castra posuit in saltu Ephraim (2 Reg. 17,25. 26), sed plane devictus est a Ioab, qui cum Abisai et Ethai copiis Davidis praeerat (18,6-8). Cum vero Ioab neglecto regis expresso mandato Absalomem interfecisset, David, qui iam dudum potentiam et arrogantiam Ioabi aegre tulerat (8,29. 39), hac occasione usus Amasae et veniam et imperium militare promisit (19,13). Nova rebellione Sebae Beniaminitae exorta Amasa omnes viros Iuda iubente Davide convocaturus abiit; sed cum intra triduum constitutum Hierosolyma nondum revertisset, Abisai et Ioab cum copiis praesentibus rebellem statim persequi a Davide iussi sunt. Quibus ubi primum Amasa cum exercitu convocato obviam factus est prope Gabaon, Ioab alloquens eum: « Salve mi frater » dextera mentum seu barbam eius prehendit in osculandi simulationem, sinistra vero gladium in eius latus infixit; et dum ipse rebelles ulterius persequitur, custodem iuxta cadaver Amasae reliquit, qui milites transeuntes urgeret, ut Ioabum ducem expertum et dilectum sequerentur. Custos vero, cum omnis populus subsisteret ad videndum Amasam in media via iacentem, Ioabi ducis mentem recte interpretatus cadaver de via in agrum amovit ac vestimento cooperuit (20,1-13). Facinore hoc Ioab imperium militare sibi ademptum improbe recuperavit (20,23). David occisorem robore ac potentia pollentem ipse non punivit, sed moribundus Salomonem admonuit de sanguine Amasae ulciscendo (3 Reg. 2,5. 6). Tandem Salomone iubente Ioab sanguine suo pro caede Amasae fratris sui consobrini iustas poenas luit (3 Reg. 3,31-34).

2. Filius Adali, unus e principibus Ephraim, qui Israelitis ex bello contra Achaz feliciter gesto redeuntibus auctores fuerunt, ut captivos tribuum Iuda et Beniamin in Samariam non introducerent, sed libertate spoliisque ablatis donatos domum remitterent (2 Par. 28,12).

AMASAI (עֲמָשַׂי). **1.** Filius Elcana, levita de stirpe Caath (1 Par. 6,25.35[6, 10.20]; LXX Ἀμεσσί, Ἀμαθί).

2. Levita de stirpe Merari, filius Boni in genealogia Ethan enumeratus (1 Par. 6,46[31 אֲמַצְיָ]; Ἀμεσσία).

3. Princeps inter triginta (cf. 1 Par. 11,11), qui Davidi fugitivo in Siceleg versanti se iunxit ab eoque turmae praefectus est (1 Par. 12,18; Ἀμασαί). Eius nomen neque in catalogo heroum (1 Par. 11) neque in historia Davidis recurrit; iam antiquiores interpretes suspicati sunt, eum identicum esse cum Amasa filio Abigail, quem Ioab interfecit.

4. Unus e sacerdotibus, qui tubis clangebant coram arca Dei, quando de domo Obededom Hierosolyma deducta est (1 Par. 15,24; Ἀμασαί).

5. Pater Mahath levitae in cultu ab Ezechia restaurando cooperantis (2 Par. 29,12; Ἀμασί); sed fortasse hoc loco Amasai non vir intellegitur, sed familia ab Amasi 1 descendens.

AMASIAS (אֲמַצְיָה, אֲמַצְיָהוּ, Ἀμεσσίας, Ἀμασίας, Ἀμασία). **1.** Rex Iuda, filius Ioas a coniuratis occisi; thronum regni Iuda ascendit anno secundo Ioas, regis Israel, 25 annos natus et 29 annos regnavit (4 Reg. 12,21; 14,1-21; 2 Par. 24,27-26,1; cf. *Flav. Ios.* Ant. IX. 9,1 s.). Statim ab initio ordinem rerum publicarum firmitate, prudentia, moderatione restituit, patris sui interfectores morte puniens, sed filiis eorum parcens secundum illud Deut. 24,16 : « Non occidentur patres pro filiis nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur »; aliter Iehu in filios fratrum Ochoziae egerat (cf. 2 Par. 22,8). Ut exercitum apte pararet, populum recensens trecenta millia iuvenum ac virorum, qui arma ferre possent, invenit et insuper centum millia mercenariorum ex regno Israel conduxit centum talentis argenti solutis, quod pretium per se exiguum spoliis bellicis promissis auctum fuisse recte supponitur. Hac prima vice in Scriptura mentio fit mercenariorum, quibus exercitus bellis recentibus contra Arabes, Philisthaeos (2 Par. 21,16. 17), Syros (2 Par. 22,5; 24,23-26) gestis diminutus supplebatur. Hunc exercitum in Idumaeos, qui regnante Ioram a Iuda defecerant (4 Reg. 8,20; 2 Par. 21,10), educturus a propheta quodam Domini iubetur mercenarios dimittere Deique adiutorio magis fidere quam exercitus robori. Animo magno obediens mercenarios dimisit, proelio in valle Salinarum commisso Idumaeos devicit, Petram seu Selam urbem primariam Arabiae Petraeae instar nidi in scissuris petrarum exaltatam (Abd. 3. 4) expugnavit urbisque nomen mutavit in Iectehel (יָקְתְּאֵל *a Deo subactum*), ut dominationem suam symbolice significaret. In bello hoc Amasias decem millia Idumaeorum interfecit, alia decem millia de summo praeruptae petrae (uti videtur, urbis Petrae) in praeceps praecipitavit, ita ut potestas filiorum Seir ad nihilum fere redacta videretur. Cum vero victor rex deos Idumaeorum allatos adoraret eisque incensum adoleret, a propheta frustra correptus hoc responsum habuit : « Scio quod cogitaverit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum et insuper non acquievisti consilio meo ». Belli gerendi avidus Amasias Ioas regem Israel provocavit; a quo cum frustra admonitus esset, ne superbia elatus ipse sibi mala vindicaret, apud Bethsames in confinibus Dan et Iuda clade affectus est. Ioas victor Amasiam captum triumphans Hierosolyma adduxit, murum urbis a porta Ephraim usque ad portam anguli quadringentis cubitis extentum destruxit, aurum, argentum, vasa pretiosa in templo et aerario regio asservata, obsides quoque in Samariam abduxit, Amasiae tamen et libertatem et thronum Iuda restituit. Post mortem Ioas victoris brevi secutam Amasias quindecim annis supervixit. Tandem orta est contra eum coniuratio, quam sacer textus (2 Par. 25,27) haud obscure ipsius idololatria causatam esse innuit; fugitivum satellites a coniuratis missi in urbe Lachis captum interfecerunt. Nihilominus honorificentissimo funere in civitatem David reportatus et cum patribus suis sepultus est; eius vero filius Ozias sedecim annos natus rex ab omni populo constitutus est. In S. Scriptura tum laude tum vituperio

afficitur 2 Par. 25,2 : « Fecitque bonum in conspectu Domini, verumtamen non in corde perfecto » et 4 Reg. 14,3.4 : « Et fecit rectum coram Domino, verumtamen non ut David pater suus. Iuxta omnia, quae fecit Ioas pater suus, fecit, nisi hoc tantum quod excelsa non abstulit; adhuc enim populus immolabat et adolebat incensum in excelsis ».

2. Sacerdos idololatra in Bethel (Am. 7,10-17), qui coram Ieroboam II, rege Israel Amos prophetam accusavit ipsique Amos suasit, ut iret prophetatum in terram Iuda. Amos vero sacerdoti impio divinisque mandatis recalcitranti afflictiones et mortem in terra cultu idolorum polluta subeundam praedixit.

3. Pater Iosa ex tribu Simeon (1 Par. 4,34).

4. Levita, Helciae filius, ex familia Merari (1 Par. 6,45; LXX omitt.).

5. Filius Zechri, qui regnante Ioshaphat ducentis millibus virorum fortium praeerat (2 Par. 17,16 עֲמַסְיָה).

AMASSAI (עֲמַשַּׂי quam scripturam ex duabus formis ortam esse suspicari licet, Ἀμασίαι, filius Azreel, sacerdos in Ierusalem habitans tempore Nehemiae (Neh. 11,13). Probabiliter idem ac Maasai filius Adiel (1 Par. 9,12.

AMATHAEUS (חֲמָתִי, ὁ Ἀμαθί), undecimus et ultimus filiorum Chanaan (Gen. 10,18 et 1 Par. 1,16), quo altero loco Vulgata legit Hamathaeus). Amathaei procul dubio sunt Chananaei in Emath ad septentrionem terrae promissae habitantes. V. EMATH 1.

AMATHI (אֲמִתַּי, Ἀμαθί), pater Ionae prophetae (4 Reg. 14,25; Ion. 1,1).

AMATHITES (Ἀμαθίτης), regio iuxta Libanum circa urbem Emath sita, a qua nomen habet (1 Mach. 12,25). In hac regione exercitus Demetrii II. Nicatoris Ionathan Machabaeum obviam habuit et timore perterritus noctu terga dedit, ut proelio cum Iudaeis committendo se subduceret. V. EMATH 1.

AMELECH (הַמֶּלֶךְ *rex*, nomen cum articulo). Tres sunt viri, qui in LXX *filius regis*, in Vulgata *filius Amelech* (pro *Hammelech*) dicuntur :

1. Ioas, qui ab Achab rege Michaeam prophetam in carcere servare iussus est, usque dum rex e bello contra Syros reverteretur (3 Reg. 22,26; 2 Par. 18,25).

2. Ieremiel, qui a Ioachim rege Iuda iussus est Ieremiam prophetam et Baruch scribam comprehendere (Ier. 36,26).

3. Melchias, possessor lacus lutosi, in quem Ieremias a principibus Sedeciae regis missus est (Ier. 38,6).

His tribus nomen : *filius regis* attribuitur non sensu proprio, sed latiore : vir de stirpe regia. Certe si 3 Reg. 22, 26; 2 Par. 18,25; Ier. 36,26 filius ipsius regis intellegeretur, diceretur *filius suus;* accedit quod Ioachim rex (Ier. 36,26 triginta annos natus (cf. 4 Reg. 23,36 et Ier. 36,9) vix filium habuit, qui non esset nimis iuvenis ad munus illud exsequendum.

AMEN (אָמֵן, ἀμήν vel etiam γένοιτο) vox vulgo nota Hebraeis, Syris, Chaldaeis, conservata quoque in versionibus graeca et latina Veteris Testamenti et a scriptoribus Novi Test. passim adhibita.

Est adiectivum verbale a verbo אָמַן (fulcire, sustentare, firmum esse) deductum, significans : firmus, metaphorice fidus. In Vet. Test. semel qua adiectivum adhibetur : Deus amen (Is. 65,16) i. e. Deus verax, fiducia dignus, in quo fiduciam habere possumus. Pari modo Christus Apoc. 3,14 dicitur « Amen, testis fidelis et verus, qui est principium creaturae Dei ».

Plerumque vero qua adverbium adhibetur significans : vere, in veritate, certo, profecto atque haud raro simul optionem exprimens : utinam firmum sit, utinam fiat. Cf. Num. 5,22 (ubi etiam duplicatur); Deut. 27,15-26; 3 Reg. 1,36; 1 Par. 16,36; Neh. 5,13; 8,6 (duplicatur); Ier. 11,5; 28,6 (ἀληθῶς) et praeterea in Vulgata Neh. 13,31; Tob. 9,12; 13,23; Is. 25,1. Eodem sensu confirmandi et apprecandi est doxologia finalis in quattuor primis libris Psalmorum eaque duplicata אָמֵן וְאָמֵן in Ps. 40[41], 14; 71[72], 19; 88 [89], 53, simplex אָמֵן in Ps. 105 [106], 48 (LXX quattuor hisce locis γένοιτο, γένοιτο et *Vulg.* fiat, fiat).

In Novo Test. imprimis occurit illud *Amen* i. e. in veritate dico tibi vel vobis, quod a Christo Domino in initiis sententiarum usurpari solet; legitur 28 vicibus in Matthaeo, 13 in Marco, 7 in Luca; in Ioanne vero 26 vicibus duplicatur : *amen, amen* i. e. dico hoc in omni veritate.

Significatio *fiat*, uti in Vetere Test., habetur in Novo Test. frequentissime : Rom. 1,25; 9,5; 11,36; 15,33; 16,24. 27; 1 Cor. 16,24; 2 Cor. 13,13; Gal. 1,5; 6, 18; Eph. 3,21; 6,24; Phil. 4,20. 23; Col. 4,18; 1 Thess. 3,13; 5,28; 2 Thess. 3,18; 1 Tim. 1,17; 6,21; 2 Tim. 4,18. 22; Tit. 3,15; Philem. 25; Hebr. 13,21. 25; 1 Petr. 4,11; 5,11. 14; 2 Petr. 3,18; 1 Io. 5,21; Iudae 25; Apoc. 1,6. 7; 5,14; 7, 12; 11,15; 19,4; 22,20. 21. Cf. Luc. 24,53 et *amen* quo *Pater noster* absolvitur Matth. 6,13 (lectio ceteroquin valde dubia, cum in praecipuis codicibus illud *amen* non legatur).

Usum liturgicum, iuxta quem plebs episcopis vel presbyteris aut etiam prophetis et glossolalis preces praeeuntibus *Amen* acclamat, ut eas approbet suasque faciat, S. Paulus prae oculis habuit 1 Cor. 14,16 et 2 Cor. 1,20; usus ille, uti multi alii ritus, ex synagoga transumptus est (cf. locos supra citatos); eundem quoque post apostolicam aetatem retentum esse inter alios testantur *S. Hieronymus*, Comm. in Gal. l. 2 prooem. : « Ad similitudinem caelestis tonitrui Amen reboat » et *S. Iustinus M.* Apol. 1,65 s.

Cf. *Buxtorf*, Lexicon chald. talm. rabb., col. 114-116; *Vitringa*, De synagoga vetere p. 1093 s.; *Wetstein*, Novum Test. graecum II. ad 1 Cor. 14,16; *Suicer*, Thesaurus s. v. ἀμήν; *Wolf*, Curae philol. in Nov. Test. ad Matth. 6,13 et 1 Cor. 14,16; *Hogg*, « Amen », Notes on its significance and use in biblical and post-biblical times (Jewish Quarterly Review IX. 1897, p. 1-23); *E. Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes *ed.* 3 II. 453. 454. 458; *F. Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 474-476.

A. DEIMEL.

AMENTIA v. MORBI.

AMETHYSTUS in rationali pontificis ultimum locum in tertio ordine gemmarum occupat (Ex. 38,19; 39,12; cf. Ez. 28,13 LXX); idem duodecimum et ultimum fundamentum muri civitatis caelestis in Apocalypsi constituit (Apoc. 21,20). Nomine hebraico dicitur אַחְלָמָה, graeco ἀμέθυστος; illud quidem Rabbini a *somniando* (חלם) derivatum somniarunt, hoc Graeci a *non inebriando* ἀ — μεθύω) dictum censuerunt, quoniam lapillus iste et somnia procurare et ab ebrietate servare superstitiose credebatur. Aliam nominis graeci explicationem refert Plinius (XXXVII. 9,12, cf. 124). — Cum praeter nomen de hac gemma, sicut de plerisque aliis, nihil in Scriptura commemoretur, nec ratio ulla in contrarium habeatur, standum est auctoritati LXX interpretum et Vulgatae versionis. Duplex vero amethysti species nostra aetate a rei peritis distinguitur : altera pretiosior et pulchrior, amethystus orientalis dicta, quae proprie ad korundum seu sapphirum pertinet, altera communior, nomine proprio amethystus vel etiam amethystus occidentalis dicta, quamvis et nunc et antiquitus etiam in Oriente reperta sit. Quaenam in Scriptura species intellegatur, cum certitudine non videtur constare. De priore seu sapphiro violacei coloris v. SAPPHIRUS. Amethystus vero communis est nobilis *quarzi* species, coloris ut plurimum violacei vel etiam purpurei, « scalpturis facilis » ac saepe in variis ornamentis adhibita, quae antiquitus potissimum in India, praeterea vero in Arabia Petraea, Armenia minore, Aegypto, Galatia, Thaso, Cypro inveniebatur (*Plin.* l. c.); unde Israelitis in deserto facile praesto erat. Nostra aetate multo vilior aestimatur, postquam maxime ex Brasilia ingens huius mineralis copia allata est. V. LAPIDES PRETIOSI.

Cf. *S. Epiphan.* De 12 gemmis n. 9; *Fr. Rueus*, *De gemmis* 2,11; *I. Braun*, Vestit. Sacerd. Hebr. II. 16 n. 566 ss.; *F. C. Lesser*, Lithotheologie, Hamburg 1735, p. 348, p. 360; *I. I. Bellermann*, Die Urim u. Thummim, Berlin 1824, 55-58; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1,39 s.; *K. E. Kluge*, Handb. d. Edelsteinkunde, Leipzig 1860, 274. 377-80; *Lennis-Senft*, Synopsis III. 1 p. 560; *Naumann-Zirkel*, Mineralogie *ed.* 11, 346; *M. Bauer*, Mineralogie, Berlin u. Leipzig 1886, p. 309. 335 s.

L. FONCK.

AMI v. AMON 4.

AMICUS, AMICITIA. Pulcherrimum amicitiae exemplum cernitur in Ionathan et David 1 Reg. 18,1-3; 19,1-7; 20,1-13; summo inter se amore iuncti erant: alter alterius bonum et commodum et utilitatem promovere studuit; immo Ionathas cum aperto sui ipsius discrimine Davidem tueri et Saulem iratum placare conatus est et ipse vitam servavit Davidi et sine ulla invidia Ionathas scivit et professus est regnum non sibi, filio Saulis regis, sed Davidi a Deo esse destinatum; quod verae et sincerae in Davidem amicitiae documentum est gravissimum (1 Reg. 23,16. 17). Et quantopere David eum dilexerit, ex luctu de morte eius patet: doleo super te frater mi Ionatha; sicut mater unicum amat filium, ita ego te diligebam etc. (2 Reg. 1,17. 26).

In libris sapientialibus pulcherrima continentur praecepta de vera inter homines amicitia; haec multis commendatur laudibus: amicus fidelis protectio fortis, qui autem invenit illum invenit thesaurum; amico fideli nulla est comparatio (Eccli. 6,14-17); beatus qui invenit amicum verum (Eccli. 25,12). Commendatur fidelitas in amicitia: ne derelinquas amicum antiquum (Eccli. 9,14), amicum tuum et amicum patris tui ne dimiseris (Prov. 27,10). Describitur verus amicus: omni tempore diligit qui amicus est et (ut) frater pro angustia nascitur (Prov. 17,17 hebr.) i. e. in tribulatione amicus etiam maiorem ostendit amorem, amorem scil. fraternum; nam non agnoscitur in bonis amicus Eccli. 12,8), amici enim divitum multi (Prov. 14,20); verum fidem posside (fidelitatem serva) cum amico in paupertate (Eccli. 22,28), et verus amicus quandoque maiorem ostendit amorem quam frater (cf. Prov. 18,24). Porro veri amici est amico opem ferre; nam qui tollit ab amico misericordiam, timorem Domini derelinquit (Iob 6,14); amicus debet esse secreti tenax Prov. 11,13; debet cavere ne amicum decipiat, ne damnum inferat, ne aduletur (Eccli. 7,13; Prov. 11,9; 16,29; 29,5). Quomodo amici inter se iuvari possint, describitur Eccl. 4,9-12. Commendatur ne cito ineatur amicitia, sed ut quis probetur sitne vere amicus Eccli. 6,6-10; maxime cavendum ne cum impiis ineatur amicitia Prov. 22,24; Eccli. 20,17; 28,11; cf. 2 Par. 19,2; qui conviciatur amico dissolvit amicitiam Eccli. 22,25; sed si amicus deliquerit, corripiendus est (Eccli. 19,13); amicum salutare non confundar et si mala mihi evenerint per illum sustinebo Eccli. 22,31 (cf. *Zschokke*, Der dogmatisch-ethische Lehrgehalt der alttest. Weisheitsbücher p. 174-176).

Ceterum in Vulg. haud raro ponitur amicus, ubi hebr. רֵעַ sensu latiore de proximo, de contribuli accipi debet, et etiam ubi inservit ut exprimatur *inter se;* v. g. dixit vir ad amicum suum i. e. dixit alter ad alterum, inter se locuti sunt. Praeterea dicitur in blanda compellatione vel admonitione (Matth. 20,13; 22,12; 26,50; Luc. 14,10) et notione sodalis et eius qui cum aliquo agit familiariter, ei favet, ei se benignum exhibet, sed iis in conditionibus quibus amicitia proprie non indicatur; ita Christus dicitur amicus peccatorum (Matth. 11,19; Luc. 7,34). Amici regis, Caesaris ii dicuntur qui apud regem gratiosi habentur vel si agitur de principibus vel regibus extraneis, qui socii sunt vel foedere iuncti; similiter Lament. 1,2. 19 dicuntur cari, amici, quorum foedera et opem reges Iudaeorum expetierant.

Cum amicitia non exsistat nisi inter eos qui aliqua ratione pares sunt, profecto maxima admiratione dignum est quod Deus inter se et homines iustos amicitiae rationem constituit. Ita Abraham vocatur amicus Dei (Is. 41,8; Iac. 2,23), et quomodo homines in amicos Dei quasi transformentur, docetur Sap. 7,27: sapientia enim illa quae est candor lucis aeternae et emanatio quaedam claritatis Dei se transfert in animas sanctas, amicos Dei et prophetas constituit. Hac itaque sapientiae communicatione et inhabitatione homo efficitur nobilis adeo, ut Dei amicus vere censeatur. Idque qua ratione fiat, ut quaedam quasi aequalitas constituatur inter hominem et Deum, etiam clarius effert S. Pe-

trus docens nos ea accipere quibus efficiamur divinae consortes naturae (2 Petr. 1,4). Idem effert Christus dicens : si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus (Ioan. 14,23); quare : vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis; vos dixi amicos quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis (Ioan. 15,14. 15); en quomodo quaedam ratio aequalitatis efferatur.

AMINADAB (עַמִּינָדָב, Ἀμιναδάβ).

1. Filius Ram (Aram) ex tribu Iuda; eius filia Elisabeth erat uxor Aaronis pontificis, eius filius Nahasson princeps tribus tempore Exodi (Ex. 6,23; Num. 1,7; 2,3; 7,12. 17; 10,14; Ruth 4,19. 20; 1 Par. 2,10). In genealogia Christi enumeratur Matth. 1,4; Luc. 3,33.

2. Unus ex filiis Caath et pater Core ex familia Levi 1 Par. 6,22 [7]. Sed loco Aminadab exigi videtur nomen Isaar (יִצְהָר, Ἰσσαάρ). Codex Alexandrinus 1 Par. 6,22 legit Ἰσσαάρ. Aliis locis (Ex. 6,18; 1 Par. 6,2. 18 [6,3]) filius Caath et pater Core est Isaar; nullibi Aminadab filius Caath occurrit. Nihil remanet nisi ut dicamus, aut Aminadab 1 Par. 6,22 errori amanuensis deberi aut Isaar binominem fuisse; prius veri similius est.

3. Filius Oziel et princeps centum duodecim fratrum suorum, levita ex familia Caath, a David rege missus, ut cum Sadoc et Abiathar sacerdotibus aliisque levitis arcam Hierosolyma transportaret (1 Par. 15,10-13).

4. Cant. 6,11 [12] : « Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab ». Sponsus divinus cum apparatu insolito venit ad sponsam invisendam. Tantus autem est splendor appropinquantis, ut sponsa videns quadrigas Dei cogitationibus perturbetur. Ad constructionem verborum notandum est *propter* in *Vulg.* esse additum; ergo post verba : « Anima mea conturbavit me » sequitur in textu hebraico exclamatio : « quadrigae Aminadab ». Codices plerique legunt עַמִּי־נָדִיב, aliqui עַמִּינָדִיב; LXX Ἀμιναδάβ. « Pro Deo nomen symbolicum usurpatur ad rem praesentem accommodatum : Aminadab seu ex hebr. Amminadib i. e. Deus princeps (עַם in nom. propr. pro *Deo* poni v. apud *Fuerst*). Magnificentia igitur regia ipsaque divina natura isto nomine indicatur ». Ita *Gietmann* in Cant. 6,11; ibidem vide recentiorum opiniones de Aminadab.

AMITAL (חֲמִיטַל, Ἀμιτάλ, Ἀμειτάαλ), filia Ieremiae de Lobna, una ex uxoribus Iosiae, mater Ioachaz et Sedeciae regum Iuda (4 Reg. 23,31 [B Ἀμειταί]; 24,18 [B Μιτάτ, A Ἀμιτάθ]; Ier. 52,1; duobus ultimis locis *Kethib* חֲמוּטַל).

AMIZABAD (עַמִּיזָבָד, Ζαβάδ, B Λαιβαζάθ, A Ἀμιραζάθ), filius Banaiae ducis turmae tertiae, quae mense tertio David regi a custodia erat; patre superstite Amizabad filius turmae praeesse solebat (1 Par. 27,6).

AMMA (עַמָּה, Ἀρχόβ, A Ἀμμά), urbs tribus Aser (Ios. 19,30). *V. Guérin* situm quaesierat in *Khirbet 'Amme* (vel *'Ummiye*, ut alii scribunt); sed hic situs in vicinia Enhasor et Heleph urbium Nephthali vix urbi tribus Aser assignari poterit, ut animadvertit *Legendre*. Maiore cum probabilitate Amma agnoscitur viculus *'Almā el-Sha'b* orientem versus ab oppido maritimo *el-Nāqūra* (*Legendre*, *G. A. Smith*, *Zanecchia*). Ex opinione *F. de Hummelauer* ad Ios. 19,30 Amma mendum est pro Acco, cum codices quidam LXX habeant Ακκωρ et Ακκω.

Cf. *Guérin*, Galilée II. 114; *Legendre*, Carte de la Palestine; *idem* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 484; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 706.

AMMAH (גִּבְעַת אַמָּה, ὁ βουνὸς Ἀμμάν, A Ἀμμά, *Vulg.* collis aquae ductus), locus quo Ioab et Abisai post pugnam ad Gabaon Abnerum insequentes pervenerunt (2 Reg. 2,24). « In aevo pastorali, ubi nullus collis, nulla paene dixerim arbor nomine proprio carebat, hic collis certissime nomine proprio appellabatur et hoc nomen proprium certe h. l. legebatur » (*F. de Hummelauer* in 2 Reg. 2,24). Nomen proprium exprimunt *Syr.* et *Arab.* : Gabaath maris (forte pro אַמָּה legentes יַמָּה). *Targum Ionathan :*

collis Amtha. *Flav. Iosephus* (Ant. VII. 1,3 : locus Ὀμμάσον vocatus (*ed. Niese*). Cum *Vulg.* ad aliquem aquae ductum alludunt Symmachus (νάπης) et Theodotion (δξαγωγός). S. Hieronymus in Onomastico *ed. Lag.* 97,6) : Amma in desertum euntibus Gabaon. — Ubinam erat hic collis Ammah? Respondet 2 Reg. 2,24 : « ex adverso vallis itineris deserti in Gabaon ». Ad situm determinandum parum refert, utrum cum *Vulg.*, *Symmacho*, *Theodotione* legas : ex adverso vallis (גיא) an cum LXX, *Targum Ionathan*, *Syr.*, *Arab.* ex adverso Gia seu Giach seu Gieh גיה in textu massorethico). Quia nomen proprium Gia vel Giach nullibi alias recurrit, supponamus vallem. Haec vallis accuratius describitur addito : *itineris deserti in Gabaon* (ita *Vulg.*; aliae versiones omittunt *in*). Collis Ammah igitur erat alicubi secus viam deserti Gabaon seu eam viam, quae Gabaone dirigebatur versus desertum Gabaonis; utrum vero fuerit ante vel intra vel post desertum, non exprimitur, quia solum dicitur esse in via deserti, non in via ad desertum. Ubinam erat illud desertum? A Gabaone orientem versus vel forte inter septemtrionem et orientem; Abner enim trans Iordanem fugit et secundum textum hebraicum 2 Reg. 2,29 Mahanaim versus, qui locus a Gabaone est inter septemtrionem et orientem.

AMMANITIS, AMMANITES v. AMMON 2.

AMMAUM (1 Mach. 9,50) v. EMMAUS 1.

AMMIEL (עַמִּיאֵל, Ἀμιήλ). **1.** Filius Gemalli ex tribu Dan, unus ex duodecim exploratoribus terrae promissae (Num. 13,13 [12]).

2. Pater Machir in urbe Lodabar Galaaditidis (2 Reg. 9,4. 5; 17,27; hoc ultimo loco *Vulg.* : Ammihel).

3. Filius sextus Obededom, levita ianitor templi Davidis tempore (1 Par. 26,5).

4. Pater Bethsabee (1 Par. 3,5). Idem 2 Reg. 11,3 legitur Eliam; v. ELIAM 1.

AMMIHEL v. AMMIEL 2.

AMMISADDAI עַמִּישַׁדַּי, Ἀμισαδαί, pater Ahiezer principis tribus Dan tempore Exodi (Num. 1,12; 2,25; 7, 66.71; 10,25).

AMMIUD (עַמִּיהוּד, Ἐμιούδ). **1.** Pater Elisama principis tribus Ephraim tempore Exodi (Num. 1,10; 2,18; 7,48. 53; 10,22; 1 Par. 7,26; hoc ultimo loco Ἀμιούδ).

2. Simeonita, pater Samuelis a Domino deputati, qui cum aliis familiarum principibus terram promissam sorte dividere (Num. 34,20; Σεμιούδ).

3. Nephthalita quidam, pater Phedael a Domino deputati ad terram promissam sorte dividendam (Num. 34,28; Ἰαμιούδ, A Ἀμιούδ).

4. Pater Tholomai seu Tholmai regis Gessur (2 Reg. 13,37; *Kethib* עַמִּיחוּר, *Qeri* עַמִּיהוּד).

5. Filius Amri de filiis Phares et pater Othei inter habitatores Ierusalem enumerati (1 Par. 9,4; Σαμιούδ, A Ἀμιούδ).

AMMON (עַמּוֹן, Ἀμμάν, Ἀμμών).

1. Filius Lot Gen. 19,38 ex incestuoso cum filia commercio prognatus. Sed viri nomen reliqui praeter LXX et *Vulg.* textus scribunt *Benammi* (בֶּן־עַמִּי). Ab eo viro originem duxit

2. Gens Ammonitarum, assyriace Bît-Ammān vel Ammana. Colebant illi uti Moabitae deum Chamos (Iud. 11,24), qui fortasse idem apud eos postmodum audiebat etiam Moloch (3 Reg. 11,5. 7. 33). Videntur illi primitus totam regionem obtinuisse interiacentem fluminibus Arnon et Iaboc, cum Moyses Ios. 13,25 dicatur tribui Gad concessisse *dimidiam* partem terrae Ammon, et rex Ammonitarum Iud. 11,13 eundem tractum sibi vindicaverit tamquam antiquo iure suum. Sed tempore Moysis Amorrhaei obtinebant totum tractum montanum (Num. 13,30) ad orientem maris Mortui et Iordanis, ab Arnon usque Galaad (Deut. 3,12; cf. 2,24 et Iud. 11,22), reiectis orientem versus Ammonitis, quorum tum fines ad civitatem Iazer pertingebant (Num. 2,24 secundum LXX; cf. 21,32). Caput regionis erat Rabba seu Rabbath, postmodum appellata Philadelphia. Neque Ammonitas neque Moabitas, quod a Lot essent progeniti, bello

aggressus est Moyses. Iudicum aevo Ammonitae, uti aliae quaedam gentes, Hebraeos lacessiverunt: Iud. 3,13; 10,7 ss. Victi sunt imprimis a Iephte (Iud. 11) et a Saul (1 Reg. 11; 14,47). Ammonitarum vero rex Naas a Saul devictus (1 Reg. 11,1 ss.), uti etiam Moabitae (14, 47 et cf. 22,3. 4) favebat Davidi (2 Reg. 10,2), quem Saul persequebatur. Cuius tamen filius et successor Hanon Davidis legatos indigne habuit: quamobrem pluribus proeliis devictus et Rabba capta est (2 Reg. 10-12; 1 Par. 19,1 ss.). 2 Par. 20 Ammonitae Moabitis et Seiritis iuncti regem Iosaphat adoriuntur, sed orto dissidio invicem interimunt. Feliciter contra Ammonitas dimicaverunt Ozias (2 Par. 26,7 s.), Ioatham (27,5), Iudas Machabaeus 1 Mach. 5,6 s. Cf. 3 Reg. 11,1; 4 Reg. 24,2; Esdr. 9,1; Neh. 4,7 ss. 13,1. 23; Iudith 5. Tandem cf. Ps. 82,8; Is. 11, 14; Ier. 9,26; 25,21; 27,3; 40,11. 14; 41,10. 15; 49,1. 2. 6; Ez. 21,20. 28; 25,2. 3. 5. 10; Dan. 11,41; Am. 1,13; Soph. 2,8 ss.

In monumentis Assyriorum reperiuntur nomina regum Ammonitarum: Basa (cf. בַּעְשָׁא 3 Reg. 15,33) aequalis exstitit regis Salmanassar II. quem aequalem esse censent Achab regis Israel; Sanibu (cf. שִׁנְאָב Gen. 14,2) aequalis exstitit Theglathphalasar II.; Pudiel (cf. פְּדַהְאֵל Num. 34,28) aequalis fuit regum Asarhaddon et Assurbanipal; Amminadab (cf. עַמִּינָדָב 1 Par. 2,10) aequalis regis Assurbanipal. Cf. *E. Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 127. II. p. 40 s.; *Delitzsch,* Paradies p. 294. Haec nomina, uti ea quae S. Scriptura habet, sunt semitica, confirmantque quae Scriptura narrat de originibus Ammonitarum.

AMNON (אַמְנוֹן, Ἀμνών). **1.** Primogenitus filius David, in Hebron de Achinoam Iezraelitide natus (2 Reg. 3,2); adamavit Thamar sororem Absalom eique, quam simulato morbo ad se vocaverat, vim intulit violatamque cum odio et contemptu eiecit. Quare Absalom eum odio habere coepit et post duos annos, cum filios regis ad convivium in Baalhasor invitasset, Amnonem interfecit (2 Reg. 13,1-39).

2. Filius Simon cuiusdam ex tribu Iuda (1 Par. 4,20).

AMOC (עָמוֹק, Ἀμέκ), princeps familiae sacerdotalis, quae cum Zorobabel ex captivitate rediit et in diebus Ioacim pontificis Heber principem habebat (Neh. 12,6. 20).

AMOMUM (ἄμωμον) in textu graeco Apocalypseos (18,13) plerique codices et versiones (cf. *C. Tischendorf* h. l.) atque editiones criticae (*Griesbach, Lachmann, Tischendorf, Westcott-Hort, Nestle*) post κιννάμωμον inter merces pretiosas enumerant, quas negotiatores Babyloni opulentae attulisse exhibentur; a correctore codicis Sinaitici, in manuscripto Vaticano aliisque et in textu recepto atque a versione Vulgata omittitur. Nomine amomi auctores graeci et latini fruticulum aromaticum, in uvae modum convolutum, ex India vel Media vel Assyria vel Armenia vel Ponto provenientem designant (*Theophr.* Hist. pl. IX. 7,2; fragm. 4. de odorib. 32; *Vergil.* Eclog. 4,25; *Ovid.* Heroid. 21,66; *Strabo* XVI. 1,24 *ed. Cas.* 747: *Dioscur.* Mat. med. 1,14; *Plin.* XII. 13,48 s.; *Fl. Ios.* Ant. XX. 2,2; *Martial.* 7,77, al.). A quanam planta uva ista aromatica oriatur, non satis videtur constare. *C. Sprengel* cum *Plukenetio Cissum vitigineam* Linné ex ordine *Ampelidearum* proposuit; sed etiam *Amomum Cardamomum* Linné et *Elettaria Cardamomum* White et Maton ordinis *Zingiberacearum* ex India vicinisque provinciis oriundae aroma satis pretiosum praebent, *cardamomum* dictum, quod fortasse nomine amomi simul potuit comprehendi.

Cf. *C. Martinello,* Raggionamenti sopra l'Amomo e Calamo aromatico novamente avuti di Malacca, Venezia 1604 (cf. Giudizio sopra i Raggion. di C. M., Mantova 1605); *N. Marogna,* Comment. in tract. Diosc. et Plin. de Amomo, Basileae 1608; *R. W. Krause,* De cardamomis, Ienae 1704; *I. R. Spielmann,* Cardamomi hist. et vindiciae, Argentorati 1762; *C. Sprengel* in Theophr. Hist. pl. IX. 7; in Diosc. 1,14; *W. Heyd.* Gesch. d. Levantehandels II., Stuttgart 1879, 608 s.; *Leunis-Frank,* Synopsis II. 2 p. 771; *Engler-Prantl.* Nat. Pflanzenfam. II. 6,26 s.

L. FONCK.

AMON (אמון). **1.** Idolum Ier. 46,25 hebr. : ecce ego visitabo super Amon de No i. e. super idolum aegyptiacum Amon LXX Ἀμμὼν τὸν υἱὸν αὐτῆς. Amon-Ra, deus solaris, a Romanis Iupiter Ammon vocatus, praecipue Thebis colebatur et *Nai Amun* i. e. urbs Amon erat una ex appellationibus, quibus Thebae in superiore Aegypto designabantur (cf. *Brugsch*, Dict. géogr. de l'ancienne Egypte 1879, p. 29). Sicut olim Deus dixerat ad Moysen : in cunctis diis Aegypti faciam iudicia (Ex. 12,12), ita nunc per prophetam cladem Aegyptiis annuntians cladem deo populari infligendam dicit. S. Hieronymus in *Vulg.* vertit : visitabo super tumultum Alexandriae (cf. Ez. 30,14-16; Nah. 3,8 et v. ALEXANDRIA), ac si scriptum esset המון et No explicandum esset de Alexandria (v. NO AMON).

De idolo Amon Ra cf. *Pierret*, Dict. d'archéologie egypt., p. 35. 270. 519; Revue archéol., juin 1873, p. 392; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, II. p. 513 s.

2. Filius Manasse regis Iuda, rex Iuda qui 22 annos natus post mortem patris regnum capessivit et per duos annos regnavit; erat unus ex pessimis regibus Iuda, idololatriae summopere deditus; insidiis structis servi eius eum interfecerunt (4 Reg. 21,19-26; 2 Par. 33,21-25; LXX Ἀμώς, Ἀμών).

3. Princeps civitatis Samariae, ad quem adduci iubet Achab rex Michaeam prophetam, ut eum mitteret in carcerem, donec rex, prout ipse sperabat, victor e bello cum Syris rediret (3 Reg. 22,26; 2 Par. 18,25; LXX Σεμάρ, Ἐμάρ).

4. Inter servos Salomonis, qui cum Zorobabel de captivitate in Ierusalem et Iudaeam ascenderant, recensentur Neh. 7,59 filii Amon (אמון, Ἠμάμ); iidem Esdr. 2,57 vocantur filii Ami (אמי, Ἠμί).

AMONA (המונה i. e. multitudo, copia, LXX πολυάνδριον) appellatur nomine symbolico civitas illa, prope quam Gog cum exercitu suo sepelietur Ez. 39,16; cf. Apoc. 20,7-9). Describitur sita esse in valle viatorum, ad orientem maris, in valle multitudinis Gog (Ez. 39,11. 15; גיא המון גוג. LXX Καὶ τὸ πολυάνδριον τοῦ Γώγ). Mare illud nequit esse mare Mediterraneum, cum sepulcrum Gog secundum contextum sine dubio extra terram sanctam quaerendum sit. Plerique recentiores intellegi censent mare Mortuum; *Chald.* interpretatur : ad orientem maris Genesareth. Accuratius autem, ubi civitas illa sita fuerit, inquirendum non est, cum non de civitate revera exsistente agi videatur, sed de mere symbolica, quae in sola imagine prophetica exstiterit. Cf. s. v. MAGOG.

De valle viatorum seu transeuntium, quam interpretes varie concipiunt, vide *Knabenbauer* ad h. l.

A. DEIMEL.

AMORRHAEI (אמורי, ὁ Ἀμορῥαῖος). Nomen gentis fortasse derivatum est ab אמור, ergo « incolae montium » (cf. Num. 13,30), uti כנען « incolae tractus humilioris ». In inscriptionibus cuneiformibus scribuntur *Amurru* eorumque regio *Amurri;* nomen sumericum *Martu* probabiliter est modificatio quaedam nominis *Amurru* (cf. *H. Winckler*, Die Thontafeln von *Tell el-'Amarna*, Berlin 1896, num. 38,8. 15; 42,14 (?); 57,11; 69,69; 75,63 et saepius; *Fr. Hommel*, Die Altisraelitische Ueberlieferung in inschriftl. Beleuchtung, München 1897, p. 34. 57 s. 171 s.). In monumentis autem aegyptiis 19. et 20. dynastiae appellantur nomine *Amor* vel *Amara*, et videntur in valle fluminis Orontis sedes habuisse (*W. M. Müller*, Asien u. Europa nach altägyptischen Denkmälern, Leipzig 1893, p. 177 ss. 217 ss.). Scribuntur Gen. 10,16 (cf. 1 Par. 1,14) filii Chanaan. Tempore Moysis gentium in terra sancta hi erant Num. 13,30 fines : « Amalec habitat in meridie, Hethaeus et Iebusaeus et Amorrhaeus in montanis, Chananaeus vero moratur iuxta mare et circa fluenta Iordanis ». Cf. Ios. 5,1. Amorrhaei montes incoluisse item affirmantur Deut. 1,7. 19 s. 44; Ios. 10,6. A Mambre Amorrhaeo nomen habebat quercus prope Hebron (Gen. 13,18; 14, 13). Chodorlahomor Gen. 14,7 vincebat Amorrhaeos in Asason Thamar i. e. Engaddi (cf. 2 Par. 20,2). Deus in Iudaeae montibus Abrahamum alloquens Gen. 15,16 terrae promissae incolas uno no-

mine appellat Amorrhaeos. Incolebant tum Amorrhaei etiam prope Sichem (Gen. 48,22), qui iidem Gen. 34,2 Hevaei appellantur. Etenim videtur nomen Amorrhaei generalis exstitisse appellatio gentium a Chanaan ortarum, quae montana, uti Chananaei earum, quae planitiem incolebant : qui enim 2 Reg. 21,2 Amorrhaei dicuntur Gabaonitae, iidem Ios. 11,19 Hevaei audiunt; ut frequens expressio « Amorrhaei, Hethaei, Hevaei, Iebusaei » idem fere sonuerit atque « Hethaei, Hevaei, Iebusaei et *reliqui* Amorrhaei ». Tempore Moysis trans Iordanem Num. 21,13 flumen Arnon dividebat Amorrhaeos a Moabitis, mons Hermon a Sidoniis (Deut. 3,8 s.); Ammonitae vero ad orientem Amorrhaeorum inter Iaboc et Arnon incolebant (v. AMMON 2). Primum Hebraei de castris in Cadesbarne, Moyse minime consentiente, Amorrhaeos in montibus aggressi (cum Num. 14,45 cf. Deut. 1,44) et ab eis devicti sunt. Pluribus annis post trans Iordanem prostraverunt duos reges Amorrhaeos (Num. 21,21 ss.) : Sehon, cuius regni caput erat Hesebon (Num. 26,33), et Og regem Basan, qui regnabat in Astaroth (Ios. 9,10). Saepe in Scripturis hae duae victoriae celebrantur : Deut. 1,4 s.; 2,24 s.; 3,1 s.; 4, 46 ss.; 31,4; Ios. 2,10; 12,2 ss.; 24,8; Iud. 11,19 ss.; 3 Reg. 4,19; Iudith 5,20; Ps. 134,11; 135,19. Moysis opus traiecto Iordane continuavit Iosue. Incolae Iericho an fuerint Amorrhaei nescimus, montes utique non obtinebant. Incolae vero Hai (Ios. 7,5. 7) utique Amorrhaei erant; qui propter sacrilegium Achan primum permissi sunt Hebraeis cladem inferre, post expiatum illud sacrilegium per insidias victi et exterminati sunt. Qua strage omnes circum nationes vehementer commotae sunt. Et Gabaonitae quidem Amorrhaei, qui urbes item Caphira, Beroth et Cariathiarim obtinebant, illud Ios. 9 dolo impetrarunt, ut incolumes servarentur, perpetuis tamen angariis addicti sunt. Quinque autem reges Amorrhaei (Ios. 10,5) totum videntur tractum montanum obtinuisse, qui postmodum obtigit tribui Iuda : Adonisedec rex Ierusalem, Oham rex Hebron, Pharam rex Ierimoth, Iaphia rex Lachis, Dabir rex Eglon; hi Gabaonem recuperaturi prope urbem castra metati, proelio fusi sunt atque interempti, adiuvante Deo Iosuen inaudito plane miraculo productae diurnae lucis. Quorum urbes Iosue evertit, uti et alias quasdam (Maceda, Lebna, Gazer etc.; cf. 12,10 ss.), quae tamen an Amorrhaeae fuerint nescimus. In agmine Iabin regis Asor Ios. 11 erant etiam Amorrhaei ex iis, qui in septemtrionali parte terrae promissae habitabant; qui omnes percussi sunt prope aquas Merom.

Iudicum aevo Iud. 1,34 s. premebant Amorrhaei Danitas ita, ut non solum in planitiem descendere non paterentur, sed in ipsis montanis coarctarent occupatis urbibus Bethsames, Aialon et Salebim; quos Ephraimitae tandem subegerunt. A montibus vero Danitarum pertingebant tum Amorrhaeorum fines meridiem versus usque Petram. Cf. Iud. 3,5. Saul pacem habebat cum Amorrhaeis 1 Reg. 7,14. Qui tandem supererant Amorrhaeorum latius dictorum (i. e. Amorrhaeorum, Hethaeorum, Pherezaeorum, Hevaeorum, Iebusaeorum), eos Salomo fecit tributarios (3 Reg. 9,20 ss.; 2 Par. 8,7 s.). Quorum idola venerabatur Achab 3 Reg. 21,26. Imo Esdrae tempore Esdr. 9,1 supererant Amorrhaei, quorum filias Hebraei quidam ducebant. Tamen a piis quibusque Israelitis horrore habebantur, ut Ezechiel 16,3. 45 Ierusalem praevaricatricem inclamet patre ortam esse Amorrhaeo et matre Hethaea.

AMOS. 1. Amos (עָמוֹס, Ἀμώς) tertius in ordine libri prophetarum minorum. Munere prophetico functus est in diebus Oziae regis Iuda et Ieroboam filii Ioas regis Israel (1,1); additur quidem accuratius : ante duos annos terrae motus, qui quidem eventus valde fuit memorabilis cum eius Zacharias quoque 14,5 mentionem faciat, sed nos non iuvat ad tempus determinandum, nisi quis traditioni Iudaeorum fidem adiicere voluerit accidisse terrae motum eo tempore quo Ozias pontificalem dignitatem usurpare coeperit quod ipsum anno 27 regni factum putant; quam traditionem

omisso tamen anno referunt Ioseplus (Ant. IX. 10,4) et S. Hieronymus (ad Am. 1,1). Ex 6,13 id solum colligi potest eum vaticinatum esse postquam Ieroboam restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis (4 Reg. 14,25) i. e. mare Mortuum. Vocatus est a Domino ad munus propheticum ex conditione satis humili, uti ipse nos docet: et tulit me Dominus cum sequerer gregem (מאחרי הצאן de post gregem), armentarius ego sum vellicans sycomoros (7,14. 15), quibus verbis explicatur quod initio libri dicitur: Amos qui fuit in pastoribus de Thecue. Proinde non erat dives pecuarius, id quod ex voce נוקד (cf. 4 (2) Reg. 3,4 hebr.) fortasse quis immerito inferret, sed pastor qui vel suum gregem pascebat vel operam ea in re aliis locabat; insuper *vellicans sycomoros* cibum indicat pauperum. Fuit Thecue viculus in monte situs, duodecim millibus ab Hierosolymis separatus et sex millibus ad meridianam plagam distans a Bethlehem, ut S. Hieronymus dicit (in Ier. 6,1 et in prologo ad Am.). Uti Ieroboam feliciter bella gessit, ita Ozias quoque contra Philisthaeos, Arabes, Ammonitas et arces urbesque munitas erexit et regni conditionem reddidit prosperam (2 Par. 26,1-16). Verum in utroque regno impietas idololatriae serpebat; Ieroboam fecit quod est malum coram Domino, non recessit ab omnibus peccatis Ieroboam filii Nabat qui peccare fecit Israel (4 Reg. 14,24); Ozias quoque excelsa non est demolitus; adhuc populus sacrificabat et adolebat incensum in excelsis (4 Reg. 15,4) et cum roboratus esset, elevatum est cor eius in interitum suum et neglexit Dominum (2 Par. 26,16); populum autem et flagitiis et cultui idololatrico fuisse deditum ex libris Osee et Amos nimis clare patet. In splendore itaque regni utriusque externo propheta fortiter ruinam et vindictam Dei annuntiat et intrepide in contemptores Dei invehitur.

Et primum quidem (cap. 1 et 2) iudicium Dei in gentes vicinas populo Dei inimicas annuntiat iis exprobrans varia crimina in populum Dei commissa; sed idem Dei iudicium in Israel quoque et Iuda exercitum iri ait, quippe qui legem Dei abiecerint et beneficiis Dei abusi sint. Deinde (cap. 3-6) gravibus reprehensionibus singula scelera perstringit et poenam a Deo immittendam vario modo denuntiat; beneficia accepta in memoriam revocat, ostendit quanto conatu Deus saepius eos emendare poenis inflictis studuerit, et ruinam quam ipsi sibi parant plangit et deflet. Denique (cap. 7-9) visiones symbolicas exponit quibus Deus ei res futuras ostendit; atque bis sua intercessione vindictam iam imminentem avertit; at postea cernit duabus quoque visionibus Deum protectionem populi abiicientem et iustae eos poenae tradentem. Verum, uti apud omnes prophetas cernitur, Deus populum suum non plane abiicit, sed ex ruina et excidio exorietur regnum messianum; tabernaculum David quod concidit iterum excitabitur, nova theocratia per orbem propagata eminebit sanctitate et prosperitate.

Sermone imperitum quidem eum vocat S. Hieronymus; at melius et rectius de eo alii sententiam ferunt. Ita S. Augustinus exemplum promit ex 6,1 ad ostendendam eloquentiam prophetarum (De doctr. christ. 4,7; *Migne* 34,96) et recentiores quoque eius sermonem laudant; eum esse sensuum elatione et magnificentia spiritus prope summis prophetis parem et dictionis splendore et compositionis elegantia vix quoquam inferiorem censet *Lowth* neque dissentiunt *Kaulen, Zschokke, Vigouroux* etc. Sat multa in eius libro deprehenduntur, quibus constat ei Pentateuchum omnino cognitum fuisse; ea collegerunt *Reinke* et *Trochon*. Rerum israeliticarum fuisse satis peritum pastorem illum vide 1,3. 9. 11. 13; 2,9-12; 9,7 etc. In sacris litteris Vet. et Novi Testamenti vaticinia eius laudantur (cf. Tob. 2,6; 1 Mach. 1,41; Act. 7,42) et mentione praeprimis dignum est S. Iacobum in concilio Apostolorum ex hoc propheta demonstrasse praedictam esse admissionem gentium in regnum messianum sine legis mosaicae observatione (Act. 15,15 ss. ex Am. 9,11).

De eius vita praeter ea, quae in eius libro continentur (1,1; 7,10-15) nihil

certi constat. In vitis prophetarum (12), quae sub Epiphanii nomine feruntur, legitur eum ab Amariae filio inflicta in tempora clava esse interfectum, quoniam illum de fraude duorum vitulorum aureorum reprehendisset (apud *Migne* 43,405; eadem habet S. *Isidorus Hisp.* de ortu et obitu Patrum 43). Veteres quandoque dicunt eum fuisse patrem Isaiae, decepti quidem nomine Ἀμώς, quo modo graece etiam אָמוֹץ pater Isaiae scribitur. Apud LXX legitur 1,1 : Λόγοι Ἀμὼς οἱ ἐγένοντο ἐν Ἀκκαρείμ ἐκ Θεκουέ; proin בְּנֹקְדִים (in pastoribus) mutata littera ד in ר acceptum est ut nomen proprium.

Cf. *Lowth*, De sacra poesi Hebr., *ed. Rosenmüller*, p. 245; *Reinke*, Beitraege VIII. p. 159; *Trochon*, Les petits prophètes p. 137; *Kauten*, Einleitung *ed.* 4, n. 404 s.; *Zschokke*, Hist. sacra Antiqui Test. *ed.* 5, p. 254 s.; *Vigouroux*, Manuel bibl. *ed.* 9, II. n. 1078 s.; *Cornely*, Introductio in S. Scrip. *ed.* 2, II. 2, p. 543; *Knabenbauer*, Comm. in Proph. min. I. p. 249 s.; *Schoepfer-Pelt*, Histoire de l'Ancien Test. *ed.* 3, II. p. 180.

2. Amos (אָמוֹץ, Ἀμώς), pater Isaiae prophetae (4 Reg. 19,2. 20; 20,1; 2 Par. 26,22; 32,20. 32; Is. 1,1; 2,1; 13,1; 20,2; 37, 2. 21; 38,1).

3. Amos (Ἀμώς), filius Nahum et pater Mathathiae in genealogia Christi (Luc. 3,25).

AMOSA (מֹצָה cum articulo הַמֹּצָה, Ἀμωκή, A Ἀμωσά), urbs in parte occidentali tribus Beniamin (Ios. 18,26). Ad eam referendum videtur, quod *Mishna*, Sukka 4,5 tradit : « Locus erat prope Ierusalem, qui vocabatur Moza; eo descendebant et inde colligebant ramos salicis » (pro festo tabernaculorum); ad haec notat Bartenora (*Surenhusius*, Mishna II. p. 274) : « Vocatur Moza. In Gemara dicunt, quod nomen est קלניא, uti ego etiam audivi nomen illius esse et ibi invenitur salix estque locus parum distans a Hierosolymis. Ceterum קלניא notat immune esse a tributo et propterea dicitur etiam מוצא *exclusum*, quia exclusus erat locus a tributo regis propter salicem, quae inde sumebatur ». Talmudicis igitur Moza erat eadem ac Qulonia. Huius nominis vestigium facile cernitur in vico *Qulōniye* 6,5 km ad occidentem Ierusalem; sed in eadem regione alterius quoque nominis Moza seu Amosa vestigium prae se ferunt ruinae *Beit Mizze* dimidiae horae intervallo a *Qulōniye* septemtrionem versus. Unde exploratoribus anglicis Amosa est *Beit Mizze* (*Survey of West Pal.* Mem. III. 108; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV).

In vico *Qulōniye* autem agnoscitur Culon (LXX Ios. 15,59 Κουλόν), una ex illis undecim urbibus montis Iuda, quae apud LXX l. c. leguntur, sed in textu massorethico et *Vulg.* desunt. Insuper Flav. Iosephus (Bell. iud. VII. 6,6) narrat a Vespasiano locum Ammaus (Ἀμμαοῦς) triginta stadiis (editiones *Oxford*, *Dindorf*, *Becker*, *Niese*, versio latina Rufini) ab Hierosolymis distantem octingentis militibus emeritis incolendum datum esse; atque haec quoque colonia Ammaus iuremerito in hodierno vico *Qulōniye* cernitur.

Cf. *Schiffers*, Amwas, Freiburg 1890, p. 49-58, qui argumentum pro Colonia = Mosa = Amosa = Ammaus evolvit, sed negat *Qulōniye* esse Culon Ios. 15,59; *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal., qui ruinas *Beit Mizze* cum Amosa (Iosue 18,26) et etiam cum Mosa (1 Par. 9,36 s.) componi posse affirmat (p. 167), sed negat *Qulōniye*, in quo nomine *colonia* Romanorum lateat, ad Culon Ios. 15, 59 LXX referri (p. 166); cf. etiam p. 186.

Vide praeterea *Robinson*, Palaestina II. 364; Neuere bibl. Forsch. 207; *Guérin*, Judée I. 257 s. 262 s.; *E. Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes *ed.* 3, I. 640 s. in nota 142; Revue biblique II. 1893, p. 223 s.; *Sepp*, Jerusalem und das heilige Land *ed.* 2, I. 54 s.; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 350.

AMPHIPOLIS (Ἀμφίπολις), urbs Macedoniae. Paulus et Silas, cum in secundo Apostoli itinere Philippis Thessalonicam proficiscerentur, Amphipolim et Apolloniam venerunt (Act. 17,1). Iter agebant in magna illa via Egnatia, quae Macedoniam ab oriente occidentem versus permeat. Quod Philippos inter et Thessalonicam i. e. ex trium dierum itinere solae Amphipolis et Apollonia efferuntur, ratio forte est, quia Paulus et Silas in istis urbibus pernoctarunt. Amphipolis

nomen sortita est a Strymone fluvio, qui ex lacu Cercinitide (*Tachyno*) egressus urbem a septemtrione, occidente, meridie circumfluit et unius fere horae intervallo ab urbe in sinum Amphipolitanum effunditur. Erat colonia Atheniensium ab a. 437 a. Chr. In historia belli Peloponnesiaci celebris facta est illo proelio, in quo ante muros eius Brasidas dux Spartanorum et Cleon Atheniensis coriarius occubuerunt *Thucyd.* 5,6-11). Aetate Romanorum erat urbs libera et principalis Macedoniae primae *Liv.* 45,29; *Plin.* IV. 10,38). Nunc vicus *Neochori* seu turcice *Ienikoei* i. e. nova urbs.

Cf. *Kutzen*, De Amphipoli, Breslau 1836; *Leake*, North. Greece III. 183. 191; *Cousinéry*, Voyage dans la Macédoine I. 100. 122 s.; *Pauly-Wissowa*, Real-Encycl. der klass. Altert. I. 1949-1952.

AMPLIATUS (Ἀμπλίας, Ἀμπλίατος, *Westcott et Hort* Ἀμπλιᾶτος), christianus Ecclesiae romanae, quem S. Paulus salutat « dilectissimum mihi in Domino » (Rom. 16,8); ex qua salutatione colligitur eum studio Evangelii propagandi flagrasse. Romanum eum fuisse nomen prodere videtur.

AMRAM (עַמְרָם, Ἀμβράμ, Ἀμράμ).

1. Filius Caath, pater Moysis, Aaron et Mariae (Ex. 6,18-20; Num. 3,19; 26, 58. 59; 1 Par. 6,2. 3. 18; 23,12. 13; 24, 20). Mortuus est in Aegypto annos 137 natus. Posteri Amram familiam Amramitarum constituunt (Num. 3,27; 1 Par. 26,23). Attamen nota inter Amram patrem Moysis et Caath filium Levi fortasse membra intermedia genealogiae deficere vel etiam duos Amram distingui posse, alterum patrem Moysis, alterum filium Caath et inter istos duos Amram membra genealogica deficere. Hoc modo difficultas illa, quod inter Levi et Moysen in linea recta duo tantum membra : Caath et Amram fuerint, videtur solvi posse. Ceterum cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Numeros p. 227 s., qui seriem generationum inter exodum et duodecim patriarchas completam esse censet.

2. Unus de filiis Bani, qui tempore Esdrae uxores alienigenas acceperant (Esdr. 10,34; LXX Ἀμράμ, apud *Swete* B Μαρεί, A Ἀμβράμ).

AMRAPHEL (אַמְרָפֶל, Ἀμαρφάλ), rex Sennaar Gen. 14,1. 9). Cum regio circa Babelem Gen. 11,2 dicatur Sennaar, non imprudenter hic rex Sennaar coniicitur fuisse Babelis rex. Quod inde confirmatur, quod sacer narrator actorum tempus describat expressione « in diebus Amraphel etc. » : assueverat sc. ipse, dum in Chaldaea degebat, tempora describere ex nominibus regum aequalium Babelis, urbis sacrae. Cum porro tempore Chodorlahomor Babele imperaverit per quinquaginta quinque annos Hammurabi, quo in nomine reperiuntur omnes nominis Amraphel consonantes, uno excepto ל, non imprudenter Amraphel idem pronuntiatur exstitisse atque Hammurabi.

Codicem legum a rege Hammurabi promulgatarum, quae Susis repertae sunt (mense Decembri 1901 et Ianuario 1902) vide apud *V. Scheil*, Textes élamites-sémitiques, Paris, 1902; cf. *M. I. Lagrange*, Le code de Hammurabi in Revue bibl. XII. 1903, p. 27-51; Civiltà cattolica XVIII. (X.) 1903, p. 143-155; *H. Winckler*, Die Gesetze Hammurabis, Leipzig 1903; *Jeremias*, Moses und Hammurabi, Leipzig 1903; *Sam. Oettli*, Die Gesetze Hammurabis und die Thora Israels, Leipzig 1903.

AMRI (עָמְרִי abbrev. ex עֲמַרְיָה, Ἀμβρί). **1.** Sextus rex Israel, fundator dynastiae Amri, regnavit ab anno vigesimo septimo Asa regis Iuda (3 Reg. 16,15. 16) usque ad annum duodequadragesimum eiusdem regis (16,29) i. e. duodecim annos (16,23) vel rectius undecim annos et aliquot menses. Antequam rex fieret, erat princeps militiae Ela, regis quarti Israel et forte iam Baasa regis tertii; cum Gebbethon urbem Philisthinorum obsideret, nuntius in castra allatus est, Ela regem et omnes propinquos eius a Zambri, duce mediae partis equitum, Thersae esse occisos et Zambri regem se fecisse; Amri vero, ab exercitu rex declaratus, de planitie Philisthinorum in montana Ephraim progressus Zambri Thersae inclusum obsidebat; Zambri post regnum septem dierum palatium ingressus se suosque sponte succendit (3 Reg. 16,9-18). Nihilominus Amri ab altera tantum populi parte rex agnitus est et per quattuor annos cum

Thebni, filio Gineth et adversariae factionis capite, de throno concertavit; Thebni denique sive in proelio sive per insidias e vivis sublato (cf. *Ioseph.* Ant. VIII. 12,5) Amri ab omni Israel agnitus est anno trigesimo primo Asa regis Iuda (3 Reg. 16,21-23). Maximam gloriam eo adeptus est, quod in monte Samariae novam urbem capitalem Samariam exstruxit. Ipse sex annis Thersae, sex annis Samariae regni sedem fixit; abhinc Samaria erat caput regni et sedes regum Israel (16,23. 24). — Gloriam hanc polluit Amri nequitia tanta, ut regum praecedentium scelestissimus dicatur, qui in omni via Ieroboam I. et in peccatis eius ambulaverit (16,25. 26). Eius vestigia postea secuti sunt Achab filius (cf. 16,31. 32) et Athalia neptis Amri, quae 4 Reg. 8,26 et 2 Par. 22,2 cum emphasi quadam filia Amri vocatur. Unde etiam Mich. 6,16 « praecepta Amri (LXX Ζαμβρί pro Ἀμβρί) et omne opus domus Achab » in eodem perversitatis ordine habentur. — Obiter tantum 2 Reg. 20,34 mentio fit belli cum Benadad I. rege Syriae gesti, a quo devictus Amri complures civitates amisit, inter quas Ramoth Galaad (3 Reg. 22,3; *Fl. Ioseph.* Ant. VIII. 15,3), Syrisque in urbe Samaria plateas concessit pro tabernis mercium Damasco importandarum. Neque tamen trophaea bellica ei videntur defuisse, cum 3 Reg. 16,27 dicatur, in libro verborum dierum regum Israel scripta esse praelia, quae gessit (hebr. : potentiam, quam acquisivit). Praeterea supplent documenta historica narrationem biblicam. In inscriptione Mesa lin. 4-9 legimus, Moab per multos dies oppressum fuisse ab Amri, rege Israelitarum et terram Medeba (urbem munitam Moab) occupatam fuisse ab Amri eiusque filio per quadraginta annos; cf. 4 Reg. 3,4. 5 : « Porro Mesa, rex Moab, nutriebat pecora multa et solvebat regi Israel (Achab) centum millia agnorum et centum millia arietum cum velleribus suis; cumque mortuus fuisset Achab, praevaricatus est foedus, quod habebat cum rege Israel ». Inscriptiones quoque cuneiformes potentiam Amri celebrant. Salmanassar II. in inscriptionibus obelisci et palatii sui vocat Iehu, quamvis hic dynastiam Amri deleverit, filium *Khumrī* (Amri), quippe qui fuerit conditor Samariae urbis et primae dynastiae Israel, quae Assyriis innotuerit; in inscriptionibus palatii Binnirar seu Rammannirar III. regnum Israel dicitur terra Amri (*māt Khumrī*), in inscriptionibus palatiorum Theglathphalasar II. et Sargon terra domus Amri (*māt bīt Khumrī*); cf. *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, III. 452. 455; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. 179-181; *Schrader*, Keilinschriften u. Geschichtsforschung 1878, p. 5. 207. Amri sepultus est Samariae et successorem habuit Achab filium suum (3 Reg. 16,28). Vere iudicat *P. Renard* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v. hunc principem, eximiis donis et magno animo praeditum, illustrissimum regum Israel futurum fuisse, nisi oblitus esset veram magnitudinem regis, imprimis theocratici, a fidelitate in servitio Dei separari non posse.

2. Unus e filiis Bechor, filii Beniamin (1 Par. 7,8; Ἀμαρία).

3. Filius Omrai et pater Ammiud, de filiis Phares filii Iuda (1 Par. 9,4; Ἀμρί).

4. Filius Michael et princeps tribus Issachar in regno David (1 Par. 27,18; Ἀμβρί).

5. Pater Zachur opem praestantis in aedificandis tempore Nehemiae muris Ierusalem (Neh. 3,2; אמרי; Ἀμαρί).

AMSI (אַמְצִי, Ἀμασί), sacerdos, filius Zachariae, faciens opera templi Nehemiae tempore (Neh. 11,12).

AMTHAR, urbs tribus Zabulon. Secundum Vulgatam Ios. 19,13 terminus Zabulon egreditur in Remmon, Amthar et Noa (רִמּוֹן הַמְּתֹאַר הַנֹּעָה, LXX ἐπὶ Ῥεμμωναὰ Μαθαραοζά). Etiam *Peshitta* et *Arab.* nomen proprium Mathua pro Amthar Vulgatae reddunt; item Onom. Eusebii et S. Hieronymi: Amatthar (Ἀμμαθά) in tribu Zabulon (*ed. Lag.* 94,20; 223,53). Sed *Gesenius* (Thesaurus p. 1491) הַמְּתֹאַר interpretatur participium Pual verbi תָּאַר et vertit : « Et procedit terminus versus Rimmonem, *porrectus* ille ad Neam ». Melius *F. de Hummelauer* ad Ios. 19,13 : et egreditur in Remmon et vergit (flectitur) ad Noa (vel forte

austrum versus : hebr. יֵצֵא רְמוּנָה יִתְאַר הַנְּגֵבָה.

AMYGDALUS. 1. *Arbor* לוּז *dicta*. Amygdalus duobus nominibus hebraicis designatur, לוּז et שָׁקֵד. Prius semel tantum in Scriptura occurrit in historia Iacobi, qui ovibus suis in Mesopotamia « virgas amygdalinas » proposuisse narratur (Gen. 30,37); LXX expressione generaliore usi ῥάβδον καρυίνην explicant, sensu tamen non mutato, cum « κάρυα (nuces) etiam amygdalas olim appellaverint » (*Athen.* 2,52), sicut Latinis « nuces graecae » dicebantur. Certe amygdalum ex ordine *Rosacearum* designari tum ex vi vocis linguis aramaicae, arabicae, aethiopicae cum hebraica communis, tum ex auctoritate aliarum versionum constat, licet aliqui posteriores potius corylum avellanam supposuerint intellegendam esse (cf. *Assaf* ap. *I. Low*, Aram. Pflanzennamen p. 49). Variae autem amygdali silvestris species loco Geneseos convenire possunt; nam et *Amygdalus communis* Linnei « in rupestribus et dumosis Mesopotamiae » ac vicinarum regionum etiam nunc spontanea crescit, et aliae quoque species, veluti *A. orientalis* Aiton, *A. lycioides* Spach, *A. spartioides* Spach, in eadem ditione inveniuntur, quae Iacobo facile praesto esse poterant.

Fortasse a frequentia huius arboris urbs postea Bethel dicta olim *Luz* (*Vulg.* Luza) appellabatur (Gen. 28,19 etc.) aliaque item civitas ab incola Bethelita « in terra Hetthim » condita (Iud. 1,26).

2. שָׁקֵד. — Frequentius alterum nomen שָׁקֵד in Scriptura usurpatur, quod pariter in linguis aramaicis amygdalum communem sive cognatam amygdali speciem designat (cf. *Löw* l. c. n. 319); nomen « vigilantis » (a שקד) arbor inde accepisse communiter supponitur, quod verno tempore prius ceteris lignis floribus ornata appareat. De significatione nominis in Scriptura versiones atque interpretes satis inter se consentiunt.

Imprimis ipsa *arbor* ac virga amygdalina שָׁקֵד appellatur in visione prophetica Ieremiae (1,14 *Vulg.* virgam vigilantem, LXX βακτηρίαν καρυίνην) et in descriptione senectutis (Eccl. 12,5, ubi Symmachus « et obdormiet *vigilans* ») qua vel tempus primi veris, quo amygdalus floret, senibus infirmis periculosum designatur, vel albescentes senis capilli cum floribus albidis amygdali comparantur.

Praeterea *flores* etiam amygdalini voce ab eadem radice derivata significantur, cum scyphi calamorum in candelabro sacro מְשֻׁקָּדִים i. e. instar florum amygdali facti dicuntur (Ex. 25,33 s.; 37,19 s.); LXX καρυίσκους explicat (25,33 tantum) et pariter *Vulg.* « instar nucis », fructus potius arboris respiciendo; Peshitta קביעין (firmos) vertit, Aquila vero et Theodotion recte ἐξημυγδαλισμένοι, ac similiter Symmachus ἐντετορνευμένοι (sive ἐκτετυπωμένοι) ἀμύγδαλα et Graec. ven. ἀμυγδαλωταί. Flores autem amygdalini sine dubio Moysi eiusque artificibus satis noti erant sive ex arboribus in hortis aegyptiacis cultis (cf. *Ch. E. Moldenke*, Die in altaeg. Texten erwähnten Bäume, Leipzig 1887, 143), sive potius ex variis amygdali silvestris speciebus.

Denique *fructus* quoque amygdali שְׁקֵדִים vocantur. Domino Aegypti « modicum amygdalarum » ex Iudaea afferre Israel filios suos iubet (Gen. 43,11; LXX κάρυα, sed Aquila et Symmachus ἀμύγδαλα; Vet. lat. nuces). Amygdalarum copia in Palaestina facile praesto erat, ubi etiam nunc et culta et silvestris in tota regione communis est. E contra in Aegypto, licet fortasse amygdali cultae fuerint (*Moldenke* l. c.), tamen satis rarae videntur fuisse, cum neque reliquiae fructuum aut ligni in sepulcris Aegypti inventae fuerint neque de nomine aegyptiaco certo constet (*V. Loret*, Flore pharaonique *ed.* 2, p. 83; — *Fr. Woenig*, Die Pflanzen im alt. Aeg. amygdalum penitus omittit), neque auctores antiqui de amygdalo in Aegypto loquantur praeter *Plinium*, qui « oleum amygdalis amaris expressum in Aegypto » commemorat (XIII. 1,8), nec denique arbor in Aegypto spontanea crescens inveniatur. Amygdalas autem etiam antiquis admodum expetitas fuisse auctores profani passim testantur.

שְׁקֵדִים, amygdalae dicuntur etiam fructus, quos virga Aaronis tulit in testimonium sacerdotii ipsi collati (Num. 17,8 hebr. 23; LXX κάρυα, *Pesh.* לוזא). Celeberrimae huius virgae florentis imago frequenter in antiquis nummis hebraicis iuxta communem interpretationem invenitur (cf. *F. W. Madden,* Hist. of Jewish Coinage, London 1864, p. 43 ss.; *idem,* Coins of the Jews, London 1881, p. 67 ss.).

Cf. *I. H. Ursinus,* Arboret. bibl. 384-92; *M. Hiller,* Hierophyticon I. 215-22; *O. Celsius,* Hierobotanicon I. 253 s. 297-303; *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Alterth. IV. 1,263 s.; *L. v. Schlechtendal,* Betrachtungen über d. Zwergmandel u. d. Gattung Amygdalus überhaupt, Halle 1854; *H. O. Lenz,* Bot. d. a. Gr. u. Römer, Gotha 1859, 705-7; *P. Cultrera,* Flora bibl. 348-51; *E. Boissier,* Flora orientalis II. 640-6; *Leunis-Frank,* Synopsis *ed.* 3, II. 2 p. 147 s.; *A. de Candolle,* Origine des plantes cultivées, Paris 1883, 174-6; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, 332 s.; *V. Hehn,* Kulturpfl. u. Hausthiere *ed.* 6, 379-86; *G. E. Post,* Flora of Syria, 301 s.; *id.* ap. *I. Hastings,* Dict. of the Bible I. 67; *Engler-Prantl,* Nat. Pflanzenfam. III. 3,53.

L. FONCK.

ANA (עֲנָה, Ἀνά). **1.** Filius quartus Seir Horraei et unus ex ducibus Horraeorum in monte Seir; filium habuit Dison et filiam Oolibama (Gen. 36,20. 25. 29; 1 Par. 1,38. 40 hebr. 41).

2. Filius Sebeon tertii filii Seir (Gen. 36,24; 1 Par. 1,40). De hoc in *Vulg.* Gen. 36,24 legitur : « Iste est Ana, qui invenit aquas calidas (אֶת־הַיֵּמִים, τὸν Ἰαμείν) in solitudine, cum pasceret asinos Sebeon patris sui ». Versiones syr. et arab. cum Vulgata consentiunt. Aliter *Samaritanus* et *Targum Onkelos :* Ana in deserto invenit i. e. superavit Emim gigantes (cf. Deut. 2,10. 11); iterum aliter rabbini : Ana in deserto invenit mulos i. e. ex commixtione equorum et asinorum novam speciem animalium sibi procuravit. Verum hae interpretationes omni fundamento carent. Moderni interpretes plerique illas aquas calidas agnoscunt in fontibus sulphuratis prope Callirrhoe (Lesa Gen. 10,19) ad orientem maris Mortui superioris easque ope asinorum eo fere modo repertas esse existimant, quo thermas Karlsbadenses canis ille venaticus Caroli IV. indicavit, qui cervum persequens in aquas calidas incidit et ululatu suo venatores ad thermas adduxit. Possunt etiam intellegi aquae calidae in *Wādi el-Ḥaṣā* vel in *Wādi Hamad* ad orientem maris Mortui inferioris, de quibus cf. *Burckhardt,* Reisen in Syrien, Palaestina, *ed. Gesenius* II. 674.

His praemissis variae obscuritates dilucidandae sunt. Vulgata Gen. 36,25 inepte vertit : Habuitque (scil. Ana 2 filius Sebeon, de quo 36,24 sermo erat) filium Dison et filiam Oolibama. Verum textus hebraicus manifesto agit de Ana 1 filio Seir. Septem enim versibus 22-28 septem filiorum Seir filii ex ordine enumerantur, unde v. 25 Ana filius quartus Seir intellegendus est. Hoc iam innuitur ipso textu : « Et hi sunt filii Ana », quae verba *Vulg.* omisit. Idem evincit locus parallelus 1 Par. 1,38-42. — Altera obscuritas oritur ex Gen. 36, 2. 14 : Oolibama filia Anae filiae Sebeon; hoc loco Ana in *Vulg.* nomen mulieris esse supponitur. Verum textus hebraicus ita emendandus videtur, ut cum LXX, *Samaritano, Peshitta* pro בַּת Gen. 36,2. 14 בֶּן־צִבְעוֹן legatur. Admissa hac emendatione uxor Esau est Oolibama filia Ana 2 *filii* Sebeon. Et huic opinioni multum favet combinatio, quam *Hengstenberg* (Beitraege III. p. 273) proponit et *Keil* (Comm. in Gen. 36,2) approbat : Ana 2 ab isto eventu Gen. 36,24 narrato cognominatus est Beeri (בְּאֵרִי i. e. putearius, germanice *Brunnenmann* seu *Brunner,* gallice forte *sourcier*); erit igitur idem, de quo Gen. 26,34 legimus : Esau vero quadragenarius duxit uxores Iudith filiam Beeri etc. In hac suppositione Iudith seu Oolibama uxor Esau est filia Ana 2 seu Beeri filii Sebeon. Duplex nomen eiusdem mulieris nullam prorsus difficultatem movere potest.

ANA (הֲנַע, Ἀνά), urbs ab Assyriis expugnata, de cuius expugnatione Sennacherib gloriatur tum in proclamatione per Rabsacen legatum suum ad legatos Eze-

chiae et incolas Ierusalem facta tum in epistula ad Ezechiam regem transmissa (4 Reg. 18,34; 19,13). In textibus allatis Ana inter Sepharvaim et Ava nominatur. Situs accuratior incertus est. Aliqua cum probabilitate Ana putatur esse hodierna *Ana* seu *Anat* (ita iam *Calmet* in 4 Reg. 18,34 et recentiores *Rawlinson*, The five great Monarchies II. p. 485, *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3); haec in utraque ripa Euphratis sita est quattuor fere dierum itinere a *Baghdad* inter *Hit* et *Rakka*, hodie quoque urbs haud exigua et eadem agnoscitur atque Ἀναθώ apud *Isidorum Characenum*, Mansiones Parthicae (apud *C. Muller*, Geographi Graeci Minores I. 249 cum nota). — Verum attende assyriologos de situ urbis nullo modo consentire: cf. *Delitzsch*, Paradies p. 279; *Schrader* apud *Riehm*, Bibl. Handwoerterbuch (*ed.* 1 et 2) s. v. Hena; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. II. p. 8. 9.

Alii denique assyriologi Hena et ʿAwwa (*Vulg.* Ana et Ava) non nomina urbium, sed nomina divina esse volunt. *F. Hommel* Hena explicat nomen arabicum stellae *al-hanʿa* et ʿAwwa stellae *al-ʿawwāʾu*. Cf. *F. Hommel*, Hena and ʿAwwa in Expository Times, April 1898, et apud *Hastings*, Dict. of. the Bible II. 349 a.

ANAB (עֲנָב, Ἀναβώθ, Ἀνών), urbs in montanis Iuda ab Enacim habitata, quos Iosue exterminavit (Ios. 11,21; 15,50). Onomasticon (*ed. Lag.* 93,12 cf. 221,14): « Anab in tribu Iudae, nunc usque vicus in finibus Eleutheropoleos ». Vix tamen admitti potest Anab prope Eleutheropolim (*Beit Djibrīn*) fuisse; enumeratur Ios. 11,21 una cum Hebron et Dabir (*el-Ḍāhariye*) et Ios. 15,20 una cum Istemo (*Semūʿa*) et Anim (*Ghuwein*). Unde in vicinitate harum urbium quaerenda est. *Guérin* (Judée III. 362; 365-367) duas ruinas describit, quarum altera 18 minutis a Dabir occidentem versus distans vocatur *Khirbet ʿAnab el-Seghir* i. e. ruina Anab minoris, altera unius fere horae itinere a priore inter meridiem et occidentem spectans vocatur *Khirbet ʿAnab el-Kebir* i. e. ruina Anab maioris. Alterutra vel, si mavis, utraque simul antiquae urbi correspondet; ab Eleutheropoli sex fere horarum itinere meridiem versus abest.

Eundem situm assignant *van de Velde*, Memoir to accompany the Map of the Holy Land 1858, p. 284; *Robinson*, Pal. II. 422; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 392; *Legendre*, Carte de la Palestine; *idem* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.; *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 164; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 258.

ANAEL (Ἀναήλ), frater Tobit seu Tobiae senioris (LXX Tob. 1,21). Chaldaice חַנָּאֵל, hebraice חֲנַנְאֵל (editio *Neubauer*).

ANAHARATH (אֲנַחֲרַת), Ἀναχεράθ), urbs tribus Issachar, inter Seon et Rabboth enumerata (Ios. 19,19). Hodie vicus *el-Naura* prope *Zerʿīn* (Iezreel) inter septemtrionem et orientem. Hunc situm confirmat ipsa vicinitas urbis Sunem (*Sōlem*), quae Ios. 19,18 paulo ante Anaharath enumeratur duobus tantum aliis nominibus interiectis.

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 85; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. VI; *Legendre*, Carte de la Palestine; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 623. — Aliqui propter lectionem Ἀῤῥανέθ Cod. A praeferunt vicum *ʿArrāne* inter *Djenīn* (Engannim) et *Zerʿīn* (Iezreel). Cf. quae *Keil* ad Ios. 19,19 de hac opinione adnotavit et *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 204.

ANAIA (עֲנָיָה, Ἀναΐα) recensetur inter principes, qui cum Nehemia foedus renovatum signarunt (Neh. 10,22). Putant idem nomen esse, quod Neh. 8,4 in *Vulg.* scribitur Ania.

ANAMELECH (עֲנַמֶּלֶךְ, Ἀνημέλεχ), idolum quoddam, post eversum regnum Israel in Samariam a Sepharvaitis, colonis a Sargone ibi collocatis, introductum atque una cum Adramelech cultum potissimum per sacrificia puerorum in eius honorem crematorum (4 Reg. 17, 31). Eorum sententiae, qui Anamelech dicunt idem esse numen quod in inscriptionibus cuneiformibus vocatur *Anumalku* vel *Anunitu-malkitu* aut deam illam cui nomen *Aa* vel *Malkitu*, hac

rationes suffragari videntur. Convenit fere nomen, ut patet, cuius terminatio feminina facile sive apud Hebraeos sive apud scribas amitti potuit. Convenit numinis natura : nam numen babylonicum fuit numen solare et cum deo solis Shamash ceu eius dei uxor colebatur, ita ut urbs Sippara (« urbs solis Hipparenorum » apud Berossum, « Heliopolis » apud Eusebium) partim nominaretur *Sippar-sha-Shamshu* (Sippara Solis), partim *Sippar-sha-Anunitu* (Sippara Anunitis); Anamelech quoque numen solare fuisse probabile est, quod iisdem sacrificiis puerorum, quibus dii solares Chanaanitarum, Phoenicum et Poenorum, colebatur. Convenit nomen patriae numinis ac cultorum eius : etenim Sepharvaim videtur per formam dualem referre illas duas Solis et Anunitis Sipparas et Sepharvaitae esse Sipparenses, id quod per scriptionem graecam Σεπφαρούν, Σεφφαρουάϊμ confirmatur; altera quoque pars nominis, -melech, naturam dei solaris Moloch redolet. Minus placet aliorum opinio, quibus Anamelech est aut dea lunaris aut deus caeli Babyloniorum Anu; neque enim ista sententia cum rationibus supra dictis ita conciliatur ut altera, neque haec numina Sipparae speciali modo colebantur, ita ut ratio non appareat, cur Sepharvaitae eorum cultum invexerint. Aliam etiam opinionem ii sequuntur, qui Sepharvaim negant esse urbem Sipparam, ut *Halévy*, *Jensen*, *Scheil* (cf. s. v. SEPHARVAIM), sed esse fortasse civitatem Syriae dicunt. Quorum si rationes solidae sunt, utique ab iis quae supra de Anamelech diximus recedendum erit et dicendum, illud esse numen aliquod Sepharvaitarum aliunde ignotum. Quae Iudaei posteriores de Anamelech fabulati sunt, hoc numen habuisse caput asininum vel formam equi, pavonis, phasianae, coturnicis, nunc pro delirامentis nullius valoris habentur.

Cf. *I. Seldenus*, De diis syris 1661, I. p. 328; II. p. 308 et alibi; *Buxtorf*, Lex. chald. talm. rabb. s. v.; *Ath. Kircher*, Oedip. Aeg. I. p. 372; *Fr. Delitzsch*, Paradies p. 210; *Lenormant-Babelon*, Histoire ancienne de l'Orient V. p. 251 et 259; *Vigouroux*, La Bible et les découvertes modernes *ed.* 6, III. p. 579. 580; *Scheil* in Revue bibl. IV. 1895. p. 203; *E. Pannier* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.

F. ZORELL.

ANAMIM (ענמים), populus aegyptiacus secundo loco inter posteros Mesraim nominatus Gen. 10,13 (Ἐνεμετιείμ) et 1 Par. 1,11 (A Ἀναμιείμ, B omitt.). Targum Ps. Ionathan hunc populum in nomo Mareotico, versio arab. prope Alexandriam ponit. *Bochartus* (Phaleg 4,30) Anamios interpretatur Ammonios seu eos nomades, qui fuerunt circa templum Iovis Ammonis et in Nasamonitide. *Calmet* (Diction. bibl. s. v.) putat Anamios et Garamantas (qui mediam Africam incolebant) ex patre Anamim ortos. *Gesenius* (Thesaurus 1052) suspicatur *Benemte* nomen regionis in monumentis aegyptiacis occurrens, in quo *B* articulus esse possit, ita ut nomen regionis esset Enemet, quod ad formam LXX accederet; addit alteram coniecturam Anamim fuisse *Blemmyes* populum superioris Aegypti, aegyptiace *Balmemmui*. Alii aliter. Recentiores (*de Rougé*, *Maspero*, *Lenormant*) Anamim censent esse populum *Anu* in tota fere valle Nili dispersum, cuius nomen prae se ferunt variae urbes e. g. Heliopolis (aegyptiace *An*), Hermonthis (*An-res*, An australis) et cuius posteri Nubiam inter Nilum et mare Rubrum incolentes in inscriptionibus aegyptiacis vocantur *Anu-Kens*.

Cf. *E. de Rougé*, Recherches sur les monuments des six premières dynasties [Memoires de l'Académie des Inscriptions XXV. 1866, p. 228 s.]; *G. Maspero*, Histoire ancienne des peuples de l'Orient *ed.* 4, 1886, p. 14; *F. Lenormant*, Histoire ancienne de l'Orient *ed.* 9, 1881. I. 269; *A. Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.

Aliam coniecturam, quam *F. de Hummelauer*, *Millar*, *Riehm-Baethgen* commemorant, quin approbent vel reiiciant, proposuit *Ebers*, qui Anamim eosdem esse putat, qui in monumentis aegyptiacis *Aamu* seu *Naamu* (*an-aamu*) i. e. boum pastores vocantur, homines rufi coloris, Semitarum haud absimiles et primo loco post Rutu vel Lutu describuntur.

Cf. *Ebers*, Aegypten und die Bücher Mose's 1868 I. 98 s.; *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 324. 325; *I. Millar* apud *Hastings*, Dict. of the Bible I. 90 b; *Riehm-Baethgen*, Handwörterbuch des biblischen Altertums I. 87.

ANAN (עָנָן, Ἀνάμ), unus ex principibus populi, qui una cum Nehemia foedus cum Domino renovatum signarunt (Neh. 10,26).

ANANI (עֲנָנִי, Ἀνάνι), septimus filius Elioenai de regia domo David descendens per Zorobabel (1 Par. 3,24).

ANANIA (עֲנָנִיָה; Ἀνανία, B omitt.), urbs tribus Beniamin quae una cum Anathoth et Nob a Beniaminitis post exsilium habitata refertur (Neh. 11,32). Nunc vicus *Beit Hanina* à septentrione Ierusalem situs inter *'Anātā* (Anathoth) et *el-Djib* (Gabaon).

Cf. *Guérin*, Judée I. 394; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 8; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *Legendre*, Carte de la Palestine et apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.; *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 167; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. VI; *Lièvin de Hamme*, Terre Sainte 1897. III. p. 12; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 352.

ANANIAS. 1. Ananias (חֲנַנְיָה, Ἀνανίας), filius pigmentarii i. e. qui erat ex collegio pigmentariorum (cf. 1 Par. 9, 30), unus ex iis qui sub Nehemia in aedificando et muniendo muro Ierusalem a porta vetere usque ad portam vallis operam suam contulerunt (Neh. 3,8).

2. Ananias (עֲזַנְיָה, Ἀνανίας), pater Maasiae et avus Azariae (Neh. 3,23).

3. Ananiae (Ἀνανίου) magni filium, nomine Azariam se esse angelus Raphael forma iuvenis splendidi et ad iter parati se sistens Tobiae affirmat (Tob. 5,18). Ipsis nominibus mysterium celat, rem tamen symbolice declarat scil. se esse opitulatorem gratia Dei summi missum. Nam Azarias explicari potest : Dominus opem fert (עזר) et Ananias : Dominus gratiam praestat (cf. חנניה).

4. Ananias Iudith 8,1 in aliquibus codicibus graecis recensetur inter maiores Iudith.

5. Ananias (חֲנַנְיָה, Ἀνανίας), unus ex filiis nobilibus de tribu Iuda qui simul cum Daniel in aula Nabuchodonosor regis litteras et linguam Chaldaeorum edoctus est. Ei nomen Sidrach impositum est (Dan. 1,6. 7). Erat pius legis mosaicae cultor, unde cum Daniele, Misaele, Azaria ipse quoque a cibis regiis abstinuit, pro qua religione Deus dedit illis scientiam et disciplinam in omni libro et sapientia, ita ut cum tempore statuto ad regem introducerentur, sapientia in decuplum superarent sapientes et magos babylonicos (Dan. 1,8-20). Cum Nabuchodonosor somnii explicationem poena mortis proposita a magis expeteret, Daniel socios suos rogavit, ut secum misericordiam Dei implorarent ne perirent; quorum preces Deus exaudivit. Et cum Daniel somnium regis indicasset, eo auctore et suasore Ananias quoque cum aliis duobus additus est ad administrationem provinciae Babylonis quae Danieli commissa erat (2,49). Isti tres iuvenes non adorabant statuam auream quam rex constituerat ideoque in fornacem ignis ardentis proiecti sunt; at servati sunt mediis in flammis incolumes, ut Deus suam ostenderet potentiam regi qui dixerat : quis est Deus qui eripiet vos de manu mea? In fornace autem Deo laudes canebant. Stupefactus rex potentiam Dei agnoscit, servos hos Dei excelsi e fornace egredi iubet eosque in provincia Babylonis magno affecit honore (Dan. 3,1-97).

6. Ananias (Ἀνανίας) cum Saphira uxore sua partem pretii agri venditi retinuit, Petro autem se integrum pretium afferre et in commune bonum largiri affirmavit. Quod mendacium Petrus divinitus cognoscens Ananiam non hominibus sed Deo esse mentitum exclamat. Quibus in verbis Ananias cecidit et exspiravit. Eodem modo et uxor eius mentita et mortua est. Et factus est timor magnus in universa ecclesia et in omnes qui audierunt haec (Act. 5,1-11). Sicut Deus veterem legem manifestis potentiae suae documentis induxit, ita etiam initio novae legis auctoritatem et dignitatem legatorum suorum signis manifestis voluit tueri.

7. Ananias (Ἀνανίας), discipulus Damasci, quem Dominus in visu iubebat quaerere Saulum Tarsensem. Abiit ad eum et imposuit ei manus dicens : Saule frater, Dominus misit me Iesus, ut videas et implearis Spiritu sancto. Et confestim Saulus visum recepit. Erat Ananias vir secundum legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Iudaeis (cf. Act. 9,10-18; 22,12-16). Ei Dominus iam annuntiavit qualis futurus sit Saulus et ipse Saulo indicavit : quia eris testis illius ad omnes homines eumque ut baptismum susciperet admonuit.

8. Ananias (Ἀνανίας) ab Herode rege Chalcidis, qui Iosepho Camydi filio pontificatum abrogavit, dignitate pontificatus donatus est tempore procuratoris Tiberii Alexandri anno 48 p. Chr. Mansit in ea dignitate usque ad pontificatum Ismaelis filii Phabi i. e. brevi ante discessum Felicis. Ananias hic animum ostendit hostilem in Paulum. Cum enim Paulus inciperet coram toto concilio rationem reddere de sua vita, statim praecepit Ananias adstantibus, ut os eius percuterent (Act. 23,1 s.). Paulus ignorans eum esse pontificem ei iniustitiam exprobravit. Idem Ananias post quinque dies cum senioribus quibusdam et Tertullo causidico descendit Caesaream Paulum accusaturus coram Felice procuratore (Act. 24,11). De Anania cf. *Flav. Ios.* Ant. XX. 5,2; 6,2; 8,8. 11; 9,2; Bell. iud. II. 12,6; ineunte bello iudaico occisus est (Bell. iud. II. 17,6. 9).

ANANIEL (Ἀνανιήλ), avus Tobiae senioris (Tob. 1,1 LXX); erat filius Aduel et pater Tobiel patris Tobiae.

ANATH (עֲנָת), pater Samgar iudicis Israel (Iud. 3,31; 5,6). LXX priore loco Δινάχ, altero Ἀνάθ.

ANATHEMA (ἀνάθημα, ἀνάθεμα). Sensu proprio anathema (compositum ex ἀνά et τίθημι) significat rem ex voto vel devotione in templo positam et Deo consecratam; ita apud auctores classicos et in S. Scriptura tribus locis : Iudith 16,23 (graece 16,19); 2 Mach. 9,16; Luc. 21,5. Omnibus aliis locis Vet. et Novi Test. significatio huius vocis est prorsus alia, remote tantum cum sensu proprio cohaerens. Ea enim voce a LXX vertitur hebraicum חֵרֶם. Verbo חָרַם competit significatio prohibendi a communi usu, Deo sacrandi, sacrum reddendi, devovendi. Unde חֵרֶם est res a communi usu prohibita et Deo devota. Poterat autem res a communi usu prohibita esse vel propter sanctitatem vel propter profanitatem; prior sensus in lingua arabica, alter in hebraica eidem radici affixus est. Hinc intellegitur, cur Deut. 7,2. 6 (in textu hebraico) oppositio fiat inter id quod sanctum (קָדוֹשׁ) et id quod anathema (חֵרֶם) est. Quod sanctum est, Deo offerri ac veluti dono dari potest, uti 2 Reg. 8,11 David omnem praedam sanctificavit seu cultui divino consecravit. Quod autem anathema est, exterminandum est neque quisquam illud sibi acquirere potest, quin ipse maledictionem anathemati inhaerentem incurrat (cf. Deut. 7,56); unde prophetae quoque iudicia divina exterminationis seu internecionis imminentis per modum anathematis concipiunt (cf. Is. 34,2; 43,28; Ier. 25,9 hebr.; Mal. 4,6 hebr. 3,24). Anathema igitur est devotio rei ad internecionem.

Iamvero huic conceptui exprimendo in lingua graeca nullum vocabulum correspondebat; videntur autem LXX vocem illam elegisse, quia apud ethnicos anathema erat donum idolis offerendum, hinc vero Deo exosum, abominandum, exterminandum. Pro forma verbali Hiphil הֶחֱרִים (i. e. exitio devovere) LXX novum verbum ἀναθεματίζειν efformarunt Sacrae Scripturae proprium (Deut. 13, 15[16]; 20,17; Ios. 6,21 s.; cf. 1 Mach. 5,5). Idem deinde verbum et nomen in Novum Testamentum transierunt sensu aliquatenus mutato, ut infra dicemus. Vulgata substantivum anathema passim adhibet, verbum anathematizare bis tantum : 1 Mach. 5,5 et Marc. 14,71.

Erat imprimis anathema, quod a Deo, a lege, a toto populo statuebatur. Anathema erant populi idololatrici, quos Israelitae in terra promissa debellabant et aliquae gentes vicinae, quibuscum foedera inire vetiti erant, ne in idololatriam traherentur (Deut. 7,1-6; 20,16-18; cf. 25,17-19; 1 Reg. 15,3. 18). A

rege Arad Chananaeo devictus Israel voto se obligavit dicens Domino : Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes eius (Num. 21,2) et Chananaeo devicto vocavit nomen loci illius, quo eum devicit, Horma i. e. anathema (Num. 21,3); cf. Iud. 1,17 et praeterea 1 Par. 4,41 (hebr.). Simili modo Mesa rex Moab Cariathaim urbem cepit et incolas trucidavit : egregium spectaculum oculis Chamos dei Moab (Inscript. Mesa lin. 11.12; cf. 2 Par. 20,23 hebr.) et reges Assyriae et Babyloniae in inscriptionibus suis passim bella sua nomine deorum gesta esse iactant armisque deorum victorias suas adscribunt (cf. textum hebraicum 4 Reg. 19,11; 2 Par. 32,14; Is. 37,11). — Sed ipsi etiam Israelitae anathemati subiacent. Si habitatores alicuius urbis Israel idololatriae se dedunt, fiunt anathema ipsi et urbs et quaecunque in urbe continentur (Deut. 13,15-17; cf. Ex. 22,20[19]). Alia quoque crimina iram Dei multum provocantia anathemate punita sunt (Iud. 20,48; 21,5. 10). Insuper qui sibi obiectum anathemate ictum appropriabat, ipse anathema incurrit et exterminandus erat v. g. Achan propter furtum de anathemate Iericho lapidatus (Ios. 7,1. 13. 25; cf. Deut. 7,25. 26; 2 Mach. 12,40).

Sunt autem varii gradus anathematis distinguendi. Secundum rigorem omnia animalia, homines et greges, erant exterminanda, urbes cum opibus universis succendendae, aurum, argentum, vasa aenea et ferrea in aerarium Domini consecranda, ut factum est in expugnatione Iericho (Ios. 6,17. 19. 21. 24); cum autem Saul contra anathematis rigorem Agag regi Amalecitarum eiusque gregibus ac vestibus praestantioribus pepercisset, ob id ipsum a Deo reiectus est neque populo licuit greges captos Deo victimas immolare (1 Reg. 15,9. 21-23). Attamen ipsa obligatio omnes homines interimendi nonnunquam mitigata est; servabantur e. g. virgines Madianitarum (Num. 31,18) et virgines Iabes Galaad (Iud. 21,11. 12). Urbs anathemate caesa non reaedificanda erat (Ios. 6,26; cf. 3 Reg. 16,34); hoc autem vetitum non de mera reaedificatione, sed de munitione urbis intellegendum videtur. Saepius urbes captae vel non destruebantur vel iterum restituebantur, greges et spolia praedantibus concedebantur, solis hominibus interfectis, ut in bellis contra Sehon regem Hesebon et Og regem Basan (Deut. 2,33 s. 3,1 s.); idem factum esse videmus in expugnatione Palaestinae cisiordanicae seu occidentalis, in qua praeter Iericho duae tantum urbes succensae sunt, scil. Hai (Ios. 8,2. 24.28 ut esset tumulus sempiternus) et Asor (Ios. 11,10-15).

Praeter anathema, prout a Deo, a lege, a toto populo statuitur, est etiam alterum anathema, quod a singulis statui poterat. « Omne quod Domino consecratur (hebr. omne חֵרֶם quod devovebit vir Iahwe) sive homo fuerit sive animal sive ager, non vendetur nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino. Et omnis consecratio, quae offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur » (Lev. 27,28. 29); cf. Lev. 27,21 : « Sanctificatus erit (ager anathemate consecratus) Domino et possessio consecrata ad ius pertinet sacerdotum ». Huc spectant, quae Deus loquitur ad Aaron Num. 18,14 : « Omne quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit » ; cf. Ez. 44,29 : « Et omne votum (חֵרֶם) in Israel ipsorum (i. e. sacerdotum) erit ». His locis docemur, anathema etiam aliquam speciem voti fuisse, quo Israelita homines (i. e. suos servos, captivos, liberos), greges et agros suos Deo ad internecionem devovere poterat. Ex notione anathematis semper supponendum est, personas vel res anathematizandas Deo exosas factas esse v. g. idololatria vel contactu cum idolis (Deut. 7,25. 26). Ignoramus quidem, secundum quasnam regulas sive lege sive traditione statutas homines privati suos servos vel liberos anathematis supplicio affecerint; sed ex aliis legibus certo constat, neque parentibus ius poenae capitalis illimitatum in liberos (Deut. 21,18 s.) neque dominis in servos (Ex. 21,20) concessum fuisse; ex Deut. 13,6-9 recte concludimus nullum hominem privatum anathematis supplicio affici potuisse sine interventu iudiciali. Quoad iumenta et agros in le-

gibus supra citatis aliqua modificatio anathematis continetur, scil. non internecioni devovebantur, sed potius sanctuario i. e. sacerdotibus ita tradebantur, ut nec vendi nec redimi possent.

Conceptus anathematis in Vet. Test. usitatus apud Iudaeos posteriores extenuatus et in alium mutatus est. Iam post captivitatem babylonicam tempore Esdrae anathema non amplius mortem involvit, sed solum iacturam bonorum et exclusionem e coetu fidelium; est igitur excommunicatio synagogalis (Esdr. 10, 8). Hoc sensu in Evangelio S. Ioannis usurpatur novus terminus a Iudaeis hellenistis adhibitus ἀποσυνάγωγος (*Vulg.* extra synagogam Io. 9,22; e synagoga 12, 42; absque synagogis 16,2). Allusio ad exclusionem e synagoga habetur Luc. 6,22.

Verum haec significatio exclusionis e coetu fidelium in lingua Novi Test. non stricte retenta est. Verbum ἀναθεματίζειν Marc. 14,71 significationem habet affirmandi cum imprecatione assertum verum esse; loco parallelo Matth. 26,74 textus receptus legit καταναθεματίζω, *Griesbach, Lachmann, Tischendorf* καταθεματίζω per contractionem, *Vulg.* detestari; in Act. 23,12. 14. 21 significat obligare se sub poenis gravissimis ad aliquid faciendum (*Vulg.* se devovere). Substantivum ἀνάθεμα Luc. 21,5 sensum suum primitivum retinuit scil. donum Deo oblatum et in templo consecratum; Act. 23,14 iungitur cum verbo (ἀναθέματι ἀναθεματίζειν) ad exprimendam obligationem sub poenis gravissimis. Praeter hos duos locos ἀνάθεμα apud solum S. Paulum legitur. Apostolus Gal. 1,8. 9 declarat anathema i. e. maledictioni divinae devotum, quicumque aliud Evangelium praedicaret, praeterquam quod ipse evangelizavit. Corinthiis scribit 1 Cor. 12,3 : « Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu » (rectius : Iesus) i. e. maledictio est (sit) Iesu vel melius : maledictus est (sit) Iesus. In eadem epistula 1 Cor. 16,22 : « Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema » i. e. aeterno interitui sit devotus, quicumque non est verus amicus Christi. Denique Rom. 9,3 Apostolus optat ipse anathema esse a Christo pro fratribus suis i. e. sua carentia fruitionis Christi, si fieri posset, fratribus fruitionem Christi aeternam procurare vellet. — Substantivum compositum κατανάθεμα auctoribus profanis ignotum legitur Apoc. 22,3 (*Griesbach, Lachmann, Tischendorf* κατάθεμα per contractionem); sensus est idem ac vocis ἀνάθεμα scil. in Ierusalem coelesti « maledictum non erit amplius » (*Vulg.*).

Rabbini posteriores duos gradus excommunicationis synagogalis distinxerunt. Prior gradus dicitur Niddui (*Buxtorf*, Lexicon chald. talm. rabb. s. v. נדוי) i. e. remotio, separatio ab aliorum, etiam uxoris et domesticorum, societate ad quattuor cubitos; durat hic gradus triginta dies, si delinquens resipiscat; sin minus, duplicatur ad sexaginta aut triplicatur ad nonaginta dies. Si nec tum resipuerit, alter gradus infligitur scil. Cherem (*Buxtorf* s. v. חֵרֶם) i. e. excommunicatio synagogalis diris maledictionibus gravata; cum tali excommunicato neque edere neque bibere licebat neque ullum commercium cum illo habendum erat. Tertius quidam gradus, Shammatta (שַׁמָּתָא) immerito asserebatur ab Elia Levita grammatico iudaico saeculi 16. et multis aliis post eum; in suo Lexico Tishbi (a. 1523) s. v. שמתא dicit : « Tres sunt species excommunicationis, Niddui, Cherem et Shammatta. Niddui consistebat in segregatione; quod si ita non resipisceret, devovebant eum per Cherem. Quodsi autem nec tum resipisceret, devoverunt eum per Shammatta. Shammatta autem idem denotat, ac si dicatur שם מיתה *ibi mors*, quae longe a nobis absit ». Sed errat Elias Levita; Shammatta enim apud Talmudicos idem est ac Niddui in Mishna.

Cf. *Buxtorf*, Lexicon chald. talm. rabb. 827 s. 1303 s. 2462 s.; *Selden*, De synedriis lib. 1, cap. 7; *Vitringa*, De synagoga p. 729 s.; *Bindrim*, De gradibus excommunicationis apud Hebraeos (*Ugolini*, Thesaurus XXVI. p. 331 s.); *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, II. 434 s.; *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 545-550; *P. Scholz*, Die heiligen Altert. des Volkes Israel 1868, I. p. 92; II. p. 325 s.

ANATHOTH (עֲנָתוֹת, עֲנָתֹת, Ἀναθώθ), urbs tribus Beniamin sacerdotibus attributa Ios. 21,18; 1 Par. 6,60 [45]; 3 Reg. 2,26. Deest in descriptione sortis Beniamin Ios. 18,12-28. — Plures erant viri illustres de Anathoth oriundi : Abiezer unus ex triginta Gibborim David (2 Reg. 23,27; 1 Par. 11,28; 27,12), Iehu qui David in Siceleg fugitivo se adiunxit (1 Par. 12,3). Abiathar pontifex a Salomone officio privatus et in urbem patriam Anathoth relegatus ob auxilium factioni Adoniae praestitum (3 Reg. 2,26), illustrissimus denique Ieremias propheta (Ier. 1,1). Ab Isaia, cum itinera exercitus Assur Ierusalem versus accelerata describit, vocatur paupercula Anathoth Is. 10,30. De malitia virorum Anathoth edocemur Ier. 11,18-23; ipsi concives vati insidias struxerunt, ut monitorem molestum perderent, doctrinam ab eo traditam abolerent, ipsam eius memoriam delerent; propheta iniquitatem hanc in eorum caput vertendam esse praedicit : ipsi peribunt, filii filiaeque morte morientur, memoria eorum delebitur. Tempore obsidionis Ierusalem Ieremias agrum propinqui in Anathoth emere a Domino iubetur; emitur ager in signum terram palaestinensem Iudaeis exsulantibus a Domino non ablatum iri : « Adhuc possidebuntur domus et agri et vineae in terra ista » (Ier. 32,6-15). Impletum est hoc vaticinium, cum ex captivitate duce Zorobabel viri Anathoth centum viginti octo redirent (Esd. 2,23; Neh. 7,27).

Nunc *ʿAnātā* vicus unius fere horae itinere a Ierusalem distans inter septemtrionem et orientem. *Flav. Iosephus* (Ant. X. 7,3) dicit Anathoth ab Hierosolymis stadia viginti esse dissitam; sed hoc distantiae vici hodierni a Ierusalem non plene satisfacit. Accuratius Onomasticon Eusebii et S. Hieronymi (*ed. Lag.* 222,34 et 94,1) : in tertio ab Aelia miliario; S. Hieronymus in Ier. 1,1 (*M.* 24, 682) : « Fuit de genere sacerdotum, qui habitabant contra septemtrionem Ierusalem in tertio milliario et viculo Anathoth ». Sunt autem tria mil. pass. 24 stadia (circiter 4,5 km).

Cf. *Guérin*, Judée III. 76-79; *Robinson*, Palaestina II. 319 s.; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 7. 8; *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 175; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 462-464; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, III. p. 11; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem. *ed.* 2, II. p. 145.

ANATHOTH (עֲנָתוֹת, Ἀναθώθ). **1**. Filius Bechor filii Beniamin (1 Par. 7,8).

2. Signator foederis tempore Nehemiae (Neh. 10,19 [20]).

ANATHOTHIA (ענתתיה, Ἀναθώθ καὶ Ἰαθίν), filius Sesac, Beniaminita (1 Par. 8,24).

ANCHUSA. In libro Iob 6,6 Vulgata legit : « Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem »? Ubi textus massorethicus in altero membro habet : « Estne sapor in saliva חַלָּמוּת ». LXX sensum potius, quam verba exprimunt : εἰ δὲ καὶ ἔστιν γεῦμα ἐν ῥήμασιν κενοῖς (male καινοῖς codd. א A). Sensum litteralem bifariam veteres exponunt : Targum chaldaicum בְּחֶלְבּוֹן בֵּיעֲתָא וְחֶלְמוֹנָא *in albumine ovi et vitello* (seu potius cum *Gesenio* דְּחֶלְמוֹנָא *vitelli*), aliudque Targum בְּרִירָא דְחֶלְמוֹנָא *in saliva vitelli* interpretantur, eisque ducibus doctores talmudici, atque Saadias, Abulwalides, Kimchius, plures recentiores *albumen ovi* intellegunt. Syrus vero succum herbae explicat, quam חלמתא vocat; quae herba interpreti arabico et cum ipso etiam *Gesenio* aliisque recentioribus erat *Portulaca*, cuius species *Portulaca oleracea* Linnaei in ditione orientali, sicut in toto fere orbe, communis est atque pauperibus olus vile praestat. At nomen syriacum potius *Anchusam* designat, cuius species *Anchusa officinalis* L. pariter in Oriente frequens invenitur atque etiam in cibum pauperum et in medicinam adhibetur, olim etiam nostris notam (*Radix, Herba, Flores buglossi* seu *Lingulae bovis*).

Utraque expositio contextui conformis est, qui cibum vilem atque insipidum postulat. Vulgata autem aliam lectionem hebraicam secuta est, quae varie a variis explicatur; commodior videtur

opinio *Philippi Codurci,* qui interpretem latinum pro בריר חלמות legisse supponit [ב]בְּרִיָּה לָמוּת *in esca ad mortem.*

De aliis opinionibus et expositionibus (*lac coagulatum*, herba *althaea, malva* etc.) cf. *W. Gesenius,* Thes. 480; *Knabenbauer*, Comm. in Iob p. 98 s.; *Payne Smith,* Thes. syr. 1284. — De *Portulaca* v. *E. Boissier,* Flora orient. I. 757; *G. E. Post*, Flora of Syria 165 s.; *Engler-Prantl,* Nat. Pflanzenfam. III. 1 b. p. 59 (*F. Pax*). — De *Anchusa* (fam. *Borraginaceae*) v. *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 120; *Boissier* IV. 151 s.; *Post* 541; *Engler-Prantl* IV. 3 a, p. 114 s. (*M. Gürke*); *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3, II. 2 p. 571.

L. FONCK.

ANDREAS (Ἀνδρέας), frater Simonis Petri a Bethsaida (Ioan. 1,44), discipulus Ioannis Baptistae et postea apostolus Christi. Cum enim Ioannes videns Iesum diceret: ecce agnus Dei, duo eius discipuli, Ioannes et Andreas secuti sunt Iesum et invitati apud ipsum manserunt die illo. Andreas autem statim nuntiavit fratri suo Simoni : invenimus Iesum (Ioan. 1,36-42) eumque ad Iesum adduxit. Erat itaque Andreas unus ex primis Iesu discipulis; at nondum statim ita Iesu adhaesit, ut continuo relictis omnibus eum sequeretur. Hoc demum factum est postquam Iesus ex Iudaea rediit in Galilaeam, cum eum et Simonem dum piscationi operam darent invitaret : venite post me et faciam vos fieri piscatores hominum. Tum protinus relictis omnibus secuti sunt eum (cf. Matth. 4,18-20; Marc. 1,16; Luc. 5,1-11). In electione apostolorum etiam Andreas ex numero discipulorum vocatus est; in catalogis apostolorum semper recensetur in primo quaternione (loco secundo apud Matth. Luc.; quarto loco apud Marc. et in Act.). Quae de potestate apostolis tradita, de eorum ad praedicandum missione narrantur, de Andrea quoque referri patet. Eius mentio fit in multiplicatione panis; nam Andreas dixit Domino : est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces; sed haec quid sunt inter tantos? Ioan. 6,8. 9; qua quaestione simul pandit se in eadem cum reliquis conditione fidei modicae fuisse. Cum gentiles quidam Philippo dixissent : domine volumus Iesum videre, Philippus id dicit Andreae et uterque dicunt Iesu; unde sequi videtur Andream, etsi non esset e numero trium maxime familiarium Iesu, tamen a Iesu prae reliquis octo apostolis familiariter esse habitum. — Haec sola de eo in evangeliis habentur; nihil de eo refertur in Act. nisi quod cum aliis apostolis in coenaculo dicitur adventum Spiritus S. exspectasse (Act. 1,13). — Narrat Eusebius (Hist. eccl. 3,1) in divisione apostolorum ei obtigisse ad praedicandum Scythiam; eum praedicasse in regionibus Ponto Euxino adiacentibus etiam refertur in syriaca Doctrina apostolorum; annuntiasse evangelium in Graecia narrant S. Hieronymus, Gregorius Naz., Theodoretus, Gaudentius; ad barbaros et Graecos eum esse profectum dicit S. Athanasius; eum mortem crucis obiisse refert Damasus papa; eius ossa iam sub Constantio (356) ab Achaia Constantinopolim translata sunt (vide *Lipsius*, Die apocryphen Apostelgeschichten I. p. 14. 63; Ergänzungsheft p. 182-184).

ANDRONICUS (Ἀνδρόνικος). **1.** Procurator regius, quem Antiochus IV. Epiphanes, dum ipse Tharsenses et Mallotas in Asia minore rebellantes in subiectionem redigit (171 vel 170 a. Chr.), Antiochiae rebus publicis praefecit. Eo tempore Onias III. qui a Iasone summo sacerdotio orbatus fuerat, prope Antiochiam in asylo Apollinis et Dianae apud Daphnem se continebat. Instigante Menelao, qui Iasonem ex pontificis officio expulerat, Andronicus iuramento incolumitatem spondens Oniam permovit, ut ex asylo prodiret eumque periurus occidit. Verum de nece tanti viri iniusta magna Antiochiensium commotio excitata est. Antiochus IV. ex Asia minore redux Andronicum purpura exutum per totam civitatem circumduci et in eodem loco, quo Oniam interfecerat, sacrilegum vita privari iussit (2 Mach. 4,30-38). — *Fl. Ioseph.* (Ant. XII. 5,1) mortem Oniae III. ante pontificatum Iasonis (174-171 a. Chr.) obtigisse erronee affirmat.

2. Alius dux, quem Antiochus IV. ex secunda in Aegyptum expeditione redux

post caedem Hierosolymis factam copiis in monte Garizim praefecit (2 Mach. 5,23).

3. Iudaeo-christianus (Rom. 16,7). S. Paulus salutat Andronicum et Iuniam quod probabilius est nomen viri, non mulieris), cognatos (i. e. probabilius contribules suos, Beniaminitas, non solum populares suos seu Iudaeos neque consanguineos strictiore sensu) et concaptivos suos (ubi, quando, quamdiu concaptivi fuerint, ignoramus), nobiles in apostolis (non latiore sensu apostolos, sed probabilius magni ab Apostolis aestimatos), conversos ad Christum ante Pauli conversionem ac propterea primitiis Ecclesiae cum honore adnumerandos). Cf. *Cornely* ad h. l. — Andronicus episcopus in Hispania (Pseudo-Dorotheus *M.* 92,1061) vel in Pannonia (Hippolytus *M.* 10,956) fuisse traditur.

ANEM (עָנֵם, τὴν Λὶνάν, A Ἀνάμ), urbs tribus Issachar filiis Gerson tradita (1 Par. 6,73 [58]). Desideratur loco parallelo Ios. 21,29 et in enumeratione urbium Issachar Ios. 19,17-23; pro ea locis citatis legitur Engannim. Hinc dubium est, utrum Anem aliud nomen sit pro Engannim an lectio mendosa an urbs distincta. Qui urbem distinctam esse putant, assignant vicum ʿAnīn inter septemtrionem et occidentem a *Djenīn* (Engannim).

Cf. *Survey of. West. Pal.* Mem. II. 44.51; *R. Conder* apud *Hastings,* Dict. of the Bible I. 93 b; *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. VI; *A. Legendre,* Carte de la Palestine; *Riess,* Bibel-Atlas *ed.* 3; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 615.

ANER (עָנֵר, Ἀνάρ), urbs tribus Manasse cisiordanicae, filiis Caath tradita (1 Par. 6,70 [55]). Loco parallelo Ios. 21,25 pro ea legitur Thanach (vide s. v.); hinc Aner probabilius corruptioni textus originem debet. Nihilominus *Conder* (*Survey of West. Pal.* Mem. II. 154 et apud *Hastings*, Dict. of the Bible I. 93 b) suggerit vicum ʿEttār inter meridiem et occidentem a *Djenīn* (Engannim); vide *Conder and Kitchener*, Large Map, sheet XI, Reduced Map, sheet 10 et *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. V, qui ut plurimum sequitur vestigia exploratorum anglicorum.

ANER (עָנֵר, Λὶνάν) Amorrhaeus, frater Mambre et Eschol (Gen. 14,13. 24); hi tres Abraham in persecutione exercitus Chodorlahomor adiuverunt.

ANETHUM (gr. ἄνηθον, *Pesh.* שביתא, sicut mishn. שבת et arab. *shibit* inter herbas a Pharisaeis decimatas in Evangelio enumeratur (Matth. 23,23; cf. Luc. 11,42, qui anethum omittit, sed « omne olus » adiungit). Praescriptum enim legis de decimis « sive de frugibus sive de pomis arborum » (Lev. 27,30) a Scribis et Pharisaeis, sicut et postea a rabbinis talmudicis, ad omne olus in horto cultum extendebatur; quam interpretationem Dominus non reiicit, sed cum hac minimorum observantia maxima, iudicium scilicet et caritatem Dei, praetermittenda non esse monet.

Planta nomine graeco et latino designata est *Anethum graveolens* Linné ex ordine *Umbelliferarum* (germ. et angl. *Dill*, gall. *aneth,* ital. *aneto*), non confundenda cum herba affini *Pimpinella anisum* Linné (gr. ἄνισον, quod linguae germ., gall., angl., ital. al. retinent), quam versio anglica et aliqui scriptores minus recte pro anetho supposuerunt. Anethi culturam et usum monumenta aegyptiaca et antiqui auctores profani frequenter testantur (*Theophr.* Hist. pl. I. 11,2; 12,2 etc.; *Columella* X. 120. 314 s.; XI. 3,42; *Dioscur.* Mat. med. 3,60; *Plin.* XX. 18,196, al.), atque hodiedum herba illa, cuius semina condiendis cibis inserviunt, variis speciebus in Oriente ac praesertim in Palaestina culta et non culta frequens invenitur.

Cf. *M. Hiller,* Hierophyticon II. 47 s.; *O. Celsius,* Hierobotanicon I. 494-7; *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Alterth. IV. 1,103; *P. Cultrera,* Flora bibl. 190; *F. Hamilton*, Botanique de la Bible, Nice 1871, 7; *L. Cl. Fillion*, Atlas d'hist. nat. de la Bible p. 25; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8,420; *E. Boissier*, Flora orientalis II. 866. 1026; *Leunis-Frank*, Synopsis II. 2 p. 252 s. 261; *G. E. Post*, Flora of Syria 348. 364; *Engler-Prantl*, Nat. Pflanzenfam. III. 8, 195 s. 208 s.; *V. Loret* in Recueil de travaux VII. 1886, 106-8; *id.*

Flore pharaonique *ed.* 2, p. 71; *Fr. Woenig*, Pflanzen im alt. Aeg. 225; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 160 s.

L. FONCK.

ANGE mons, cuius nomen in sola Vulgata Iudith 2,12 (cf. LXX 2,21) traditum est. Holofernes ex Assyria profectus, ut rebelles in Asia occidentali in ditionem Assurbanipal regis redigeret, venit ad magnos montes Ange, qui sunt a sinistro Ciliciae i. e. ad septemtrionem Ciliciae secundum modum loquendi orientalium. Sine dubio Ange est Argaeus mons Asiae minoris altissimus in Cappadocia (cf. *Plin.* VI. 3,8; *Ammian. Marcell.* XX. 9,1), apud Graecos τὸ Ἀργαῖον ὄρος (*Ptolem.* V. 6,8 [*ed. Müller-Fischer* 6,7 : ὅ τε Ἀργαῖος]; *Strabo* XII. 2,7), quem *Strabo* l. c. describit « omnium altissimum montem cuiusque vertex nunquam nivibus privatur; de quo aiunt qui conscenderunt (paucis vero contigit), sudo coelo utrumque cerni mare, Euxinum scilicet atque Issicum ». Hodie vocatur *Erdjiās*.

Cf. *W. Hamilton*, Researches in Asia Minor 1842, II. 275 s.; *Petermann*, Erg. Heft XX. 38; *H. F. Tozer*, Turkish Armenia and Eastern Asia Minor 1881; *Pauly-Wissowa*, Real-Encycl. der klass. Altert. II. 684; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, Tab. VII.

ANGELUS (מַלְאָךְ, ἄγγελος). Nobilissimum angelorum officium certe illud est quo in s. litteris nobis repraesentantur tamquam throno Dei assistentes et faciem Dei maiestatisque eius gloriam spectantes; ita 3 Reg. 22,19 : vidi Dominum sedentem super solium suum et omnem exercitum coeli assistentem ei a dextris et a sinistris, et 2 Par. 18,18; et Dan. 7,10 millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei et Apoc. 5,11 : audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni et erat numerus eorum millia millium et 7,11 : et omnes angeli stabant in circuitu throni et Matth. 18,10 : angeli in coelis semper vident faciem Patris mei. In aula coelesti Deo laudes canunt Apoc. 5,11 s. (unde Ps. 28,1. 2 : afferte Domino filii Dei gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini eius, Ps. 96,7 : adorate eum omnes angeli eius), et opera Dei admirantur et celebrant; ita in opere creationis iubilabant omnes filii Dei (Iob 38,7), per Dei providentiam supernaturalem quae in historia Ecclesiae apparet iis innotescit multiformis sapientia Dei (Eph. 3,10), quam summis deliciis contemplantur (cf. 1 Petr. 1,12 graece). Verum in hoc ipso opere divino ad salutem generis humani omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis (Hebr. 1,14). Quod ministerium quam vario modo exerceant in s. litteris copiose refertur. Apud Deum pro hominibus intercedunt, Iob 5, 1 : ad aliquem sanctorum convertere, Iob 33,23 : si fuerit pro eo angelus loquens unus de millibus; Deo offerunt preces hominum Apoc. 5,8; 8,3. 4 : et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo. Homines variis in vitae conditionibus tuentur; quod officium eorum generatim enuntiatur Ps. 33,8; 90,11 et plurimis exemplis illustratur; ita Lot servatur ab excidio Sodomorum Gen. 19,7 et Sap. 10, 6; idem munus eorum symbolice ostenditur Iacobo patriarchae, cum in somno videat angelos Dei ascendentes et descendentes per scalam stantem super terram et cuius cacumen tangebat coelum Gen. 28,12, quorum protectionem et ipse agnoscit et filiis Ioseph apprecatur Gen. 48,16. Populo ex Aegypto egredienti praesto est angelus Ex. 14,19 et 23, 20 : ecce ego mittam angelum meum qui praecedat te et custodiat in via et introducat in locum quem paravi etc.; cf. 32,34; 33,2; Num. 20,16; Iud. 2,1. Et cum terram occupassent, saepius angeli monitu et ope liberantur ab hostibus cf. Iud. 6,11 s.; 13,3 s.; 4 Reg. 19, 35; 2 Par. 32,21. Uti toti populo, ita singulis quoque consilium et auxilium ferunt; angelus confortat Eliam eique mandata Dei defert (3 Reg. 19,5; 4 Reg. 1,3. 15); angelus descendit in fornacem cum Azaria et sociis eius et excussit flammam ignis de fornace (Dan. 3,49) et Deus misit angelum suum et conclusit ora leonum (6,22); angelus docet Zachariam prophetam (1,9. 14; 2,3 etc.). Postea quoque tempore Machabaeorum non semel angeli fortiter opem tulerunt

cf. 2 Mach. 10,29; 11,8; 15,23. Uti amicis Dei opem ferunt, ita in inimicos Dei etiam sunt exsecutores iustae vindictae; cf. Ps. 34,5; Ez. 9,2; Sap. 18,5; 2 Mach. 3,24, et poenam a Deo decretam infligunt 2 Reg. 24,16; 1 Par. 21,15.

Quemadmodum in Vetere Testamento tutelares angeli nobis demonstrantur, ita in Novo quoque, quam notionem ipse Dominus confirmat Matth. 18,10; angelus aperit ianuas carceris et educit apostolos Act. 5,19; angelus mittit Philippum ad eunuchum Candacis reginae Act. 8,26; angelus loquitur ad Cornelium Act. 10,3 s.; angelus Petrum e carcere educit Act. 12,7 s.; angelus Paulum certiorem reddit : ne timeas etc. Act. 27,23; angeli intersunt piis coetibus 1 Cor. 11,10; et quantopere angeli opem suam ferant Ecclesiae Dei, habetur Luc. 15,10 et magnifice describitur in Apocalypsi. Porro ut in Vetere Testamento angelus adventum Messiae annuntiavit Dan. 9,24 s., ita angeli quam maxime circa Messiam occupantur; eius nuntiant conceptionem, dubitationem Ioseph dispellunt, natum annuntiant pastoribus, insidias Herodis reddunt irritas, Messiae ministrant (cf. Matth. 1,20 s.; 2,13 s.; 4,11; Marc. 1,13; Luc. 1,11 s.; 2,9 s. etc.); eum in agonia confortant, resurrectionem annuntiant (Luc. 22,43; Matth. 28,2; Ioan. 20,12 etc.). Demum in consummatione saeculi cum iudice Christo venturi sunt et vocaturi omnes ad eius tribunal (cf. Matth. 13,41; 24, 31; 25,31; Marc. 13,27; Luc. 9,26; 12, 8; 1 Thess. 4,16).

Peculiari ratione mentio ingerenda est angeli Domini (מלאך יהוה), qui singulari ratione personam Dei gerit et nomine Dei loquitur. Ubicumque enim Dominus apparere dicitur, non ipse Dominus immediate per se hominibus se sistit, verum mediante illo angelo loquitur et apparet. Ita haud pauci Patres et duce S. Thoma theologi scholastici docent (cf. *Suarez,* de Angelis 6,20 et Katholik II. 1882, p. 149 s.). Quae doctrina ipsis s. litteris plane continetur. Nam Ex. 3,2 hebr. et graece dicitur apparuisse angelus Domini Moysi in flamma ignis et Act. 7,30 idem affirmatur, qui tamen angelus Domini dicit Moysi : ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob etc. (v. 6.) Pariter dicitur Dominus descendisse in Sinai et legem dedisse; at quomodo haec apparitio explicari debeat, docemur Gal. 3,19 legem datam esse per angelos in manum Moysis et Hebr. 2,2. Idque pariter elucet si Gen. 18,3 comparaveris cum Hebr. 13,2, scil. non ipsum Dominum sed angelos esse hospitio receptos. Atque idem quoque innuitur, cum Luc. 2,9 dicitur : et ecce *angelus Domini* stetit iuxta illos et *claritas Dei* circumfulsit illos.

Angeli quandoque vocantur filii Dei; ita Ps. 29,1; 88,7 et in libro Iob 1,6; 2,1; 38,7; sunt scil. hi quoque filii Dei ex adoptione, faciem Dei videntes, ergo ad intimam gloriae Dei participationem evecti. Varios quoque ordines angelorum exsistere neque eandem omnium esse dignitatem sed alios aliis esse excellentiores indicatur nominibus quibus in s. litteris appellantur : archangelus (1 Thess. 4,15; Iudae 9), principatus, potestates, throni, dominationes, virtutes (cf. Col. 1,16; Eph. 1,21). Verum qua ratione inter se differant quis dicet? « Dicant qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt, ego me ista ignorare confiteor » ita non minus vere quam modeste sentit S. Augustinus (Enchirid. cap. 58; *M.* 40,259) et iterum : « esse itaque Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates firmissime credo et differre inter se aliquid indubitata fide teneo; sed quo me contemnas quem magnum putas esse doctorem, quaenam ista sint et quid inter se differant nescio » (ad Orosium contra Priscill. cap. 11; *M.* 42, 678). Dein notandum est illam distinctionem quam aliqui theologi faciunt inter angelos assistentes et ministrantes non consistere; nam alicui assistere (coram aliquo stare Dan. 7,10) idem est ex dictione hebraica quod ministrare; insuper explicite dicit angelus Raphael se esse unum ex septem « qui adstamus ante Dominum »; porro Is. 6,6 unus de Seraphim mittitur ad Isaiam; quare dici nequit angelos assistentes non mitti; insuper huic opinioni omnino contradicit Hebr. 1,14 (ceterum vide *Knabenbauer* ad Is. 6,6 et ad Dan. 7,10).

In s. litteris tres angeli peculiaribus nominibus efferuntur : Gabriel, Michael, Raphael. Et Gabriel quidem (גַּבְרִיאֵל, vir Dei, Γαβριήλ) Danieli explicat visionem 8,16 s. et idem ei annuntiat tempus adventus Messiae 9,21; et qui in Vetere Testamento iam missus erat nuntius Messiae, eodem munere fungitur in Novo; annuntiat nativitatem praecursoris apparens Zachariae ad dexteram altaris incensi (Luc. 1,11 s.) et nuntium defert conceptionis Messiae ad b. Virginem (Luc. 1,26 s.). Michael (מִיכָאֵל quis ut Deus? Μιχαήλ) « unus de principibus primis » et « princeps vester » (Dan. 10,13. 21) cui scil. singularis cura populi Israel demandata est. Eo enim Danielis loco docemur etiam regna et provincias habere suos angelos tutelares, sicut nominatur ibi princeps regni Persarum (10, 13) et sicut Michael stare dicitur pro filiis Israel (12,1). Et ut talis qui populi Dei curam gerit etiam in epistula Iudae v. 9 nobis exhibetur, qui scil. obstitit diabolo obstrepenti occultationi sepulcri Moysis, ut periculum idololatriae quod ille inducere voluit a populo averteret. Contra diabolum proelians eumque prosternens etiam cernitur in Apocalypsi 12,7-10; quare sicut angelus tutelaris erat synagogae, etiam Ecclesiae studium suum devovet peculiare angelos malos reprimens et regnum Christi defendens. Raphael (Ῥαφαήλ; cf: 1 Chron. 26,7 רָפָאֵל nomen viri, Deus sanat? et nomen loci יִרְפְּאֵל Ios. 18,27) unus ex septem « qui adstamus ante Dominum » (Tob. 12,15) comes et dux Tobiae in itinere insigni modo et exemplo ostendit angelos esse administratorios spiritus in ministerium missos in bonum eorum quos Deus diligit (cf. Hebr. 1,14). Sicut in Michaele, ita in eo quoque nobis documentum traditur daemones hominibus insidiantes compesci ab angelis (Tob. 8,3). In libris apocryphis etc. alia quoque angelorum nomina referuntur : Uriel, Raguel, Serakiel (4 Esdr. 4,1; 5,20; 10,28; lib. Henoch 20,4 etc.) de quibus hic non est agendum.

De modo quo angeli se visibiles sistere solebant raro fit mentio. Moysi angelus Domini in nube apparuisse videtur; veniam ad te in caligine nubis Ex. 19,9 et 16,10 gloria Domini apparuit in nube; locutus est autem Dominus ad Moysen et 34,5 Dominus descendit per nubem et Moyses stetit cum eo; vide Num. 11,25; 12,5; Deut. 31,15. Accuratius modus describitur Dan. 10,5 s. et magna maiestate quoque apparent angeli 2 Mach. 3,24; 10,29; 11,8 s.

Exhibentur itaque angeli quibus Deus utatur ad homines docendos et iuvandos; sunt vero aliquo sensu mediatores inter Deum et homines. Quam doctrinam esse adulteratam et male exaggeratam discimus ex epistula ad Colossenses, in qua falsa quaedam religio angelorum reprehenditur invecta a doctoribus qui semina quaedam gnosticismi spargebant, esse angelos quasi Christo pares, per angelos igitur ad verum Deum qui nec cerni nec attingi possit esse appropinquandum.

Praeter angelos bonos existunt angeli mali (v. DAEMONES).

Cum nomen ipsum מַלְאָךְ, ἄγγελος significet nuntium et haud raro de nuntio, legato regis adhibeatur (cf. Iob 1,14; 1 Sam. 11,3; 16,19; 19,11; 3 Reg. 19,2 etc.), eodem sensu etiam in Vulgata quandoque angelus usurpatur. Ita Mal. 2,7 dicitur sacerdos angelus Domini exercituum et 3,1 praecursor Domini dicitur angelus et pariter Matth. 11,10; Marc. 1,2; Luc. 7,27. Neque aliter apud Isaiam 18,2 : ite angeli veloces et 33,7 angeli pacis (nuntii qui pacem petebant re infecta redibunt ideoque) amare flebunt; 33,3 a voce angeli fugerunt populi; melius LXX διὰ φωνὴν τοῦ φόβου, hebr. a voce strepitus; sed a voce angeli i. e. nuntii explica secundum 37,7 : audiet nuntium et revertetur ad terram suam. Uti Mal. 2,7 dicitur angelus i. e. qui sit nuntius inter Deum et hominem, ita Apoc. 2,1 s. episcopi ecclesiarum appellantur angeli, quasi legati Dei ad homines et hominum ad Deum, cum episcoporum et sacerdotum sit tale obire munus quod in scala quam vidit Iacob per angelos ascendentes et descendentes figuratur.

I. KNABENBAUER.

ANGULARIS v. LAPIS ANGULARIS.

ANI (עֲנִי, Ἐλιωήλ, Ὠνί), levita ex numero musicorum, qui arcam foederis de domo Obededom Hierosolyma comitati sunt (1 Par. 15,18-20).

ANIA (עֲנִיָּה, Ἀνανίας) ex numero eorum, qui Esdrae verba legis recitanti a latere steterunt (Neh. 8,4). Putatur idem esse, qui Neh. 10,12 Anaia vocatur.

ANIAM (אַנִיעָם, Ἀνιάν), filius Semida Manassitae (1 Par. 7,19).

ANIM (עָנִים, Λεάμ), urbs in montanis Iuda (Ios. 15,50). Nunc *Khirbet Ghuwein* ad meridiem Estemo (*Semū'a*), quae Ios. 15,50 Anim immediate praecedit; v. *Riess*, Bibel-Atlas Tab. VI Fc et X Fc. Huius *Khirbet* duae partes distinguuntur: *Ghuwein el-fōqā* seu superior et *Ghuwein el-tahtā* seu inferior. Huc spectant, quae Onomasticon s. v. Anim et Anab tradit; S. Hieronymus Eusebium secutus (*ed. Lag.* 93,18 cf. 221,19) dicit: « Anim in tribu Iuda; est vicus Anea iuxta alterum, de quo supra diximus, ad orientalem plagam respiciens, cunctis habitatoribus christianis »; supra autem s. v. Anab (93,13 cf. 221,15) dixerat: « Est et alia grandis villa Iudaeorum nomine Anea in Daroma contra australem plagam Hebronis, novem ab ea milibus separata ». Tempore igitur Eusebii et S. Hieronymi duo erant vici, quibus nomen Anea, alter orientalis, alter occidentalis. His correspondere videntur *Ghuwein* superior et inferior; *Ghuwein* superior ab inferiore decem minutis distat inter aquilonem et orientem.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. III. 403. 408; Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XIII. 1890, Tafel 2, C 6; apud *Guérin*, Judée III. 191 s. *Ghuwein* superior appellatur *Ghuwein el-Sharqiye* seu *Gh.* orientalis, inferior autem *Ghuwein el-Gharbiye* seu *Gh.* occidentalis; *Legendre*, Carte de la Palestine et apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 251. *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 163-164 monet non omnino certum esse, utrum *Ghuwein* antiquae urbi Anim respondeat necne.

ANIMA (נֶפֶשׁ, ψυχή) in Vulgata adhibetur fere omnibus illis modis quibus נֶפֶשׁ usurpari solet. Notio primaria vocis hebraeae, graecae, latinae exprimit spirare. Id quod in vocabulo hebr. et graeco etiamnum apparet Ex. 23,12 in lege de sabbato וּנְפַשׁ καὶ ἵνα ἀναψύξῃ, ut respiret (*Vulg.* refrigeretur), sensu ex facili translatione orto: ut recrectur, a labore respiret; item Ex. 31,17 hebr. et 2 Sam. 16,14 hebr. gr., ubi *Vulg.* refocillati sunt. Vocem animae quoque ad notionem spirandi, flandi referri et origine et usu vocis patet; ita aurarum leves animae, impellunt animae lintea Thraciae, apud poetas; et anima pro halitu ponitur. Iam quia spirare, halitum ducere solis competit viventibus estque signum vitae et conditio ad vitam servandam plane necessaria, anima נֶפֶשׁ dicitur de ipsa vi vitali, de vita, de omni viventi ratione carente et ratione praedito; hoc ultimo modo saepe anima adhibetur pro designatione hominis generatim, ubi aliquis, quilibet adhibetur ratione communi loquendi. In oppositione ad corpus dicitur anima de spiritu immortali; et cum anima vel in se vel in coniunctione vitali cum corpore sedes sit et principium cogitationum, decretorum, affectionum, haec omnia ab anima fieri dici possunt. Iam pauca exempla sufficiant ad haec illustranda; vis vitalis designatur Lev. 17,11 : anima carnis in sanguine est; vita Ex. 21,23 : sin autem mors eius fuerit subsecuta reddet animam pro anima, Iud. 9,17 : animam suam dare periculis i. e. vitam suam; 3 Reg. 3,11 : petere animas inimicorum; 4 Reg. 7,7 : fugerunt animas tantum suas salvare cupientes; immo Ion. 1,14 : ne pereamus in anima viri istius i. e. propter vitam ei ereptam. Dicitur anima, ut latinum animans, de vivente Gen. 1, 21 : creavit Deus cete grandia et omnem animam viventem; Ios. 10,32 : percussit omnem animam ore gladii; 10,35 : percussit ore gladii omnes animas quae erant in Eglon. In praeceptis legis Lev. 2,1 : anima cum obtulerit oblationem; 4,2 : anima quae peccaverit offeret pro peccato; 5,1 : si peccaverit anima etc. i. e. si quis. Inde facile sequitur dici *anima mea* saepe eodem sensu quo alias

ego, *anima tua* pro *tu*, praesertim in casibus obliquis; Iob 6,7 : quae noluit tangere anima mea; 10,1 : taedet animam meam vitae meae; Ps. 6,5 : eripe animam meam; 7,6 : persequatur inimicus animam meam. De spiritu immortali Iob 14,21 : anima illius (mortui scil.) super semetipso lugebit; Matth. 10,28 : timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Atque cum anima sit sedes affectuum etc. dicitur anima desiderare, gaudere, exsultare, odisse, cognoscere etc., dicitur quoque anima esurire, sitire, saturari; a quo usu non est alienum si anima ponitur pro ipso affectu, pro affectionibus, commotionibus animae; 1 Reg. 1,15 : effudi animam meam in conspectu Domini; Ps. 40,3 : non tradat eum in animam inimicorum eius (desiderio, vindictae inimicorum etc.).

Animam hominis esse immortalem clare quoque in Vetere Testamento continetur. Iam modo quo creatio hominis narratur Gen. 2,7 satis indicatur quantum homo distet ab animalibus et animam eius quae quasi halitus sit Dei sortem communem animalium longe debere superare; porro eo quod Deus pro inobedientia mortem minatur et dissolutionem corporis, etiam asseritur et ante peccatum hominem fuisse immortalem (cf. Sap. 2,23) et post peccatum animam esse immortalem. Idem affirmatur, dum de morientibus dicitur eos colligi ad populum suum, id quod a sepultura omnino distinguitur; cf. Gen. 25,8; 35,29; 49,29; porro si dicitur : descendam ad filium meum lugens in sheol (Gen. 37, 35). Dein quotiescumque de sheol mentio fit, tot etiam argumenta habentur; nam sheol cogitatur locus quidam quo animae defunctorum congregantur neque unquam sheol dicitur de sepulcro. Omnino valet argumentum quod Iesus opposuit sadducaeis : Deus se dicit Deum Abraham et Isaac et Iacob, Deus autem non est Deus mortuorum, sed viventium. Ceterum eadem persuasio de anima post mortem superstite enuntiatur 1 Reg. 28,11; 2 Reg. 12,23; 3 Reg. 17,21; Iob 14,21. 22 (hebr.); 17,16; 19, 25 s.; Ps. 15,10; 48,16; 72,24; Prov. 15, 24; Eccl. 12,7 : et revertatur pulvis in terram suam unde erat et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum; Sap. 3,1 s. 5,1 s.; Is. 14,9 s. 26,19; 35,10; 51,6; 66,24; Dan. 12,2 etc.; vide *H. Zschokke*, Theologie der Propheten p. 594-617; *Atzberger*, Christl. Eschatologie in den Stadien ihrer Offenbarung.

Haec hic indicasse sufficiat. Ceterum hodie notum est ex plurimis documentis Babyloniorum, Chaldaeorum, Aegyptiorum, quam alte iis gentibus persuasio de vita animae post mortem insederit. Iam etsi nulla haberemus documenta ex libris Vet. Test. quis iure possit opinari filios Israel quorum patres venerint ex Chaldaea et qui ipsi diu inter Aegyptios vixerint ea caruisse notione?

In libris Novi Testamenti usus vocis fere idem est qui cernitur in Vetere Testamento; dicitur anima pro vita; ita animam ponere Ioan. 10,11 : bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis etc.; 13,37 : animam meam pro te ponam; 15,13 etc.; item Matth. 2,20 : defuncti sunt qui quaerebant animam pueri; dicitur omnis anima i. e. quivis Act. 2,43 : fiebat autem omni animae timor; 3,23; Rom. 13,1 etc.; similiter in numerando : appositae sunt in die illa animae circiter tria millia Act. 2,41; 7,14; 27,37. Eodem modo affectiones, cupiditates, appetitus etc. adscribuntur animae Luc. 1,26; 2,35; Ioan. 10,24; Act. 4,32 : erat cor unum et anima una i. e. multitudo credentium maxima inter se concordia vivebant etc. Ut anima opponitur corpori, spiritum designat hominis immortalem; ita saepe in Christi sermonibus; Matth. 10,18 : Deum timete qui potest animam et corpus perdere; invenire animam Matth. 10,39, ubi agitur de vita animae in coelo beata; item 16,25; Marc. 8,35 et Luc. 21,19 : possidebitis animas vestras; Hebr. 10,39 acquisitio animae. Si anima ψυχή opponitur spiritui vel cum eo simul effertur, id fit vel ad oratoriam quandam amplificationem, ut appetitus animae designentur secundum partem sensibilem et rationalem vel ita ut anima concipiatur suis naturalibus viribus relicta, spiritus autem dicatur anima gratia Spiritus sancti imbuta et roborata. Eadem enim ratione dicitur homo ψυχικός qui suis naturali-

bus viribus intelligentiae et voluntatis est relictus, et homo πνευματικός qui divina gratia per Spiritum S. est edoctus et roboratus (cf. 1 Cor. 2,14) atque simili modo mens νοῦς et spiritus πνεῦμα distinguuntur (cf. Rom. 7,25; 8,5. 13); quare si nominantur corpus, anima, spiritus vel caro, mens, spiritus, nullatenus asseritur explosa illa apud philosophos trichotomia humanae naturae (cf. 1 Thess. 5,23; Hebr. 4,12), aeque parum ac si iubemur Deum diligere ex toto corde, in tota anima et in tota mente.

I. KNABENBAUER.

ANIMALIA. Quattuor animalium classes notis genericis in Scriptura distinguuntur : quadrupedia, aves, reptilia, pisces (Gen. 1,26; 9,2; Lev. 11; Deut. 4,17 s.; Iac. 3,7 etc.). Notae autem distinctivae non ex scientifica, sed ex communi atque vulgari naturae consideratione desumptae sunt. Unde ad quadrupedia non censentur pertinere nisi animalia maiora; quae vero minima sunt, velut mures et talpae, cum lacertis aliisque inter reptilia enumerantur (Lev. 11,29 s.). Cum avibus vero locum obtinent omnes alites, volucres proprie dictae, vespertiliones, locustae, insecta quaecumque alata (ib. v. 20 ss. etc.). Pariter inter pisces recensentur animalia quaecumque aquatilia (ib. v. 9 s. etc.).

Numerus animalium in libris sacris memoratorum difficile potest exacte determinari, tum quia de significatione plurium nominum non satis constat, tum quia aliis nominibus plures simul animalium species significantur. Generatim vero loquendo fere 130 species in S. Scriptura videntur commemorari, ex quibus octo fere in solis libris graece tantum conservatis vel scriptis occurrunt (αἴλουρος, ἀλέκτωρ, ἐλέφας, ἔχιδνα, ἔχις, κορώνη, κώνωψ, σπόγγος).

Iuvat brevem hic catalogum animalium biblicorum ordine alphabetico adscribere retentis nominibus atque expressionibus Vulgatae versionis additisque vocibus hebraicis ac chaldaicis et graecis textus primigenii, quibus nomen in Vulgata adhibitum respondet, necnon vocibus in eadem versione omissis (addito asterisco). Ac primo quidem loco nomina generalia animalium, deinde ea quae magis specifica sunt recensemus.

I. NOMINA GENERALIA :

Anima vivens נֶפֶשׁ חַיָּה : נֶפֶשׁ הַחַיָּה.

Animal בְּהֵמָה : חַי : חַיָּה : chald. חֵיוָא : ζῷον, κνώδαλον.

Animalia et bestiae chald. חֵיוַת בָּרָא Dan. 4,9.

Animalia terrae חַיַּת הָאָרֶץ Gen 9,2.

Animantia בְּהֵמָה ; חַי ; חַיָּה ; מִקְנֶה.

Animantia terrae בְּהֵמָה אֲשֶׁר עַל־הָאָרֶץ ; חַיַּת הָאָרֶץ : חַיַּת הַשָּׂדֶה.

Avis כָּנָף ; עוֹף ; עַיִט ; צִפּוֹר ; רֶשֶׁף ; בְּנֵי רֶשֶׁף ; chald. עוֹף ; צִפַּר ; ὄρνεον ; ὄρνις ; πετεινόν.

Belua (bellua) θήρ ; κῆτος Eccli. 43,27 (hebr. 25 גבורות).

Bestia בְּהֵמָה : חַיָּה : חַיַּת Ps. 73 (74),19 ; חַיַּת הַשָּׂדֶה ; θήρ ; θηρίον ; ζῷον ; κνώδαλον ; τετράπους.

Bestiae agri חַיַּת הַשָּׂדֶה ; חַיְתוֹ שָׂדַי ; chald. חֵיוַת בָּרָא.

Bestiae feraeque chald. חֵיוַת בָּרָא.

Bestiae regionis חַיַּת הַשָּׂדֶה

Bestiae saltus (saltuum) חַיַּת הַשָּׂדֶה ; חַיְתוֹ בַּיַּעַר.

Bestiae silvae חַיְתוֹ יַעַר.

Bestiae terrae בֶּהֱמַת הָאָרֶץ ; בֶּהֱמַת הַשָּׂדֶה ; חַיְתוֹ־אֶרֶץ ; חַיַּת הַשָּׂדֶה.

Catulus בֵּן ; גּוּר Lam. 4,3 ; יֶלֶד.

Cetera ἐνάλια Iac. 3,7 ; v. PISCES.

Fera חַיָּה ; עַיִט ; chald. חֵיוָא ; חֵיוַת בָּרָא ; θήρα Eccli. 36,21 ; θηρίον.

Ferae silvarum חַיְתוֹ־יַעַר.

Ferus singularis זִיז שָׂדַי Ps. 78(80),14 ; v. BESTIAE AGRI.

Grex בְּהֵמָה ; חָשִׂיף 3 Reg. 20,27 ; מִכְלָה ; מִקְנֶה ; עֵדֶר ; ἀγέλαιοι 2 Mach. 14, 23 ; ἀγέλη ; ποίμνη ; ποίμνιον.

Iugalis צֶמֶד Ier. 51,23.

Iumentum בְּהֵמָה ; בְּעִיר ; מִקְנֶה ; κτῆνος.

Iumenta silvarum בַּהֲמוֹת יַעַר Mich. 5,8.

Pecus בְּהֵמָה; חַיָּה; מִקְנֶה; מִקְנֵה; הַבְּהֵמָה; עֵדֶר; צֹאן; קִנְיָן; ζῷον; θηρίον; θρέμμα; κτήνη.

Pecora campi בַּהֲמוֹת שָׂדַי Ps. 8,8.

Pecudes et quadrupedia κτῆνα τετράποδα Bar. 3,32.

Pecudes terrae חַיַּת הָאָרֶץ Gen. 9,10.

Pennatus כָּנָף; בַּעַל כָּנָף Prov. 1,17.

Piscis דָּאג; דָּג; דָּגָה; ἰχθύς.

Pisciculus ἰχθύδιον.

Pulchritudo agri זִיז שָׂדַי Ps. 49[50], 11; v. BESTIAE AGRI.

Pullus אֶפְרֹחַ; בֵּן; גּוֹזָל; יֶלֶד; νοσσία; νοσσίον; νοσσός.

Quadrupedia τετράποδα.

Reptilia זֹחֲלֵי אֶרֶץ Mich. 7,17; רֶמֶשׂ; רֹמֵשׂ; שֶׁרֶץ; ἑρπετά.

Volatile כָּנָף; עוֹף; πετεινόν.

Volucris כָּנָף; מְעֹפֵף Is. 14,29; עוֹף; עַיִט; צִפּוֹר; שֶׁרֶץ הָעוֹף; chald. עוֹף; צִפַּר; ὄρνεον; πετεινόν; πτηνόν.

II. Nomina specifica :

Absorbens שָׂרָף Is. 14,29; v. SERPENS.

Accipiter נֵץ; נֹצָה Iob 39,13.

Aerugo a) חָסִיל Ps. 77(78),46; v. LOCUSTA. b) σής Matth. 6,19; v. TINEA.

Aethiopes צִיִּים Ps. 74,14; v. DRACO n. 5.

Afflictio תַּנִּים Ps. 43[44], 20; v. CANIS AUREUS.

Agna כִּבְשָׂה; כִּשְׂבָּה Lev. 5,6.

Agnus טָלֶה; כֶּבֶשׂ; כֶּשֶׂב; כִּבְשָׂה; כַּר; עֶכֶס; קְשִׂיטָה; רָחֵל; שֶׂה; chald. אִמַּר; דְּכַר; ἀμνός; ἄρνες; ἀρνίον; ἔριφος; προβάτιον.

Antiquus פְּנִינִים Lam. 4,7; v. MARGARITA.

Aper חֲזִיר.

Apis דְּבוֹרָה; μέλισσα.

Aquila נֶשֶׁר; chald. נְשַׁר; ἀετός.

Aranea עַכָּבִישׁ; עָשׁ Ps. 38[39],12.

Aries אַיִל; כַּר; כֶּשֶׂב; מְרִיא; צֹאן; שֶׂה; תַּיִשׁ; chald. דְּכַר; κριός.

Armentum אֲלָפִים; בָּקָר; מַרְבֵּק Am. 6,4; βόες; βουκόλια.

Asellus חֲמוֹר; ὀνάριον.

Asina אָתוֹן; חֲמוֹר; ὄνος.

Asinus אָתוֹן חֲמוֹר; ὄνος.

Aspis עַכְשׁוּב; פֶּתֶן; צִפְעוֹנִי; שַׁחַל Ps. 90[91],13; ἀσπίς.

Attacus סָלְעָם.

Aves altiles בַּרְבֻּרִים אֲבוּסִים 3 Reg. 4,23[5,3].

Avis discolor עַיִט צָבוּעַ Ier. 12,9.

Basiliscus פֶּתֶן.

Behemoth בְּהֵמוֹת.

Bestiae צִיִּים Is. 13,21; v. DRACO n. 5.

Bos אַבִּיר; אַלּוּף; אֶלֶף (אֲלָפִים); בָּקָר; פַּר; פָּרָה; שׁוֹר; βοοζύγιον; βουκόλιον; κτῆνος.

Bruchus אַרְבֶּה; חָסִיל; יֶלֶק.

Bubalus בָּקָר; יַחְמוּר.

Bubo כּוֹס Lev. 11,17.

Burdo פֶּרֶד.

Camelopardalis (-us) זֶמֶר.

Camelus גָּמָל; κάμηλος.

Canis כֶּלֶב; κυνάριον; κύων.

*Canis aureus אִי (אִיִּים); תַּן (תַּנִּים). — שׁוּעָל.

Caper עַתּוּד; צָפִיר; צְפִיר עִזִּים; שָׂעִיר; שְׂעִיר עִזִּים; תַּיִשׁ; τράγος.

Capra עֵז; שֵׂה עִזִּים; שְׂעִירַת עִזִּים; chald. עֵז; αἴξ.

Caprea צְבִי; צְבִיָּה; δορκάς.

Captivitas צִיִּים Is. 23,13; v. DRACO n. 5.

Carrucae כַּרְכָּרוֹת Is. 66,20; v. CAMELUS.

Catellus κυνάριον.

Catta αἴλουρος.

Catulus גּוּר; גּוֹר; כְּפִיר; לְבִי (לְבָאִים); לָבִיא; σκύμνος.

Cera שַׁבְלוּל Ps. 57[58],9; v. COCHLEA.

Cerastes שְׁפִיפֹן.
Cerva אַיָּלָה; אַיֶּלֶת.
Cervus אַיָּל; יָעֵל.
Cete (cetus) תַּנִּין; κῆτος.
Chamaeleon כֹּחַ.
Charadrius אַנְפָּה.
Choerogryllus שָׁפָן.
Ciconia עָגוּר.
Coccus תּוֹלַעַת שָׁנִי; כַּרְמִיל; κόκκος.
Cochlea שַׁבְלִיל.
Coenomyia עָרֹב.
Coluber נָחָשׁ; תַּנִּין; ὄφις.
Columba גּוֹזָל; יוֹנָה; περιστερά.
Cornicula κορώνη.
Corvus עֹרֵב; κόραξ.
Coturnix שֶׂלֶו.
Crabro צִרְעָה; σφήξ.
Crocodilus צָב.
Culex κώνωψ.
Currus רֶכֶב 2 Reg. 10,18; v. EQUUS.
Cursor בִּכְרָה Ier. 2,23; v. CAMELUS.
Cygnus יַנְשׁוּף; תַּנְשֶׁמֶת.
Cymbalum alarum צְלְצַל כְּנָפַיִם Is. 18, 1; v. LOCUSTA.
Daemonia צִיִּים Is. 34,14; v. DRACO n. 3.
Dammula (damula) צְבִי.
Draco אֹחִים (אֹחִים) Is. 13,21; לִוְיָתָן; צִיִּים; תַּן; תַּנִּים; תַּנִּין; δράκων.
Dromedarius בֶּכֶר Is. 60,6.
Elephantus אֶלֶף.
Eques, equestris פָּרָשׁ; v. EQUUS.
Equus סוּס; רֶכֶב; ἵππος.
Ericius קִפֹּד; קִפּוֹז.
Eruca גָּזָם.
Fauni ficarii אִיִּים Ier. 50,39; v. CANIS AUREUS.
Ferae arundinis חַיַּת קָנֶה Ps. 67 [68]. 31; v. LEVIATHAN.
Ferus פֶּרֶא Gen. 16,12; v. ONAGER.
Formica נְמָלָה.
Gallina ὄρνις.
Gallus אַלֶּקְטוֹר; גֶּבֶר Is. 22,17; שֶׂכְוִי Iob 38,36.
Gallus succinctus lumbos זַרְזִיר מָתְנַיִם Prov. 30,31.
Gemmae פְּנִינִים Prov. 20,15; v. MARGARITA.
Grex צֹאן; πρόβατα; v. OVIS.
Gryps פֶּרֶס.
Haedus (hoedus) גְּדִי; גְּדִי עִזִּים; עַתּוּד Ier. 50,8; שְׂעִיר עִזִּים Gen. 31,37; chald. אַבִּיר; ἔριφος; ἐρίφιον.
Haliaetus עָזְנִיָּה.
Herinacius שָׂפָן.
Herodius (Herodio) חֲסִידָה; כּוֹס Deut. 14,16.
Hinnulus יְעֵלָה; עֹפֶר.
Hircus עַתּוּד; צָפִיר; שָׂעִיר; שְׂעִיר עִזִּים; chald. צְפִיר; τράγος.
Hircus caprarum הַצָּפִיר הַשָּׂעִיר Dan. 8,21.
Hirundo סִיס *Qeri*, סוּס *Kethib*; עָגוּר; στρουθίον; χελιδών.
Homo sanctus צְבוּעַ (ὕαινα) Eccli. 13,22 [17]; v. HYAENA.
Hyacinthus תְּכֵלֶת.
* Hyaena צְבוּעַ (ὕαινα) Eccli. 13,22[17].
Ianthina pellis תַּחַשׁ.
Ibex יַעֵל.
Ibis יַנְשׁוּף; יַנְשׁוּף; תַּנְשֶׁמֶת.
Iugalis רֶכֶב 2 Reg. 8,4; v. EQUUS.
Iumentum חֲמוֹר; v. ASINUS; צֹאן Num. 32,24; v. OVIS; רֶכֶשׁ; v. EQUUS.
Iuvenculus עֵגֶל Ier. 31,18.
Ixios רָאָה.
Lacerta חֹמֶט.
Lamia לִילִית Is. 34,14; תַּנִּים *Qeri*, תַּנִּין *Kethib* Lam. 4,3; v. CANIS AUREUS.
Larus שַׁחַף.
Leaena אַרְיֵה; לָבִי (לְבָאוֹת); לָבִיא; לְבִיא; שַׁחַל; chald. אַרְיֵה Dan. 7,4.
Leo אַרְיֵה; אַרְיֵה; כְּפִיר; כְּפִיר; לָבִי; לָבִיא; לַיִשׁ; chald. אַרְיֵה; λέων.
Lepus אַרְנֶבֶת.

Lepusculus שָׂפָן.

Leviathan לִוְיָתָן.

Leunculus אַרְיֵה; גּוּר; כְּפִיר.

Locusta אַרְבֶּה; גֵּבִי; גּוֹב; גּוֹבַי; גּוֹבַי; חָנָב. — ἀκρίς.

Lupus זְאֵב; λύκος.

Margarita חֲלִי Prov. 25,12; μαργαρίτης. — פְּנִינִים.

Mergulus קָאַת; שָׁלָךְ.

Milvus דָּיָה; דַּיָּה; חֲסִידָה.

Mula פִּרְדָּה; פֶּרֶד.

Mulus פֶּרֶד.

Murex מάρμαρος Bar. 6,71. — אַרְגָּמָן; תְּכֵלֶת.

Mus עַכְבָּר; μῦς.

Musca דְּבוֹב; עָרֹב; μυῖα; σκνίψ.

Mustela חֹלֶד.

Mygale אֲנָקָה.

Noctua תַּחְמָס; νυκτερίς Bar. 6,21.

Nycticorax כּוֹס Ps. 101 [102],7; שָׁלָךְ Deut. 14,17.

Occulta פְּנִינִים Iob 28,18; v. MARGARITA.

Onager פֶּרֶא; פֶּרֶה; chald. עֲרָד; ὄναγρος. — עָרוֹד.

Onocentauri אִיִּים Is. 30,14; v. CANIS AUREUS.

Onocrotalus חֲסִידָה; קָתָא.

Onyx שֹׁחֶלֶת Ex. 30,34.

Opes פְּנִינִים *Qeri*, פנוים *Kethib* Prov. 3,15; v. MARGARITA.

Ophiomachus חַרְגֹּל.

Ortygometra ὀρτυγομήτρα.

Oryx תֹּאוֹ.

Ovis כֶּבֶשׂ; כֶּשֶׂב; כִּבְשָׂה; כִּבְשָׂה; צֹאן; צֹנָה Ps. 8,8; קְשׂוֹטָה; רָחֵל; שֶׂה; πρόβατον.

Pardus נָמֵר; chald. נְמַר; πάρδαλις.

Passer דְּרוֹר; צִפּוֹר; στρουθίον.

Pavi תֻּכִּיִּים; תּוּכִּיִּים.

Pellicanus קָאַת.

Perdix קֹרֵא; πέρδιξ.

Pilosus שָׂעִיר Is. 13,21; 34,14; v. CAPER.

Porcus χοῖρος.

Porphyrio רָחָם; רָחָמָה.

Pretiosissima פְּנִינִים Prov. 8,11; v. MARGARITA.

Pulex פַּרְעֹשׁ.

Pullus עֵיר; πῶλος; v. ASINUS.

Purpura אַרְגָּמָן; אַרְגְּוָן; chald. אַרְגְּוָנָא; πορφύρα.

Putredo רִמָּה Iob 7,5; 25,6; v. VERMES.

Pygargus דִּישֹׁן.

Quadrigae רֶכֶב 1 Par. 18,4; v. EQUUS.

Rana צְפַרְדֵּעַ; βάτραχος.

Regulus אֶפְעֶה; צֶפַע; צִפְעוֹנִי; שָׂרָף.

Rhinoceros רְאֵם; רֵים.

Rubigo חֲסִיל; צְלָצַל Deut. 28,42; v. LOCUSTA.

Sanguisuga עֲלוּקָה.

Scabies גָּרָב. מִסְפַּחַת.

Sciniphes (Ciniphes) כִּנִּים; כִּנָּם; כִּנִּם.

Scorpio עַקְרָב; σκορπίος.

Serpens נָחָשׁ; רֶמֶשׂ; שָׂרָף; ἑρπετόν; ἔχις; ὄφις. — דֹּחֲלֵי עָפָר Deut. 32,24.

Simia קוֹף (קֹפִים, קוֹפִים).

Sirenes תַּנִּים Is. 13,22; v. CANIS AUREUS.

Spongia σπόγγος.

Stellio שְׂמָמִית; לְטָאָה (שְׂמָמִית).

Struthio בַּת הַיַּעֲנָה; יְעֵנִים *Qeri* Lam. 4,3; רְנָנִים.

Stupor רֶכֶשׁ Mich. 1,13; v. EQUUS.

Subiugale ὑποζύγιον.

Sus חֲזִיר; ὗς.

Talpa תִּנְשֶׁמֶת; חֲפַרְפֶּרוֹת.

Taurus אַבִּיר; אֶלֶף (אֲלָפִים); בָּקָר; בָּר; פַּר־הַשּׁוֹר; שׁוֹר; ταῦρος.

Tigris לַיִשׁ Iob 4,11.

Tinea סָס; עָשׁ; רִמָּה; βρῶμα; βρῶσις; σής.

Tragelaphus אַקּוֹ.

Turtur דְּרוֹר: τόρτυγών.

Vacca עֵגֶל: עֶגְלָה: פָּרָה: βοῦς; δάμαλις.

Vermes עָשׁ: רִמָּה: תּוֹלַעַת: תּוֹלַעַת שְׁנִי: σκώληξ.

Vermiculus תּוֹלַעַת.

Vespa σφήξ.

Vespertilio עֲטַלֵּף.

Vipera אֶפְעֶה: ἔχιδνα.

Vitula עֶגְלָה: δάμαλις.

Vitulus בֶּן: בֶּן־בָּקָר: עֵגֶל: בָּקָר: עֶגְלָה: שׁוֹר: פַּר: chald. בְּנֵי־תוֹרִין: תּוֹר; δάμαλις; μόσχος.

Ultimi fines פִּנִּים Prov. 31,10; v. MARGARITA.

Ululae אִיִּים Is. 13,22; v. CANIS AUREUS.

Ungula פָּרְסָה Is. 28,28; v. EQUUS.

Ungula ὄνυξ Eccli. 24,21; v. ONYX.

Unicornis רְאֵם.

Upupa דּוּכִיפַת.

Ursa דֹּב.

Ursus דֹּב; דֻּבָּ: chald. דֻּבָּ; ἄρκτος.

Vulpes שׁוּעָל; ἀλώπηξ.

Vultur אַיָּה.

De singulis animalibus v. artic. spec.

Brevem addimus conspectum praecipuorum auctorum, qui de animalibus S. Scripturae tractarunt: *W. Franz*, Animalium historia sacra, Wittebergae 1613; *S. Bochart*, Hierozoicon, Londini 1663. ed. opt. *E. F. K. Rosenmüller*, 3 voll., Lipsiae 1793-6 (omnium facile princeps); *I. I. Scheuchzer*, Physica sacra, 4 voll., Augspurg und Ulm 1731-5; *I. D. Michaelis*, Fragen an eine Gesellsch. gelehrter Männer, Frankfurt a. M. 1762 (ed. gall. Amsterdam u. Utrecht 1774); *id.* Supplem. ad lex. hebr. P. I.-VI. (1784-92); *F. I. Schoder*, Hierozoici Specimen I.-III., Tubingae 1784-6; *S. Oedmann*, Vermischte Samml. aus d. Natur-Kunde zur Erkl. d. h. Schrift, ed. germ. *D. Groening*, 6 fascic., Rostock und Leipzig 1786-95; *Th. M. Harris*, Nat. Hist. of the Bible, Boston 1820 (ed. 2, London 1824); *W. B. Carpenter*, Script. Nat. Hist., London 1828 (ed. lat. in Scripturae S. Cursus 3,491-790); *F. C. Zeddel*, Beiträge zur bibl. Zoologie, Quedlinburg 1836; *I. Duns*, Biblical Nat. Science, 2 voll., London s. a. (1863-5); *Ad. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, Calw und Stuttgart 1884; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, London 1889; *H. Coultas*, Zoology of the Bible, London 1876; *I. G. Wood*, Bible Animals, London 1876 (ed. nova non mutata ib. 1892); *P. Cultrera*, Fauna biblica, Palermo 1880; *L. Cl. Fillion*, Atlas d'hist. nat. de la Bible, Lyon et Paris 1884; *L. Karpelles*, Die Thierwelt im Leviticus in Verhand. d. Zool. Bot. Gesellsch. XXXV. 1885, 257-66; *H. Ch. Hart*, Animals of the Bible (By-Paths of Bible Knowledge n. 11), London 1888; *V. Morwood*, Scripture Animals, ib. 1888; *A. E. Knight*, Bible Plants and Animals, ib. 1889; *A. Zetler*, Das Pferd, d. Esel und d. Hund in d. h. Schrift. (Progr.), Plauen 1890.

Utiliter consuluntur etiam libri de archaeologia biblica, praesertim *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterthumskunde, IV. 2, Leipzig 1831; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol., Freiburg 1887, 73-129; *W. Nowack*, Lehrb. d. hebr. Archaeol., Freiburg u. Leipzig 1894, I. 74-87; item Lexica antiquit. bibl., linguae hebr. etc.; — deinde libri de historia naturali animalium v. gr. *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 *Pechuel-Loesche*, 10 voll., Leipzig und Wien 1890-3; *I. Leunis*, Synopsis d. drei Naturreiche, I. *ed.* 3 *H. Ludwig*, 2 voll., Hannover 1883-4; *Ph. L. Martin*, Illustr. Naturgesch. d. Thiere, 4 voll., Leipzig 1882-4, etc.; — praeterea *H. O. Lenz*, Zoologie d. alt. Griechen u. Römer, Gotha 1856; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talmuds, Frankfurt a. M. 1858; *F. Hommel*, Die Namen d. Säugethiere bei d. südsem. Völkern, Leipzig 1879; *Wilkens*, Grundzüge z. Naturgesch. d. ält. Haustiere, Dresden 1880; *O. Keller*, Thiere d. klass. Alterthums, Innsbruck 1887; *A. Otto*, Zur Geschichte d. ält. Haustiere (Diss.), Breslau 1889; *V. Hehn*, Kulturpflanzen und Hausthiere *ed.* 6, Berlin 1894; — denique libri de animalibus regionum biblicarum tractantes, de quibus v. AEGYPTUS, ARABIA, ASSYRIA, BABYLONIA, PALAESTINA.

L. FONCK.

ANIMALIA FABULOSA in versione graeca et latina pluribus nominibus designantur, quibus in textu primigenio animalia vera plerumque respondent. Praecipua in Vulgata sunt *draco*, *fauni ficarii*, *lamia*, *onocentauri*, *pilosi*, *sirenes*: ex quibus *draco* ad designanda varia animalia, canes aureos (germ. *Schakal*), feles feras, serpentes aliaque adhibetur (v. DRACO); *fauni ficarii* (Ier. 50,39) et *onocentauri* (Is. 33, 14) pro hebr. אִיִּים i. e. canibus aureis

ponuntur; *pilosus* (Is. 13,21; 34,14) vocem שָׂעִיר i. e. caprum seu hircum explicat; *lamiae* in uno textu (Lam. 4,3) et *sirenes* (Is. 13,22) locum תַּנִּים tenent qui pariter sunt canes aurei. In eadem vero prophetia Isaiae (34,14) *lamia* pro hebr. לִילִית legitur, quod plerisque auctoribus est spectrum quoddam nocturnum, ab aliis vero avis nocturna exponitur (v. LAMIA). Alia nomina, uti *gryps, tragelaphus, unicornis* etiam ex intentione interpretis latini animalia vera designant, licet alias etiam pro fabulosis adhibeantur (v. sing. artic.).

Cf. *S. Bochart,* Hierozoicon II. 809-88, *ed. Rosenmüller* III. 800-900; *I. C. G. Richter,* Über die fabelhaften Thiere, Gotha 1797; *P. Cultrera,* Fauna biblica p. 430-42.

L. FONCK.

ANIMALIA IMMUNDA. — Praeter distinctionem generalem animalium supra indicatam in quattuor classes quadrupedum, avium, reptilium, piscium (v. ANIMALIA) in Scriptura alia distinctio legalis statuitur inter animalia munda et immunda. Quae quidem mundorum ab immundis separatio etiam ante legem apud populum electum in more erat, sicut etiam penes finitimas gentes ante et post Moysen vigebat (cf. Gen. 7,2 ss.; 8,20; Lev. 20,24 s.); sed lege mosaica usus iste divina auctoritate sancitus certisque regulis circumscriptus est. Praecepta vero legis duabus recensionibus in codice sacro referuntur, Levit. 11 et Deut. 14, quibus imprimis elenchus animalium mundorum et immundorum proponitur et insuper principia quaedam generalia ad dignoscenda munda ab immundis ac regulae certae de esu et tactu animalium exhibentur.

Ex prima quadrupedum classe munda declarantur ruminantia ungulam dividentia, immunda vero ruminantia ungulam non dividentia et non ruminantia ungulam dividentia, quorum esus et mortuorum tactus prohibetur (Lev. 11, 2-8. 26-28; Deut. 14,3-8). Ex hoc principio generali decem species mundae recensentur (Deut. 14,4 s.) : Bos, ovis, capra, cervus, caprea, bubalus, tragelaphus, pygargus, oryx, camelopardalus; quattuor vero nominantur immundae (Lev. 11,4-8; Deut. 14,7 s.): camelus, choerogryllus, lepus, sus. Deinde ex classe aquatilium dicuntur munda, quae pinnulas et squamas habent, non habentia vero immunda, quae comedere aut tangere mortua pariter nefas est (Lev. 11, 9-12; Deut. 14,9 s.). De alitibus vero bipedibus viginti species immundae avium rapacium recensentur, principio generali aut regula de tactu non propositis. Iuxta ordinem in elencho Levitici servatum immundae sunt aquila, gryps, haliaetus, milvus, vultur, corvus, struthio, noctua, larus, accipiter, bubo, mergulus, ibis, cygnus, onocrotalus, porphyrio, herodio, charadrios, upupa, vespertilio (16,13-19). In recensione deuteronomica loco דָּאָה *milvus* in textu massorethico legitur רָאָה *ixios* ac deinde post אַיָּה *vultur* additur דַּיָּה *milvus;* at pro ראה legendum esse דאה textus samaritanus et LXX ostendunt et דיה ab hac ave דאה non differre nisi varietate accidentali tum ex ipsa forma apparet, tum ex textu parallelo Levitici et ex codice samaritano ac versione graeca Deuteronomii suadetur, qui testes unum דָּאָה, non vero דיה agnoscunt (v. MILVUS); quare *ixios,* qui hoc tantum loco occurrit, immerito in textum videtur irrepsisse (v. IXIOS). In reliquis avibus ambae recensiones consentiunt, dummodo *nycticoracem* in Deuteronomio locum *bubonis* tenere admittas atque ad mutatum ordinem in Vulgata attendas. Alites autem multipedes omnes proscribuntur praeter quattuor locustarum species : bruchus, attacus, ophiomachus, locusta; reliquorum, quae mortua fuerint, tactus immediatus ac mediatus prohibetur (Lev. 11,24-25; Deut. 14,19). Denique reptilia omnia, praecipue vero octo species mustela, mus, crocodilus, mygale, chamaeleon, stellio, lacerta, talpa, immunda declarantur atque de esu et contactu eorum variae regulae statuuntur (Lev. 11,29-45).

Plura de lege animalium mundorum et immundorum v. in Commentariis in Lev. 11 (*F. de Hummelauer, A. Dillmann* etc.). De singulis animalibus v. artic. spec. Cf.

I. D. Michaelis, Mosaisches Recht IV. § 209 ss.; *I. B. Friedreich*, Zur Bibel, Nürnberg 1848, 91-5; *L. Lewysohn*, Die Zoologie des Talmuds, Frankfurt a. M. 1858, 14-8; *I. Wiener* in Ztschr. f. Ethnol. VIII. 1876, 97-109; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 107 s. 527-30; *W. Nowack*, Lehrb. d. hebr. Archaeol. I. 115-9.

L. FONCK.

ANNA חַנָּה *gratia*, Ἄννα). **1.** Mater Samuelis. Elcana ex tribu Levi uxores habebat Phenennam liberis abundantem et Annam sterilem. Recurrente quotannis sacrificii die, quo Elcana cum uxoribus et liberis Siluntem petiit adoraturus, Phenenna aemula occasionem sumebat, ut Annam sterilem acerbis conviciis affligeret; unde annua festiva solemnitas cum luctu et abstinentia ab Anna transigebatur. A marito, qui eam praediligebat, blandis verbis demulsa prolem a Deo poposcit voto emisso, quo filium exoptatum in perpetuum promisit Dei servitio consecrandum et nasiraeum constituendum. Ad hoc matris votum implendum filius postmodum nasciturus non stricte obligabatur, sed ipso nativitatis facto a Deo vocante invitabatur. Dum has preces mulier afflicta multiplicat, Heli summus sacerdos ob precum durationem et instantiam eam temulentam ratus verbis corripuit. Moderate quidem, sed firmiter respondit precum instantiam non ex temulentia, sed ex affectus intensitate provenisse, causam vero moeroris sui non patefecit. Quibus auditis Heli mulieris sinceritate, reverentia, pietate perculsus pacem faustumque eventum apprecans illam dimisit. Rediit Anna Ramathaim Sophim in domum suam solatio plena et pontificis verba tamquam ex ore Dei profecta excipiens. Concepit Anna et peperit filium vocavitque nomen eius Samuel i. e. *exauditum Dei*, eo quod a Domino postulasset eum. Quando puer ablactatus est i. e. post tres fere annos (cf. 2 Mach. 7,27), Anna adduxit eum ad domum Domini in Silo eumque Deo in perpetum consecravit. Inter adorandum Deo plena in canticum prorupit, quo misericordiam et omnipotentiam Dei pluribus effert. His 1 Reg. 1,1-2,10 narratis commendatur 2,19-21 Annae pietas et fecunditas.

2. Uxor Tobiae senioris, qui eam de tribu sua Nephthali accepit et ex ea Tobiam iuniorem genuit. Marito suo fideliter adhaesit in aerumnis exsilii assyriaci et persecutionibus propter opera misericordiae ferendis (Tob. 1). Immo marito luminibus orbato ad opus textrinum quotidie properabat, ut pro familia victum quaereret (2,19). Indolem irritabiliorem manifestavit, cum a marito propter hoedum acceptum admonita, ut caveret, ne furtivus esset, eidem eleemosynas et fiduciam in Deum exprobraret (2,20-23). Ulteriores querelas dolore materno excusandas proferebat propter filium ad iter dimissum (5,23-25; 10,4-7). Omnis vero tristitia versa est in gaudium, cum de supercilio montis filium redeuntem a longe agnosceret (11,5. 6). Anna marito mortuo superstes a filio eiusque uxore usque ad mortem suam honore laetitiaque affecta et in eodem sepulcro cum marito sepulta est (14, 12. 14).

3. Uxor Raguel consobrini Tobiae senioris et mater Sarae, quam Tobias iunior uxorem poposcit ac duxit (Tob. 7,2 s.) In LXX appellatur Ἔδνα quod ex hebraico עֶדְנָה *voluptas, deliciae* facile in *Anna* mutari potuit, ut *Vulg.* et *Itala* scribunt. Cf. *Gutberlet*, Das Buch Tobias p. 215.

4. Prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser (Luc. 2,36-38). Virgo nubilis, forte annorum quindecim, uti fere assolebat, in matrimonium erat collocata; post septem annos vidua facta est neque secundas contraxit nuptias, quamvis esset vidua satis iuvenis. Haec usque ad annum 84. aetatis suae (non viduitatis) provecta non discedebat de templo, cultum Deo exhibens religiosum ieiuniis et orationibus idque assiduitate maxima et constantia; aliqui tamen illud : *non discedebat de templo* aliter interpretantur : eam accolam templi fuisse et in exteriore templi parte, ubi exedrae seu cellae aedificatae erant, habitasse. Commendatur itaque a spiritu prophetico, ab aetatis maturitate, a continentia, a cultu divino assiduo, ab abstinentia. Eadem vicissim

laudibus celebrabat Deum scil. de Messiae adventu et nuntium adeo faustum sollicita est cum iis communicare, qui eandem spem messianam fovebant. Cf. *Knabenbauer* in Luc. 2,36 s.

ANNAS (Ἄννας, apud Iosephum Ἄνανος; erit nomen idem quod חָנָן, Ἀνάν 1 Par. 11,43 et saepius apud Esdr. Neh.), filius Seth, a Quirinio legato Syriae qui Ioazarum dignitate pontificatus privavit pontifex nominatus est, quem honorem satis diu retinuit (ab anno 6-15 p. Chr.). Uti ab alienigena ad id munus evectus est, ita a Valerio Grato procuratore iterum ea dignitate privatus est; ei scil. suffectus est Ismael Phabi filius, huic mox alius successit Eleazar Annae filius, cui iterum post annum Valerius Gratus sacerdotium ademit et tradidit Simoni, cui successit post annum Iosephus Caiphas (cf. *Flav. Ios.* Ant. XVIII. 2,1. 2). Vocatur itaque Annas princeps sacerdotum (Luc. 3,2) non quod eo tempore revera esset in pontificatu, sed quia olim fuerat, uti moris erat, ut qui eo munere functi erant titulum retinerent. Nominatur autem eo loco primum propter auctoritatem qua pollebat et qua ex suo arbitratu per Caipham fere omnia regebat socer Caiphae. Quare etiam primum ad eum adducitur Iesus (Ioan. 18,13). Unde nullo modo opus est assumere cum aliquibus eum fuisse praesidem synedrii (נָשִׂיא) vel סגן vicarium pontificis, quae sententia nullo indicio suaderi potest. Cum et ipse satis diu gessisset pontificatum et insuper quinque filios haberet qui omnes ad eam dignitatem evecti essent, Iosephus dicit seniorem hunc felicissimum aestimatum esse (l. c. XX. 9,1). Verum cum pontificatus pro arbitrio procuratorum romanorum traderetur et adimeretur, res religiosae potius dicendae sunt misere concidisse culpa sacerdotum.

ANNULUS. Varia annulorum genera distinguenda sunt. Annulus signatorius portabatur vel in digito (Gen. 41,42; Esth. 3,10; Ier. 22,24) vel lino appensus ad pectus (Gen. 38,18 פְּתִיל). Fortasse, uti nunc solet, nomen ei insculptum erat; cf. Ex. 28,11 : opere sculptoris et caelatura gemmarii sculpes eos (lapides) nominibus filiorum Israel. Certe ex figura vel nomine insculpto cognoscebatur cuius esset annulus; scripsit (Iezabel) litteras ex nomine Achab et signavit eas annulo eius 3 Reg. 21,8. Annulo dato dignitates et magistratus conferri solebant (ita Pharao tulit annulum de manu sua et dedit eum in manu Ioseph Gen. 41,42) vel potestas nomine regis edictum condendi (Esth. 3,10). Annulus simul pertinet ad ornatum viri et est res cara et pretiosa; quare intellegitur quid sibi velit si rex theocraticus quasi annulus dicitur in manu Domini (cf. Ier. 22,24; Agg. 2,24).

Inaures in usu erant satis communi; ita dicit Aaron : tollite inaures aureas de uxorum filiorumque et filiarum vestrarum auribus (Ex. 32,2); iam adhibebantur in familia Iacob Gen. 35,4 et Gedeon accepit ex praeda Madianitarum inaures pondere mille septingentorum auri siclorum (Iud. 8,26). Eiusmodi inaures (hebr. proprie guttae; uniones, pretiosi lapilli ex auribus pendentes) mulieres hierosolymitanae gerebant Is. 8,19 et circulus auribus datus (Ez. 16,12; cf. Num. 31,50) pertinebat ad ornatum sponsae; Iudith quoque sese ornavit sumens inter alia τοὺς ὃακτυλίους καὶ τὰ ἐνώτια. Inaures geri solebant etiam a viris : inaures aureas Ismaelitae habere consueverant (Iud. 8,24) et inaures quoque cernuntur in imaginibus Assyriorum; incertum tamen est num Iudaei habuerint; ex Ex. 32,2 sequitur eo tempore viros non gessisse; neque sequitur eos gessisse ex Iob 42,11.

Mulieres praeter annulos in digitis (Is. 3,21) et inaures etiam habebant ad ornatum נִזְמֵי הָאַף *annulos narium,* ex naribus pendentes, vel ut S. Hieronymus (ad Ez. 16,12) eos describit aureos circulos in os ex fronte pendentes et naribus imminentes. Iam servus Abraham posuit eiusmodi annulum ad ornandam Rebeccam עַל אַפָּהּ (Gen. 24,47); cf. Is. 3,21; Ez. 16,12.

Praeterea gerebantur *armillae,* annuli ex ebore, auro, argento qui ornabant brachia; servus Abraham iam dedit Rebeccae armillas duas pondo siclorum de-

cem Gen. 24,22 et vide Is. 3,19; recensentur inter ornamenta sponsae Ez. 16,11; Iudith quoque induit dextraliola (περιέθετο τοὺς χλιδῶνας 10,4). Nobiles viri quoque utebantur armilla; ita dicit Amalecites ille ad Davidem : tuli diadema quod erat in capite eius (Saul) et armillam de brachio illius (2 Reg. 1,10). Quod ornatus genus magni esse aestimatum conclude ex Eccli. 21,24 : ornamentum aureum prudenti doctrina et quasi brachiale in brachio dextro.

Ad annulos qui ornatus causa habebantur a mulieribus pertinent quoque *periscelides* i. e. annuli circa articulos pedum, qui annuli quandoque etiam catenulis iuncti erant ita, ut mulieres solum gressus parvos facere possent et incedentes quoque sonitum quendam tinnulum ederent (cf. Is. 3,16. 18 hebr.), quae catenulae quia gressibus moderandis inserviebant צְעָדוֹת vocabantur (cf. Comm. in Is. 3,20). Eiusmodi ornamenta vel annulos articulorum pedum et apud antiquas gentes orientales et apud tribus recentes plurimas in usu fuisse et esse plurimis constat testimoniis.

I. KNABENBAUER.

ANNUS. Ut graeca vox ἐνιαυτός et latina *annus*, ita vox hebraica שָׁנָה significat reditum, rotationem. Annorum autem duo sunt genera, anni solis et anni lunae; quorum illi singulis solis in coelo circulis, hi lunae circulis duodenis vel ternis denis constant. Annus solaris in computatione temporis semper est annus tropicus i. e. tempus, quo sol a nodo verno ad proximum nodum vernum revertitur; in calendario autem annus tropicus 365 vel 366 integros dies sine fracturis continet et vocatur civilis annus solaris. Annus lunaris liber seu solutus (soli non accommodatus) ex duodecim mensibus synodicis constat et undecim fere diebus brevior est quam tropicus annus solaris. Quamobrem initium anni lunaris liberi seu soluti singulis solaribus annis undenos circiter dies recedit et triginta tribus fere annis omnia anni tempora retro percurrit. Quod si certis temporibus mensis decimus tertius intercalatur, initium anni lunaris certo anni tempori affigi potest; qui annus lunaris duodecim vel tredecim mensium nominatur annus lunaris ligatus seu soli accommodatus, mensis autem qui intercalatur dicitur mensis intercalaris.

Patriarcharum quidem annus utrum solaris an lunaris fuerit, nullo modo constat. De solo anno diluvii quaedam traduntur (v. MENSIS). Ex iis enim quae Gen. 7 et 8 narrantur, primum elucet annum Noe a primo mense incipere; anni enim Noe sexcentesimi postquam menses commemorati sunt alter, septimus, decimus atque insuper quinquaginta quattuor dies, haec legimus Gen. 8,13 : « Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis imminutae sunt aquae super terram ». Quo tempore autem coeperit annus, aliqua coniectura consequi possumus; incunte enim anno cum Noe in arcam ingrederetur, ex omnibus escis quae mandi possunt (Gen. 6,21) secum ferre iussus est; exeunte autem anno columba ei ramum olivae virentibus foliis in ore suo attulit (8,11), atque mense fere altero anni insequentis Noe arcam reliquit; quibus ex indiciis auctumni tempore initium anni fuisse constare aliquo modo potest (vide s. v. MENSIS).

De mosaico autem anno quae traduntur magis perspicua sunt. Qui certe non fuit annus lunaris liber seu solutus. In lege enim haec statuuntur : Observa mensem novarum frugum et verni primum temporis (Deut. 16,1) et : Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni (Ex. 12,2); unde fit probabile antea eum mensem non fuisse primum, nunc vero certe primus mensis (Nisan) cum vere coniunctus erat. Quo primo mense Israelitae sacerdoti manipulos spicarum, primitias messis tradere debebant (Lev. 23,5-11). Septem hebdomadis post celebrabant « sollemnitatem messis primitivorum operis tui, quaecumque seminaveris in agro » (Ex. 23,16), quo tempore ex omnibus habitaculis panes primitiarum duos offerebant (Lev. 23,17). Festum denique tabernaculorum incipit « a quintodecimo die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terrae vestrae » (Lev. 23,39). Omnes igitur menses cum

messe ac proinde etiam cum cursu solis coniunguntur; annus sacer mosaicus a mense Nisan initium sumpsit.

Praeterea adsunt indicia anni oeconomici, qui ab auctumno ad auctumnum computatur. De festo enim tabernaculorum, quod in septimo mense fuit (Lev. 23,39) haec dicuntur : « sollemnitatem quoque in exitu anni (בְּצֵאת הַשָּׁנָה) quando congregaveris omnes fruges tuas de agro » (Ex. 23,16). Anni autem iubilaei initium fuit septimo mense Lev. 25,9. 10 : « Et clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra. Sanctificabisque annum quinquagesimum etc. » Annus quoque sabbaticus ab auctumno initium habuit. Ex aetate romana auctorem habemus Flavium Iosephum, qui Ant. III. 10,5 pascha celebrari dicit « mense Xanthico, qui nobis Nisan vocatur et anni initium », sed iam Ant. I. 3,3 adnotaverat : « Moyses autem Nisan, qui est Xanthicus, in festis observandis mensem primum esse voluit, quod in eo Hebraeos ex Aegypto eduxisset. Ab eo in omnibus, quae ad honores divinos spectant, exordium fecit, in venditionibus tamen et emptionibus et rerum ceterarum administratione (καὶ τὴν ἄλλην διοίκησιν) primum ordinem (*ed. Niese* τὸν πρῶτον κόσμον, *ed. Dindorf* τὸν πρῶτον μῆνα, primum mensem) servavit ».

In Mishna (Rosh ha-shanah 1,1) initium seu neomenia mensis septimi Tisri dicitur principium novi anni seu anni civilis : « Primo die mensis Tisri est caput anni ad figendos annos et intermissiones et Iubilaea simulque novus annus est plantationis omnium arborum et herbarum ». Hic annus civilis, qui a die 1. mensis Tisri incipit, certe distinguendus est ab anno oeconomico, qui ineunte mensi Tisri nondum finitus erat; nam festum collectionis frugum, quod die 15. mensis Tisri celebrabatur, in exitu anni (oeconomici) fuisse enuntiatur (Ex. 23,16; 34,22). Attamen cum uterque annus ab eodem mense Tisri, etsi non ab eadem die mensis, initium sumpserit, omnino probabile est inter annum civilem recentiorem et annum oeconomicum antiquiorem adfuisse nexum quendam historicum. Quandonam iste annus civilis a neomenia mensis Tisri inchoandus inter Iudaeos introductus fuerit, non constat; in S. Scriptura certe eius vestigium nullum deprehenditur.

Annus igitur sacer cum apud populum electum lege sacra sementi ac messi accommodaretur, aut solaris fuit duodecim mensium arte distinctorum aut annus lunaris ligatus (solis cursui accommodatus) duodecim vel tredecim mensium naturalium. Atque huius generis annus lunaris videtur fuisse eo saltem tempore, quo Graeci in Palaestina regnabant (vide s. v. MENSIS). Qui qualis constitutus fuerit, quamquam libri sacri non tradunt, ex aliis fontibus coniectura assequi possumus. Etenim determinatio duodecim mensium lunarium et intercalatio mensis decimi tertii fieri possunt vel ex ipsius coeli continua observatione vel ex cycli lege vel utroque modo.

Coelo diutius observato facile inveniri poterat longitudo mensium quae dicitur media. Ita Graeci compererunt non plus se quam unum diem a vero lunae cursu discedere, si menses numerarent alternis vicibus 29 et 30 dierum atque post decimum sextum vel decimum septimum quemque mensem binos menses 30 dierum interponerent. Praeterea iam antiquitus notum erat annum lunarem solari undecim fere diebus breviorem esse; quare ut annus lunaris solis cursui accommodaretur, tertio quoque anno mensem esse intercalandum. Qui cyclus apud Graecos trieteris audiebat. Verum intercalatio hac ratione facta iusto brevior erat. Quam ob causam, ut anni lunares annos solares magis exaequarent, non iam intra novenos, sed intra octonos annos interponebantur menses terni, qui cyclus erat octaeteris Graecorum. Sed dum trieteris iusto brevior erat, octaeteris modum intercalationis requisitae excedebat. Quamobrem Graeci maiorem anni lunaris cum solari conformationem eo effecerunt, quod binas octaeterides cum singulis trieteribus coniungerent et hac ratione novum cyclum 19 annorum cum 7 mensibus intercalaribus efficerent. Atque is est cyclus ille Metonis, quo Graeci iam quinto a. Chr. saeculo utebantur, ex quo nostra orta est ratio compu-

tandi temporis paschalis, ad quam *numerus aureus* refertur.

In civilibus autem rebus cyclo opus est integrorum dierum sine fracturis. Unde Meton cyclo suo 6940 dies assignavit, etsi in hac computatione plena conformitas inter annum solarem et lunarem non obtinetur. Sed hoc mendum tanto diminuitur, quanto pluries cyclus 19 annorum multiplicatur, priusquam dierum integrorum numero exprimatur. Calippus igitur astronomus graecus (330 a. Chr.) cyclum quadruplicem seu periodum 76 annorum cum 28 mensibus intercalaribus constituit, cui dies 27759 assignavit. Hipparchus vero (150 a. Chr.) eundem Metonis cyclum sedecies complexus novum cyclum 304 annorum cum 112 mensibus intercalaribus obtinuit, in quo 111035 dies integros numerabat.

Quibus cyclis Graecorum utrum Iudaei usi sint necne, neque sacris litteris neque in Talmude indicatur. At S. Cyrillus Alexandrinus in Prologo de festi paschalis ratione (n. 1) Iudaeorum cycli 84 annorum mentionem faciens : « Illi etiam, inquit, qui eorum (Iudaeorum) pravitati respondere conati sunt et 84 annorum paschalem cyclum instituerunt, perfectae rationis circulum tenuissent, si in supputatione mensium vel annorum non humanam sed divinam traditionem sequi potuissent » (*Migne* 77,383). S. Epiphanius quoque Iudaeorum cyclum 84 annorum commemorat, pro quo Christi aetate emendatior cyclus 85 annorum sit constitutus, inter quos fuerint 31 anni pleniores seu mensem intercalarem continentes (Haer. 51,26.27 apud *Migne* 41,935). Cyclus 84 annorum non est nisi compositio ex octaeteride et Calippi cyclo 76 annorum, qui Graecis iam ante aetatem LXX interpretum notus fuit; cum octaeteris annos pleniores tres, cyclus autem Calippi 28 haberet, ille 84 annorum cyclus ex utroque compositus annos pleniores 31 habere debuit.

Haec sunt, quae de ratione intercalandi apud Iudaeos usitata afferri possunt; ex quibus nihil certi de Iudaeorum anno lunari colligitur.

I. G. HAGEN.

ANOB (עָנוֹב, Ἐνώβ), filius Cos de tribu Iuda (1 Par. 4,8).

ANTICHRISTUS (ἀντίχριστος). In compositionibus ἀντί variam notionem exprimit; ita ἀντιβασιλεύς interrex (cf. *Dionys. Halic.* 9,69), ἀντιστρατηγός dux hostium, propractor, uti ἀνθύπατος proconsul, ἀντίθεος apud Homerum is qui virtute et venustate quasi pro deo haberi possit; sed apud alios est deus adversans (*Philo*, de somn. 2,27). Unde sola voce considerata antichristus is posset nominari qui vice et loco Christi habeatur. Verum ea voce significari adversarium Christi infensissimum docemur in prima epistula Ioannis : filioli, novissima hora est; et sicut audistis quia antichristus venit, et nunc antichristi multi facti sunt (2,18). Ex quo loco efucet Christi fideles iam imbutos esse doctrina de adventu antichristi. Simul autem indicat iam exsistere qui praeoccupatione quadam antichristum imitari eiusque opus peragere studeant. Hos pseudodoctores notat v. 22 : quis est mendax nisi is qui negat quominus Iesus est Christus; hic est antichristus qui negat Patrem et Filium. Loquitur Ioannes (v. 19) de iis qui fide suscepta defecerunt et qui Iesum iam non confitentur esse Messiam; in qua negatione etiam maior altera includitur : negatio Filii Dei, quoniam Messias ut Deus (Is. 9,6) et ut Filius Dei erat annuntiatus (Ps. 2,7; 2 Reg. 7,14) et Iesus se ipsum talem professus est; et qui negat Filium nec Patrem habet (1 Ioan. 2,23). Porro 4,3 : et omnis spiritus qui solvit Iesum ex Deo non est; et hic est antichristus, de quo audistis quoniam venit et nunc iam in mundo est; scil. per eos qui secundum eius indolem et naturam agunt; est in mundo per illos multos antichristos, quoniam multi seductores exierunt in mundum qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem; hic est seductor et antichristus (2 Ioan. 7).

Huic descriptioni plane congruit quod Paulus apostolus habet 2 Thess. 2,3 s.; docet enim fore, ut reveletur homo peccati, filius perditionis, qui adversetur et extollatur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei

sedeat ostendens se tamquam sit Deus. Eius manifestatio praeparatur magna quadam apostasia; et uti Ioannes loquitur de multis antichristis quasi eius praecursoribus, ita Paulus similiter scribit: mysterium iam operatur iniquitatis; solum exsistit aliquod impedimentum quo ipsius illius adventus nondum fieri possit. Hoc vero remoto « tunc vero revelabitur ille iniquus, cuius adventus est secundum operationem satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt. Dominus autem Iesus interficiet eum spiritu oris sui et destruet illustratione adventus sui (2 Thess. 2,7-10). Quid sit illud quod retineat antichristum, Paulus quidem Thessalonicenses edocuit; at nos nescimus. Sententia satis communis est intellegi ordinem socialem legibus civitatis munitum, quo scil. impediatur, ne corruptio morum quasi in immensum crescat; eo enim limite remoto mysterium iniquitatis suam summam poterit explicare foeditatem. Hominem illum Paulus quidem non nominat antichristum; verum eum ita describit ut idem sit cum antichristo, de cuius adventu fideles teste Ioanne edocti sunt. — Ubinam in Apocalypsi de antichristo sermo sit, interpretes non consentiunt; sat multi eum vident delineatum in cap. 13 et 17. — Si spectantur quae Paulus de antichristo docet, eius imago facile quoque deprehendetur in iis quae Dan. 7,8. 11. 20. 21 vidit de cornu parvo quod blasphemias loquitur et bellum faciebat adversus sanctos. Quasi typus antichristi describitur Antiochus Epiphanes (cf. Dan. 8,9 s. 23 s.; 11,21-45; — vide in hoc *Cursu* Comm. in Dan. p. 192. 200. 300).

I. KNABENBAUER.

ANTILIBANUS (Ἀντιλίβανος) v. LIBANUS.

ANTIOCHIA (Ἀντιόχεια) nomen est complurium urbium asiaticarum, quae saeculo tertio et secundo a. Chr. a Seleucidis conditae sunt. In s. litteris duarum fit mentio; utraque a Seleuco Nicatore (310-281) est aedificata et in honorem Antiochi patris Antiochia vocata.

1. Antiochia Syriae, etiam ἡ μεγάλη appellata, ad Orontem fluvium sita in regione amoena et fertili. Haec erat civitas regni Seleucidarum praecipua (cf. 1 Mach. 3,37; 4,35; 6,63; 10,68; 11,13. 44. 56; 2 Mach. 4,9. 36; 5,21; 8,35; 11,36; 13,23. 26; 14,27); prope eam erat lucus Daphne, quare 2 Mach. 4,33 scribitur Δάφνη ἡ πρὸς Ἀντιόχειαν et e converso apud Flav. Iosephum (Ant. XVII. 2,1) Ἀντιόχεια ἡ ἐπὶ Δάφνῃ (v. DAPHNE). Multos ibi degisse Iudaeos (*Flav. Ios.* Bell. iud. VII. 3,3), quos iam Seleucus Nicator civitate donaverat (Ant. XII. 3,1), etiam ex Act. 6,5 discimus. Statim post persecutionem illam, qua Stephanus obiit, Antiochiae multo cum fructu evangelium Iudaeis et Graecis est annuntiatum; ibi Barnabas et Saulus docuerunt turbam multam; ibi discipuli primum nominati sunt Christiani; discipuli Antiocheni eleemosynas miserunt in urbem Ierusalem (Act. 11,19-30). Ex Antiochia, ubi Saulus et Barnabas ad opus designati sunt a Spiritu Sancto, Saulus iter apostolicum suscepit et eo peracto Antiochiam revertit (Act. 13,1-14,25). Antiochiae disceptatio de legis mosaicae necessitate vehementer agitata est (Gal. 2,11), quia ibi plurimi gentiles Christo nomen dederant; quare his qui sunt Antiochiae, decretum apostolicum primo loco inscribitur (Act. 15,22 s.). Ex ea urbe Paulus alterum quoque et tertium iter apostolicum instituit (Act. 15,35; 18,22. 23). — Hodie vocatur *Antākiye*, urbs 6.000 incolarum magnis ruinis circumdata.

Cf. *Reland*, Palaestina 8. 119 s. 205; *Eckhel*, Descriptio numorum Antiochiae Syriae, 1786; *Ritter*, Erdkunde XVII. 2, 1147-1210; *C. O. Müller*, Antiquitates Antiochenae, Goettingen, 1839; *E. Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, III. 8. 39. 74. 79. 83. 93. 117; *Baedeker-Benzinger*, Palaestina und Syrien *ed.* 5, p. 427 ss.; *Pauly - Wissowa*, Real-Encycl. der klass. Altert. I. 2442 s.

2. Antiochia Pisidiae (Act. 13,14). In primo itinere apostolico ibi S. Paulus in synagoga praedicavit; cum autem Iudaei viderent gentiles quoque admitti a Paulo et Barnaba, repleti sunt zelo et blasphemantes contradicebant ac demum excitata persecutione eos de finibus suis

cicerunt (Act. 13,14-51). Persecutionem hanc fuisse satis atrocem inde concluseris, quod eius meminit Paulus ultimo vitae suae tempore (2 Tim. 3,11). Nihilominus ex eodem primo itinere Antiochiam Syriae redeuntes Paulus et Barnabas etiam Antiochiae Pisidiae commorati sunt ad discipulos confirmandos (Act. 14,20.21).

Strabo (XII. 8,14) eam ponit in Phrygia Paroreia versus fines Pisidiae, Ptolemaeus in Pisidia (V. 4,11 [*ed. Müller-Fischer* 4,9]) vel in Phrygia Pisidiae (V. 5,4; sed *ed. Müller-Fischer* h. l. Antiochiam omittit), Plinius (V. 27,94) in Pisidia. Situm urbis hodie occupat vicus *Yalovädj*.

Cf. *Ritter*, Erdkunde XIX. 468-473; *Arundell*, Discoveries in Asia Minor, London 1834, I. 263 s.; *Hamilton*, Researches in Asia Minor 1842, I. 472 s.; *Ramsay*, Hist. Geogr. of Asia Minor p. 396; *Pauly-Wissowa*, Real-Encycl. der klass. Altert. I. 2446.

ANTIOCHIS (Ἀντιοχίς), concubina Antiochi Epiphanis, cui rex donavit reditus duarum urbium, Tarsi et Malli in Cilicia; quare Tarsenses et Mallotae id indigne ferentes seditionem moverunt (2 Mach. 4,30). Ad rem nota quae dicit Cicero (in Verrem II. 3. 43): solere aiunt barbaros reges Persarum et Syrorum plures uxores habere; his autem uxoribus civitates attribuere hoc modo: haec civitas mulieri redimiculum praebeat, haec in collum, haec in crines; ita populos habent universos non solum conscios libidinis suae, verum etiam administros.

ANTIOCHUS (Ἀντίοχος), nomen complurium regum Seleucidarum.

1. Antiochus II. Theos, tertius rex Syriae (261-246 a. Chr.; aer. Seleuc. 51-66), filius Antiochi I. Soteris (280-261 a. Chr.), nepos Seleuci I. Nicatoris (312-280). Nomen Antiochi II. in S. Scriptura non occurrit, sed de eo agit Dan. 11,6 (cf. *Knabenbauer* ad h. l.). Bello diuturno implicatus cum Ptolemaeo II. Philadelpho, rege Aegypti, magnam partem Asiae minoris ab Aegyptiis captam amisit. Demum Ptolemaeus II. ut molestum certamen finiret, filiam suam Berenicen Antiocho uxorem dedit, sperans fore ut Ptolemaei et in Aegypto et in Syria regnarent. Pacis igitur redimendae causa Antiochus II. Berenicen uxorem et consortem regni accepit; Laodicen vero priorem suam uxorem, quae ei duos filios Seleucum (Callinicum) et Antiochum (Antigonum; cf. *Müller*, Fragm. Hist. Graec. III. p. 707: est Antiochus Hierax) genuerat, in concubinae locum deiecit. Sed quamprimum Ptolemaeus II. Philadelphus anno 247 a. Chr. mortem obiit, Antiochus II. Laodicen uxorem legitimam cum filiis suis in regiam reduxit. Haec autem ulciscendi cupida et regis animum ambiguum metuens ipsum regem per ministros veneno interfecit, Berenicen cum filiolo, quem regi genuerat, Daphnae apud Antiochiam per Icadionem et Genneum principes occidit et Seleucum Callinicum filium suum maiorem in patris loco regem constituit. Spes igitur, quam Ptolemaeus II. Philadelphus conceperat, fore ut filius Berenices regnum Seleucidarum obtineret, per uxorem Antiochi II. elusa est.

Cf. *S. Hieron.* in Dan. 11,6 apud *M.* 25, 560; *Porphyrius* apud *Euseb.* Chron. I. 40,6; *M.* 19,259 vel *ed. Schoene* I. 249 s. Cognomine Theos a Milesiis appellatus est Antiochus, quia illos a Timarcho tyranno liberavit (*Appian.* Syr. 65). Praeterea v. *E. Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, III. p. 80. 81; *Droysen*, Gesch. des Hellenismus III. 1,310 s., qui suspicatur narrationem de veneno regi per Laodicen dato esse inventum factionis aegyptiacae.

2. Antiochus III. Magnus, sextus rex Syriae (223-187 a. Chr.; aer. Seleuc. 90-126). Antiochus II. Theos filium et successorem habuit Seleucum II. Callinicum (246-226 a. Chr.); Callinico successerunt eius duo filii: Seleucus III. Ceraunus (226-223 a. Chr.), dein Antiochus III. Huius regis brevis mentio fit 1 Mach. 1,11 [10]; 8,6-8. Eiusdem bella et finalis clades praedicuntur Dan. 11,10-19. Primum quidem Antiochus III. id egit, ut Ptolemaeis Coelem Syriam, Palaestinam, Phoenicen eriperet. Mortuo Ptolemaeo III. Euergete, qui Callinicum patrem Antiochi III. devicerat et Syriam spoliaverat, Ptolemaeus IV. Philopator in Aegypto regnabat. Hunc anno 218 a. Chr. aggressus Antiochus III. Seleuciam

ad Orontem sitam expugnavit, Tyrum quoque et Ptolemaida occupavit (*S. Hieron.* in Dan. 11,10; *Polybius* V. 42. 43. 45. 60-62). Deinde cum Philopatore indutias iniit pro tempore hiemis, sed bene advertens Aegyptios novas vires parare, ineunte anno 217 a. Chr. bellum instauravit, Aegyptios prope Sidonem iterum devicit, Phoenicen et Palaestinam occupavit ac stativa sua posuit in urbe munitissima Gaza. Tum vero Philopator magnum exercitum collegit et apud Raphiam, quae urbs est prope Gazam in foribus Aegypti, Antiochum fudit fugavitque; caesis Syrorum fere decem milibus et quattuor millibus captis Antiochus ipse per deserta fugiens fere captus est. Aegyptii omnes urbes ab Antiocho antea expugnatas recuperarunt (*S. Hier.* in Dan. 11,11. 12; *Polyb.* V. 63-87; *Iustinus* 30,1).

Aegypto relicta Antiochus III. per tredecim annos bella gessit in Asia minore, Parthia, Bactria. Tum vero Ptolemaeo IV. Philopatore defuncto adversus Ptolemaeum V. Epiphanem, qui puer quattuor annorum patri successit, rupto foedere exercitum movit. Simul foedus cum Philippo V. Macedonum rege iniit, ut regnum aegyptiacum inter se dividerent. Eodem tempore in ipsa Aegypto magnae erant perturbationes; Agathocles enim, qui nomine regis pueruli regnum administrabat, tantae dissolutionis ac superbiae fuit, ut subditae prius Aegypto provinciae rebellarent ipsaque Aegyptus seditionibus vexaretur. Antiochus brevi Coelem Syriam, Phoenicen, Palaestinam occupavit. Pro aliquo tempore quidem in Asiam minorem abiit, ut Attalum Pergamenum debellaret, atque hac opportunitate usus Scopas dux copiarum Ptolemaei urbem Ierusalem cepit et Palaestinam recuperavit. Sed pace cum Attalo composita Antiochus per Coelem Syriam rediit, Scopam ducem Ptolemaei apud Paneam (Caesaream Philippi) a. 198 a. Chr. devicit totamque Palaestinam recuperavit (*S. Hieron.* in Dan. 11,13-15; *Appian.* Syr. 1; *Polyb.* III. 2. XV. 20; *Flav. Ios.* Ant. XII. 3,3; *Iustin.* 30,2). Victoriis reportatis Antiochus, ut regnum aegyptiacum sibi acquireret, filiam suam Cleopatram Ptolemaeo V. Epiphani despondit et sex annis post in matrimonium tradidit data ei dotis nomine omni Coele Syria et Palaestina et Phoenice. Voluit enim ministerio filiae uti, ut Ptolemaeum in laqueos traheret, sed haec spes eum fefellit; nam Ptolemaeus Epiphanes et duces eius sentientes dolum cautius egerunt et Cleopatra magis viri sui partes quam parentis fovit virique amorem et commoda paternis insidiis praetulit (*S. Hieron.* in Dan. 11,17; *Flav. Ios.* Ant. XII. 4,1; *Polyb.* XXVIII. 17).

Antiochus anno 197 a. Chr. terra marique expeditionem aggressus est in Asiam minorem et insulas adiacentes; hac regione tota fere expugnata a. 196 Hellespontum traiecit, ab Hannibale exagitatus bello cum Romanis implicabatur (a. 192) et insigni clade a Scipione Asiatico apud Magnesiam devictus (a. 190) pacem petere coactus est. Pacem Romani a. 189 his legibus Antiocho concesserunt : ut Asia Romanis cederet, contentus Syriae regno esset, naves universas, captivos et transfugas traderet sumptumque omnem belli Romanis restitueret (*Tit. Livius* 33,19. 38; 35,13; 37,40. 43. 45. 55; *Iustin.* 31,1. 8; *Appian.* Syr. 33-39; *S. Hieron.* in Dan. 11,18). Conditiones huius pacis etiam 1 Mach. 8,6-8 enumerantur scil. prima tributum magnum illudque tam ingens, ut anno 165 a. Chr. Antiocho IV. Epiphani duo millia talentorum tributi Romanis retro debiti exsolvenda essent (2 Mach. 8,10.11), altera obsides Romam mittendi, inter quos erat regis filius secundo genitus (1 Mach. 1,11 Antiochus IV. Epiphanes), tertia denique, ut Eumeni II. Pergameno filio Attali I. et Romanorum socio regiones Indorum (lege : Ioniorum), Medorum (lege : Mysiorum) et Lydiorum ab Antiocho III. cederentur; ibidem (1 Mach. 8,7) legimus ipsum Antiochum III. vivum in potestatem Romanorum incidisse. Rex a Romanis victus duobus solum annis supervixit. Gravi tributo pacis oneratus inopia pecuniae compulsus esse videtur, ut adhibitis militibus in Elymaide aliquod templum Iovis spoliaret; re autem comperta concursu populi cum omni militia interfectus est a. 187 a. Chr.

Iustin. 30,2; *Porphyrius* apud *Euseb.* Chron. I. 40,12. *M.* 19,261 vel *ed. Schoene* I. 253; *S. Hieron.* in Dan. 11, 19 apud *M.* 25,364).

Antiochus III. Iudaeos non est persecutus. Verum quidem est Iudaeos tempore belli aegyptiaci multa dura sustinuisse; nam cum Antiochus III. Aegyptios debellaret « contigit Iudaeis, ut si is superior fuerit affligerentur, si inferior, plane eadem paterentur, adeo ut haud dissimiles essent navi in tempestate fluctibus utrimque vexatae, ut qui in medio iacerent, dum et Antiocho res prospere cederent et in contrarias partes mutarentur » (*Flav. Ios.* Ant. XII. 3,3). Sed quoniam post pugnam apud Paneam, qua Aegyptii victi sunt, Iudaei Antiocho multum faverunt eiusque exercitui et elephantibus alimenta plurima pararunt, Antiochus (ut refert Iosephus l. c.) « aequum esse iudicans ut Iudaeorum erga se studium ac liberalitatem remuneraretur, litteras scripsit ad suos duces et amicos testimonium perhibens Iudaeis quam praeclare de ipso meriti fuerint simulque significans quae munera illis vicissim dare decreverat ». Insuper Iosephus l. c. duas epistulas Antiochi Magni refert, quibus varia emolumenta Iudaeis conceduntur. Immo narrat XII. 3,4 Antiochum decrevisse, ut duo millia familiarum iudaicarum ex Mesopotamia in Lydiam et Phrygiam sumptibus publicis transferrentur propter seditiones in his provinciis exortas, quae fidelitate ac studio Iudaeorum facilius componi posse videbantur.

Cf. *Flathe*, Geschichte Macedoniens II. 225 ss.; *Clinton*, Fasti hellenici III. 314 ss.; *K. B. Stark*, Gaza und die philistaeische Küste 1852. p. 372-406; 423 s.; *F. Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v. (sed v. quae sub n. 3 dicemus).

3. Antiochus IV. Epiphanes octavus rex Syriae (175-164 a. Chr.; aer. Seleuc. 137-149), filius Antiochi III. Magni (223-187 a. Chr.) et frater Seleuci IV. Philopatoris (187-175 a. Chr.). Seleuco IV. regnante obses Romae degebat, donec Seleucus Demetrium filium suum undecim annos natum obsidem Romam misit atque hoc modo reditum Antiochi fratris sui a Romanis impetravit. Antiochus domum rediens Athenis iam comperit Seleucum ab Heliodoro, qui regi a negotiis fuerat, veneno interfectum esse et Heliodoro pulso ipse se regem constituit (*Appian.* Syr. 45). Hic praeclare impletum videmus illud Dan. 11,21: « obtinebit regnum in fraudulentia »; nam ope Eumenis et Attali regnum, quod Demetrio Seleuci filio debebatur, pro se occupavit, dum pro illo tamquam tutor rem contra Heliodorum agere videbatur (*Appian.* Syr. 45 et cf. narrationem minus accuratam Ioannis Antiocheni in fragm. 58 apud *Müller*, Fragm. Hist. Gr. IV. 558).

Quoad indolem Antiochi IV. cf. *Polyb.* XXVI. 10; XXVIII. 18,3; XXIX. 9,13; XXXI. 3 ss.; *Diodor.* 29,32; 31,16; *Tit. Liv.* 41,20; Ptolemaeus VII. Euergetes II. apud *Müller*, Fragm. Hist. Graec. III. 186; Heliodor. apud *Müller*, Fragm. Histor. Graec. IV. 425. Erat rex, cuius arbitrium pro legibus habebatur, homo temerarius, levis, incertus, vanus, magnificentiam et liberalitatem iactans, tyrannica crudelitate quam maxime conspicuus. Propter nimiam vehementiam, qua in res diversissimas abreptus trahebatur, a Polybio (XXVI. 10) cognomine ioculari ἐπιμανής, *furens* pro ἐπιφανής appellatus est.

Ex hac indole regis facile intelleguntur, quae contra Iudaeos agere conatus est. Eius mentem non inepte depingit *Tacit.* Hist. 5,8: « Rex Antiochus demere superstitionem et mores Graecorum dare adnisus, quominus taeterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus est ». Etenim vanitati et ambitioni etiam in eo satisfacere voluit, quod per totum imperium suum cultum splendidissimum deorum graecorum propagaret; et quo fidelius Iudaeorum maior ac sanior pars restitit, eo pertinacius rex crudelitati instabat. — Eo tempore caput fidelium Iudaeorum erat Onias III. pontifex, caput vero factionis hellenisticae, quae Graecorum moribus favebat, Oniae frater Iesus, qui graeco nomine Iason appellari malebat (*Flav. Ios.* Ant. XII. 5,1). Iam eousque auctoritas factionis hellenisticae inter Iudaeos invaluerat, ut Iason magnam pecuniae summam regi

promitteret, si ipsi summum sacerdotium conferre, Iudaeis gymnasium et ephebiam concedere, civibus hierosolymitanis honores et iura Antiochensium spondere dignaretur. Annuit rex, Onias remotus est, Iason summo sacerdotio per tres annos (174-171 a. Chr. ut coniicere licet) ita functus est, ut cultus religiosus Iudaeorum magis magisque moribus Graecorum contaminaretur (1 Mach. 1,12-16; 2 Mach. 4,7-20). Officio privatus est Iason consiliis Menelai adversarii, qui maiore pecuniae summa oblata ab Antiocho summum sacerdotium sibi impetravit eoque abusus est ad spoliandum templi aerarium, ut avaritiae Syrorum satisfaciens munus suum teneret (2 Mach. 4,23-50). Iason vero ad Ammonitas se recepit.

Hoc fere tempore Antiochus complures expeditiones contra Aegyptum suscepit intra annos 171-168 a. Chr., quas Daniel (11,22-30) praedixerat. De prima expeditione S. Hieronymus in Dan. 11,22 haec narrat : « Cum post mortem Cleopatrae (sororis Antiochi IV.) Eulaius Eunuchus nutritius Philometoris et Leneus Aegyptum regerent et repeterent Syriam, quam Antiochus fraude occupaverat, ortum est inter avunculum et puerum Ptolemaeum (Philometorem, filium Cleopatrae sororis Antiochi Epiphanis) proelium; cumque inter Pelusium et montem Casium proelium commisissent, victi sunt duces Ptolemaei. Porro Antiochus parcens puero et amicitias simulans ascendit Memphim et ibi ex more Aegypti regnum accipiens puerique rebus se providere dicens, cum modico populo omnem Aegyptum subiugavit sibi et abundantes atque uberrimas ingressus est civitates. Fecitque quae non fecerunt patres eius et patres patrum illius. Nullus enim regum Syriae ita vastavit Aegyptum et omnes eorum divitias dissipavit et tam callidus fuit, ut prudentes cogitationes eorum, qui duces pueri erant, sua fraude subverteret. Haec Porphyrius sequens Sutorium sermone laciniosissimo prosecutus est, quae nos brevi compendio diximus ». De secunda expeditione (170 a. Chr.) narratur 1 Mach. 1,18-20 et 2 Mach. 5,1; Antiochus magna cum praeda ex Aegypto rediit. Interim cum falsus rumor exisset Antiochum vita excessisse, Iason assumptis mille viris et capta urbe Ierusalem immanem fecit caedem civium qui Menelao pontifici adhaerebant; Menelaus in arcem refugit, Iason vero, cum Antiochum victorem ex Aegypto reverti comperisset, iterum ad Ammonitas aufugit (2 Mach. 5,5-7). Quibus auditis Antiochus redux, ut cives, qui Iasoni favissent, graviter puniret, magnam caedem in urbe fecit, templum diripuit, vasa sacra maxime pretiosa Antiochiam secum abstulit (1 Mach. 1,21-24; 2 Mach. 5,11-21; Ant. XII. 5,3). Sed haec non erant nisi praeludia eorum, quae post ultimam expeditionem aegyptiacam acciderunt. Anno enim 168 a. Chr. Antiochus magnum exercitum duxit contra fratres Ptolemaeum Philometorem et Ptolemaeum Physconem, qui per duos fere annos de regno inter se concertaverant, sed suadente Cleopatra sorore secum in amicitiam redierant, ut ambo Antiocho resisterent. Hi igitur, ut narrat *Iustin.* Histor. 34,3, « legatos Romam ad senatum mittunt, auxilia petunt, fidem societatis implorant; movere senatum preces fratrum. Mittitur itaque legatus Popilius (Laenas) ad Antiochum, qui abstinere illum Aegypto aut, si iam incessisset, excedere iuberet. Cum in Aegypto eum invenisset osculumque ei rex obtulisset (nam coluerat inter ceteros Popilium Antiochus, cum Romae obses esset), tunc Popilius facessere interim privatam amicitiam iubet, cum mandata patriae intercedant, prolatoque senatus decreto et tradito, cum cunctari eum videret consultationemque ad amicos referre, ibi Popilius virga, quam in manu gerebat, amplo circulo inclusum, ut et amicos caperet, consulere iubet nec prius inde exire quam responsum senatui daret, aut pacem aut bellum cum Romanis habiturum. Adeoque haec austeritas regem fregit, ut pariturum se senatui responderet » (cf. *Livius* 45,12; *Polybius* XXIX. 11; *Appian.* Syriaca 66). Romanorum mandatis cedens rex, cuius arma in Aegypto semper victricia fuerant, Antiochiam rediit atque iram, quam in Ptolemaeos effundere non poterat, eo acerbius in Iudaeos convertit.

Antiochus Appollonium principem tributorum in Iudaeam misit, qui incolas Ierusalem moribus patriis fideles exterminaret et habitatores graecos vel Graecorum moribus viventes in urbe collocaret. Viri occidebantur, mulieres cum filiis in captivitatem ducebantur. Multi fuga salutem quaerebant. Muris ac domibus urbis destructis vetus civitas Davidis operibus communita turribusque firmata est et in hac arce firmissima praesidium Syrorum positum est, quod toto tempore bellorum machabaicorum nunquam expugnari potuit, donec viginti sex annis post (142/141 a. Chr.) Simon arce politus iugum Seleucidarum prorsus excussit (v. SIMON 3). Tota autem hac Iudaeorum oppressione via parabatur ad cultum idolorum inducendum. Edicto regio observatio legum, praesertim sabbati et circumcisionis, sub poena mortis vetita erat. Cultu veri Dei abolito in omnibus civitatibus diis sacrificare iubebantur.

Emissarii regii mittebantur, qui mandatis exsequendis invigilarent et singulis mensibus diligenter de his omnibus inquirerent. Ubique idola atque altaria exstructa, libri sacri combusti, sacrificia fieri coepta sunt. Hierosolymis die 15. mensis Caslev anni 145 aer. Seleuc. (mense Decemb. 168 a. Chr.) erectum est abominandum idolum desolationis supra magnum altare holocausti et die 25. eiusdem mensis Caslev primum ibidem sacrificium scelestum oblatum est Iovi Olympio. In die natali Antiochi regis Iudaei per vim ad sacrificia ducebantur et in festo Dionysiorum hedera coronati bacchantium ritu circuire cogebantur. Multi quidem Iudaeorum iussis regiis perfide obtemperarunt, alii vero multo plures fortiter restiterunt, vitam fugitivam in deserto et inter feras egerunt, gravissima supplicia et mortem ipsam crudelissimam subierunt, ne participes inquinationis fierent (1 Mach. 1,30-67 [gr. 29-64], 2 Mach. 5,22-7,42; *Flav. Ios.* Ant. XII. 5,4).

Resistentiam quietam brevi post excepit defensio activa Machabaeorum, qua Antiochi Epiphanis superbia et potentia misere contusa est. Primus contra tyrannum surrexit Mathathias sacerdos et post eius mortem praematuram Iudas Machabaeus Mathathiae filius, qui collecto exercitu fidelium Iudaeorum pro avita religione armis decertarunt (v. MATHATHIAS et IUDAS 1). Duces omnes ab Antiocho in Iudaeam missi a Iuda Machabaeo profligati sunt, primus Apollonius, dein Seron apud Bethoron, postea (dum Antiochus in Persidem proficiscitur) Ptolemaeus, Nicanor, Gorgias in pugna apud Emmaus (166 a. Chr.), denique Lysias apud Bethsura (165 a. Chr.). Ducibus Antiochi devictis templum purificatum est eiusque dedicatio celebrata die 25. mensis Caslev anni 148 aer. Seleuc. = mense Decembri anni 165 a. Chr., id est, ipso die quo tribus ante annis altare holocausti profanatum fuit (1 Mach. 4,36-59; 2 Mach. 10,1-8).

Interim Antiochus Parthis bellum illaturus usque in Elymaida provinciam Persiae progressus erat et cum in urbe quadam nobilissima et opulentissima templum Naneae, numinis persici, diripere conaretur, vi armorum repulsus est et ex Perside in Mediam rediit. In Persidis et Mediae confinibus non procul ab Ecbatanis nuntius a Lysia missus regem de cladibus in Iudaea acceptis certiorem fecit. Quare accelerato cursu Antiochus iter pressit, ut per Mediam in Syriam reverteretur et a Iudaeis poenas expeteret. Sed foedissimo morbo a Deo correptus de iniustitia Iudaeis illata doluit, immo Iudaeis epistulam deprecatoriam simulationibus plenam misit, ut eorum animos filio suo Antiocho V. devinciret, tandem misera morte periit in provinciae Paraetacenes oppido, quod trium dierum itinere ab Ecbatanis distans Tabae vel Tabes appellatum est. Moribundus vero Philippum, unum ex ducibus suis, procuratorem regni ac tutorem Antiochi V. Eupatoris imperio nondum maturi constituit (1 Mach. 3,31. 37; 6,1-16; 2 Mach. 9,1-28; *S. Hieron.* in Dan. 11,44. 45; *Polyb.* XXXI. 11; *Qu. Curtius* 5,3.)

Quomodo diversae de morte Epiphanis relationes concilientur, vide apud *Cornely,* Introd. II. num. 158. Pauca hic notentur. Urbs illa, cuius templum Epiphanes spoliaturus erat, dicitur Persepolis; sed rectius forte non Persepolis,

sedes regum Persarum, quae ab Alexandro Magno direpta et combusta est, hoc loco intellegitur, sed potius « urbs Persidis » eaque videtur esse Susa, tum quia Susa sita erant in Elam (Dan. 8,2) seu Elymaide provincia, tum quia in urbe illa 1 Mach. 6,2 relicti fuisse dicuntur thesauri Alexandri Magni (qui thesauros persepolitanos Susa transportaverat). — Quae de Epiphanis morbo et poenitentia 2 Mach. 9,5 s. fuse traduntur, nullo modo contradicunt breviori relationi 1 Mach. 6,8-13 traditae, sed eam complent. Cum duabus his narrationibus relatio epistulae (2 Mach. 1,13-16) eo modo concilianda videtur, quem proponunt *Emmanuel Sa, Welte, Kaulen, Cornely*, scil. scriptores istius epistulae (populum hierosolymitanum, synedrium iudaicum, Iudam Machabaeum) eatenus errasse, quatenus erroneum de ratione mortis rumorem fratribus in Aegypto degentibus retulerunt i. e. velut testes fideles illa retulerunt, quae eo tempore de morte Antiochi vera credebantur. Aliam huius difficultatis solutionem *Vigouroux* defendere conatur scil. 2 Mach. 1,13-16 non agi de Antiocho IV. Epiphane, sed de eius patre Antiocho III.

Cf. *Io. Christ. Conr. Hofmann*, De bellis ab Antiocho Epiphane adversus Ptolemaeos gestis, Erlangae 1835; *K. B. Stark*, Gaza und die philistaeische Küste 1852, p. 430-435; *Ioh. Friedr. Hoffmann*, Antiochus IV. Epiphanes, Leipzig, 1873; *Wiederholt*, Antiochus IV. Epiphanes nach der Weissagung Dan. 11,21-12,3 und der Geschichte [Tübinger Theologische Quartalschrift LVI. 1874, p. 567-631]; *H. Weiss*, Iudas Makkabaeus 1897, p. 11 s.; *E. Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, I. 169. 179 s.; *Menke*, Bibel-Atlas, Blatt IV : Judaea und Phoenizien zur Zeit des Antiochus Epiphanes; *Schoepfer-Pelt*, Histoire de l'Ancien Testament *ed.* 3, II. 400 s.; *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 693-700 et cf. 691-693; *Mommsen*, Röm. Gesch. *ed.* 6, I. 773 s.; *Pauly-Wissowa*, Real-Encycl. der klass. Altert. I. 2470-2476, ubi ea, quae libri sacri (Mach. Dan.) de Antiocho IV. referunt, declarantur esse caricatura odio distorta et nullius prorsus valoris (« natürlich völlig wertlos ») — verba viro historico parum digna.

4. Antiochus V. Eupator, nonus rex Syriae (164-162 a. Chr.; aer. Seleuc. 149-151) successit Antiocho IV. Epiphani patri suo puer novem annorum (*Appian.* Syr. 49 et 66); vel si Porphyrio (*Euseb.* Chronic. I. 40,15 apud *M.* 19,261 vel *ed. Schoene* I. 253) fidere licet, filius duodennis ab Epiphane superstite in societatem regni assumptus per annum et dimidium una cum patre regnaverat, antequam solus per duos fere annos thronum occuparet. Epiphanes moribundus Philippum ducem copiarum, quem secum in Persidem duxerat, regni procuratorem filiique tutorem constituit (1 Mach. 6,14. 15). Lysias vero, quem Epiphanes in Persidem profecturus regno praefecerat (1 Mach. 3,32. 33), simulatque Epiphanem mortuum esse comperit, Antiocho puero regnum ipsi a patre relictum statim detulit (1 Mach. 6,17); hac ratione puerum, quem hucusque educaverat, facile induxit, ut is neglecto Epiphanis patris testamento ipsum (Lysiam) Philippo substitueret (2 Mach. 10,11). Hinc factum est, ut Lysias nomine Antiochi V. Eupatoris regnum administrarit. — Ac primum quidem Lysias, qui post infelix bellum 2 Mach. 11,1-12 narratum cum Iuda Machabaeo de pace componenda convenerat (11,13-15), postulata a Iudaeorum legatis Ioanne et Abesalom Antiochiam allata Eupatori exposuit et sibi prospiciens novum regem induxit, ut illa postulata rata haberet (11,16-38 ubi quattuor documenta de hac pace afferuntur). Nova belli occasio exorta est, cum Iudas Machabaeus praesidium regium in arce hierosolymitana inclusum oppugnaret (1 Mach. 6,18-27). Eupator et Lysias magno cum exercitu in Iudaeam irruperunt; primum quidem Syrorum castra a Iuda Machabaeo prope Modin impetu nocturno perturbata sunt, sed per Idumaeam progressi Syri Bethsuram obsederunt, apud Bethzachariam Iudaeis haud infeliciter restiterunt, Bethsuram per deditionem ceperunt, montem Sion oppugnaverunt. Victoria Syrorum certa videbatur; sed quia eo tempore Philippus, quem Epiphanes moribundus regni procuratorem nominaverat, thronum occupare conabatur, Eupator et Lysias Iudaeis pacem concedere coacti sunt et Iudam ducem Palaestinae constituerunt. Nihilominus rex, antequam

discederet, rupto iuramento munitiones montis Sion destrui iussit. Haec igitur pax Iudaeis liberum religionis exercitium, Syris imperium reddidit (1 Mach. 6,28-63; 2 Mach. 13). Dum haec in Iudaea geruntur, Philippus cum exercitu Epiphanis ex Perside redux Antiochiam occuparat; sed a Lysia et Eupatore devictus in Aegyptum aufugit (1 Mach. 6, 63; 2 Mach. 9,29; cf. *Flav. Ios.* Ant. XII. 9,7, qui affirmat Philippum a Lysia interfectum esse, sed auctor 2 Mach. 9,29 Iasonem Cyrenaeum testem coaevum secutus fide etiam mere humana dignior censendus est quam *Flav. Ios.*, qui in hac parte Antiquitatum ducem sequitur 1 Mach. librum et ex silentio huius testis concludere videtur Philippum occisum esse; ceterum v. PHILIPPUS 3). Verum Lysias et Eupator mox ab alio regni aemulo sublati sunt. Demetrius (Soter), filius Seleuci IV. Philopatoris, ab urbe Roma, ubi obses fuerat, clam aufugit, exercitum Eupatoris in suas partes traxit, Lysiam et Eupatorem supplicio punivit et regnum Seleuci IV. patris sui, quod Epiphanes et Eupator usurpaverant, occupavit (1 Mach. 7,1-4; 2 Mach. 14,1. 2).

5. Antiochus VI. Dionysos, rex Syriae (145-cc. 142 a. Chr.; aer. Seleuc. 167-170), aemulus throni contra Demetrium II. Nicatorem a Tryphone constitutus. Antiocho V. Eupatori successerant Demetrius I. Soter (162-150 a. Chr.), Alexander Balas (150-145 a. Chr.), Demetrius II. Nicator (145-138 a. Chr.). Antiochus VI. Dionysos erat filius Alexandri Balae et Cleopatrae filiae Ptolemaei Philometoris; Cleopatram ipse Philometor uxorem dederat primum Alexandro Balae, deinde Alexandri aemulo Demetrio II. Nicatori. Alexander Balas a Philometore socero suo apud Antiochiam devictus in Arabiam aufugerat ibique per insidias interfectus est (v. ALEXANDER 2). Demetrius II. crudelitate sua mox omnibus perosus erat. Quapropter Tryphon, qui Alexandri rebus faverat, ad Emalchuel Arabem, qui Antiochum filiolum Alexandri nutriebat, profectus est, et cum rege adolescente Antiocho VI. Dionyso reversus Demetrium II. Antiochia expulit (1 Mach. 11,39. 40. 54-56). Tryphon et Antiochus VI. foedus cum Ionathan inierunt (11,57-59; Iudaei ducibus Ionathan et Simone contra sectatores Demetrii felicia bella gesserunt (11,60-74; 12,24-34). Sed Tryphon, qui ipse regnum ambiebat, timebat ne Ionathan ipsi adversaturus esset; illum igitur amicitiam fingens Ptolemaide dolo cepit et brevi post apud Bascama occidit (12,39-54; 13,23). Deinde in Syriam reversus ipsum regem adolescentem dolo interfecit et sibi diadema Asiae imposuit (13,31. 32). De nece Antiochi VI. narrat Livius (Epit. 55): « Alexandri filius, rex Syriae, decem annos admodum habens, a Diodoto, qui Thryphon cognominabatur, tutore suo, per fraudem occisus est corruptis medicis, qui illum calculi dolore consumi ad populum mentiti, dum secant, occiderunt ». Cf. *Fl. Ios.* Ant. XIII. 5,1 s. 6,1 s. 7,1; *Appian.* Syr. 68; *Iustin.* 36,1; *Diodor. Sic.* apud *Müller,* Fragm. Hist. Graec. II. p. XVII. n. 21; p. XIX. n. 25.

6. Antiochus VII. Sidetes, rex Syriae (138-128 a. Chr.; aer. Seleuc. 174-184), filius Demetrii I. Soteris, frater natu minor Demetrii II. Nicatoris. Sidetes cognominatus est, quia in Sida urbe Pamphyliae educatus erat (*Porphyrius* apud *Euseb.* Chron. I. 40,18; *M.* 19,262 vel *ed. Schoene* I. 255). Eo tempore quo Demetrius II. a Mithridate I. (Arsace VI.) Parthorum rege captus est (1 Mach. 14,2. 3), Sidetes in Rhodo insula versabatur (*Appian.* Syr. 68) et statim « ab insulis maris » ad Simonem summum sacerdotem litteras amicitiae misit, quibus omnia privilegia ante concessa Iudaeis renovavit et ius nummos cudendi eis contulit (1 Mach. 15,1-9). Paulo post in Syriam advenit et Tryphonem Dorae, loco munito Phoeniciae, circumclusit (15,10-14); ex hoc quidem periculo Tryphon feliciter evasit et Ptolemaida (*Charax Pergamenus* apud *Müller,* Fragm. Hist. Graec. III. 644 n. 40) aufugit, deinde navi Orthosiada, quae est urbs maritima Phoeniciae inter Tripolim et Aradum, petiit (1 Mach. 15,37), denique Apameae in Syria iterum a Sidete obsessus mortem occubuit (*Flav. Ios.* Ant. XIII. 7,2; *Strabo* XIV. 5,2; *Appian.* Syr. 68; *Iustin.* 36,1). Sed favente fortuna Antiochus VII. contra Iudaeos asperior factus privilegia antea concessa revocavit et per Atheno-

bium legatum suum a Simone postulavit, ut urbes captas (Ioppen et Gazaram) et arcem Ierusalem omnesque urbes extra Iudaeam occupatas Syris restitueret aut mille talenta argenti exsolveret. Simon centum talenta pro Ioppe et Gazara solvere paratus alia postulata reiecit (1 Mach. 15,25-36). Antiochus VII. ut armis rem decideret, Cendebaeum ducem cum exercitu misit; Syri prope Iamniam castra posuerunt, sed a Simonis filiis Iuda et Ioanne fusi fugatique sunt (15,38-16,10).

Hucusque de regibus Syriae in S. Scriptura refertur; liber 1 Mach. finitur relata morte Simonis (135 a. Chr.). Pauca de Antiocho VII. ex aliis fontibus subiungenda sunt. Contra Ioannem Hyrcanum Simonis filium et successorem anno 135 vel 134 a. Chr. arma tulit et urbem Ierusalem obsedit, sed post varia certamina obsidione soluta Hyrcano pacem concessit, quae arduis conditionibus non carebat (*Flav. Ios.* Ant. XIII. 8,2. 3; cf. *Euseb.* Chron. II. apud *M.* 19,511 vel *ed. Schoene* II. 130); aliter tamen *Porphyrius* apud *Euseb.* Chron. I. loco supra citato rem narrat : « Iudaeos hic subegit (subigebat), per obsidionem muros urbis evertebat atque electissimos (s. optimates) ipsorum (ex iis) trucidabat anno tertio 162. olympiadis ». Anno 129 a. Chr. contra Parthos profectus est, sed a Phraorte II. (Arsace VII.) devictus in ipso proelio mortem oppetiit anno 128 a. Chr. (*Flav. Ios.* Ant. XIII. 8,4; *Iustin.* 38,10; 39,1; *Liv.* Epit. 59; *Appian.* Syr. 68; *Diodor. Sic.* 34,15 s.). — Quanam ratione difficultates quaedam chronologicae solvi possint, vide apud *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, I. p. 173.

7. Antiochus, pater Numenii legati a Ionathan ad Lacedaemonios et Romanos missi (1 Mach. 12,16; 14,22).

ANTIPAS v. HERODES 2.

ANTIPAS (Ἀντιπᾶς) vocatur « testis meus fidelis » (Apoc. 2,13). Ex contextu erat episcopus Pergami, antequam S. Ioannes Apocalypsin scriberet. Sententia obscura videtur ita supplenda esse, ut pronuntiemus : Et in diebus illis, *in quibus extitit* Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, *non negasti fidem meam.* Cf. *Tischendorf*, Nov. Test. graece, ed. 8 critica maior. Secundum traditionem Antipas Domitiano imperatore in tauro candente martyrium consummavit (Acta Sanct. 11. April. t. II. p. 3-5).

ANTIPATER (Ἀντίπατρος), filius Iasonis, legatus a Ionathan ad Lacedaemonios et Romanos missus (1 Mach. 12, 16; 14,22).

ANTIPATRIS (Ἀντιπατρίς), urbs Iudaeae. S. Paulus a Claudio Lysia tribuno militibus traditus est, qui eum nocte, ne a Iudaeis occideretur, Hierosolymis Antipatridem duxerunt; inde ab equitibus Caesaream ad Felicem procuratorem ductus est (Act. 23,31. 32). Fuisse Antipatridem in via, quae a Caesarea versus Lyddam et Ierusalem ducit, testatur etiam *Fl. Ios.* Bell. iud. II. 19,1. 9; IV. 8,1. Ex Iosepho porro discimus hanc urbem in pulcherrima planitie Saron loco irriguo conditam fuisse, fluviis et arboribus divitem, montibus proximam, ab Herode Magno exstructam et in honorem Antipatris patris sui Antipatridem appellatam; nomen vetus urbis, quae ante Herodem eodem loco floruerat, fuisse Kapharsaba seu Chabersaba; Alexandrum Iannaeum ab hac urbe usque ad Ioppen per stadia centum quinquaginta fossam cum muro duxisse, ut Antiochum XII. Seleucidam ab itinere arceret (Bell. iud. I. 4,7; 21,9; Ant. XIII. 15,1; XVI. 5,2).

Vicus Kefar Saba etiam in litteratura rabbinica commemoratur (*Neubauer, Hamburger*) et apud geographos arabicos (*Guy le Strange*). Antipatris quoque commemoratur tum in litteratura rabbinica (*Lightfoot, Neubauer, Hamburger*) tum apud Ptolemaeum (V. 16,6), Eusebium (Onom. *ed. Lag.* 245,32; 246,75), Stephanum Byzantinum (s. v.). Itinerarium Burdigalense (333 p. Chr.) Antipatrida vocat mutationem (Halte-Station), non urbem, eamque distare dicit 26 mil. pass. a Caesarea, 10 mil. pass. a Lydda; cum his distantiis conferatur Flav. Iosephus, qui eam ponit 150 stadiis a Ioppe (Ant. XIII. 15,1; *ed. Niese* legit 160) et montibus proximam (Bell. iud. I. 4,7). S. Paula

in peregrinatione sua (404) a Caesarea Lyddam et Ierusalem versus proficiscens visitavit Antipatridam, semirutum oppidulum. In actibus Concilii Chalcedonensis (451 p. Chr.) episcopus Antipatridos recensetur (*Le Quien*, Oriens christianus III. 579 s.). Eiusdem urbis mentionem faciunt Hieroclis Synecdemus et Notitiae graecae episcopatuum (*ed. Parthey* p. 43. 143) et saeculo octavo Theophanis Chronographia ad annum 743 p. Chr. (*ed. Bonn.* I. 658).

Antipatris ab aliis censetur esse vicus *Kefr Sāba* inter septentrionem et orientem a Ioppe (*Robinson, Eli Smith, Raumer, Schurer*), ab aliis *Qal'at Rās el-'Ain* magis meridiem versus (*Conder, Wilson, Smith, Fischer et Guthe, Legendre, Zanecchia, Fahrngruber* addito signo?), ab aliis iterum magis meridiem versus *Medjdel Yābā* (*Guérin, Buhl* qui vel *Qal'at Rās el-'Ain* vel *Medjdel Yābā* prae *Kefr Sāba* praefert).

Cf. *Lightfoot*, Centuria Matthaeo praemissa c. 58 (Opera II. 214); *A. Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 86-90; *I. Hamburger*, Real-Encyclopaedie für Bibel und Talmud II. p. 62 s. (s. v. Antipatris), p. 637 (s. v. Kephar Saba); *Guy le Strange*, Palestine under the Moslems p. 471; *Itinerarium Burdigalense* apud *P. Geyer*, Itin. hier. p. 25; *S. Hieronymus*, Peregrinatio S. Paulae apud *Tobler et Molinier*, Itinera hieros. I. p. 31; *Reland*, Palaestina p. 569 s. 690; *Ritter*, Erdkunde XVI. 569-572; *Robinson*, Palaestina III. 256-260 et Neuere bibl. Forsch. p. 179-181; *Raumer*, Palaestina *ed.* 4, p. 147. 148; *Guérin*, Samarie II. 132 s. 357-367; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 134. 258-262; Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XIII. tab. 2 (*Fischer und Guthe*); *Ebers und Guthe*, Palaestina II. p. 452; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, p. 165 et Plate I. V; *A. Legendre*, Carte de la Palestine; *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 199; *E. Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, II. 156-158; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 204; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 442 s.

ANTONIA arx v. IERUSALEM VII. 4.

AOD (אהוד, Ἀώδ). **1.** Filius Balan ex tribu Beniamin, bellator fortissimus et princeps (1 Par. 7,10).

2. Filius Gera ex tribu Beniamin, secundus iudex Israel (Iud. 3,15-30). Dicitur 3,15 utraque manu pro dextera usus esse. Videntur Beniaminitae frequenter se exercuisse, ut sinistra manu non minus expedite quam dextera pugnarent; cf. Iud. 20,16: « septingenti erant viri fortissimi (Beniaminitae), ita sinistra ut dextera procliantes et sic fundis lapides ad certum iacientes, ut capillum quoque possent percutere ». Unde Aod non dicitur scaevus seu impeditus manu dextera, sed solito expeditior, ut etiam sinistra dimicaret. Electus a filiis Israel, ut Eglon regi Moab, qui regionem circa Ierichuntem iam annis duodeviginti occupaverat, tributum quotannis pendi solitum afferret, Aod gladium ancipitem, latum, breviorem paravit, qui facile sub veste lateret eoque se in dextero femore accinxit, ut praeter omnem regis exspectationem sinistra extrahi posset. Rege in secreto alloquio interfecto Aod in montana aufugit et Moabitis prae conturbatione cunctantibus incolas regionis montanae ad occupanda vada Iordanis evocavit. Moabitis insigni proelio devictis, quo circiter decem millia virorum ab Israelitis interfecti sunt, subsecuta est quies octoginta annorum i. e. status tranquillus ac florens rei publicae et instauratio religionis legumque divinarum. Additamentum LXX 3,30 Aod usque ad mortem dignitatem iudicis obtinuisse, licet genuinum non sit, ex aliorum iudicum analogia comprobatur. Perperam aliqui Aod ex ordine iudicum eximere conati sunt, quod non asseratur in S. Scriptura iudicasse Israel neque Spiritu Domini fuisse impulsus. Sed sine dubio veri nominis iudex fuit, qui 3,15 affirmatur suscitatus esse salvator Israel; cf. 2, 16; 3,9. Idem indicant verba Aod 3,28.

APADNO (אַפְדְּנוֹ) legitur Dan. 11, 45. Vulgata Apadno pro nomine urbis habuit vertens: Et figet (Antiochus IV. Epiphanes) tabernaculum suum Apadno inter maria super montem inclytum et sanctum; et veniet usque ad summitatem eius et nemo auxiliabitur ei. In commentario autem S. Hieronymus (in Dan. *M.* 25,574) notat: « Apedno verbum compositum est, quod si dividas, intelligi potest θρόνου αὐτοῦ, id est, solii sui. Et est sensus: Et figet tabernaculum suum

et thronum suum inter maria super montem inclytum et sanctum. Hunc locum Symmachus ita interpretatus est : καὶ ἐκτενεῖ τὰς σκηνὰς τοῦ ἱπποστασίου αὐτοῦ μεταξὺ τῶν θαλασσῶν..... quod in Latino sonat : et extendet papiliones equitatus sui inter maria..... Theodotio : Et figet tabernaculum suum in Aphedano inter maria in monte Saba sancto et veniet usque ad partem eius. Aquila : Et plantabit tabernaculum praetorii sui in Ἀφαδανῷ inter maria in monte glorioso et sancto et veniet usque ad finem eius. Soli Septuaginta omni se nominis quaestione liberantes interpretati sunt : Et statuet tabernaculum suum tunc inter maria et montem voluntatis sanctum et veniet hora consummationis eius ». Editio Sixtina cum Cod. Vaticano legit ἐφαδανῶ secundum textum Theodotionis ab Ecclesia receptum. LXX autem, ut nodum solverent, reddiderant : τότε, *tunc*. — Variae fuerunt interpretum opiniones et coniecturae de situ Apadno urbis determinando. Verum vocem hebr. אַפְדֵּן iam *Vatablus, Pagninus, Sanctius, Maldonatus, Mariana, Corn. a Lapide, Tirinus* explicarunt *palatium* eandemque interpretationem recentiores (*Fürst, Gesenius* etc.) statuunt. Unde Dan. 11,45 vertendum est : Et figet tabernacula palatii sui inter maria ad montem decoris sanctum et veniet ad finem suum et non est ei adiutor.

APAMEA, urbs et regio Syriae, quam Holofernes pertransiit (Iudith 3,14 *Vulg.*; LXX omittunt). Nomen urbis primitivum ante aetatem Macedonum erat Pharnace; Seleucus I. Nicator eam amplificavit atque munivit eique nomen Apameae indidit in honorem Apame uxoris suae; a primis Macedonibus etiam Pella appellata est propter Pellam illam macedonicam, Philippi et Alexandri M. patriam (*Eustathius,* Comment. in Dionys. Perieg. 918 apud *Müller,* Geogr. Graec. Min. II. p. 379; *Strabo* XVI. 2,10 : ἡ Ἀπάμεια, ἡ Ἀπαμέων γῆ). Verum quidem est *Appianum,* Syr. 57 et *Eusebium,* Chron. II. (*M.* 19,494 vel *ed. Schoene* II. 116) inter urbes a Seleuco I. conditas Pellam nominare praeter Apameam; sed haec Pella eadem atque Apamea esse censetur; cf. *Schürer,* Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, II. 139. Ex urbe Apamea oriundus erat Tryphon (vide s. v.), usurpator throni Syriae, qui Apameae quoque ab Antiocho VII. (vide s. v.) captus et occisus est. Arcem Apameae Pompeius funditus evertit (*Flav. Ios.* Ant. XIV. 3,2).

Urbs ab Antiochia Syriae meridiem versus aberat, in colle posita « quem peninsulam efficiunt Orontes et magnus lacus adiacens et in latas paludes prataque pascendis equis et bobus amplissima se perfundens. Sic igitur in tuto sita est urbs, quae adeo etiam Chersonesus e re vocata est simulque regione et multa et ubere abundat, per quam Orontes fluit crebris pagis distinctam. Hoc in loco Seleucus Nicator et posteriores reges quingentos illos elephantes alebant et magnam exercitus partem » (*Strabo* l. c.). Haec urbs Seleucidis erat armorum receptaculum, sedes exercitus primaria, statio equariorum et hippodromorum. Situm indicant ruinae *Qal'at el-Muḍīq* (i. e. castellum angustiarum).

Cf. *Ritter,* Erdkunde XVII. 1070; 1076-1086; *E. Sachau,* Reise in Syrien und Mesopotamien 1883, p. 71 s.; *Baedeker-Benzinger,* Palaestina und Syrien *ed.* 5, p. 413.

APELLES (Ἀπέλλης), Christianus Ecclesiae romanae, quem S. Paulus probum in Christo salutat (Rom. 16,10) i. e. probatum Christianum.

APER semel occurrit in Vulgata (Ps. 79[80],14) pro hebr. חֲזִיר, quod alias ubique *sus* explicatur; v. SUS.

APHAIREMA (Ἀφαίρεμα), una ex tribus toparchiis, quas reges Syriae a Samaria separantes Iudaeae adiunxerunt (1 Mach. 11,34 graece). *Vulg.* omittit. Flavius Iosephus (Ant. XIII. 4,9) Ἀφερειμά. Eadem censetur esse urbs atque Ophera tribus Beniamin (Ios. 18,23), Ephra (1 Reg. 13,17), Ephraim (2 Reg. 13,23), Ephron (2 Par. 13,19), Ephrem (Ioan. 11,54). Flavius Iosephus (Bell. iud. IV. 9,9) refert duas urbeculas Ephraim et Bethel a Vespasiano Hierosolyma properante expugnatas fuisse. Cum his apte componuntur, quae Onomasticon (*ed. Lag.* 118,30 cf. 254,54) habet : « Efron

Ἐφρών in tribu Iuda; est et villa pergrandis Efraea Ἐφραίμ nomine contra septemtrionem in vicesimo ab Aelia miliario ». Omnibus locis citatis satisfacere videtur *el-Taiyibe* prope *Beitin* (Bethel) inter orientem et septemtrionem.

Dubium quoddam movebatur de quaestione, situe Ephrem (Ioan. 11,54) etiam ibidem collocandum. Sed dubium hoc solutum videtur per tabulam geographicam Medabae a. 1896 repertam super pavimentum tessellatum basilicae antiquae. In ista enim tabula ponitur « Ephron seu Ephrata, quo venit Dominus » haud procul septemtrionem versus a Remmon (Iud. 20,45. 47; 21,13), hodierno *Rammūn*, qui vicus est ad orientem Bethel; iamvero septemtrionem versus a *Rammūn* brevi intervallo cernitur *el-Ṭaiyibe*.

Cf. *Robinson*, Palaestina II. 333-338; *Guérin*, Judée III. 45-51; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 293. 370 s.; *E. Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, I. p. 233; *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 177. — Praeterea vide tabulam geographicam Medabae reproductam et notis illustratam in Revue biblique VI. 1897, p. 165 s. 172.

APHARA (הַפָּרָה, Φαρά, A Ἀφάρ), urbs tribus Beniamin (Ios. 18,23). Enumeratur ibidem in prima provincia urbium Beniamin, quae regionem orientalem et septemtrionalem complectitur (Ios. 18, 21-24). Nunc *Khirbet Tell el-Fāra* prope *Wādi Fāra* seu inter meridiem et orientem a Machmas.

Cf. *Van de Velde*, Memoir to accompany the Map of the Holy Land 1858, p. 338. 339; *Guérin*, Judée III. p. 71-73; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 174; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV; *F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 176; *A Legendre*, Carte de la Palestine et apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.

APHARSAEI (אַפַּרְסָיֵא, Ἀφαρσαῖοι) et **APHARSATACHAEI** (אַפַּרְסַתְכָיֵא, Ἀφαρσαθαχαῖοι) sunt ex illis quos Asarhaddon rex Assyriorum Israelitis in exsilium abductis in civitatibus Samariae collocavit; 4 Reg. 17,24 narratur de Babylone et de Cutha et de Avah et de Emath et de Sepharvaim eos esse transalos in regionem Samariae; sed Esdr. 4,9 gentes illae suis recensentur nominibus, cum Reum et Samsai epistulam scribunt ad Artaxerxen regem accusantes Iudaeos rebellionis, cui accusationi quo magis addant pondus, novem earum gentium vel tribuum nomina recitant addentes insuper : et ceteri de gentibus, quasi totidem testes contra Iudaeos. Putarunt aliqui Apharsaeos idem esse nomen quod פרסיא cum א prosthetico i. e. *Persae;* sed id esse plane incertum alii contendunt (cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. ad Esdr. 4,9). Alterum nomen Apharsatachaeorum aliqui explicant de Paratacenis (Παραταχηνοί *Herod.* 1,101), qui in finibus Persarum et Medorum incolebant; *Delitzsch* autem nomen refert ad urbes Medorum, quas Asarhaddon in inscriptione commemorat *Partakka* et *Partukka* (cf. *Schrader* l. c.).

In *Vulg.* Esdr. 5,6 occurrunt *Arphasachaei* et 6,6 *Apharsachaei*, sed aram. appellantur אַפַּרְסָכָיֵא, LXX Ἀφαρσαχαῖοι, qui probabilissime iidem sunt, qui 4,9 Apharsatachaei vocantur.

APHEC, **APHECA** (אֲפֵק, cum He locali אֲפֵקָה, Iud. 1,31 אֲפִיק, Ios. 15,53 אֲפֵקָה).

1. Aphec (Ὀφὲκ τῆς Ἀρώκ, A Ἀφέκ), urbs chananaea, cuius rex a Iosue victus est (Ios. 12,18). Situs ignoratur. Videtur tamen fuisse urbs Chanaan meridionalis vel fortasse Chanaan mediae, ut ex parallelismo enumerationis Ios. 12,10 s. et 12,19 s. concludere licet. Nam sicut Ios. 12,19 s. enumerantur urbes regiae in parte septemtrionali Palaestinae expugnatae, quibus urbes aliquae antea non explicite nominatae adduntur (cf. Ios. 11), ita 12,10 s. enumerantur urbes in Palaestina meridionali expugnatae (cf. Ios. 10); unde quattuor illae urbes v. 17. 18 additae non immerito urbibus Chanaan meridionalis vel fortasse rectius Chanaan mediae accensentur. Vide etiam SARON 2.

2. Aphec (Ἀφέκ Ios. 19,30; Ναί, A Ἀφέκ Iud. 1, 31), urbs tribus Aser, ex qua Chananaei non eiecti fuerant. Situs ignoratur.

3. Aphec (Ἀφέκ), urbs ubi Philisthaei castrametati sunt ante proelium, quo arca foederis ab illis capta est et duo filii Heli occisi sunt (1 Reg. 4,1). Haec Aphec non procul aberat a Lapide adiutorii (Eben ha-Ezer), ubi Israelitae castrametati sunt. Iamvero Lapis adiutorii 1 Reg. 7,12 situs esse dicitur inter Masphath et Sen. Maspha seu castellum montanum, quod nomen erat complurium locorum, ibi sine dubio est Maspha Beniamin, nunc *Nebi Samwīl* (?) duabus horis a Ierusalem Gabaon versus distans. Sen putatur esse *Deir Yāsīn* quinque km a *Nebi Samwīl* meridiem versus distans. Lapis adiutorii inter utrumque locum ibi fere quaerendus erit, ubi nunc est *Beit Iksā*. Denique nostra Aphec censetur esse *Qastal*, quod cum *Deir Yāsīn* et *Beit Iksā* triangulum formans paulo magis occidentem spectat. Cf. *Palestine Explor. Fund,* Quart. Statem. 1881, p. 100. 101; 1882, p. 262-264; 1888, p. 263-265. Sed adverte rem esse incertam. Praeterea alii Aphec 1 Reg. 4,1 et 29,1 eandem esse censent et in planitie maritima prope Caesaream inter meridiem et orientem quaerunt (*F. Buhl*, Geogr. des Alten Pal. 1896, p. 212. 213).

4. Aphec tribus Issachar (Ἀφέκ), prope quam Philisthaei castrametati sunt ante pugnam ad montem Gelboe commissam (1 Reg. 29,1). Primum quidem reiicienda est opinio, quam *Onomast.* Eusebii et S. Hieronymi (*ed. Lag.* 226,28 et 97,3) tradit Aphec esse « iuxta Aendor Iezrahelis, ubi dimicavit Saul ». Erronea haec opinio originem duxit ex versione LXX, quae 1 Reg. 29,1 dicit Israelitas castrametatos esse ἐν Ἀενδώρ prope Iezrahel, dum *Vulg.* recte vertit : super fontem, qui erat in Iezrahel. Designari videtur fons *ʿAin Djālūd*, qui 25 minutis ad orientem urbis *Zerʿīn* (Iezrael) invenitur vel fortasse *ʿAin el-Maite*, fons urbi paulo propinquior. Verum ut situm Aphec accuratius determinemus, in memoriam revocandum est primo Philisthaeos bellum Sauli paraturos castra posuisse iuxta Sunam (1 Reg. 28,1. 4), nunc *Sōlem* ad meridionalem descensum Hermon minoris (*Djebel Dahī*) et postea Iezrahel versus ascendisse (1 Reg. 29,11). Ex his recte inferimus Philisthaeos a Sunam occidentem versus in planitiem Esdrelon descendisse usque ad hodiernum vicum *el-ʿAfūle* (Aphec) et inde meridiem versus contra Iezrahel ascendisse. Eundem vicum *el-ʿAfūle* esse nostram urbem Aphec censent *Van de Velde,* Memoir to accompany the Map of the Holy Land, 1858, p. 286; *Guérin*, Galilée I. p. 109-110; *Legendre* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible s. v. Aphec 4.

5. Aphec (Ἀφεκά, Ἀφέκ), urbs prope quam Benhadad II. rex Syriae ab Achab (3 Reg. 20,26. 30) et Benhadad III. a Ioas rege Israel devictus est (4 Reg. 13, 17. 25). In inscriptionibus assyriacis appellatur *Ap-qu* (*Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 194). Aliqui existimant hanc Aphec eandem esse ac praecedentem 1 Reg. 29,1 in planitie Esdrelon sitam (*Keil* in 3 Reg. 20, 26; *Mühlau* apud *Riehm-Baethgen*, Handwörterbuch s. v. Aphek). Permulti alii vero maiore cum probabilitate eam censent esse hodiernum vicum *Fīq* ad orientem lacus Tiberiadis situm. De eodem vico dicunt Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 219,72 et 91,23) : « Usque hodie est castellum grande Apheca nomine iuxta Hippum urbem Palaestinae » i. e. in Decapoli. Ad meridiem vici est collis ruinis opertus. Planities ad orientem et septemtrionem se extendens aptissima erat tum castris ponendis tum proelio committendo.

Cf. Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins IX. 1886, p. 319-325; *Legendre,* Carte de la Palestine et apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible s. v. Aphec 5; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 195; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 726. 727; *F. Buhl,* Geogr. des Alten Pal. p. 217. 218 Aphec 3 Reg. 20,26. 30; 4 Reg. 13,17. 25 eandem esse vult atque Aphec Ios. 12,18 et quaerendam censet iuxta viam mercatorum inter Iezreel et terram transiordanicam, sed negat vicum *Fīq* apud scriptores veteres commemorari praeterquam apud Eusebium, Onom. *ed. Lag.* 219,72 (*Buhl* l. c. p. 245).

6. Apheca (Ἀφέκ, A Ἀφεκά, B Ταφέκ), urbs septemtrionalis Palaestinae (Ios. 13,4), sita inter Maara Sidoniorum ex una parte et terminos Amorrhaei terramque Gibliterum ex altera parte (si textus hebr. supponitur non corruptus).

Maara Sidoniorum a multis censetur esse *Mugr Djezzin* i. e. caverna *Djezzin* ad orientem Sidonis. Territorium Gibilitarum (Gebal, Byblos) nunc est *Djebail* ad septemtrionem Beryti. Apheca igitur censeri poterit vicus *Afqā* a Beryto inter septemtrionem et orientem spectans et in descensu occidentali *Djebel Moneïtira* situs, ubi Adonis fluvius (*Nahr Ibrāhīm*) originem ducit.

A Graecis vocabatur τὰ Ἄφακα ibidemque celebre templum Aphrodites erat *Zosimus*, Hist. 1,58; *Sozomenus*, H. E. 2,5), quod propter cultum inhonestum a Constantino M. destructum est (*Eusebius*, Vita Constantini 3,55); ruinae templi nunc adhuc exstant ad meridiem vici *Afkā* prope originem fluvii. Amoenitas regionis ab exploratoribus celebratur.

Cf. *Seetzen*, Reisen durch Syrien, Palaestina etc. *ed. Kruse* I. p. 245. 246; *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. 1857, p. 788-793; *Ritter*, Erdkunde XVII. p. 301 s.; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v. Apheca 1. Attamen *F. de Hummelauer* ad Ios. 13,4 contendit textum hebr. corruptione laborare et pro : Maara Sidoniorum usque Apheca emendationem proponit : a Gaza usque Apheca Sidoniorum; quae Apheca quaerenda erit ibi, ubi terminus Aser attingit terminum Sidonis, hinc a meridie Sidonis.

7. Apheca (אֲפֵקָה, Φακουά, A Ἀφακά), urbs tribus Iuda, in secunda provincia montis Iuda enumerata (Ios. 15,53). Censetur esse vicus *Fukin* occidentem versus a Bethlehem, septemtrionem versus a Hebron (*Legendre*, Carte de la Palestine et apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v. Apheca 2). *Guérin*, Judée III. p. 321 hunc vicum describit et vestigia antiquae urbis deprehendit in sepulcris, quae rupibus vico imminentibus incisa sunt. Attamen hic situs pro Apheca admitti nequit, quoniam urbes in secunda provincia montis Iuda enumeratae multo magis meridiem versus quaerendae sunt (vide s. v. IUDA 2).

APHIA (אַפִּיחַ, Ἀφέκ), Beniaminita ex maioribus Saul (1 Reg. 9,1).

APHONITES v. SEPHAMOTH.

APHRAH v. BETH LE APHRAH.

APHSES הַפֵּצֵץ, Ἀφεσή, princeps duodevicesimae classis sacerdotalis tempore Davidis (1 Par. 24,15).

APHUTHAEI הַפִּיתִי cum articulo; LXX corrupte Μωθίμ), nomen familiae in Cariathiarim (1 Par. 2,53).

APIS 1. *Textus Scripturae.* דְּבוֹרָה, μέλισσα, inter omnia insecta principatum et iure praecipuam admirationem merita (*Plin.* XI. 5,11), raro tantum in libris sacris memoratur. Imprimis hostes magno impetu adversarium persequentes apibus comparantur (Deut. 1,44; Ps. 117 [118], 12; Is. 7,18). Praeterea Samson in terra Philistaeorum examen apum in ore, seu potius in cadavere (גְּוִיָּה) leonis occisi et favum mellis refertur invenisse (Iud. 14,8), atque Siracides postquam monuit « non laudes virum in specie sua neque spernas hominem in visu suo » (11,2), exemplum addit de api : « brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius » (v. 3). Probabiliter etiam 1 Reg. 14,26 pro massorethico הֹלֵךְ דְּבַשׁ (*Vulg.* fluens mel) potius legendum est הָלְכוּ דְבוֹרוֹ « abierunt apes eius » (*Wellhausen, Driver* al.). Denique in versione graeca Proverbiorum (6,8 a-c) post exemplum de formica adduntur tres versus de api eiusque laborioso, utili, sapienti opere.

2. *Apes silvestres.* Apes silvestres in Palaestina atque in reliquo Oriente frequentissimae fuerunt et sunt. Unde et mellis silvestris saepius mentio fit in Scripturis (Deut. 32,13; Iud. 14,8; 1 Reg. 14,25-27; Ier. 41,8; Matth. 3,4), et saltem ex parte etiam propter apium silvestrium abundantiam terra promissa lacte et melle fluere dicitur (Ex. 3,8. 17 etc. v. MEL). Atque sicut *Daniel*, hegumenus rossus (c. 51. Itinér. russes *ed. B. de Khitrowo*, Genève 1889, p. 44), in rupibus prope Hebron multas observavit apes, ita nunc quoque plurima apium silvestrium examina in omni Palaestinae parte inveniuntur. Plerumque in truncis arborum rupiumque fissuris habitant, « in torrentibus vallium et in cavernis petrarum et in omnibus frutetis et in universis foraminibus » (Is. 7,19. Cf. *Aristot.* Hist. anim. V. 19 al. 22,8; *Ver-*

gil. Georg. 4,42; *Strabo* XI. 7,2, *ed. Cas.* 509; *Plin.* XI. 18,59, al.), atque a floribus melliferis, quibus Palaestina abundat, dulcissimi mellis copiam colligunt. Species autem, quae hodie in Syria, Palaestina atque Aegypto communiter invenitur, non est eadem omnino ac nostrarum regionum *Apis mellifica* Linnei, sed *Apis fasciata* Latreille, quam et apem aegypticam vocant. Licet magnitudine apes nostras non aequent, ferociores tamen et iracundiores ipsis sunt atque aculei punctione aggressoribus periculosiores, quibus proinde hostes infensi optime comparantur (cf. *Homer.* Il. 2,87).

Cf. *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible, *ed.* 8, p. 322-6; *W. M. Thomson,* The Land and the Book, London 1883,259. 591; *Leunis-Ludwig,* Synopsis *ed.* 3. I. 2 p. 215 s.; *A. E. Brehm,* Tierleben, *ed.* 3 *Pechuel-Loesche* IX. 216-29; *Ph. L. Martin,* Naturgesch. d. Thiere II. 2 (*E. Rey*), 177-9.

3. *Apes cultae.* Utrum praeter apes silvestres etiam urbanae ac cultae antiquis Hebraeis notae fuerint necnè, ex Scripturae verbis non satis videtur constare. Unicum pro affirmatione argumentum ex eo deducitur, quod apud Isaiam (7,13) Dominus dicitur *sibilare* (שָׁרַק) api quae est in terra Assur (cf. 5,26; Zach. 10,8); sibilo enim vel simili sonitu apiarii examen avolans ad alveum reducebant vel ex eo eliciebant (*Varro,* De re rust. III. 16,7; *Verg.* Georg. 4,64 ss.; *Colum.* IX. 12,1; *Plin.* XI. 20,68; *Aelian.* Hist. anim. 5,13; S. *Cyrill. Hieros.* in Is. 5,26, al.). Graecis populisque vicinis apium cura, quae prima vice in textu *Hesiodi* (Theogon. v. 594 ss.) dicitur indicari, tempore *Homeri* vix videtur nota fuisse, licet postea auctores rustici plurima de apibus scripta reliquerint (*Varro,* 3,16; *Colum.* 9,2-16; *Pallad.* 1,37-39. Cf. *Aristot.* Hist. anim. V. 18 s. al. 21 s.; IX. 27 al. 40. *Plin.* XI. 5-20, al.). Posteriore hoc tempore etiam Hebraeis, atque inter eos maxime Essenis, acceptissimam fuisse alveorum curam *Philo* testatur (2,633. Cf. *Euseb.* Praep. evang. 8,11); pariter in libris talmudicis frequenter de ea sermo est sicut etiam nostra aetate ubique in Palaestina et Syria exercetur.

Cf. *C. Ritter,* Erdkunde XVI. 1,283. 290; XVIII. 2,1230; *L. Lewysohn,* Zool. d. Talmuds, 301 s.; *Tristram* l. c.; *Thomson,* op. c. 159. 199. 464 s., etc.; *V. Hehn,* Kulturpfl. u. Hausthiere *ed.* 6, 133 s. 565; *Fr. Liévin de Hamme,* Terre Sainte *ed.* 4, 1897, I. p. 55, al.

4. *Apes Samsonis.* Contra historiam de examine apum a Samone in cadavere leonis invento (Iud. 14,8), obiciunt, apes ab omni odore gravi atque a cadaveribus abhorrere (*Aristot.* Hist. anim. IX. 27 al. 40, 14. *Varro* l. c. *Plin.* XI. 18,61, al.); quare aut historiam illam a rerum veritate esse alienam, aut ex fabula illa ortam contendunt, qua veteres auctores profani apes ex bove putrefacto progenerari somniabantur (*F. Baethgen,* Beitr. z. semit. Religionsgesch. p. 167 s. *Riehm-Baethgen,* Handwörterb. *ed.* 2, I. p. 3). Procul dubio fabula illa sat communis est apud scriptores (*Varro* 2,5; 3,16; *Colum.* 9,14; *Plin.* XI. 20,70, al.); sed autorem sacrum illam ullatenus respicere nullo argumento probatur nulloque probabile est. Immo qui cadaver quodcumque sub sole orientali per paucos tantum dies avibus ac canibus aliisque bestiis proiectum consideraverit, procul dubio de leone occiso « post aliquot dies », quantum scil. temporis inter primam petitionem et ipsam acceptionem mulieris conviviumque nuptiale intercedere par est (Iud. 14,5-8), non iam carnes putrefactas tetri odoris reliquas fuisse consentiet, sed exsiccatum tantum et arefactum corpus cum ossibus; a quo apes non abhorrere etiam illud *Herodoti* exemplum de capite Onesili occisi ostendit, quod examen apum favis suis implevit (5,114).

Ex ape nomen habuit Debbora (v. s. v.); praeterea de labore apium v. CERA, MEL.

Cf. *Sam. Bochart,* Hieroz. II. 502-516, *ed. Rosenm.* III. 352-373; *Fr. Huber,* Nouvelles observations sur les abeilles 1792; *Sam. Oedmann,* Verm. Samml. 6, 131-137; *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Alterth. IV. 2, 422-428; *M. Bach,* Die Wunder der Insektenwelt *ed.* 2, Soest 1873, 86-92; 129 s. 155 s.; *id.* Studien u. Lesefrüchte I. *ed.* 6, Köln 1878, 246-323; Frd. *Delitzsch,* Assyr. Thiernamen 66 s.; *P. Cultrera,* Fauna bibl. 402-11; *F. G. Wood,* Bible Animals 605-12; *F. Th. Koeppen* in Ausland 1890, 1001-7 Alia. v. ap. *Leunis* l. c. 216.

L. FONCK.

APOLLO (Ἀπολλώς), Iudaeus alexandrinus, vir eloquens et potens in Scripturis, quem Priscilla et Aquila Ephesi doctrinam Christi edocuerant, Ephesi et Corinthi magna cum facundia et ardenti zelo evangelium annuntiavit. De eo dicit apostolus : ego plantavi, Apollo rigavit (1 Cor. 3,6). Quantae fuerit auctoritatis, patet ex eo quod pars quaedam Christianorum, sicut alii Paulum et alii Cepham, ita Apollo tamquam praecipuum magistrum Corinthi efferebat (1 Cor. 1,12) et quod apostolus scribit de eo : multum rogavi eum ut veniret ad vos cum fratribus (16,12) et quod Tito scribit : Zenam legisperitum et Apollo sollicite praemitte (πρόπεμψον, deduc), ut nihil iis desit. Vult itaque apostolus, ut Titus iis omni sollicitudine provideat (Tit. 3,13; ceterum cf. Act. 18,24 s. 19,1; 1 Cor. 4,6). Pariter manifestat Paulus quanti aestimet Apollo, dum scribit : omnia vestra sunt, sive, Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita etc. (1 Cor. 3,22). Eum philosophia alexandrina tinctum fuisse communiter censent. *Belser* (Einleitung in das Neue Test. 1901 p. 600 s.) et alii eum putant fuisse scriptorem (concipientem, non auctorem) epistulae S. Pauli ad Hebraeos.

APOLLONIA (Ἀπολλωνία), urbs Macedoniae (Act. 17,1). In hac urbe Paulus et Silas Philippis Thessalonicam proficiscentes pernoctasse videntur; cf. AMPHIPOLIS. Apollonia sita erat in Mygdonia provincia Macedoniae (*Plinius* IV. 10, 38) inter Amphipolin et Thessalonicam; distabat 30 vel 32 mil. pass. ab Amphipoli, 37 vel 36 mil. pass. a Thessalonica (Itinerarium Antonini 320 et 331) vel 31 mil. pass. ab Amphipoli, 38 mil. pass. a Thessalonica (Itin. Burdig. 605) vel 30 mil. pass. ab Amphipoli, 38 mil. pass. a Thessalonica (Tabula Peutinger. Segm. VIII. 2.3). Hodie vicus *Pollina* a meridie lacus *Betschik Gol* (lacus Bolbe). Distinguenda est haec Apollonia a compluribus aliis eiusdem nominis, praesertim ab Apollonia Thraciae (*Plinius* IV. 10,37).

Cf. Itinerarium Antonini Augusti et Hierosolymitanum, *ed. Parthey et Pinder* p. 152 et 157; *P. Geyer*, Itin. hier. p. 27; *Cousinéry*, Voyage dans la Macédoine I. 115.

APOLLONIUS (Ἀπολλώνιος) nomen erat compluribus ducibus Seleucidarum.

1. Filius Tharsaeae, praefectus Coeles Syriae et Phoenicis tempore Seleuci IV. Philopatoris, Iudaeis infensus (2 Mach. 3,4-7; 4,4).

2. Filius Mnesthei, ab Antiocho IV. Epiphane rege Syriae legatus ad Ptolemaeum VI. Philometorem missus a. 173 a. Chr. (2 Mach. 4,21). Vix dubium est, quin hic sit idem Apollonius, qui ab Antiocho IV. post quartam in Aegyptum expeditionem princeps tributorum in Iudaeam missus est et magna caede facta Hierosolyma diripuit ac praesidio Syrorum munivit (1 Mach. 1,30-39 [gr. 29-37]; 2 Mach. 5,24-26). Cecidit in proelio victus a Iuda Machabaeo, qui gladio Apollonii in pugnando ab illo tempore usus est (1 Mach. 3,10-12).

3. Filius Gennaei, unus ex praefectis regionum, qui in Iudaeos saevire pergebant (2 Mach. 12,2), postquam Lysias, tutor Antiochi V. Eupatoris, pace cum Iuda Machabaeo composita, in Syriam rediit (12,1; cf. 11,1-15).

4. Praefectus Coeles Syriae regnante Alexandro Bala. A Iosepho (Ant. XIII. 4,3) cognominatur ὁ Τάος (*ed. Niese;* ὁ Δάος *ed. Dindorf;* Dahae, Dai erant populus in Sogdiana). Ubi primum Demetrius II. Nicator cum Alexandro Bala de throno Syriae contendit, Apollonius Demetrio adhaesit et Ionathan Machabaeum Alexandri sectatorem ad certamen provocavit, sed apud Azotum a Ionatha eiusque fratre Simone turpiter devictus est a. 147 a. Chr. (1 Mach. 10,69-85). — Fl. Iosephus (Ant. XIII. 4,3.4) erronee rem ita proponit, ac si Apollonius a parte Alexandri, non Demetrii stetisset et addit Alexandrum audita clade Apollonii ducis sui laetitiam simulasse, quod iste praeter regis intentionem Ionathan socium et amicum regis aggressus esset.

APOLLOPHANES (Ἀπολλοφάνης) dux Syrorum, qui simul cum Chaerea et Timotheo occisus est, cum Iudas Machabaeus Gazaram, praesidium munitum prope Nicopolim, expugnaret (2 Mach. 10,37).

APOLLYON v. ABADDON.

APOSTASIA dicitur defectio a vera

religione et cultu Dei et defectio ab observatione legis; ita Ier. 2,19 LXX, 1 Mach. 2,15; ita *Vulg.* Ez. 2,3 Israelitae dicuntur gentes apostatrices, hebr. rebelles; similiter Ios. 22,22 מְרִי rebellio, LXX ἀποστασία et 3 Reg. 21,13 viri nequam et testes falsi dicuntur ἄνδρες ἀποστασίας (*Vulg.* viri diabolici; hebr. viri Belial). Item praevaricatio Achaz vocatur ἀποστασία. Accusatur a iudaizantibus Paulus quod doceat discessionem, apostasiam, a lege Moysis (Act. 21,21). Praecipue autem dicitur apostasia magna illa defectio, discessio, quae ante revelationem hominis peccati i. e. antichristi futura est, uti apostolus docet 2 Thess. 2,3.

APOSTOLUS. Ioannes Baptista, praecursor Messiae, ut pararet Domino plebem perfectam (Luc. 1,17) Christo etiam paravit primos discipulos eosque suo de Iesu tamquam Agno Dei testimonio ad Iesum transmisit (Ioan. 1,36. 37). Andreas adduxit fratrem Simonem; Iesus invitat ad se Philippum, Philippus adducit Nathanael (probabilissime Bartholomaeum i. e. qui est filius Tolmai); cum Ioanne etiam frater eius Iacobus mox ad Domini societatem adductus est. Et ita Iesum quam primum vitam auspicatur publicam a discipulis circumdatum videmus (cf. Ioan. 2,2; 3,22), et pharisaei non sine stomacho advertunt Iesum plures facere discipulos quam Ioannes fecerit (Ioan. 4,1). Cum his revertitur ex Iudaea in Galilaeam, ibique alios quoque sui comitatui aggregat; nam ut Marcus ait 2,15 : erant enim qui et sequebantur eum. Iam ex hisce discipulos quos per longius tempus iam docuerat testesque fecerat miraculorum omnis generis, in secundo anno vitae publicae elegit duodecim quibus ipse nomen dedit apostolorum (Luc. 6,13); hos elegit, ut essent cum illo et ut mitteret eos praedicare (Marc. 3,14). Hos comites suos nunc habet assiduos. Electione eorum incipit regni sui fundamenta ponere. Eligit eos eo tempore quo iam duces synagogae simul cum Herodianis consilium inierunt quomodo Iesum perderent (Marc. 3,6), quo igitur manifestum erat principes synagogae esse inimicos infensissimos regni Christi et proinde huic regno alios esse providendos principes. Et insuper Iesus videns turbas misertus est eis quia erant vexati et iacentes sicut oves non habentes pastorem (Matth. 9, 36). Hisce itaque alios constituere pastores necesse erat. Eligit autem duodecim, ut sicut populus Dei veteris foederis generatione carnali propagatus est ex duodecim patribus, ita populus Dei novi foederis spiritualis spiritualiter conderetur a duodecim; ceterum veteres iam monuerunt numerum duodenarium in sacra historia frequenter reperiri (cf. *Knabenbauer,* Comm. in Matth. I. p. 371).

Quater enumerantur duodecim apostoli Matth. 10,2; Marc. 3,16; Luc. 6,14; Act. 1,13. Ubique Petrus primum occupat locum (et explicite Matth. : primus Simon qui dicitur Petrus); ei adiungitur Andreas frater apud Matth. et Luc., dum apud Marcum primo Petro adiunguntur filii Zebedaei, Iacobus et Ioannes, qui simul cum Petro reliquis a Domino praeferebantur et quandoque aliis exclusis socii Iesu et testes erant miraculorum (ita in resuscitatione filiae Iairi, in transfiguratione); quarto loco ponitur Andreas; similiter in Act. Uti in primo quaternione, ita in secundo quoque et tertio ubique iidem enumerantur, etsi non semper eodem ordine. Nam dum apud Marc. et Luc. sequuntur Philippus et Bartholomaeus, Matthaeus et Thomas, ipse Matthaeus suum nomen post Thomam ponit insuper addens *publicanus;* in Act. autem : Philippus et Thomas, Bartholomaeus et Matthaeus. In tertio quaternione Matth. et Marc. eundem ordinem praebent : Iacobus Alphaei et Thaddaeus, Simon et Iudas Iscariotes, dum Luc. et Act. Simon legitur secundo loco, Iudas (Thaddaeus) autem tertio. Qui futurus erat proditor, ubique ultimus ponitur. Qui sex priores recensentur, etiam tempore priores Domino adhaeserunt; unde aliqui concluserunt alios quoque enumerari fere ex ordine temporis quo a Christo sint vocati. Inter eos reperiuntur tria paria fratrum : Petrus et Andreas, Ioannes et Iacobus, Iacobus et Iudas (Thaddaeus) filii Alphaei, qui fratres quoque Domini vocantur. Omnes erant Galilaei excepto

Iuda Iscariote viro scil. ex oppido Carioth in tribu Iuda. Ios. 15,25); cf. Act. 2,7: nonne ecce omnes isti Galilaei sunt?

Electione apostolorum facta Iesus in sermone qui dicitur montanus regni sui spiritualis leges et normas exponit atque deinceps singulari modo erudit et edocet eos; variis miraculis eorum fidem expolit, provocat, auget; iis exponit parabolas, mittit eos ad praedicandum, docet eos de humilitate, de paupertate, de cura parvulorum et peccatorum, reprehendit eorum defectus, reprimit zelotypiam, ambitionem, iniungit remissionem iniuriarum etc., uti in evangeliis narratur. Praeterea, ut apti reddantur ad regimen Ecclesiae administrandum, iis confert potestatem legiferam et iudicialem, in eorum collegio unum constituit primatem, iis promittit Spiritum sanctum qui eos inducat in omnem veritatem, dat potestatem remittendi peccata, celebrandi s. eucharistiam et antequam in caelos ascendat iubet eos euntes docere omnes gentes baptizantes eos et docentes eos servare omnia quae ipse praeceperit. Ex evangelica narratione apostoli nobis exhibentur viri simplices, in intellegenda Iesu doctrina tardi, qui notionem de regno Messiae mundano diu retinent, de passione et resurrectione quam Iesus saepius praedicit nihil intellegunt, Iesum tempore passionis derelinquunt, nuntium de eius resurrectione prius ut deliramentum spernunt et solum documentis evidentissimis quae Christus suis apparitionibus iis tradit ad firmam de eius resurrectione persuasionem adducuntur. Ad munus autem apostolicum subeundum apti et fortes redduntur adventu Spiritus sancti in die pentecostes. Ex eo tempore quasi in alios viros mutati videntur. Scientia Scripturarum instructi omni fortitudine Iesum Christum praedicant et testimonium reddunt de eius resurrectione, synedristas et populum caedis Messiae accusant, omnes ad poenitentiam et fidem amplectendam exhortantur, minis, carceribus, flagellis minime terrentur, sed maiore zelo arguunt, praedicant gloriantes et gaudentes quod digni habiti sint pro nomine Iesu contumeliam pati (Act. 2,1 ss.).

Iussi erant a Domino esse testes ipsius in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae (Act. 1, 8). Quocirca Iudaeis annuntiant evangelium prius; sed in ipsa Iudaea iam docentur gentes quoque eiusdem gratiae esse participes sine media lege mosaica (Act. 10 s.), id quod contra iudaizantes in concilio apostolorum sollemni decreto stabilitur (Act. 15 s.). Eo tempore circa annum 51 Ierosolymis morabantur Petrus, Iacobus, Ioannes ex numero duodecim; alii itaque iam secundum Domini verbum in omnem terram profecti erant ad fundandam ubique Ecclesiam Christi. Verum praeter ea quae in Act. referuntur et ex epistulis colliguntur, fere nihil certo constat nisi S. Petrum romanam fundasse ecclesiam et Romae simul cum S. Paulo martyrium subiisse. Quae in multis illis apocryphis Act. apostolorum narrantur (cf. *Lipsius*, Die apocryphen Apostelgeschichten und Apostellegenden, Braunschweig 1883-1890), ad duo confirmanda inserviunt: apostolos varias orbis terrarum partes peragrasse evangelium praedicantes sequentibus signis, et S. Petrum et principem apostolorum (qui in iis κορυφαῖος apostolorum, episcopus totius Ecclesiae appellatur et apostolis suam cuique provinciam praedicationis assignat) Romae mortem obiisse.

Quae autem propria sunt apostolis et apostolatus dignitatem specialem constituunt haec sunt quae a S. Petro indicantur (Act. 1,21 s.), cum in locum Iudae proditoris alius apostolus esset sufficiendus: debet doctrinam ab ipso Christo accepisse, testis esse resurrectionis, singulari Dei vocatione ad eam dignitatem designari; cum ea vocatione qua ad *fundandam* Ecclesiam mittuntur simul coniungitur talis assistentia divina qua in tradenda doctrina ab omni errore redduntur immunes. Eadem quoque in S. Paulo deprehenduntur. Nam ut apostolicam suam auctoritatem reliquis aequalem probet, in medium affert se doctrinam non ab homine didicisse, sed accepisse a Domino, se vidisse Christum postquam resurrexerit a mortuis et se non ab homine vel per hominem sed per Iesum Christum et Deum Patrem esse apostolum (Gal. 1,1 s. 11 s.). Porro ipsi

quam maxime persuasum est se sine ullo errore tradere doctrinam Christi : licet angelus de caelo evangelizet vobis praeter id quod accepistis, anathema sit (Gal. 1,8); habet potestatem destruendi munitiones, consilia omnemque altitudinem quae sese efferant contra scientiam Dei et in captivitatem redigendi omnem intellectum in obsequium Christi (2 Cor. 10,5).

Ex S. Paulo tuto quoque discimus quo modo apostoli munere suo functi sint. Incipiebant singulis in regionibus praedicare Iudaeis et proselytis in synagogis; Iudaeis enim primo nuntius messianus erat deferendus; dein convertebantur ad gentes. Stipem et victum accipiebant ab iis quibus bona spiritualia largiebantur (1 Cor. 9,4 s.); Paulus tamen et Barnabas propter iudaizantes generatim stipem a christianis non accipiebant, saltem non a Thessalonicensibus et Corinthiis (accipiebant tamen a Philippensibus), sed labore manuum sibi comparabant, ne qua in re cursus evangelii impediretur neve adversarii occasionem calumniarum nanciscerentur (cf. 1 Cor. 9,6 s. Phil. 4,15 s. 1 Thess. 2,9; 2 Thess. 3,8; Act. 20,34). Si in aliqua urbe coetus fidelium erat collectus, constituebant antequam ad alias urbes pergerent presbyteros, qui in domibus christianorum fractionem panis i. e. eucharistiam celebrarent, docerent, religionem propagarent (cf. Act. 2,42; 5,42; 14,22; Rom. 16,5; Tit. 1, 5 etc.). In peccatores poenas decreverunt, leges et normas statuerunt quae in coetibus religiosis observandae essent, maxima cura invigilabant, ut pure servaretur doctrina, ut qui dissensiones et schismata spargerent excluderentur (Rom. 16,17; 1 Cor. 1,11 s. 5,1 s. 6,1 s. 11-14; 2 Cor. 13,2 s. Gal. 5,8. 9; Col. 2,20; 1 Tim. 1,20 etc.). In omnibus epistulis apostolorum cernitur auctoritas apostolica qua leges ferunt, doctrinam proponunt, recalcitrantes puniunt et se exhibent ut legatos et praecones Christi qui pro eo legatione funguntur et per quos Deus ad homines loquitur. Iam a principio pauperibus quoque suam intendebant curam; quibus quo melius prospiceretur sine ullo praedicationis damno, diaconos elegerunt (Act. 6,2 s.); ut pauperum memores essent, in concilio apostolorum commendarunt Paulo et Barnabae, et quam sollicitus fuerit Paulus hoc ipsum facere et ipse testatur (Gal. 2,10) et epistulae eius testimonium ferunt (Rom. 15,26 s. 1 Cor. 16,1 s. 2 Cor. 8-9). Ita in ipsis apostolis perfecta nobis proponitur imago Ecclesiae Christi : doctrina cum auctoritate sine ullo erroris periculo proposita, potestas legifera, iudicialis, inflictio poenae, administratio sacramentorum, cura pauperum.

Ceterum nomen Apostoli quandoque latiore quoque sensu accipitur. Id quidem non obtinere censendum erit Act. 14,4. 13, quibus locis Paulus et Barnabas appellantur apostoli; nam Barnabam quoque vere apostolatus dignitate fuisse insignitum omnino probabile est (cf. Act. 13,2; Gal. 2,9; vide *Braunsberger*, Der Apostel Barnabas p. 89 s.). Verum notione alia vox usurpatur 2 Cor. 8,23; dicuntur apostoli ecclesiarum ii qui ab ecclesiis electi sunt ut legati et ab iis missi (cf. 1 Cor. 16,3); item si Epaphroditus appellatur apostolus i. e. legatus Philippensium. Dubium esse potest quo sensu Andronicus et Iunias dicantur nobiles in apostolis (Rom. 16,7), insignes inter eos qui apostolorum (sensu latiore) munere funguntur, vel qui apud apostolos magna cum laude noti sunt. Paulus adversarios suos qui ecclesiam corinthiacam perturbabant et auctoritatem apostolicam Pauli impugnabant et falcem in alienam messem mittentes de suis operibus in immensum gloriabantur, ideo vocat τοὺς ὑπερλίαν ἀποστόλους mordaci quadam ironia (2 Cor. 11,5); nam eiusmodi pseudoapostoli transfigurant se in apostolos Christi (2 Cor. 11,13).

Singulari ratione Christus dicitur apostolus (Hebr. 3,1) utpote legatus excellentissimus a Deo ad nos missus; cuius appellationis ratio eo loco cernitur, quia Christus cum Moyse legato comparatur eumque dignitate longe superare demonstratur, uti Christus pontifex quam plurimum dignitatem Aaronis excedit.

I. KNABENBAUER.

APPHAIM (אַפַּיִם, Ἀπφαίν), filius Nadab de tribu Iuda (1 Par. 2,30. 31).

APPHUS (Ἀπποῦς), cognomen Ionathae Machabaei (1 Mach. 2,5). Ut ex *Levy*, Neuhebraeisches Woerterbuch I. 138 apparet, vox latina *postumus* a Iudaeis in אפיסמיס cum Aleph prosthetico transformata est. Unde coniicere licet Ἀπποῦς non esse nisi illius vocabuli mutilationem. Ionathas enim erat natu minimus inter fratres suos; vox *postumus* autem non eum solum significat, qui patre mortuo, sed eum quoque, qui postremo loco natus est. Hanc vocis Ἀπποῦς interpretationem primus proposuit *I. K. Zenner* in Zeitschr. für kath. Theologie, Innsbruck, XVIII. 1894 p. 761-762 simulque rationes philologicas indicavit, cur interpretatio communiter admissa : *dissimulator* relinquenda sit.

APPIA (Ἀππία), mulier christiana et S. Paulo soror carissima, cui etiam epistula ad Philemonem inscribitur (Philem. 2). Aliqui cum S. Chrysostomo et Theodoreto eam Philemonis uxorem esse putarunt; ceterum qua ratione ad eius domum pertinuerit, definiri nequit.

APPII FORUM (Ἀππίου φόρον) erat statio quaedam viae Appiae in mediis paludibus Pontinis sita, ad quam usque fratres ab urbe Roma S. Paulo captivo occurrerunt (Act. 28,15). Nomen habebat ab Appio Claudio Caeco, qui viam Appiam construxit. A Roma distabat 43 mil. pass. (Itiner. Antonini Augusti 107, *ed. Parthey et Pinder* p. 49); in Itinerario Burdigalensi 611 appellatur mutatio (l. c. p. 287). Describitur apud Horatium (Sat. I. 5,4) : differtum nautis, cauponibus atque malignis. Eius mentionem faciunt *Cicero* ad Attic. II. 10 et *Plinius* III. 5,64; XIV. 6,61.

AQUA. In historia creationis terra primo nobis describitur in conditione quadam liquida (Gen. 1,2. 9), ex qua per verbum Dei terra in praesentem statum est traducta; quare dicitur 2 Petr. 3,5 : terra de aqua et per aquam consistens. Si sermo est de aquis quae super caelos sunt (Dan. 3,60), veteres quidam quandoque putabant aquas etiam supra caelum stelliferum constitui; at ex verbis id portenti minime innuitur; regio enim aëris etiam vocatur caelum (volucres caeli); unde nubes apte eo modo designantur; similiter enim sermo infertur de cataractis caeli (Gen. 7,11; Is. 24,18, et Ier. 10,13 : ad vocem suam dat multitudinem aquarum in caelo, et nubes describuntur tamquam aquae in vestimento quasi colligatae (Prov. 30,4), unde imbres ad instar gurgitum effunduntur (Iob 36,27). In regionibus calidis ideoque saepe aridis aqua maximi aestimatur. Ubi aqua reperitur, plantae, gramina, arbores abundant; ubi deest, desolatio et desertum cuncta occupat. Si imber vel temporaneus vel serotinus deficit, periit messis; siccitate Deus saepius iniquitatem populi castigavit (cf. 3 Reg. 8,35; 17,1 s.; Is. 41,17; Ier. 14,1 s.). Inter necessaria ad vitam hominis primo loco Sapiens recenset aquam (Eccli. 29,28; 39,31); tamquam potus ordinarius maximeque communis saepe commemoratur (Gen. 21,14; 1 Reg. 25,11; 30,11; 2 Reg. 23,15; 3 Reg. 13,8. 19; 19,6 etc.). Quia qui sitit avide multumque bibit, etiam bibere quasi aquam in modum proverbii dicitur de iis quae frequenter fiunt (cf. Iob 15,16 qui bibit quasi aquam iniquitatem; 34,7). Usus aquae ad lavacra sacra, ad eluendas immundities leviticas praescriptus erat (cf. Lev. 14,8; 15,10 s.; 16,26; 17,15; 22, 6) et quam scrupulose haec a pharisaeis observata sint, evangelia nos docent (Marc. 7,3. 4; Matth. 15,2). Victimae quoque aqua lavandae erant, de qua lotione plura praescribuntur Lev. 1,9. 13; 9,14; vasa sacra pariter aqua ab omni contagione profana erant purganda (Lev. 6,28). Ad quas lationes omnes in templo Salomonis praesto erant mare aeneum et luteres. Aqua lustrationis peculiari ritu praeparabatur Num. 19,2 s.; aqua sancta et pauxillum terrae de pavimento tabernaculi adhibebatur in exploratione mulieris adulterae Num. 5,17 s.

Cum aqua fertilitatem terrae largiatur omnemque regionem efficiat florentem et virentem (cf. Ps. 1,3; Ier. 17,8; Iob 29,19; Is. 35,7; 41,18), aqua aptam praebet metaphoram ad benedictionem divinam illustrandam; immo Deus ipse se vocat fontem aquae vivae (Ier. 2,13) i. e. fontem continuo qui fluit et saluberrimas aquas largitur; unde : haurietis aquas in gaudio de fontibus salutis (Is.

12,3), et ipsa effusio spiritus Dei comparatur effusioni aquae : effundam aquas super sitientem et fluenta super aridam, effundam spiritum meum super semen tuum et benedictionem meam super stirpem tuam (Is. 44,3). Effusione aquae mundae ablatum iri sordes peccatorum Ezechiel vaticinatur 36,25 (cf. Zach. 13,1) et largissimam Dei benedictionem in regno messiano dandam Ezechiel 47,1 s. describit mutatione illa et fertilitate quae aquis e templo profluentibus efficitur. Qua comparatione Iesus quoque usus est in colloquio cum muliere samaritana dicens : aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam (Ioan. 4,14) et Spiritum sanctum eiusque dona flumina vocat aquae vivae (Ioan. 7,38. 39). Aquam autem Christus summo affecit honore et typum aquae lustrationis sacrarumque lotionum et oracula prophetarum de aqua munda implevit, dum aquam constitueret materiam sacramenti baptismi necessitate imposita ut renascamur ex aqua et Spiritu sancto (Ioan. 3,5).

Uti in rerum natura aquarum impetus et inundationes hominibus et regionibus perniciei sunt, ita aquae in oratione concitata etiam comparatione adhibentur ad pericula, tribulationes, persecutiones aliaque mala designanda; qui a periculis eripitur dicitur assumptus de aquis multis (Ps. 17,17); qui a Deo protegitur, in diluvio aquarum multarum ad eum aquae non approximabunt (Ps. 31,6); qui afflictus est precatur ad Deum : salvum me fac quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam (Ps. 68, 2. 15. 16; cf. Ps. 87,18; 123,4. 5). Inde exercitus regionem invadentes aquis magno strepitu inundantibus comparantur Is. 8,7 : ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum; et 17,12 : vae multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonantis, et tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum; cf. 28,2. 17. Unde qui foedus inire student cum Aegyptiis et Assyriis, aquam turbidam, aquam fluminis bibere velle dicuntur, dum regnum davidicum theocraticum confertur aquis Siloe quae vadunt cum silentio (Is. 8,6; Ier. 2,18; Ier. 47,2 : ecce aquae ascendunt ab aquilone et erunt quasi torrens inundans et operient terram; cf. Ez. 26,19). Quare aquae quandoque pro gentibus ponuntur (Apoc. 17,1. 15 : aquae quas vidisti populi sunt et gentes; cf. Ier. 51,13). Ad ultionem et vindictam Deus aquis usus est in diluvio, in plagis aegyptiacis, dum aqua Nili infecta computresceret, dum Aegyptii persequentes populum Dei aquis mergerentur (Gen. 7; Ex.7, 17 ss.; 14,27 s.); quare denuo patet cur aquae multae symbolum sint adversitatum. Sed quia iisdem aquis alii servati sunt in diluvio, in transitu maris Rubri, et aqua maximam habet utilitatem, etiam, uti vidimus, aqua symbolum est salutis (Is. 11,9 : repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes).

Aliae quoque comparationes et symbola petuntur ex natura aquae; qui impetu et aestu malae concupiscentiae abripitur, ebullienti aquae confertur (Gen. 49,4 hebr.); qui destituitur fortitudine, eius cor instar aquae liquefactum est (Ios. 7,5) vel ad nihilum deveniet sicut aqua decurrens (Ps. 57,8); interitus comparatur effusioni aquae, quae scil. cum effusa est iam non colligi potest (2 Reg. 14,14 : omnes morimur et quasi aquae dilabimur in terram quae non revertuntur; cf. Ps. 21,2). Documenta quoque vitae ex proprietatibus aquae colliguntur. Ita dicitur in universum : aqua profunda verba ex ore viri et torrens redundans fons sapientiae Prov. 18,4; sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri, sed homo sapiens exhauriet illud Prov. 20,5. Dein singula quaedam efferuntur. Quam periculosum sit iurgium incipere, illustratur Prov. 17,14 : qui dimittit aquam caput est iurgiorum (i. e. qui iurgium incipit similis est ei qui aggere perrupto exitum aperit aquis). Simili modo illustratur, quid valeat nuntius bonus : aqua frigida animae sitienti, et nuntius bonus de terra longinqua (Prov. 25,25); quid eleemosyna efficere possit : ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis (Eccli. 3,33); quam brevis sit vita longissima collata cum aeternitate : numerus dierum hominum ut multum centum anni; quasi gutta aquae maris

deputati sunt et sicut calculus arenae, sic exigui anni in die aevi (Eccli. 18,8). Admonitio fit ut suis quisque rebus sit contentus nec appetat illicita: bibe aquam de cisterna tua (Prov. 5,15); vecordi locuta est (mulier stulta): aquae furtivae dulciores sunt. Amici qui spem amici fallunt comparantur aquis quae deficiunt eo tempore quo maxime desiderantur (Iob 6, 15-18); unde Ieremias amice cum Deo expostulat: num eris mihi sicut rivus mendax, aquae quae non perdurant (15,18)? Ut principium et fons populi consideratur Iuda; unde: de aquis Iuda existis (Is. 48,1; cf. Ps. 67,7; Deut. 33,28).

I. KNABENBAUER.

AQUAEDUCTUS v. PISCINA.

AQUILA (Ἀκύλας), Ponticus genere i. e. oriundus ex Ponto provincia Asiae minoris, Iudaeus, qui cum uxore sua Priscilla (seu Prisca) Romam reliquit propter decretum Claudii (49 vel 50 p. Chr.) contra Iudaeos latum et Corinthi sedem fixit. Ibidem Aquila et Priscilla S. Paulum prima vice Corinthum advenientem hospitio exceperunt ac biennio fere integro ei in domo sua commoranti opportunitatem praebuerunt Evangelium in Achaia annuntiandi; manebat autem apud eos Paulus, quia eiusdem erant artis ac ipse scil. artis scenofactoriae (Act. 18,1 ss.), conficientes tentoria minora portabilia ex corio, ciliciis pannisque linteis. Apostolus igitur hac ratione sibi victum comparavit, sicuti etiam rabbinos saepe opificium aliquod exercuisse notum est (cf. *Schürer,* Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, II. 318. 319). Dubium movetur, fueritne Aquila iam Christianus, antequam Roma Corinthum veniret; res non liquet; vocatur quidem Act. 18,2 Iudaeus, sed ibi fortasse origo tantum effertur, quae causa erat, cur Romam reliquerit. Nonnulli (ut *de Wette*) S. Lucam erroris arguere ausi sunt ex eo, quod tempore Ciceronis Pontius quidam Aquila vixerit (*Cicero,* Epist. fam. 10,33; *Sueton.* Caes. 78) ac proinde Aquila noster necessario fuerit libertus illius Pontii atque per errorem a S. Luca ex Pontio in Ponticum transmutatus; cf. *Felten* et *Knabenbauer* ad h. l.

S. Paulum Corintho proficiscentem Aquila et Priscilla Ephesum comitati ibique ab eo, cum in Syriam pergeret, relicti sunt (Act. 18,18 ss.); ibidem Apollo Alexandrinum, virum eloquentem et potentem in scripturis, ipsi viam Domini diligentius docuerunt idoneumque reddiderunt Evangelii ministrum, qui ecclesiis Achaiae multum prodesset et apud alios quoque Evangelium propagantes effecerunt, ut Paulus mox Ephesum reversus amplissimam segetem laborum apostolicorum inveniret (18,26 ss.). Toto triennio cum Apostolo Ephesi commorati sunt atque ibi quoque, uti postea Romae, suam ecclesiam domesticam habebant (1 Cor. 16,19) i. e. non solam familiam suam (*Estius, Iustiniani*) neque totam ecclesiam ephesinam (*S. Chrysost., Theodoretus*), sed certum fidelium numerum ad sacra facienda in suam domum congregarunt (*Cornely*).

Corintho ad Romanos scribens S. Paulus salutat Priscam et Aquilam et domesticam ecclesiam eorum (Rom. 16,3-5). Prae ceteris enim a Paulo et nomine Pauli a tota ecclesia salutari merentur, quia pro eius anima suas cervices supposuerunt i. e. ad eius vitam tutandam semetipsos vitae periculo exposuerunt; ubi et quando hoc officium caritatis praestiterint, Romanis fidelibus notum esse supponitur, nobis ignotum est. Romam igitur redierant Epheso, quando post Claudii mortem eius decretum in desuetudinem abiit.

Roma denique S. Paulus in altera sua captivitate brevi ante mortem ad Timotheum scribens salutat Priscam et Aquilam (2 Tim. 4,19). Unde eluceat eosdem aliquot annis post, saeviente Neronis persecutione, urbem iterum reliquisse Ephesumque rediisse.

S. Paulus Rom. 16,3 et 2 Tim. 4,19 ac similiter S. Lucas Act. 18,18. 26 Priscam ante maritum suum Aquilam nominavit, alibi vero (1 Cor. 16,19; Act. 18,1) Aquilam ante Priscam. Cur Prisca marito anteponatur, non satis liquet. Opiniones antiquiorum et iuniorum ea de re vide apud *Cornely,* Comment. in Epist. ad Rom. p. 772 in nota.

Acatholici in conciliandis locis citatis magnam difficultatem experiuntur. Im-

primis ex 1 Cor. 16,19 arguunt pericopen Rom. 16,3-5 non Romanis, sed Ephesiis destinatam esse. Etenim inter priorem epistulam Epheso ad Corinthios missam et alteram Corintho ad Romanos scriptam novem vel decem menses tantum interiacent. Unde negant tam brevi tempore Aquilam et Priscam, quos Paulus Corinthum pergens Ephesi reliquerat, Romam transmigrare ibique ecclesiam domesticam formare potuisse ac multo minus intellegunt Paulum Corinthi haec omnia iam rescivisse. Insuper ex 2 Tim. 4,19 constat Priscam et Aquilam aliquot annis post Ephesi fuisse. Ergo contendunt eos intermedio tempore Ephesum non reliquisse. Sed hae rationes omnino futiles sunt neque difficultas veri nominis adest in locis citatis conciliandis, praesertim cum mercatores et opifices ad lucrum faciendum frequenter ex una civitate in aliam transmigraverint (cf. Iac. 4,13). Plura de istis obiectionibus vide refutata apud *Corneiy* ad Rom. 16, 3-5 (p. 773-775).

AQUILA. 1. *Nomen.* Aquila in Vulgata explicatur constanter hebr. נֶשֶׁר ac chald. נְשַׁר et graec. ἀετός; LXX similiter ubique ἀετός interpretantur. Reliquae versiones orientales fere retinent vocem hebraicam linguis semiticis communem atque etiam Arabibus hodiernis (*nasr*, vulg. *nisr*) sicut antiquis Assyriis (*nashru*) usitatam. Etiam nomen עַיִט, quod generatim avem rapacem designat, in textu Is. 46, 11 (*Vulg.* avis) aquilam videtur significare, quae arma Persarum decorabat (cf. *Xenoph.* Cyrop. 10,4).

2. *Textus Scripturae.* Avis haec in Scriptura primum inter alites immundas locum obtinet (Lev. 11,13; Deut. 14,12). Describitur « grandis, magnarum alarum, longo membrorum (seu potius pinnarum) ductu, plena plumis et varietate » (Ez. 17,3; cf. Apoc. 12,14), pennis multis ac longis praedita (Dan. 4,30), sed capite calvo (Mich. 1,16), oculis acerrimis (Iob 39,29), volatu celeri insignis (Deut. 28,49; 2 Reg. 1,23; Ier. 4,13; Thren. 4,19), praesertim cum in altum se extollit (Iob 39,27; Prov. 23,5; 30,19) aut in praedam se proicit (Iob 9,26; Ier. 48,40; 49,22; Os. 8,1 hebr.; Hab. 1,8). Quare saepe in locis citatis figura est hostium magno impetu in adversarium prosilientium, atque etiam in visionibus propheticis frequenter spiritus caelestes repraesentat (Ez. 1,10; 10,14; Apoc. 4,7; 8,13; cf. Dan. 7,4); in arte autem christiana imago aquilae pro symbolo quarti Evangelistae frequens occurrit. Pennas ut reliquae aves quotannis mutat, viribus quoque, quae tempore amissionis plumarum aliquantum infirmantur et deficiunt, postea quodammodo renovatis (Ps. 102 [103], 5; Is. 40,31); fortasse in istis textibus etiam longa aquilae vita respicitur, sed nullatenus ad fabulam veterum de aquilae renovatione recurrendum est. Cibum suum praesertim etiam ex cadaveribus sumere dicitur (Iob 39,30; Prov. 30,17; Matth. 24,28; Luc. 17,37) atque ipsi pulli « lambent sanguinem », carnem scil. crudam cum sanguine devorantes (Iob 39,30). Nidum in arduis petris atque inaccessis rupibus ponit (Iob 39,27 s. Ier. 49,16; Abd. 4), inde cum magna cura « provocans ad volatum pullos suos » (Deut. 32,11) fessosque super alas suas portans (Ex. 19, 4), cui ipse Dominus providentiam suam populo consulentem comparare non dedignatur.

3. *Monumenta antiqua.* Similia de *nashru* referunt inscriptiones cuneiformes, quae praesertim volatus eius velocitatem atque impetum (*Shamsi-Ramman* col. 2, 52; *Sargon* Khorsab. l. 129), nidumque in rupibus arduis positum (*Sanherib* Prisma col. 3,68-70) ac cibum ex carne trucidatorum commemorant (*Asurbanipal* Annal. Cyl. Rassam col. 4,74-76). Etiam in monumentis sculptis Assyriorum frequens est imago aquilae, praesertim super exercitum locumque proelii volantis atque carnem occisorum devorantis (*A. H. Layard*, Monum. of Nineveh 1,14. 18. 20. 22. 26. 64; 2, 46. 62 etc.). Apud Aegyptios vero imago aquilae in signis hieroglyphicis locum (pro ꜣ) accepit atque etiam in sculpturis repraesentatur (*Wilkinson-Birch* II. 113). Scriptores vero graeci ac latini saepe aquilarum robur ac magnitudinem praedicant (*Aristot.* Hist. anim. IX. 22 al. 32, 1 ss. *Plin.* X. 3,6, al.), volatum altissimum atque velocissimum (*Homer.* Il. 22,

308; *Aristot.* l. c. 2; *Plin.* l. c. 3,8, al.), oculorum aciem (*Homer.* Il. 17,674 ss.; *Aristot.* l. c. 6; *Plin.* l. c.), nidum in arduis rupibus (*Arist.* l. c. 5; *Plin.* ib. 3,12 s., al.), curam pullorum (*Aristot.* ib. 2; cf. *Plin.* l. c.; *Aelian.* Hist. anim. 2,40, al.) aliaque multa. Cibum aquilarum plerique dicunt esse non cadavera exanima, sed carnem animalium ab ipsis occisorum, ac solam percnopterum etiam morticinis vesci contendunt, quam licet sit vulturina specie, aquilis tamen accensent (*Aristot.* l. c. *Plin.* l. c. 3,8, al.). Similia in Talmude leguntur (cf. *L. Lewysohn.* Zoologie des Talmuds, p. 165 s.).

4. *Significatio nominis.* De significatione nominis hebraici tres potissimum opiniones propositae sunt: alii aquilam tantum intellegunt (*Bochart*), alii solum vulturem (*Oedmann, Tristram, Wood,* al.), alii tum aquilam tum vulturem (*Michaelis*). Ex recentioribus plerique iure merito sententiae tertiae suffragantur. Atque nomen quidem solum litem non dirimit; nihil enim prohibet, quominus etiam *nesher* apud Hebraeos sive aquilam sive vulturem designaverit, sicut *nisr* apud Arabes hodiernos iuxta aliquos utramque avem (*I. B. Belot, G. W. Freytag* s. v.), iuxta alios aquilam (*P. Forskal,* Descript. anim. p. 12), iterum ex aliorum opinione vulturem tantum significat (*Tristram,* Nat. Hist. p. 172). At in Scriptura aliqui de *nesher* textus certe aquilae potius quam vulturi conveniunt, ut quae de cura pullorum dicuntur (Ex. 19,4; Deut. 32,11), aut cum cherubim, angeli, iusti aquilis comparantur (Ps. 102,5; Is. 40,31; Ez. 1,10; 10,14; Apoc. 4,7; 8,13). Alii autem textus vulturi potius proprii videntur, veluti verba Michaeae de calvitie aquilae (Mich. 1,16), et probabiliter ea quae de aquilis *gregatim* ad cadaver convenientibus leguntur (Matth. 24,28; Luc. 17,37), licet aquilae quoque vulturibus intermixtae carne vescantur morticina. Quae vero de avis magnitudine ac robore, de eius pennis, de acie oculorum, de volatus impetu ac velocitate, de nido dicuntur, indifferenter utrique generi poterunt aptari.

5. *Variae species.* Quodsi quis ulterius quaerat, quaenam speciès aquilae vel vulturis nomine *nesher* potissimum designetur, haud ita facile certum aliquod responsum habebit. Nomen enim potius generale videtur, omnes utriusque generis species palaestinenses designans, quamvis fortasse uni speciei particulariter accommodatum fuerit. Ex genere autem aquilae sequentes fere species in Palaestina vivunt: *Aquila chrysaetus* Linné; *A. heliaca* Savigny; *A. clanga* Pallas; *A. rapax* Temminck; *A. pennata* Gmelin; *A. nipalensis* Hodgson; *A. Bonelli* Temminck; *Circaetus gallicus* Boie; *Pandion haliaetus* Cuvier; fortasse etiam *Aquila pomarina* Brehm. Vulturum vero species palaestinenses fere sunt: *Gypaetus barbatus* Cuvier; *Vultur monachus* Linné; *V. fulvus* Gmelin; *Neophron percnopterus* Gray. Variae igitur istae species nomine *nesher,* sicut hodierno Arabum *nisr* indiscriminatim videntur designari, licet quaedam praeter nomen generale etiam speciale habeant (*G. E. Post* apud *Hastings,* Dict. of the Bible I. 632, contra *Tristram,* Nat. Hist. p. 172 etc.). Generalis tamen huius nominis usus non impedit quominus in aliquibus textibus ex adiectis notis ad specialiorem significationem determinetur. Ita verba Michaeae de calvitie aquilae praesertim vulturi monacho et vulturi fulvo conveniunt.

Cf. *Sam. Bochart,* Hierozoicon II. 161-85, *ed. Rosenm.* II. 739-70; *Sam. Oedmann,* Verm. Samml. 1,53-74; 3,164-73; 5,73-8; *I. D. Michaelis,* Neue orient. u. exeg. Biblioth. 3,43-8; *id.* Suppl. ad lex. hebr. p. 1695 s.; *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Alterth. IV. 2, 272-9; *H. O. Lenz,* Zool. d. alten Griechen u. Römer 275-90; *Frd. Delitzsch,* Assyr. Thiernamen 103. 105. 107 s.; *P. Cultrera,* Fauna bibl. 284-91; *W. Houghton* in Proc. Soc. Bibl. Arch. IV. 1882, 58; *id.* Transact. Soc. B. A. VIII. 1884,58-61; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8,172-9; 182-6; *id.* Fauna and Flora of Palestine, 94-6. 98. 101-107; *id.* in *W. Smith,* Dict. of the Bible I. 2, *ed.* 2, 815-7; *A. Kinzler,* Bibl. Naturgesch. *ed.* 9,74-9; *I. G. Wood,* Bible Animals 344-54; *Leunis-Ludwig,* Synopsis *ed.* 3, I. 1 p. 422 s. 429-31; *A. E. Brehm,* Tierleben, *ed.* 3 *Pechuel-Loesche* VI. 266-336; 415-62; *Ph. L. Martin,* Naturgesch. d. Thiere I. 2,511-28. 539-46; *G. Loreta,* La Zoologia nella Bibbia 115-17. 306-10. 551.

L. FONCK.

AQUILO v. VENTUS.

AR, AR MOAB (עָר Num. 21,15; Deut. 2,9. 18. 29; עָר מוֹאָב Num. 21,28; Is. 15,1), urbs principalis terrae Moab. LXX scribunt Ἦρ Num. 21,15; Ἀροήρ Deut. 2,9. 18. 29; ἕως Μωάβ Num. 21,28; ἡ Μωαβῖτις Is. 15,1; mirum est quod Aroer cum Ar confundant; etenim Ar filiis Lot i. e. Moabitis in haereditatem tradita est (Deut. 2,9), quam invadere Israelitae vetiti sunt, dum e contra Aroer tribui Ruben attributa est (v. AROER 1). — Tempore Eusebii et S. Hieronymi Ar Moab appellabatur Areopolis et etiam Rabbat Moab i. e. grandis Moab (Onom. *ed. Lag.* 276,39; 137,5); praeterea Onomasticon mentionem facit opinionis aliud urbis nomen fuisse Ariel, ut cum Eusebio (*ed. Lag.* 228,66) S. Hieronymus (l. c. 98,15) refert s. v. Arihel : « Hanc putant esse quidam Areopolim, eo quod ibi nunc usque Arihel idolum colant, vocatum ἀπὸ τοῦ Ἄρεως i. e. a Marte, unde et civitatem dictam suspicantur ». Areopolim civitatem nobilem Moabitidis antea Ariel dictam esse etiam Theodoretus Cyr. tradit (Comm. in Is. 15,9 et 29,1; *Migne* 81,341. 376). Etymologicam illam nominis interpretationem S. Hieronymus (Comm. in Is. 15,1; *Migne* 24,167) reiicit scribens : « Ar, quae hodie ex hebraeo et graeco sermone composita Areopolis nuncupatur, non ut plerique existimant quod ἄρεος i. e. Martis civitas sit »; sed animadvertit *F. de Saulcy* (Numismatique de la Terre Sainte, p. 355) in nummis Rabbat Moab cerni divinitatem bellatricem, casside et lorica indutam, gladium dextera tenentem, sinistra lanceam et clipeum, unde vix dubium est, quin sit Mars sive Ares, a quo urbs Areopolis vocabatur.

Cum traditio, quae usque ad saeculum quartum p. Chr. ascendit, unam eandemque urbem Ar Moab, Areopolim, Rabbat Moab agnoscat, permulti exploratores et interpretes eius situm assignant ruinas *Rabba*, quae mediae fere sunt inter *el-Kerak* (Qir Moab) et Arnonem fluvium et ipsi viae adiacent, quae ab *el-Kerak* septemtrionem versus ducit (cf. *Robinson*, *Seetzen*, *Van de Velde*, *Wilson*, *G. A. Smith*, *Fischer* et *Guthe*, *Legendre*).

Alii vero Ar Moab in ipsa valle Arnonis quaerunt et omnino ab Areopoli, Rabbat Moab, *el-Rabba* distingui volunt (*Riess*, *Mühlau*, *Delitzsch*, *F. de Hummelauer*, *Macpherson*). Haec opinio citra dubium admittenda esset, si praeter locos supra citatos etiam Num. 22,36; Deut. 2,36; Ios. 13,9. 16 ad Ar Moab referrentur. Iamvero hoc negandum videtur. Etenim illud עִיר מוֹאָב Num. 22,36 LXX reddiderunt πόλιν Μωάβ, *Vulg.* oppidum Moabitarum, ergo indefinite urbem aliquam Moabitarum super termino Arnonis. Similiter urbs (הָעִיר), quae Deut. 2,36 et Ios. 13,9. 16 in media valle Arnonis sita esse dicitur et simul cum Aroer, sed ut urbs distincta (vide textum hebraicum) inter terminos meridionales Israel numeratur, non est Ar Moab, sed urbs aliqua ut omnes versiones testantur (LXX ἡ πόλις ἡ ἐν τῇ φάραγγι vel ἡ ἐν μέσῳ τῆς φάραγγος, *Chald.*, *Syrus*, *Arab.* : urbs quae est in medio torrentis). Unde iuremerito *Legendre* concludit situm *el-Rabba*, quem traditio indicat, retinendum esse.

Cf. *Robinson*, Palaestina III. p. 123; *Seetzen*, Reisen durch Syrien, Palaestina etc. *ed. Kruse* I. p. 411; *Van de Velde*, Memoir to accompany the map of the Holy Land 1858, p. 287; *Wilson* apud *Smith-Fuller*, Dict. of the Bible s. v. Ar; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I; *Fischer* et *Guthe* in Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XIII. 1890, Tafel 2; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 814-817; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 2 et cf. Tab. III. Fe; *Mühlau* apud *Riehm-Baethgen*, Handwörterbuch des bibl. Alterth. I. 101 a; *Delitzsch* ad Is. 15,1; *F. de Hummelauer* ad Num. 22,36 et Deut. 2,36; *I. Macpherson* apud *Hastings*, Dict. of the Bible I. 130 a.

ARA (אֵרָא, Ἀρά), tertius filius Iether de tribu Aser (1 Par. 7,38).

ARA (הָרָא, LXX omittunt), regio in quam Theglathphalasar, rex Assyriae, transtulit Ruben, Gad et dimidiam tribum Manasse (1 Par. 5,26). Ex opinione probabilissima regioni Ara locis parallelis 4 Reg. 17,6; 18,11 correspondent civitates Medorum (עָרֵי מָדָי); ex eo autem, quod LXX hisce locis vertunt ὄρη Μήδων,

conicere licet genuinam lectionem fuisse הרי מדי i. e. montes Medorum. In hac suppositione forma הָרָא erit vel corrupta ex הָרֵי vel forte forma aramaica vocis hebraicae הָר et denominatio vulgaris montium Mediae, qui Arabibus quoque audiunt *el-Djebal* seu regio montana.

Cf. *Keil* ad 1 Par. 5,26; *Gesenius*, Thesaurus p. 392; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 818; *W. Max Müller* apud *Hastings*, Dict. of the Bible II. 301 a. — De opinionibus *Bocharti* (Phaleg 3,14) et aliorum vide *B. Winer*. Bibl. Realwörterbuch *ed.* 3. I. 464.

ARAAS (חַרְחַס, Ἀράς) ex maioribus Sellum mariti Holdae prophetissae (4 Reg. 22,14). Idem 2 Par. 34,22 vocatur Hasra (חַסְרָה, Ἀράς).

ARAB (אֹרֶב, Αὐρέμ), urbs in secunda provincia montis Iuda (Ios. 15,52). Eadem est patria Pharai herois davidici (2 Reg. 23,35); *Vulg.* vertit *de Arbi* pro *Arabita* (הָאַרְבִּי); LXX Οὐρατοεργί pro *Pharai Arabita*. Idem heros 1 Par. 11,37 vocatur Naarai filius Asbai; sed בֶּן־אֶזְבַּי sine dubio mendum est ex הָאַרְבִּי. Onom. (*ed. Lag.* 119,4; cf. 254,60): « Ereb in tribu Iuda; est hodieque villa in Daroma, id est ad austrum, quae Heromith nuncupatur ». Hodie *Khirbet el-Rabîye* inter Hebron et Bersabee.

Cf. *Legendre*, Carte de la Palestine; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 311 et cf. 360; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 246.

ARABA v. BETH ARABA.

ARABA (עֲרָבָה) nomen appellativum dicitur de deserto; quare in *Vulg.* vertitur vox solitudo, campestria, planities, desertum etiam iis in locis, ubi potius nomen proprium geographicum ponitur. Vocatur enim Araba (הָעֲרָבָה, LXX plerumque Ἀραβᾶ vel etiam ἡ Ἀραβᾶ) vallis a sinu Aelanitico usque ad mare Mortuum (Deut. 1,1; 2,8), cui hodie quoque nomen est *Wādi el-ʿAraba*. Pariter ipsum mare Mortuum appellatur יַם הָעֲרָבָה (Deut. 3,17; 4,49; Ios. 3,16; 12,3; 4 Reg. 14,25). Deinde vero Araba etiam audit vallis Iordanis inter mare Mortuum et lacum Genesareth (Deut. 4,49; Ios. 8,14; 11,2; 12,1. 3; 18,18; 2 Reg. 2,29; 4,7; 4 Reg. 25,4; Ier. 39,4; 52,7); partibus denique Palaestinae, quas Iosue subegit, etiam Araba accensetur (Ios. 11,16; 12,8). Nomen in plurali (עֲרָבוֹת) frequenter coniungitur cum Moab et Iericho : campestria Moab (Num. 22,1; 26,3. 63; 31,12; 33,48. 49; 35,1; 36, 13; Deut. 34,1. 8; Ios. 13,32), campestria, planities Iericho (Ios. 4,13; 5,10; 4 Reg. 25,5; Ier. 39,5; 52,8). Tota vallis Iordanis a mari Mortuo ad lacum Genesareth hodie vocatur *el-Ghōr* (v. IORDANIS).

Quoad Am. 6,15 v. TORRENS DESERTI.

De *Wādi el-ʿAraba* v. *Robinson*, Palaestina III. 153 s.; *Burckhardt*, Reisen in Syrien, Palaestina etc. *ed. Gesenius* II. 731 s.; *Schubert*, Reise in das Morgenland 1839, II. p. 397 s.; *Ritter*. Erdkunde XIV. p. 94 s. 131. 166. 175. 228. 292. 300 s. 778. 908 s. 998. 1013. 1059. 1062. 1097; *L. de Laborde* et *Linant*, Voyage de l'Arabie Pétrée 1830, p. 50 s.; *Stanley*, Sinai and Palestine 1866, p. 84 s.; *Palmer*, The desert of the Exodus 1871, II. 429 s. 517 s.; duc *de Luynes*, Voyage d'exploration à la mer Morte I. p. 213 s.; *Lortet*, La Syrie d'aujourd'hui 1884, p. 434; *E. Hull*, Mount Seir, Sinai and West. Pal. 1889, p. 75 s. 178 s.

De formatione geologica v. *Blanckenhorn*, Entstehung und Geschichte des Todten Meeres in Zeitschr. d. d. Pal.-Ver. XIX. 1896, p. 24 ss.

ARABIA, ARABS, ARABES.

1. *Nomina*. Arabia eo sensu quo hodie nomen generaliter intellegimus, in S. Scriptura non videtur occurrere. Ea enim quae in libro primo Machabaeorum (11,16) et in textu Vulgatae saepius nominatur Arabia, quamque S. Paulus bis commemorat (Ἀραβία Gal. 1,17; 4,25), non totam paeninsulam arabicam, sed partem septemtrionalem tantum designat. Textus vero hebraicus V. T. iis in locis, ubi S. Hieronymus Arabiam interpretatus est, proprie non de terra, sed de incolis regionis illius septemtrionalis videtur loqui; nam עָרָב (al. עֵרֶב) proprie incolam deserti (*Beduinum*) significat (2 Par. 9,14; Is. 21,13, ubi pro altero עָרָב

cum LXX et *Vulg.* corrig. עֶרֶב *ad vesperam;* Ier. 25,24; Ez. 27,21). Neque ex 2 Par. 21,16 recte concludi videtur, הָעֲרָבִים vocari etiam Arabes meridionales; nam licet textus hebraicus et syrus atque latinus de « Arabibus qui confines sunt Aethiopibus » loquatur, tamen ea expressio imprimis etiam de incolis regionis mediae inter Philisthinos et Aethiopes partes Arabiae mediae et occidentalis incolentes optime explicatur; praeterea versio graeca meliorem videtur servare lectionem : τοὺς Ἀραβας καὶ τοὺς ὁμόρους τῶν Αἰθιόπων; unde etiam hoc loco de Arabibus septemtrionalibus videtur sermo esse. — Idem nomen עֶרֶב probabiliter legendum est pro אֶרֶב (Ier. 25,20; 50,37; Ez. 30,5) et עֵרֶב (3 Reg. 10,15; Ier. 25,24), quod a LXX σύμμικτος vel ἐπίμικτος, a S. Hieronymo semel *Arabiae* (3 Reg. l. c.), alias *vulgus* (Ier. 50; Ez. 30), *occidentis* (Ier. 25,24), *generaliter* (Ier. 25,20) redditur. Nomine derivato eidem incolae הָעֲרִבִי (Neh. 2,19; 6,1) et עֲרָבִי (Is. 13,20; Ier. 3,2 *Vulg.* quasi latro), in plural. הָעֲרָבִים (2 Par. 17,11 [הָעֲרָבִאים]; 21,16; 22,1; 26,7 [*Kethib* הָעֲרָבִיִּים]; Neh. 4,1 [*Vulg.* 7]) dicuntur, quod etiam LXX (ὁ Ἀραβι, Ἀραβες; textus Luciani *ed. Lagarde* ὁ Ἀραψ Neh. 2,19; 6,1) et Vulgata (*Arabs, Arabes*) plerumque recte vertunt. Eodem nomine graeco et latino incolae in libris Machabaeorum et Actuum designantur (1 Mac. 5,39; 11, 17. 39; 12,31; 2 Mach. 5,8; 12.10. 11; Act. 2,11). Praeterea in LXX et *Vulg.* « reges Arabum et Saba » nominantur in Psalmo 71 (72), 10, ubi in hebraeo מַלְכֵי שְׁבָא וּסְבָא legitur, ac similiter ib. v. 15 « aurum Arabiae » pro hebr. זְהַב שְׁבָא et 1 Mach. 5,25 ac 9,35 Vulgata Arabes dicit eos qui in textu graeco Ναβαταῖοι appellantur. Idem vero cum hebraeo nomen in lingua assyriaca occurrit (*arabi, aribu, arubu*), ubi pariter Arabiae septemtrionalis incolas ac provinciam designat. — Merito nomen hebraicum cum voce עֲרָבָה componitur, quae terram desertam ac specialiter vallem Iordanis eiusque continuationem versus sinum Aelaniticum (*Wādi el-ʿArabā*) significat. Antiquiore nomine graeco Arabes Ἐρεμῶται ab Homero (Od. 4,84) videntur nominari; apud Aegyptios generali appellatione *Shasu* comprehenduntur.

Alio nomine generali iidem incolae deserti arabici usque ad paeninsulam sinaiticam et ad provinciam euphraticam בְּנֵי קֶדֶם vocantur, quod Vulgata modo *orientales* vertit (3 Reg. 4,30 [5,10]; Iob 1,3), modo *nationes orientales* vel *populos orientales* (Iud. 6,3. 33; 7,12; 8,10), modo *filios Orientis* Is. 11,14; Ier. 49,28) vel *filios orientales* (Ez. 25,4); similiter terra arabica אֶרֶץ קֶדֶם (Gen. 25,6; cf. Is. 2,6 et *I. Knabenbauer* comment. in h. l.; אֶרֶץ בְּנֵי קֶדֶם pro Mesopotamia Gen. 29, 1), montesque eiusdem regionis הַרְרֵי קֶדֶם (Num. 23,7; cf. Gen. 10,30) appellantur. Pari fere significatione generali interdum etiam *Ismaelitae* et *filii Cedar,* pro Arabibus septemtrionalibus videntur sumendi. — Praeterea vero plurima in S. Scriptura occurrunt nomina particularia, quibus partes aliquae paeninsulae arabicae tribusque variae nomadum per desertum pascentium designantur (cf. praesertim Gen. 10,7. 22 s. 25-30; 25,1-4. 12-18; Ez. 27,19-23 etc.). Tribus et regiones praecipuae ad Arabiam pertinentes, quae in textu sacro commemorantur, sunt Agareni, Amalecitae, Ammonitae, Amorrhaei, Asarmoth, filii Cedar, Dedanim, Edomitae, Epha, Hevila, Madianitae, Minaei (מְעוּנִים, *Vulg.* tabernacula eorum 1 Par. 4,41 et Ammonitae 2 Par. 26,7; cfr 20,1), Moabitae, Nabaioth, Nabataei (Ναβαταῖοι, *Vulg.* Arabes), Ophir, Reema, Saba, Thema, etc., de quibus speciales articuli videantur. In praesenti notiones aliquas generales de universa Arabiae regione eiusque incolis, quae ad illustrandum textum sacrum videntur conferre, breviter exponemus.

De nomine cf. *Frd. Delitzsch*, Paradies 305 s.; *E. Schrader* Keilinschr. u. d. A. T. *ed.* 2, 414; Ztschr. d. d. Pal.-Ver. VII. 1884, 463 s.; *Ed. Glaser*, Skizze 2,315.

2. *Descriptio*. Fines paeninsulae ara-

bicae universae tribus ex partibus mari determinantur : versus occidentem sinu arabico seu mari Rubro ab Aegypto dividitur, in parte australi Indico alluitur oceano, qui in parte septemtrionali etiam mare arabicum audit; orientem versus sinu Persico a Persia distinguitur. Fines vero septemtrionales accurate describi vix possunt : S. Scriptura generatim omnem regionem a terminis Aegypti usque ad Euphratem sitam nomine Arabiae videtur comprehendere (Gal. 1,17; 4,25), quae in parte superiore fere linea a Damasco ad Euphratem ducta determinari posset. — Fluvii maiores et perennes in tota paeninsula vix inveniuntur; magna enim eius pars terra est deserta et inaquosa (praesertim solitudines arenosae *Nefud* et *Roba el-Khali* dictae), atque etiam in reliqua regione valles fere ad tempus tantum aquis torrentium implentur, qui post pluvias saepe magna vehementia cuncta inundant, sed etiam vegetationi humiditatem necessariam suppeditant. Unde scriptoribus sacris simul symbolum sunt tum benedictionis divinae salutisque messianicae (Ps. 125 [126], 4; Is. 35,6), tum punitionis iudiciique caelestis (Is. 30,28; Am. 5,24 etc.). Valles praecipuae, quae simul unicum fere iter negotiatoribus aliisque praebent, hodie appellantur *Wādi Sirhān* (*el-Djōf*) in parte septemtrionali a montibus Hauran fere usque ad Euphratem, *W. Ermek* a parte centrali (*Nedjd*) pariter ad Euphratem, *W. el-Dawāsir* et *W. Rumma* a parte occidentali per mediam fere regionem versus sinum Persicum; duos ultimos torrentes *Ed. Glaser* et *Fr. Hommel* ad fluvios paradisi (Gen. 2,10-14) pertinere censent, scil. *W. el-Dawāsir* pro Phison sumentes et *W. Rumma* pro Gehon (Skizze 2,341-7. 354-6; *Fr. Hommel*, Vier neue arab. Landschaftsnamen etc., München 1901, 326-43). — Ex montibus Arabiae celeberrimus est mons Sinai, in paeninsula ab ipso denominata prope Aegyptum situs (v. SINAI). Praeterea in Genesi « Sephar mons orientalis » in Arabia nominatur (10,30), quem in parte meridionali versus orientem, fortasse prope *Mirbat*, situm esse multi censent. Generatim paeninsula non tam altis montibus insignis est, quam planitiebus quae in satis magna altitudine se extendunt ac vallibus montibusque inter se distinctae, undique per varios gradus ad mare descendunt. — Multi post Ptolemaeum geographum tres paeninsulae partes distinxerunt : Arabiam *Petraeam*, circa Petram urbem sitam, quae praesertim provinciam Arabiae occidentalem et paeninsulam sinaiticam comprehendit; *desertam*, quae orientalem ac mediam partem occupat; *felicem* denique seu beatam, australem scil. regionem. In S. Scriptura nulla totius paeninsulae divisio indicatur; variae autem tribus arabicae, generatim loquendo, ita distribuuntur, ut Ammonitae, Amorrhaei, Moabitae, Edomitae, Amalecitae, Madianitae, partes septemtrionales et occidentales inhabitantes, propius ad fines Palaestinae accedant, filii Cedar et Agareni ac Nabaioth regionem versus Euphratem occupent, Cushitae generatim medias atque occidentales, Iectanitae vero orientales et australes partes teneant. — Hodie partes praecipuae appellantur in ora occidentali *el-Hedjas* cum urbibus *Mekka* et *Medina* (olim *Yathrib*), *Asir, el-Yemen;* in ora meridionali *Hadramaut, Mahra, Kara, Oman;* in litore sinus Persici *el-Hasa;* regio media nomine generali *Nedjd* vocatur; partes regionis interioris sunt *Shammar, Kasīm, Yemāme* etc.

Cf. *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. III. 1-188; *C. Ritter*, Erdkunde, pars 12. 13. 14; *A. Zehme*, Arabien und d. Araber seit 100 Jahren, Halle 1875; *A. Sprenger*, Die alte Geogr. Arabiens, Bern 1875; *É. Reclus*, Nouv. Géogr. univ. 9,827-925; *Ed. Glaser*, Skizze d. Gesch. u. Geogr. Arabiens, II. Berlin 1890; *W. M. Müller*, Asien u. Europa nach altaeg. Denkm., Leipzig 1893, praesertim p. 16 s. 46 s. 129-42; *M. Jullien*, Sinai et Syrie, Lille 1893. — Opera geographica auctorum arabum *el-Bekri*, *Iacut*, *Al-Hamdānī*, *Abulfeda*, *Ibn Batuta* aliorumque atque itinerum descriptiones praecipuas aliaque plura notata habes in indice Litteraturae apud *A. Socin*, Arabische Grammatik *ed.* 4, Berlin 1899.

3. *Conditiones naturales.* Arabia fere media circulo solstitiali a cancro dicto dividitur; unde pars eius australis ad zonam quam vocant torridam pertinet,

totaque fere regio solis ardoribus violentis torretur, licet noctes plerumque satis frigidae sint. Nihilominus quaedam provinciae in dorso montis porrectae etiam in parte meridionali temperato calore ac fertilitate magna gaudent, praesertim in regione *el-Yemen* dicta, si tamen incolae multo assiduoque labore curam hortis campisque irrigandis impendant. — Viatores in regione arabica duobus incommodis gravissimis haud raro percutiuntur, scilicet vento urente, qui saepius in S. Scriptura memoratur (רוּחַ זְלַעֲפוֹת; ר״ קָדִים; ר״ מִדְבָּר; Ps. 10 [11],7 *Vulg.* spiritus procellarum; Iob 27,21; Is. 27,8; Ier. 4,11; 13,24; Eccli. 43,18[17] etc.), et phaenomeno *fata morgana* appellato, cum singulari vaporum commotione in deserto floridorum camporum lacuumque species in aëre expressae apparent; quam deceptionem plures interpretes verbo שָׁרָב (Is. 35,7; 49,10; cf. *I. Knabenbauer* in h. l.) designari volunt, invitis versionibus antiquis et auctoribus recentioribus (cf. *Gesenius-Buhl ed.* 13 s. v.). — Secundum diversam regionum arabicarum naturam animalia, plantae, mineralia diversa in variis provinciis inveniuntur. Ex animalibus in sacris libris memoratis Arabia praesertim nutrit camelum, donum faustissimum ad percurrenda deserta incolis caelitus datum; praeterea inter domestica animalia equos, boves, asinos, canes, oves, capras, feles, gallinas, omnes orientalibus occidentalibusque communes, Arabia pariter novit; ex feris praesertim notandae sunt capreae, ibices, hyaenae, vulpes, canes aurei, lepores, columbae, coturnices, vultures, aquilae, serpentes, lacertae variae. Inter plantas biblicas solum arabicum praecipue gignit arbores celebres balsami, thuris, myrrhae, bdellii feraces; praeterea palmae, acaciae (ligna *Setim*), colocynthides, mandragorae, variae spinarum species, frumenta atque herbae cultae in agris aliaque plura in vallibus collibusque reperiuntur. Lapides quoque pretiosi inter dona commemorantur, quae regina Sabae ex Arabia Salomoni attulit (3 Reg. 10,2), pariterque inter merces quas negotiatores ex Saba et Reema in mercatu tyrio proposuerunt (Ez. 27, 22), ac licet merces illae ex India ad portus Arabiae afferri potuerint, nihil tamen obstat, quominus in ipsa quoque Arabia inventae sint, ubi etiam nunc variae gemmae reperiuntur. Aurum vero, quod inter eadem dona ac merces praecipuum locum tenet, pluribus locis in ipsa Arabia inveniebatur, ac merito regiones auro celebres Ophir (saltem ex parte) et Hevila ad Arabiam dicuntur pertinuisse; pariter ferrum fabrefactum (Ez. 27,19) negotiatoribus arabibus aliunde quaerendum non erat, cum domi haberetur. Praeterea aeris seu cupri fodinae in paeninsula sinaitica inde a primis historiae aegyptiacae saeculis notae erant. De singulis plura in articulis particularibus addemus.

Cf. *I. D. Michaelis*, Fragen an eine Gesellsch. gelehrter Männer etc., Frankfurt a. M. 1762; *P. Forskal*, Flora aegyptiaco-arab. *ed. C. Niebuhr*, Hauniae 1775; *id.* Descriptiones animalium, *ed. C. Niebuhr*, ib. 1775; *M. Vahl*, Symbolae botanicae I-III. ib. 1790-94; *Sam. Oedmann*, Verm. Samml. a. d. Naturkunde, 4,1-22; 93-136; 5,108-40; 6,84-8; 147-80; *Raffenau-Delile*, Fragments d'une Flore d'Arabie pétrée, Paris 1833; *Th. Kotschy*, Plantae Arabiae, Wien 1865; *E. Boissier*, Flora orient., 6 voll. Basileae et Genevae 1867-88; *Fr. Hommel*, Namen d. Säugethiere bei d. südsemit. Völkern, Leipzig 1879; *H. Ch. Hart*, Some account of the fauna and flora of Sinaï, Petra and Wâdy 'Arabah, London 1891; *O. Bethge*, Das Klima Arabiens, Cassèl 1891; *G. Schweinfurth*, Ueber d. Florengemeinsch. v. Südarab. u. Nordabessinien, in Verh. Ges. f. Erdkunde XVIII. 1891, 531-50; *A. Deflers*, La végétation de l'Arabie tropicale au delà du Yemen, in Revue d'Égypte I. 1894, 349-70. 400-30; *G. E. Post*, Flora of Syria, Palestine and Sinaï, Beirut 1896. — Praeterea multa de conditionibus Arabiae naturalibus notantur in variis itinerum arabicorum descriptionibus a *La Roque*, *C. Niebuhr*, *U. I. Seetzen*, *I. L. Burckhardt*, *W. G. Palgrave*, *A. v. Wrede*, *H. v. Maltzan*, *Ch. M. Doughty*, *Ed. Glaser* aliisque scriptis.

4. *Incolae.* Arabes in S. Scriptura partim inter Cushitas et filios Cham (Gen. 10,7) partim inter Semitas (ib. v. 26-30; 25,2-4. 13-15) recensentur. Quod ex monumentis historicis atque affinitate linguarum omnino comprobatur. Constat

enim imprimis multas inter Arabes atque Cushitas Aethiopes haberi relationes, multasque Aethiopum tribus antiquitus in Arabia sedes habuisse. Pariter vero tanta est Arabum cum reliquis Semitis affinitas, ut haud immerito quis proprium Semitarum characterem maxime in Arabibus inveniri dixerit. Lingua autem arabica hinc quidem cum aethiopica quasi communem quamdam tribum efficit, illinc vero simul cum aethiopica et reliquis linguis semiticis occidentalibus in coetu quodam communi comprehenditur atque a tribu orientali linguae babylonico-assyriacae dividitur. — Porro duae in sacris litteris Arabum classes distinguuntur, nomades scilicet et oppidani; nam plerumque incolae regionis arabicae tamquam gregum pastores repraesentantur, qui in tabernaculis viventes ac gregibus pascua quaerentes de loco in locum transeunt (Is. 13,20; Ier. 49,28 s. etc.). At cum regina Sabae tanto comitatu tantoque splendore ad regem Salomonem narratur venisse (3 Reg. 10), non tam nomadum quorumdam quam regni opulentissimi caput fuisse facile apparet. Atque re vera Arabum tribus tum antiquitus, tum hac nostra aetate aliae in tentoriis per desertum nomadum vitam agunt, quae cum finibus Palaestinae viciniores sint, plerumque in libris sacris commemorantur, aliae vero in oppidis atque regnis firmas retinent sedes. Utriusque autem classis duces ac principes nomine *regum Arabiae* (Ier. 25,24 מַלְכֵי עֶרֶב; cf. Ez. 27,21 נְשִׂיאֵי קֵדָר) designari possunt, sicut etiam in inscriptionibus cuneiformibus sub Theglathphalasar III., Sargon, Asurbanipal aliisque reges et reginae tribuum arabicarum commemorantur (*It'amara* rex Sabae, *Uaiti'* rex Arabiae, *Ammuladi* rex Qedar; reginae *Zabibi* et *Samsi* etc.). — De moribus Arabum satis pauca in libris sacris innuuntur. Imprimis generatim sapientia orientalium (i. e. Arabum) simul cum aegyptiaca celebris erat, quam rex Salomo superasse laudatur (3 Reg. 4,30 hebr. 5,10); atque etiam regina Sabae acnigmatum scientia eminebat (ib. 10,1-10). At minus laudatur indoles nomadum arabicorum ad rapinam intenta (Iud. 6,3 ss.; 2 Par. 22,1; Iob 1,15; Ier. 3,2 *Vulg.* quasi latro, etc., et quemadmodum Moabitae et Madianitae cultu suo idololatrico ad libidinem et fornicationem inducebantur (Num. 25, 1. 6. 17 etc.), ita simile quid de aliis tribubus finitimis supponere licet. Ex ritu quodam religioso, ad honorandum praesertim deum solem, Arabes comam in rotundum attondisse perhibentur (Ier. 9, 26; 25,23; 49,33; cf. *Herod.* 3,8), quod ideo Israelitis in lege prohibitum erat (Lev. 19,27). Praeter ista de religione arabica vix quidquam nisi nomina quorumdam deorum in S. Scriptura indicantur. Ita Baal et Chamos a Moabitis, Ammonitis, Madianitis colebantur (Num. 21,29; 25,1 ss.; 3 Reg. 21,7 etc.), pariterque cultum solis, lunae, veneris Arabibus aliisque finitimis populis communem fuisse scriptores veteres ac monumenta antiqua testantur. Ex nominibus propriis Arabum in textu sacro memoratis fortasse etiam plura deorum nomina erui poterunt, velut ex nomine *Emalchuel* Arabis (1 Mach. 11,39), quod in codice alexandrino textus graeci Σιμαλκουη, in sinaitico et veneto (23 *Parsons*) Ιμαλκουε, in textu recepto Ειμαλκουαι, in versione syriaca (*ed. Lag.*) ܡܠܟܝ, in armena (ed. Venet. 1860) *Imagh(l)küs* scribitur, atque nomen dei lunaris *Sîn* et dei *I* seu *Ia* in memoriam revocat. Similiter in nomine *Zabdiel* Arabis (1 Mach. 11,17) nomen divinum videtur latitare. *F. Hommel* etiam Os. 5,11 in voce צו indicatum videt nomen dei *Dhu*, apud Arabes celebris, in inscriptionibus palmyrenis et antiquis arabicis memorati, quem deum lunae fuisse censet.

De moribus Arabum cf. *d'Arvieux-Rosenmüller*, Sitten d. Beduinen-Araber, Leipzig 1789; *I. L. Burckhardt*, Notes on the Bedouins and Wahabys, 2 voll., London 1831; Dom *Raphael*, Les Bédouins; *G. Jacob*, Das Leben der vorislam. Beduinen, Berlin 1895. Praeterea cf. itinera arabica variorum auctorum, quos ex parte supra laudavimus. — De religione arabica v. *I. Welthausen*, Reste arabischen Heidentums *ed.* 2, Berlin 1897; *F. Baethgen*, Beiträge zur semit. Religionsgesch., Berlin 1888; *W. Robertson Smith*, Lectures on the Religion of the Semites, ed. nova, London 1894; *Fr. Hommel* in Exp. Times X. 1898-99, 48. 144. 329 s. — Libros de lingua et litteratura Arabum praecipuos

enumerat *A. Socin* l. c.; cf. praeterea *A. Baumgartner*, Weltliteratur I. Freiburg 1897, 293-416.

5. *Relationes inter Arabes et Israelitas.* Arabum variae tribus iam in primis S. Scripturae libris cum Israelitis leguntur convenisse. Arabes Ismaelitae seu Madianitae Iosephum in Aegyptum deportarunt (Gen. 37,25 ss.). Iidem Madianitae ab Adad ex posteris Esau in regione Moab percutiuntur (ib. 36,35). Moyses vero fugiens a conspectu Pharaonis a Raguel-Iethro, sacerdote terrae Madian, hospitio receptus est, qui et filiam Sephoram ei in uxorem dedit (Ex. 2, 15 ss.; 3,1 ss.) et consilio suo in constituendis iudiciorum magistratibus eum postea adiuvit (ib. 18,13 ss.) et filium suum Hobab ducem itineris per desertum Israelitis praebuit (Num. 10,29-32; cf. Iud. 4,11). At postea Madianitae Israeli in scandalum erant (Num. 25,6. 14-18), ideoque iussu Dei a Moyse et populo devicti ac caesi sunt (Num. 25,18; 31). Cum vero tempore iudicum filii Israel malum facerent in conspectu Domini, iterum atque iterum Deus « tradidit illos in manu Madian et Amalec » ceterarumque orientalium nationum, donec per Gedeon liberarentur (Iud. 6-8; cf. Ps. 82 [83], 10; Is. 9,4; 10,26). Tempore regum David et Salomonis nullae memorantur cum Arabibus inimicitiae; immo et regina Sabae cum magnificis donis Hierosolymam venit ac regiis muneribus ditata in terram suam revertit (3 Reg. 10,1-13), et negotiatores Arabes et Ophiritae omnesque reges Arabiae commercio cum Salomone coniuncti erant (ib. v. 10. 15; 2 Par. 9,10. 14). Similiter Arabes regi Iosaphat magnos pecorum greges adducebant (2 Par. 17,11), atque ab Isaia propheta incolae Madian, Epha, et Saba cum camelis suis, aurum et thus deferentes, et Cedareni ac Nabaioth cum gregibus suis ad gloriam Domini in Sion properaturi describuntur (60,6 s.). Mox vero Dominus iterum per Arabum tribus impium Ioram punivit (2 Par. 21,16), pium autem Oziam contra eosdem hostes adiuvit (ib. 26,7). Easdem tribus, ac nominatim Dedanim et filios Cedar, cum reliquis hostibus universali Dei iudicio comprehendi Isaias vaticinatur (21,13-17); ac certe tum per Sargonem, quem vates capite praecedente nominat (20,1), tum per successores illius saepius variae Arabum tribus devictae ac partim in Mesopotamiam translatae sunt (*Sargon* Khorsab. l. 27; *Asarhaddon* Prisma A et C, Col. 2,55 ss.; Col. 3,1 ss.; *Asurbanipal* Annal. Col. 7,82 ss. etc.). Etiam Ieremias (9,15 s.; 25,21. 23 s. 49,28-33) iudicium divinum de Arabibus sumendum annuntiat idque praesertim per Nabuchodonosor, regem Babylonis, impletum esse (49,28) etiam traditio Arabum retinet, quae regem *Bachtanaṣṣar* (i. e. Nabuchodonosor) praecipuum Arabiae oppressorem designat. — Postea tempore Nehemiae Gosem (גֶּשֶׁם, גַּשְׁמוּ) Arabs cum aliis inimicis Iudaeis de exsilio redeuntibus difficultates multas creat (Neh. 2,9; 4,7 [1]; 6,1 s. 6); qui probabiliter ex illis Arabibus ortus erat, quos Sargon, rex Assyriae, circa annum 713 a. Chr. in regionem Samariae transtulerat (*Sargon* Cylindr. l. 20). Aetate vero Machabaeorum Arabes alii quidem amicitia cum Iudaeis coniuncti erant (Ναβαταῖοι 1 Mach. 5,25; 9,35), alii autem ex parte inimicorum stabant et hostibus Iudaeorum refugium praebebant (Zabdiel ib. 11,17; Emalchuel ib. v. 39; cf. Aretas Arabum tyrannus 2 Mach. 5,8), atque etiam in exercitu Syrorum militabant (1 Mach. 5,39; 2 Mach. 12,10); unde et Arabes Zabadaei a Ionatha percussi (1 Mach. 12,31) et devicti a Iuda in foedus admissi sunt (2 Mach. 12,11 s.). Similia de posteriore aetate refert Iosephus Flavius (Ant. XIII. 13,3 Ἀρέτας ὁ Ἀράβων βασιλεύς; XIV. 1,4 etc.). Tempore conversionis S. Pauli Arabum Nabataeorum princeps Aretas etiam Damascum obtinuit, ubi praepositus eius civitatem custodiebat, ut Apostolum comprehenderet (2 Cor. 11,32; v. ARETAS). Iudaeos autem sat multos tunc in Arabia fuisse ex iis qui tempore pentecostes Hierosolymis habitabant Arabibus (Act. 2,5. 11) apparet.

Plura de historia Arabum v. ap. *G. Weil*, Gesch. d. Chalifen, Mannheim 1846-51; *Caussin de Perceval*, Essai sur l'hist. des Arabes avant l'Islamisme, 3 voll., Paris 1847; *A. Müller*, Der Islam im Morgen -u. Abendland, 2 voll., Berlin 1885-87 (*Oncken* II. 4);

Ed. Glaser, Skizze der Gesch. Arab. I. 1, München 1889; II. Berlin 1890; *id.* Die Abessinier in Arabien u. Afrika, München 1895; *Fr. Hommel*, Aufs. u. Abhandl. I. ib. 1892, 1-51; 124-8; *id.* Discoveries and researches in Arabia, in *H. V. Hilprecht*, Recent research in Bible Lands, Philadelphia 1897, 131-58; *A. Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. I. 828-45; *I. Halévy* ib. 856-66; *D. S. Margoliouth* apud *Hastings*, Dict. I. 131-6; *Th. Nöldeke* apud *Cheyne-Black*, Enc. bibl. I. 272-5. — Alios historicos praecipuos arabicos et europaeos recenset *A. Socin* l. c.

L. FONCK.

ARACAEUS (הָעַרְקִי, ὁ Ἀρουκαῖος), ramus familiae Chanaan (Gen. 10,17; 1 Par. 1,15). Apud Flavium Iosephum (Ant. I. 6,2) urbs, quam Arucaeus habitabat, dicitur Arce (Ἄρκη) in Libano sita; idem mentionem facit Arcaeae (Ἀρκέας ad determinandum situm fluvii sabbatici (Bell iud. VII. 5,1). Nomen urbis legitur apud *Ptol.* V. 15,21 : Ἄρκα, apud *Plin.* V. 18,74 : Arca, in inscriptionibus assyriacis *Arqaa* (*Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test., I. p. 87; *Delitzsch*, Paradies p. 282 , in documentis *Tell el-ʿAmarna : Irqata*, aetate Antoninorum Caesarea ad Libanum. S. Hieronymus (Quaest. hebr. in Gen. 10, 17) : Aracaeus, qui Arcas condidit, oppidum contra Tripolim in radicibus Libani situm. Formam pluralem Arcae etiam tradunt Itineraria antiqua (Antonini 148 et Burdig. 583), quae urbem inter Tripolim et Antaradum sitam esse dicunt, 32 mil. pass. ab Antarado, a Tripoli autem 16 (Itin. Burdig.) vel 18 (Itin. Anton.) mil. pass. Nunc *Tell ʿArqa* collis ad septemtrionem Tripolis situs et a litore duabus circiter horis distans.

Cf. Itin. Antonini Augusti, *ed. Parthey et Pinder* p. 68; *P. Geyer*, Itin. hier. p. 18; *I. L. Burckhardt*, Reisen, *ed. Gesenius* p. 520; *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 754; *Ritter*, Erdkunde XVII. 1,808 s.; Zeitschr. des Deutschen Pal-Vereins VIII. 1885, 18; *Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 299.

ARACH (אֶרֶךְ, Ὀρέχ), urbs quae cum Babylon, Achad, Chalanne tetrapolim Nemrod venatoris seu principium regni Nemrod constituebat (Gen. 10,10). Nunc *Warka* ad ripam sinistram Euphratis sita inter Babel et sinum Persicum.

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas Tab. V. Dd; *Delitzsch*, Paradies p. 321-323; *G. Rawlinson*, The five great Monarchies 1871, I. p. 18; *W. K. Loftus*, Chaldaea and Susiana 1857, p. 139 s. 160 s.

ARACHITES v. ARCHI.

ARAD (עָרָד, Ἀράδ), urbs regia Chananaeorum a Iosue expugnata Ios. 12,14; hoc loco *Vulg.* Hered, LXX Ἐδέρ), in deserto meridionali tribus Iuda sita (Iud. 1,16). De eadem urbe sine dubio etiam Num. 21,1 ; 33,40 sermo est; Israelitae cum a Cades per exploratorum viam i. e. per desertum Sin ad montem Hor progederentur, a rege (urbis) Arad clade affecti sunt, sed mox Chananaeum repulerunt urbesque eius anathemati devoverunt (Num. 21,1-3); ceterum illo tempore terram Chanaan nondum ingressuri iter suum ad montem Hor et sinum Aelaniticum continuarunt. S. Hieronymus cum Eusebio (Onom. *ed. Lag.* 87, 22 cf. 214,55) dicit Arath (Ἀραμά) esse civitatem Amorrhaeorum vicinam deserto Cades, 4 mil. pass. a Malatha (seu Molada), 20 mil. pass. a Hebron distantem in tribu Iuda. His satisfacit *Tell ʿArād* ad meridiem Hebron et prope *Kh. el-Milḥ* (Molada).

Cf. *Ritter*, Erdkunde XIV. 120-122; *Robinson*, Palaestina III. p. 12 et saepius; *H. von Schubert*, Reise in das Morgenland 1839, II. p. 427; *V. Guérin*, Judée III. 182-183; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 96,182; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 403. 415; *F. Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 869-870; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, p. 277. 278; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 251. 252. Etiam in inscriptionibus aegyptiacis invenitur; cf. *W. Max Müller*, Asien und Europa p. 170.

ARADA (הַחֲרָדָה cum articulo, Χαραδάθ), statio Israelitarum in deserto inter montem Sepher et Maceloth (Num. 33,24). Situs ignotus est.

ARADUS, ARADON (אַרְוָד, Ἄραδος); **ARADIUS, ARADII** (הָאַרְוָדִי, Ἀράδιος, Ἀράδιοι). Aradius est nomen gentilitium, quo ramus familiae Chanaan ab uno ex filiis Chanaan nominatus designatur (Gen. 10,18; 1 Par. 1,16); in inscriptionibus cuneiformibus scribitur *Armada* et *Aruada* (*Delitzsch*, Paradies 281;

Zeitschr. für Assyr. II. 1887, 269), in documentis *Tell el-'Amarna : Arwada*. Apud Flavium Iosephum (Ant. I. 6,2) Arudaeus (Ἀρουδαῖος) Aradum insulam habuisse legitur. Aradii (hebr. incolae, filii Arvad) una cum Sidoniis celebrantur Tyriorum remiges peritissimi ac defensores egregii (Ez. 27,8. 11). Aetate machabaica Romani, cum Iudaeos sibi foederatos ceteris nationibus scripto commendarent, etiam in Aradum (*Vulg.* Aradon) litteras dederunt (1 Mach. 15,23). — Aradus erat urbs Phoenicia in insula cognomine haud procul a litore distans, a Tripoli septemtrionem versus sita; ei opposita in terra continente erat Antaradus. Iam Strabo (XVI. 2,13) Aradiorum prosperitatem ac praesertim navigandi peritiam celebrat. Addit quidem Strabo l. c. Aradum a Sidoniis profugis conditam esse, dum e contra Gen. 10,18 et 1 Par. 1,16 Aradii a filio Chanaan orti esse leguntur sicut Sidonii a primogenito filio Chanaan. Verba Strabonis igitur intellegenda erunt non de prima urbis aedificatione, sed de novorum colonorum in Aradum deductione (*Movers*, Phoenizier II. 1,99); ceterum *Knobel* (Völkertafel p. 320) innuit Strabonem forte Aradum insulam confudisse cum Arado ad meridiem Carmeli sita quam *Scylax* (Peripl. 104) coloniam Sidoniorum dicit. Aradus nunc vocatur *Ruâd*, Antaradus *Ṭarṭûs*.

Cf. *Movers*, Phoenizier II. 98-103; *Ritter*, Erdkunde XVII. p. 39. 50 s. 868 s.; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterthumskunde II. 6-9 cum allegationibus ex *Maundrell*, *Shaw*, *Pococke*, *Volney*; *Baedeker-Benzinger*, Palaestina und Syrien *ed.* 5, p. 396. 397.

ARAIA (חָרָהַיָּה, Ἀραχίος), pater Eziel aurificis (Neh. 3,8).

ARAM (אֲרָם, Ἀράμ) nomen virorum.

1. Quintus filius Sem, pater populorum regionem Aram incolentium (Gen. 10,22. 23; 1 Par. 1,17).

2. Filius Camuel filii Nachor (Gen. 22, 21); *Vulg.* et LXX dicunt Camuel patrem Syrorum, sed textus hebraicus : patrem Aram.

3. Tertius filius Ierameel primogeniti Hesron ex tribu Iuda (1 Par. 2,25); sed hic Aram (Ἀράμ) in textu massorethico אָרָן vocatur.

4. Filius Esron (Hesron) et pater Aminadab (Ruth 4,19; Matth. 1,3.4; Luc. 3, 33); idem 1 Par. 2,9. 10 vocatur Ram (רָם, Ἀράμ).

5. Filius Somer ex tribu Aser (1 Par. 7,34).

6. Filius Disan (Gen. 36,28); v. ARAN 2.

ARAM nomen regionis, quam Vulgata semel tantum Aram (Num. 23,7), alias Syriam appellat; v. SYRIA. Aliquae partes regionis Aram propriis nominibus designantur : Aram Beth Rehob, *Vulg.* Syrus Rohob (2 Reg. 10,6) v. ROHOB; — Aram Dammesheq, *Vulg.* Syria Damasci (2 Reg. 8, 5. 6) v. SYRIA DAMASCI; — Aram Maacha, *Vulg.* Syria Maacha (1 Par. 19,6) v. MAACHA; — Aram Naharaim, *Vulg.* Mesopotamia (Gen. 24,10 etc.) v. MESOPOTAMIA; — Aram Soba, *Vulg.* Syrus Soba (2 Reg. 10,6. 8) v. SOBA.

ARAMA (הָרָמָה cum articulo, *locus editus;* Ἀραθά, Ἀ Ῥαμά), urbs munita Nephthali (Ios. 19,36). Hodie vicus *el-Rūme* in ascensu montis situs 7 km a *Ṣafed* et medius fere inter Accho et lacum Genesareth superiorem.

Cf. *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 101 s.; *V. Guérin*, Galilée I. 454; *W. M. Thomson*, The Land and the Book, Central Palestine and Phoenicia, London 1883, p. 276-280; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 27; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 205; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 713.

ARAMA (1 Reg. 30,30), urbs in Negeb sita v. HORMA **1**.

ARAN (הָרָן). **1.** Aran (Ἀβράν), filius Thare, frater Abraham et Nachor, natu maior quam Nachor et probabiliter etiam quam Abraham. Aran tres liberos genuit : Lot filium et duas filias, quarum altera Melcha patruo suo Nachor nupsit, altera Iescha probabilius eadem est quae Sara. Mortuus est Aran ante Thare patrem suum in Ur Chaldaeorum terra nativitatis suae (Gen. 11,26-31); cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 342-347. 361. Sepulcrum Aran in Ur Chaldaeorum adhuc ostendebatur, cum Flavius Iosephus (Ant. I. 6,5) scriberet. Est antiqua traditio iudaica Abraham coram Nemrod in fornacem ignis immissum

esse, quod idola adorare renuisset; tunc Aran adstantem dixisse apud se : si Abraham superet, eius ero; si vero Nemrod, ipsi adhaerebo; erepto igitur divinitus Abraham Aran interrogatum, e cuius partibus staret, respondisse : Abrahae; quam ob causam in fornacem coniectum esse nec divinitus ereptum in poenam haesitationis supplicio dignae (S. *Hieron.* Quaest. in Genesim ad h. l., *Migne* 23,956). Huic traditioni ansam praebuit Targum Ps. Ionathan Gen. 21, 28 vertens : Aran mortuus est in fornace ignis (אור) Chaldaeorum, dum *Vulg.* recte vertit : in Ur Chaldaeorum. Alibi tamen (Neh. 9,7) Vulgata vestigium illius fabulae conservavit : Tu ipse Domine Deus, qui elegisti Abram et eduxisti eum de igne Chaldaeorum.

2. Aran (אָרָן, Ἀράν), filius Disan de stirpe Seir (Gen. 36,28; 1 Par. 1,42). Vulgata Gen. 36,28 Aram.

3. Aran Δάν B Αἰδάν quasi καὶ Δάν [cf. *Swete*], A Ἀράν), unus ex filiis Semei, levita de familia Gerson tempore Davidis (1 Par. 23,9).

ARANEA (עַכָּבִישׁ) in textu hebraico bis tantum commemoratur, cum in libro Iob fiducia impii telis aranearum similis habetur (8,14 בֵּית ע״, « domus araneae » et in prophetia Isaiae de operibus impiorum dicitur « telas araneae texuerunt » (59,5). Telae enim istae, quas araneae sive ad capiendum cibum, sive etiam ad habitationem sibi formandam arte eximia contexunt, tum in se maxime fragiles sunt atque caducae, tum etiam hominibus inutiles atque molestae. Quae haereticis impiisque divitibus varie applicant Patres atque interpretes. — Significatio nominis hebraici, quod « textorem agilem » explicant, quodque etiam in lingua chaldaica (עכוביתא) et arabica (*ʿankabūt*) araneam designat, nullatenus dubia est. Aranearum autem ingens omnino est numerus; species plures 2.500 iamdudum notae erant, ex quibus fere 700 in Palaestina vivere censet *H. B. Tristram.* De his pluribus hic non est agendum, cum praeter telam omnibus speciebus communem textus Scripturae primigenius nihil de ipsis commemoret.

In Vulgata tribus aliis locis aranea legitur. In prophetia enim Oseae S. Hieronymus vertit « in aranearum telas erit vitulus Samariae » (8,6), ubi in hebr. est שְׁבָבִים alibi non occurrens. Ipse S. Doctor in commentario se ab hebraeo suo magistro didicisse testatur « שְׁבָבִים proprie nominari aranearum fila per aërem volantia ». Sed cum in Hebraeorum scriptis nihil tale occurrat, atque etymologia vocis potius significationem « fragmenta » commendare videatur, verendum sane cum Bocharto, ne Hebraeus iste viro magno imposuerit, qui haud semel plus aequo magistris iudaeis pretio scientiam suam vendentibus fisus esse inveniatur. — Praeterea in Psalmo 38 (39), 12 Vulgata cum LXX vertit « tabescere fecisti sicut araneam animam eius », ubi textus hebraicus habet כָּעָשׁ i. e. sicut tineam (*Peshitta* sicut stipulam); fortasse in aliis codicibus כָּעַכָּבִישׁ legebatur. Denique in Ps. 89 (90), 10 pro massorethico « peregimus annos nostros *velut suspirium* » (כְּמוֹ־הֶגֶה) Vulgata cum LXX vertit « anni nostri *sicut aranea* meditabuntur », ac similiter Peshitta (sine « meditabuntur »). Ubi LXX fortasse in codicibus suis vocem עכביש ante הגה legerunt, quo in casu pro הֶגֶה forsitan forma alterius radicis הגה « amotus fuit » supponenda foret; aut verbis hebraicis male iunctis ac non intellectis ἀράχνην addiderunt.

Cf. *Sam. Bochart*, Hierozoicon II. 603-11, *ed. Rosenm.* III. 498-508; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talmuds 299-301; *P. Cultrera*, Fauna biblica 386; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8,303 s.; *I. G. Wood*, Bible Animals 643 s.; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 2, *ed.* 3, 579-602 (Araneina); *A. E. Brehm*, Tierleben, *ed.* 3 *Pechuel-Loesche* IX. 692-727; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere II. 2 (*E. Rey*), 267-88; *G. Loreta*, La Zoologia nella Bibbia, 266 s. 359 s.

L. FONCK.

ARAPHA v. RAPHA 4 et RAPHAIM.

ARARAT v. ARMENIA.

ARARI, ARARITES (הָהָרִי, cum articulo הַהֲרָרִי), cognomen trium heroum Davidis, quod fortasse significat

montanus, probabilius autem indicat locum originis Harar ceteroquin ignotum.

1. 2 Reg. 23,11 : Semma filius Age de Arari (ὁ Ἀρουχαῖος); idem 23,33 Semma de Orori (ὁ Ἀρωδίτης).

2. 1 Par. 11,33 [34] : Ionathan filius Sage Ararites (ὁ Ἀραρί).

3. 1 Par. 11,34 [35] : Ahiam filius Sachar Ararites (ὁ Ἀραρί); idem 2 Reg. 23,33 Aiam filius Sarar Arorites (הָאֲרָרִי, Σαραουρίτης).

ARATRUM v. AGRICULTURA.

ARBATHITES (הָעַרְבָתִי, ὁ Γαραβαιθί) i. e. ex Betharaba seu Araba in deserto Iuda, cognomen Abialbon (2 Reg. 23,31) seu Abiel (1 Par. 11,32) herois davidici.

ARBATIS (ἐν Ἀρβάττοις, A Ἀρβάκτοις, ℵ Ἀρβάνοις, Ἀρβάκτοις, *Vulg.* in Arbatis, *Syr.* Ardbot), aliqua regio simul cum Galilaea nominata, ex qua Simon Mach. Iudaeos liberatos ac spolia multa in Iudaeam adduxit (1 Mach. 5,23). — *Ewald* suggerit regionem ad septemtrionem lacus Tiberiadis hodie quoque appellatam *Ard el-Baṭîḥa*. — *Relandus* supponit pro Arbatis intellegendam esse toparchiam Acrebitenam seu Acrabatta inter Sichem et Iericho, de qua *Flav. Ioseph.* Bell. iud. III. 3,4. 5. — *Drusius* suspicatur Ἀρβαττα esse transcriptionem graecam pluralis chaldaici ערבתא (= hebr. עֲרָבוֹת i. e. sensu primitivo *salicta* seu prata salicum et sensu derivato *deserta*) et nostro loco significare regionem depressiorem Iordanis ad meridiem lacus Tiberiadis (cf. *Grimm*); etiam *Schürer* interpretatur vallem Iordanis. — Alii denique designari putant toparchiam Narbatenen (Bell. iud. II. 14,5 : Νάρβατα, et 18,10) 60 stadiis a Caesarea distantem, hodie *Narbata* 15 km a Caesarea inter septemtrionem et orientem (*Hitzig*, *Keil*, *Riess*).

Cf. *Ewald*, Geschichte des Volkes Israel *ed.* 4, IV. p. 410; *Reland*, Palaestina p. 192; *Grimm*, Exeg. Handbuch zu den Apokryphen ad 1 Mach. 5,23; *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes etc. *ed.* 3, I. p. 185; *Hitzig*, Geschichte des Volkes Israel p. 397; *Keil* ad 1 Mach. 5,23; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 23 b.

ARBE, ARBEE (אַרְבַּע, Ἀργόβ, Ἀρβόκ). **1.** Gigas de stirpe Enacim, a quo Hebron, quam Enacitae Hethitis eripuerunt, alio nomine vocabatur pro tempore saltem civitas Arbee seu Cariatharbe (Cariath Arbe) (Gen. 23,2; 35,27; Ios. 14,15; 15,13. 54; 21,11; Iud. 1,10; Neh. 11,25). S. Hieronymus Ios. 14,15 vertit : « Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe, Adam maximus ibi inter Enacim situs est »; sed vertendum erat : (Arbe) vir magnus erat inter Enacim.

2. Civitas Arbe seu Cariatharbe v. HEBRON.

ARBELA ((ἐν Ἀρβήλοις, *Vulg.* in Arbellis) nonnisi 1 Mach. 9,2 ad determinandum situm Masaloth urbis legitur. Syri Bacchide duce a septemtrione Galgala versus progressuri Masaloth, quae est in Arbellis, occupaverunt et brevi post Iudam Mach. in pugna apud Laisam interemerunt. Flavius Iosephus de eodem Syrorum itinere loquens Arbelae urbis Galilaeae mentionem facit (Ant. XII, 11, 1). Haec Arbela Iosephi non longe a lacu Genesareth sita erat; in vicinitate Arbelae erant speluncae, quae furibus, latronibus, rebellibus latibulum praebebant et ab Herode Magno vi expugnatae sunt; ipse Iosephus Arbelam munitionibus firmavit (Ant. XIV. 15,4; Bell. iud. I. 16,2; Vita 37 et 60). Omnibus his indiciis satisfacit *Khirbet Irbid* seu *Arbed* ad occidentem *el-Medjdel* (Magdala) sita iuxta *Wâdi el-Ḥamûm*. A lacu Tiberiadis Syri, ut montana vitarent, versus Gilgal (*Djildjûliye*) in planitie Saron et inde contra Ierusalem progressi sunt. De hac enim Gilgal tantum textus 1 Mach. 9,2 apte explicatur, non de Galgala (*Djildjîliâ*) inter Bethel et Sichem in mediis montanis sita ac multo minus de Gilgal (*Tell Djeldjûl*) prope Iericho. Masaloth est prorsus ignota; fortasse nomen est mera transcriptio (Μαισαλώθ, A Μεσσαλώθ) hebraici מְסִלּוֹת i. e. *scalae;* per scalas enim accessus ad speluncas Arbelae patebat et Flav. Iosephus (Ant. XII. 11,1) de occupatione Arbelae loquens ne mentionem quidem facit Masaloth urbis, quae 1 Mach. 9,2 in Arbellis esse dicitur. — Eusebius et S. Hieronymus (Onomast. *ed. Lag.* 214, 72 et 88,6) tres urbes nominis Arbelae distinguunt : Arbela Iudae, Arbela in

Galaad, Arbela in planitie Esdrelon novem mil. pass. a Legione *Ledjdjûn*. Ex his tribus sola Arbela in Galaad nota est, hodie *Irbid* inter Pellam et Edrai (*Der'ât*); haec autem ab itinere Syrorum 1 Mach. 9,2 multum aberat.

Cf. *Guérin*, Galilée I. 198-201; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 365. 366; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2. II. 189; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, III. 135. 136; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 650. 651.

ARBI v. ARAB.

ARBOR PULCHERRIMA dicitur in Vulgata ea quae hebraice עֵץ הָדָר vocatur, et cuius fructus in die festo tabernaculorum una cum spatulis palmarum et ramis « ligni densarum frondium » ac salicibus de torrente ex praescripto legis Israelitis sumendus erat (Lev. 23,40). In libro Nehemiae ubi iterum de hoc praecepto Legis sermo est (8,15), nulla huius fructus aut arboris mentio occurrit; lignum enim pulcherrimum in Vulgata ibi memoratum hebr. עֵץ שֶׁמֶן audit. Ex versionibus antiquis LXX (καρπὸν ξύλου ὡραῖον), Peshitta (פארי אילנא שפירא) Graecus venetus (καρπὸν ξύλου καλλονῆς), Arabs Erpenii litteralem cum Vulgata interpretationem retinent; Onkelos et Targum autem אילנא אתרגין vertunt idemque in forma apud Hebraeos communiore אתרוגא etiam in textu Peshitta post citata verba ac similiter in versione arabica Saadiae legitur. Atque hanc alteram explicationem usque nunc sequuntur Hebraei, speciem *mali citri*, quae etiam poma Adami vel poma paradisiaca appellant, in festo tabernaculorum gestantes; quem usum iam tempore Christi viguisse ex verbis Iosephi Flavii apparet (Ant. III. 10,4 τοῦ μήλου τοῦ τῆς Περσέας προσόντος; XIII. 13,5 κιτρίων). Eandem opinionem multis defendunt *Bonfrerius* (in Levit. l. c.) aliique haud pauci auctores. At malum citrum iam tempore legis mosaicae in Palaestina exstitisse omnino improbabile videtur; primus ex scriptoribus antiquis huius arboris ex India oriundae meminit *Theophrastus* (Hist. pl. IV. 4,2; cf. I. 13,4; Caus. pl. I. 11,1; 18,5; cf. *Athen.* 3, p. 83 s.) ac post ipsum *Dioscurides* (Mat. med. 1,166), *Plinius* XII. 3, 15 s.; XIII. 16,103, alii, qui illam *malum medicam* vel *persicam* vel *assyriam* appellant, quoniam per istas regiones ex patria indica in Asiam anteriorem et Graeciam atque Italiam propagata est; quod inde a tempore Alexandri Magni, qua aetate Theophrastus opera sua conscripsit, paulatim factum esse auctores graves haud improbabiliter censent. Ex antiqua igitur illa Iudaeorum traditione, uti bene notat *Celsius*, « non aliud sequitur quam a multis retro saeculis coepisse eos Divinis institutis spontaneos assuere cultus ».

Relicta citro sat multi auctores litteralem explicationem de arboribus speciosis generatim sumptis sequuntur (*Ursinus*, *Celsius*, *Gesenius-Buhl ed.* 13, *Siegfried-Stade*, *Kautzsch* etc.). In contrarium autem observat *Fr. de Hummelauer* (in Levit. l. c.), sensum illum generalem esse nimis indeterminatum neque in textu legis ferendum, et cum secunda et quarta expressio in praescripto legis adhibita speciem arborum designet, probabiliter etiam primae et tertiae specialem significationem competere. At consideranti primam illam expressionem solam de *fructu* arboris loqui, fortasse sensus ille generalis minus intolerabilis apparebit. Si quis tamen nullatenus eum censeat ferendum, nomen *arboris pulcherrimae* dicat adhibitum esse tamquam appellationem Israelitis quidem aetate Moysis notam atque assuetam, nobis vero minus cognitam pro arbore aliqua fructifera et pulchra in Palaestina vicinisque regionibus indigena. Fortasse etiam consentiet, hanc denominationem appellativam ex omnibus arboribus palaestinensibus maxime convenire malogranatis, nomine proprio רִמּוֹן dictis, in Palaestina tempore Moysi notissimis (Num. 13,23; Deut. 8,8 etc.), quae proinde probabiliter una cum aliis fructibus pulchris intellegenda erunt.

Cf. *I. H. Ursinus*, Arboret. bibl. p. 47 s. 575-80; *O. Celsius*, Hierobot. I. 251 s.; *H. O. Lenz*, Bot. d. alt. Griech. u. Römer 641-7; *P. Cultrera*, Flora bibl. 264 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible 347 s.; *A. de Candolle*, Origine des plantes cult. 139-49; *V. Hehn*, Kulturpfl. u. Hausthiere *ed.* 6, 426-

40; *V. Loret*, Le Cédratier dans l'antiquité, Paris 1891; *M. Gandoyer* et *E. Levesque* apud *Vigouroux*, Dict. II. 371-4.

L. FONCK.

ARBOR SCIENTIAE BONI ET MALI plantata erat a Deo in medio paradisi (Gen. 2,9; 3,3). Nisi quis totam de paradiso narrationem et etiam divinum praeceptum protoparentibus impositum eorumque peccatum perperam voluerit ad metaphoras trahere, fatendum erit fuisse vere arborem. Nam ut de aliis arboribus dicitur, ita de hac quoque : produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave, lignum etiam vitae in medio paradisi lignumque scientiae boni et mali (Gen. 2,9); porro : ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas (Gen. 2,16. 17) et vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum oculis aspectuque delectabile et tulit de fructu illius (Gen. 3,6). Idem evincitur ex tota suggestione serpentis qua Heva decepta est (Gen. 3,5); eam autem deceptam fuisse non solum ipsa dicit, verum Dominus quoque affirmat loquens ad serpentem : quia fecisti hoc (i. e. ex locutione Hevae : quia eam decepisti) et idem bis S. Paulus asserit (1 Cor. 11,3; 1 Tim. 2,14 graece). Nomen autem arbori inditum videtur ex eventu, quia homo comedendo de illa experimento cognovit bonum quod amisit et malum in quod incidit, uti fere dicit S. Chrysostomus (hom. 16 in Gen. n. 6; *M.* 53, 133) qui etiam addit : mos enim divinae Scripturae est a rebus accidentibus nomina locis imponere, ubi res contingunt. In ea enim arbore ostensum est inobedientiae malum et quantum fuisset obedientiae bonum (cf. *S. Augustinus*, de Civ. D. 14,17; de Gen. ad litt. 8,6. 12). Veteres aliqui putabant arborem illam fuisse ficulneam, inducti uti videtur propter Gen. 3,7; sed, ut notat *Suarez* (de opere sex dierum 3,21, 4) ficus non est tam pulchra visu, ut illa describitur, neque est verisimile assumpsisse protoparentes folia arboris in qua peccarunt; nam potius tantum mali experti ad illam accedere perhorrescerent. Suam vero sententiam Suarez hanc facit non fuisse alicuius speciei illarum arborum quas homines post lapsum extra paradisum experti sint, sed reconditae speciei et perfectionis et maioris pulchritudinis quam sint communes et usuales. Quomodo ipsum nomen arboris ansam dederit suggestionis et incitamentum inobedientiae vide s. v. HEVA.

I. KNABENBAUER.

ARBOR VITAE a Deo producta dicitur in medio paradisi (Gen. 2,9). Quae fuerit eius virtus, nobis indicatur tum ipso nomine tum eo quod post peccatum a protoparentibus commissum etiam ideo Adam dicitur eiectus ex paradiso, ne mittat manum suam et sumat etiam de ligno vitae et comedat et vivat in aeternum (Gen. 3,22). Iisdem rationibus quibus arbor illa scientiae boni et mali agnoscenda est arbor vera, etiam haec arbor vitae non ad meram trahenda est metaphoram; id elucet ex Gen. 2,9 et 3,22 et insuper ex 3,24 quia via ligni vitae custoditur ne homo ad eam viam accedere praesumat. Verum difficilius est de eius arboris natura quidquam statuere. Hoc unum satis colligitur fructum arboris illius aptum fuisse ad conferendum homini vigorem et renovationem ad vitam producendam, donec sine morte intermedia transiret ex Dei decreto in vitam aeternitatis. Atque ex Gen. 3,22 videtur colligendum esse efficaciam hanc fuisse arbori eiusque fructui connaturalem et non per solam supernaturalem virtutem ei collatam; ratio enim ibi enuntiata non consisteret, nisi fructus per se ipsa comestione secundum cursum ordinarium produceret effectum vitae conservandae. Verum nescio possitne quis explicare qua ratione fructus quidam medicinalis naturalis concipi queat qui vitam ad tempus quoddam indefinitum possit producere eaque omnia arcere vel reparare quibus corporibus mortalibus inferri debeat post certum temporis spatium dissolutio, cessatio functionis vitalis, mors. Quare multo magis de hac arbore statuendum erit quod supra de altera iam dictum est eam minime esse potuisse ex iis speciebus quae nunc extra paradisum habean-

tur. Quae veteres de ea arbore disputaverint, vide apud Suarez l. c. 3,15 et 3, 14 n. 24 s.

Pro arbore vitae tali qua vita corporis conservetur sacrae litterae metaphora obvia aliam nobis pandunt arborem vitae quae vitam spiritualem, beatam largiatur et conservet et a qua homines minime arceantur, immo ad quam maxime invitentur. Talis arbor describitur sapientia: lignum vita est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam beatus (Prov. 3,18; cf. 11,30). Similiter ea quibus animus recreatur et ad novum vigorem evehitur, tali comparatione efferuntur: spes quae differtur affligit animum. lignum vitae desiderium veniens i. e. quod re adimpletur (Prov. 13,12) et: lingua placabilis (benigna) lignum vitae, quae autem immoderata est (perversa, conteret spiritum (Prov. 15,4). Et cum Messias reparator generis humani damna illa ab Adamo illata resarciat, omnino conveniens erat, ut bona messiana eodem arboris vitae symbolo adumbrata nobis exhiberentur. Et Ez. 47,12 quidem ubertas vitae salutisque a Messia hisce in terris largiendae describitur et similiter Apoc. 2,7: vincenti dabo edere de ligno vitae quod est in paradiso Dei mei, dum Apoc. 22,2 fructibus ligni vitae bona vitae caelestis describi videantur. Cum s. Eucharistia a Christo sit data, ut vitam habeant et abundantius habeant, prope adiacet in ligno vitae agnoscere typum quemdam huius sacramenti, vel etiam typum ipsius Salvatoris. — Sacra quaedam arbor etiam in monumentis assyriacis cernitur; adstant quoque genii fructum manu offerentes: verum quae sit significatio incertum est (cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 28 ad Gen. 2,9).

I. KNABENBAUER.

ARBORES et **ARBUSTA**. — Divisionem plantarum in Scriptura expresse traditam non habemus multoque minus scientificam aliquam partitionem regni vegetalis ex verbo Dei eruere possumus. Nihilominus distinctionem aliquam extrinsecam arborum atque arbustorum ab herbis minoribus textus sacer saepius innuit (Gen. 1,11 s. 29; Ex. 9,25; 10, 15 etc.). Arbores igitur atque arbusta in S. Scriptura commemorata breviter hic recensemus, retentis nominibus et ordine versionis Vulgatae; addimus vocem hebraicam vel graecam textus primigenii, cui nomen in Vulgata adhibitum respondet, nec non eas Vulgatae expressiones, quibus nomina hebraica vel graeca arborum seu fruticum explicantur, atque ea nomina, quae in Vulg. desiderantur (addito *). De singulis singuli articuli consulendi erunt.

Abies, בְּרוֹשׁ.

Absinthium לַעֲנָה.

Aloe אֲהָלִים et אֲהָלוֹת; ἀλόη.

Amaritudo לַעֲנָה Deut. 29,17; v. ABSINTHIUM; רֹאשׁ Os. 10,4; Am. 6,13; v. FEL.

*Amomum ἄμωμον Apoc. 18,13.

Amygdalus לוּז; שָׁקֵד.

Arbor pulcherrima עֵץ הָדָר Lev. 23,40.

Arceuthinum lignum בְּרוֹשׁ.

Arma, armatus צִנָּה Prov. 22,5; Iob 5,5; v. SPINA.

Aromata בֹּשֶׂם; בָּשָׂם; נְכֹאת.

Bahem βάις 1 Mach. 13,37; v. PALMA.

Balsamum כְּפֹנֶג; ἀσπάλαθος.

Bdellium בְּדֹלַח.

Buxus תִּדְהָר; תְּאַשּׁוּר,

Byssus בּוּץ; שֵׁשׁ; βύσσος.

Capparis אֶבְיוֹנָה.

Caput רֹאשׁ Iob 20,16; v. FEL.

Carduus חוֹחַ.

Casia קִדָּה; קְצִיעָה.

Cedrus אֶרֶז; κέδρος.

Cinnamomum קִנָּמוֹן et קִנְמָן; κιννάμωμον.

Clavi שֹׁכִים Num. 33,55; v. SPINA.

Colocynthides פַּקֻּעֹת.

Convallis אֵילוֹן; v. QUERCUS.

Cupressus κυπάρισσος; בְּרוֹת.

Cyprus כֹּפֶר.

Desolatorius רֹתֶם Ps. 119 (120), 4; v. IUNIPERUS.

Dii אֵלִים; v. QUERCUS.
Electa שֹׂרֵק; v. VINEA.
Elon אֵלוֹן; v. QUERCUS.
Ficetum שִׁקְמִים; תְּאֵנִים.
Ficus בִּכּוּרָה; תְּאֵנָה; συκῆ; σῦκον.
Flagella שְׂרֻקִּים Is. 16,8; v. VINEA.
Fortes אֵילִים; v. QUERCUS.
Frutetum דְּלִיּוֹת; נַעֲצוּץ.
Galbanum חֶלְבְּנָה; χαλβάνη.
Gutta אֲהָלוֹת; στακτή.
Hebeninus הָבְנִי.
Hedera קִיקָיוֹן; κισσός.
Herbae מַלּוּחַ.
Hyssopus אֵזוֹב; ὕσσωπος.
Idola אֵילִים; v. QUERCUS.
Ilex תִּרְזָה.
Iuniperus רֹתֶם.
Labrusca בָּאֻשׁ.
Lacrima בָּכָא Ps 83 (84),7; v. PYRUS.
Lanceae צְנִינִם Num. 33,55; v. SPINA.
Lappa חוֹחַ; קוֹץ.
Lignum מְסֻכָּן Is. 40,20; v. PALMA.
Lignum densarum frondium עֵץ עָבֹת.
Lignum levigatum עֵץ גֹּפֶר.
Lignum nemorosum עֵץ עָבוֹת.
Lignum olivae (olivarum) עֵץ שֶׁמֶן.
Lignum pulcherrimum עֵץ שֶׁמֶן.
Malogranatum, malum granatum, m. punicum רִמּוֹן.
Malus תַּפּוּחַ.
Man, manna מָן.
Morus שִׁקְמָה; μόρον; συκάμινος.
Myrica עֲרוֹעֵר; עַרְעַר.
Myrrha מֹר et מוֹר; σμύρνα.
Myrtus הֲדַס.
Nemus אֵשֶׁל; v. TAMARIX.
Nux אֱגוֹז; in nucis modum מְשֻׁקָּדִים.
Offendiculum סִלּוֹן Ez. 28,24; v. SPINA.
Olea, Oliva זַיִת; ἐλαία; καλλιέλαιος.
Oleaster ἀγριέλαιος Rom. 11,17. 24.

Paliurus חֵדֶק; חוֹחַ.
Palma תָּמָר; תֹּמֶר; βαίον; φοίνιξ.
Pinus אַלְגּוּמִּים; אֹרֶן; תְּאַשּׁוּר.
Platanus עַרְמוֹן; πλάτανος.
Populus לִבְנֶה.
Praetoriola תְּאַשֻּׁרִים Ez. 27,6; v. BUXUS.
Prinus πρῖνος.
Pyrus בָּבָא.
Quercus אֵלוֹן et אֵלוֹן; אֵלָה et אֵלָה.
Resina צְרִי
Rhamnus אָטָד.
Robur אַרְזָה Soph. 2,14; v. CEDRUS.
Rosa ῥόδον.
Rota גַּלְגַּל Ps. 82 (83), 14.
Rubus סְנֶה; βάτος.
Saliunca נַעֲצוּץ.
Salix עֲרָבָה. — צַפְצָפָה.
Schinus σχῖνος.
Sentes חָרוּל; v. SPINA.
Sericum בּוּץ; v. BYSSUS.
Setim שִׁטִּים.
Siliqua κεράτιον Luc. 15,16.
Sinapis σίναπι.
Spina בָּאֻשָּׁה; חֵדֶק; חוֹחַ; חָרוּל; מְסוּכָה; סִיר; קוֹץ; שִׁטָּה; שַׁיִת; שָׁמִיר; ἄκανθα; ῥάμνος.
Stacte לֹט; נָטָף; קִדָּה.
Storax נְכֹאת.
Subversores סַלּוֹנִים Ez. 2,6; v. SPINA.
Sudes צְנִנִים Ios. 23,13; v. SPINA.
Superficies צַפְצָפָה Ez. 17,5; v. SALIX.
Sycomorus שִׁקְמָה; συκομορέα.
Tabernacula אֲהָלִים Num. 24,6; v. ALOE.
* Tamarix אֵשֶׁל.
Temporaneum בִּכּוּרָה Is. 28,4; v. FICUS.
Terebinthus אֵלָה; בָּטְנִים; τερέμινθος.
Thus לְבוֹנָה et לְבֹנָה; קְטֹרֶת; רֵיחַ נִיחֹחַ; λίβανος.
Thyinum אַלְגּוּמִּים et אַלְמֻגִּים; θύινον.
Tribulus בַּרְקָנִים; דַּרְדַּר; חוֹחַ; σκόλοψ; τρίβολος.

Turbo גַּלְגַּל Is. 17,13; v. ROTA.

Ulmus תַּדְהָר.

Umbra צְאֵלִים Iob 40,16 s. (hebr. 21 s.); v. SPINA.

Urtica סִרְפַּד; כַּמּוֹשׂ.

Vallis אֵלוֹן; v. QUERCUS.

Vepres סֶבֶךְ; שַׁיִת; שָׁמִיר.

Vinea, vitis גֶּפֶן; כֶּרֶם; שׂוֹרֵק et שֹׂרֵקָה; ἄμπελος.

Alia v. in art. HERBAE et PLANTAE, ubi etiam auctores de plantis biblicis agentes recensentur.

L. FONCK.

ARCA FOEDERIS, testamenti Dei, arca testimonii, arca Domini, arca Dei (אֲרוֹן הַבְּרִית, א״ הָעֵדוּת, א״ יהוה, א״ אֱלֹהִים; ἡ κιβωτὸς τῆς διαθήκης κυρίου, τοῦ μαρτυρίου). Arca haec erat cista ex lignis setim i. e. ex lignis acaciae, longitudo eius habuit duos et semis cubitos, latitudo cubitum et dimidium, item altitudo; auro mundissimo erat obtecta intus et foris et cincta corona aurea; per quattuor arcae angulos ponebantur quattuor circuli aurei; istis inserebantur vectes de lignis auro operti, ita ut arca posset transportari. In hac arca reponebantur duae tabulae legis, quae testimonium, testificatio (עֵדוּת) dicuntur; cf. Ex. 25,10-16; 37,1 ss. Ante testimonium i. e. tabulas legis (לִפְנֵי הָעֵדוּת ad faciem testimonii) ponebatur vas cum gomor manna et virga Aaron quae floruerat in signum ei esse sacerdotium a Deo collatum (Ex. 16,34; Num. 17,25 hebr., 10 *Vulg.*); quare recte dicitur Hebr. 9,4: in qua (arca testamenti) urna aurea habens manna et virga Aaronis quae fronduerat et tabulae testamenti; tempore posteriore utique in arca solum asservabantur duae tabulae lapideae quas posuerat in ea Moyses in Horeb (3 Reg. 8, 9). Operculum arcae erat de auro mundissimo duorum cubitorum et dimidii in longitudine et cubiti et semis in latitudine. Vocatur כַּפֹּרֶת, ἱλαστήριον, propitiatorium, quia in die expiationis sanguis sacrificii pro peccatis populi oblati aspergitur contra illud operculum et ita in eo expiantur transgressiones populi et Deus propitiatur (cf. Lev. 16,14-16). Porro ex utraque parte propitiatorii vel operculi arcae posita erant duo cherubim ex auro ductili quae alas extendebant ita ut propitiatorium tegerent seseque mutuo et operculum respiciebant. De forma horum cherubim nihil certi praeterea statui potest. Haec erat sedes ex qua Deus sese manifestabat: « inde praecipiam et loquar ad te supra propitiatorium ac de medio duorum cherubim qui erant super arcam testimonii cuncta quae mandabo per te filiis Israel » (Ex. 25,22). Ibi erat thronus Dei; nam « in nube apparebo super propitiatorium » (כַּפֹּרֶת Lev. 16,2) vel, uti Vulgata habet, super oraculum (sc. quia ex eo loco Num. 7,89 Deus solebat quoque responsa dare). Quae Dei in nube lucida manifestatio shechina (inhabitatio) vocari solet (cf. Ex. 24,16 et *habitavit* gloria Domini) et nubes illa lucida gloria Domini vel etiam facies Domini. Inde quoque apparet cur Deus dicatur sedens super cherubim 1 Reg. 4,4; 2 Reg. 6,2; 4 Reg. 19,15; 1 Par. 13,6; Ps. 79,2; 98, 1; Is. 37,16. Dan. 3,55.

Arca foederis collocabatur in adyto, in sancto sanctorum tabernaculi et postmodum templi. Vectes illi quibus arca portari poterat semper remanebant in circulis (Ex. 25,15). Quandoque arca foederis Domini ex tabernaculo ferebatur ad castra Israelitarum, qui ex eius praesentia peculiarem sibi Dei protectionem promittebant. Ita tempore belli contra Beniaminitas gesti erat arca in Bethel, ibique altare exstruebatur et sacrificia offerebantur (Iud. 20,26. 27; 21,2-4 hebr.; quod Vulgata habet *domum Dei* intellege Bethel et in 21,2 perperam additur in Vulgata *in Silo;* rite LXX in utroque loco Βαιθήλ). Pariter tempore Heli cum a Philisthaeis in Aphec essent devicti, dixerunt seniores: afferamus ad nos de Silo arcam foederis Domini et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum (1 Reg. 4,3). Verum nihilominus propter peccata sua iterum victi sunt et arca Domini capta est a Philisthaeis, qui eam Azotum

transtulerunt et in fano idoli Dagon collocarunt. Sed cum arca praesente variis modis affligerentur (1 Reg. 5,1 ss.), illam cum donariis Israelitis remiserunt (l. c. 6,1 ss.) post septem menses. Bethsamitae autem, qui irreverenter arcam Domini aspexerant, percussi sunt a Deo septuaginta viri (de quo numero vide *F. de Hummelauer*, Comment. in libros Sam. p. 83; spurium est additamentum : quinquaginta millia plebis). Inde arca translata est in Cariathiarim, ibique mansit per annos viginti in domo Abinadab in colle (1 Reg. 7,1. 2; hebr. LXX; Vulgata in Gabaa nomine appellativo pro nomine proprio explicato), in loco scil. qui magis sublimis et munitus ideoque magis dignus videbatur (cf. 1 Par. 13,5). Inde eam sollemni pompa asportandam curavit David (2 Reg. 6,2 s.); in via eam tetigit Oza et propter temeritatem a Domino percussus est; David autem perterritus arcam divertit in domum Obededom Gethaei; inde post tres menses adducta est cum gaudio in civitatem David et collocata in tabernaculo quod tetenderat ei David (2 Reg. 6,17; 1 Par. 15,1; 16,1); tabernaculum enim mosaicum erat in Gabaon (2 Par. 1,3). Exstructo demum templo arca reposita est in sancto sanctorum (3 Reg. 8,4 s.; 2 Par. 5,4 s.). Inde postmodum, fortasse a rege Manasse qui cultum idololatricum maxime fovit, iterum remota est; nam Iosias rex locutus est levitis : ponite arcam in sanctuario templi quod aedificavit Salomon (2 Par. 35,3). In expugnatione Ierusalem et in ruina templi per Chaldaeos facta arca quoque interiit neque in templo post exsilium aderat; eius loco in sanctuario collocatus erat lapis in quo pontifex die expiationis sacrum reponebat incensum et sanguinem sacrificalem aspergebat. In epistula quam Iudaei palaestinenses post mortem Antiochi Epiphanis ad Iudaeos aegyptiacos miserunt narratur inveniri in descriptionibus Ieremiae tabernaculum et arcam foederis et altare incensi a Ieremia in spelunca quadam montis Nebo esse occultatum, locum autem fore ignotum « donec congreget Deus congregationem populi et propitius fiat » (2 Mach. 2,1-8); additur quoque : et tunc Dominus ostendet haec; verum hoc repugnare videtur iis quae Ieremias de tempore illo futuro dicit 3, 16; quare narrationem illam a Iudaeis in epistula relatam popularem quandam opinionem fuisse existimandum erit.

Arca foederis magnum est documentum divinae in populum electum providentiae. Cum per desertum migrarent, arca foederis Dei praecedebat eos (Num. 10,33); coram ea steterunt aquae Iordanis et ad instar montis intumescentes apparebant procul; sacerdotes qui portabant eam stabant super siccam humum in medio Iordanis omnisque populus per arentem alveum transibat (Ios. 3,3-17); coram ea conciderunt moenia Iericho (Ios. 6,4 s.) et ex Lev. 16,2 et Ex. 25,22 ibi super arcam voluit Deus suam specialem in populo inhabitationem manifestare et inde populum suum docere et regere. Cum autem vetus testamentum umbra sit et figura novi (Col. 2,17), facile in arca et in hac Dei inhabitatione agnoscetur ratio typica. Vere enim Deus inhabitat in Ecclesia : et Verbum caro factum est et habitavit (ἐσκήνωσεν) in nobis; ecce ego vobiscum sum omnibus diebus; ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus; praeprimis autem in s. Eucharistia Deus inter nos inhabitat. Sua dein et Spiritus sancti praesentia Ecclesiam continuo docet et regit. Proinde quae in arca populo donata erant, nobis modo excellentiore praesto sunt. Ideoque Ieremias pro tempore messiano affirmat : non dicent ultra : arca testamenti Domini, neque ascendet super cor neque recordabuntur illius (3,16), quia scil. quae ibi in umbra praebebantur, iam sublimiore ratione in ipsa veritate possident. In lege mosaica arca erat quasi centrum cultus eo sensu, quia sacrificia omnia mediate vel immediate ad eam tamquam ad Dei thronum referebantur; quare iisdem verbis propheta simul indicat cultum illum ritu mosaico iri abrogatum. — Moyses cum faceret tabernaculum iussus erat : vide, omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte (Ex. 25,40; Hebr. 8,5); illud exemplar caeleste ostensum est Ioanni : et apertum est templum Dei in caelo et visa est arca

testamenti eius in templo eius (Apoc. 11,19).

I. KNABENBAUER.

ARCA NOE. Navigium illud ingens, quod Noë iussu Dei imminente diluvio ad suae eorumque septem ex suis domesticis, quos ipse Deus designaverat, saluti consulendum servandasque species animalium construxerat, dicitur in textu hebr. תֵּבָה vocabulo, ut probabile est, aegyptiaco, cistam, sarcophagum vel ratem denotante; cf. apud LXX θῆκις vel θήκη, fiscella Moysis infantis), *Targ.* item תיבותא, *Sam.* ספינה (navis), LXX Gen. κιβωτός arca, cista), Sap. 14,6 σχεδία navis tumultuaria), *Flav. Ios.* λάρναξ (cista, urna, sarcophagus), in relatione assyr. *ĕlippu* (= aram. אלפא navis), *Vulg.* arca. Facta erat ex עֲצֵי גֹפֶר i. e. lignis arborum coniferarum, forte cupressorum, quibus Phoenices olim ad naves, Aegyptii ad sarcophagos faciendos dicuntur usi esse. Constabat ex 3 contignationibus (*Vulg.* «deorsum, cenacula, tristega») multisque in singulis earum « mansiunculis » (hebr. קִנִּים « nidis » i. e. stabulis vel cameris). Ne aqua irrueret, prohibebatur bitumine, quo intrinsecus et extrinsecus lini arca iussa erat, et tecto. Lucem procurabat incolis arcae « fenestra » (צֹהַר), i. e. probabilius non unica fenestra sed fenestrarum series vel spatium per totum arcae ambitum inter parietes tectumque relictum (1 cub. altum, si Gen. 6,16 ad ipsam « fenestram » refertur et non ad elevationem tecti supra fenestram), trabibus rectis interruptum ac fortasse clatris (Gitterwerk, grillage), ne aves evolarent, clausum: aperienda enim erat, ut ex textu sacro cognoscimus, fenestra, cum corvus emitteretur. Ianua a latere uno arcae aderat, quam ipse Deus, priusquam pluviae inciperent, foris claudere dignatus est. Ut haec priora, ita etiam dimensiones arcae Deus praefixerat, et longitudinem quidem 300 cubitorum, latitudinem 50, altitudinem 30; unde imaginari possumus arcae et formam et capacitatem; S. Augustinus (Civ. Dei l. 15) adnotat arcae fuisse proportiones corporis humani iacentis. Formam arcae, cistae oblongae similiorem quam navi (ita quidem, si litteram s. textus premis), fuisse oneribus portandis aptissimam, Petrus Jansen Mennonita anno 1604, constructo Hoornii in Hollandia aedificio ligneo minorum quidem dimensionum sed eiusdem dimensionum proportionis, nempe 120 × 20 × 12 pedum, demonstravit. Iam cubitum si supponis babylonicum (52,5 centimetrorum), habes in unaquaque contignatione aream amplius 4.000 metrorum quadratorum, in totoque aedificio spatium amplius 64.000 metrorum cubicorum (rursus supposita forma arcae undique rectangulari). Quo spatio recipienda erant omnis generis animalia, volucres, pecora, reptilia, et quidem immundorum bina, mundorum septena, secundum aliquos totidem animalium paria. Olim cum universum orbem terrarum diluvio inundatum iudicarent, quanto maior specierum animalium numerus innotescebat, tanto difficilior in dies quaestio videbatur, qui fieri potuerit ut tot bestiae spatio tantillo conderentur simul cum convenienti ad annum nutrimento: etenim solorum vertebratorum quae dicuntur — ea fere sola consideranda sunt — 24.700 fere species numerant (v. *Leunis*, Synopsis der Thierkunde *ed.* 3, II. 1173). Atque ingenti studio et ingenio ad nodum solvendum usi sunt (cf. v. gr. *Ath. Kircher*, Arca Noë, Amstelod. 1675). Nunc vero, cum inde a 100 fere annis sententia de diluvio geographice restricto obtinuerit, talibus inquisitionibus facile supersedere possumus, cum patriarchae solum regionis diluvio inundatae animalia neque ea omnia singula servanda fuisse videantur; excipi possunt vel debent v. gr. pisces, aquatica, probabiliter etiam ferae carnivorae. Ita restricto numero animalium, non iam improbabile aut impossibile videtur, ea in arcam cum modico ad annum pabulo recepta esse iisque ab 8 hominibus provisum.

Finita igitur constructione initioque diluvii indicto, ipse Noë in eam ingressus est et cum eo animalia, quae collegerat vel quae fortasse partim instinctu periculum praesentientia ad eum vene-

rant. Multiplicatae dein aquae « elevaverunt arcam in sublime a terra », sicque Dei « manu gubernata » (Sap. 14,6) super undas natabat usque ad illius anni diem 27. (hebr. « 17. ») mensis septimi, quo die, i. e. paucis post diebus quam diluvium minui coeperat, « super montes Armeniae » constitit. Eo nomine apte *Vulg.* reddidit hebr. « Ararat ». Ararat enim est in V. T. nomen regionis cuiusdam (ut assyr. *Urarṭu*) Ier. 51,27, 4 Reg. 19,37; significat regionem Armeniae orientalem, *Araratiam* vel Airarat dictam, sitam in valle Araxis fluvii ad radices Tauri montis. Vix in ipso summo monte Ararat arca consedisse dicenda sit aut maiore aut minore. Nam ille altus est 5.156 metra ac sempiterna per mille de vertice metra glacie ac nive rigens : quomodo enim tunc diluvium non universale fuisset, aut quomodo, si fuerit universale, descendere ab illa glacie potuissent? Nec in Ararat minore quaerendus est locus arcae subsistentis : nam etiam hic habet quidem altitudinem tantum 4.000 fere metrorum, sed ascensus est etiam multo magis arduus atque abruptus. Non tam procul a tractibus montium Armeniae etiam narratio cuneiformis navem considentem facit, in monte [regionis] Nizir, i. e. fere ab oriente fl. Tigris, trans fl. Zab. Berosus substituit montes Gordyaeos, *Targ.* et *Syr.* terram קרדו Corduenen, i. e. Kurdistan seu sinistram ripam Tigris superioris versus fl. Zab. Postquam terra omnino arefacta est, Noë cum sociis et animalibus iterum egressus est eamque suo fato reliquisse videtur. Quod quale fuerit utique ignoramus. Flavius Iosephus (Ant. I. 3,5) refert sua aetate quodam loco Armeniae, qui dicebatur ἀποβατήριον (exscensionis locus), quasdam arcae reliquias ostensas esse, item Beroso teste quosdam ad Cordyaeorum montem in Armenia bitumen conquirere, quo in sacrificiis piacularibus uterentur; similia Hieronymus, Damascenus aliique testantur.

Arca igitur, licet fuerit εὐτελὲς ξύλον, vile seu « contemptibile lignum » (Sap. 10,4), tamen « benedictum est lignum, per quod fit iustitia » (ib. 14,7) : instrumentum enim fuit, quo Deus servare voluit Noë iustum ceteris pereuntibus. Aptissima igitur imago et adumbratio haec Noë in arca salvatio fuit nostrae per Christum salutis, aptissimusque typus arca ea, quae non perirent, condens exstitit Ecclesiae homines ad se congregantis ut iis salutem praestet, arca facta ex ligno ligneae Salvatoris crucis, aqua arcam sustentans ac mundum criminosum purgans eius aquae quae et nos nunc salvos facit, baptismatis (1 Pet. 3,21). Patribus ecclesiasticis arca fuit symbolum Ecclesiae, extra quam non esset salus; arca una unius ecclesiae, arca omnia genera animalium recipiens universalis seu catholicae ecclesiae, arca munda pariter et immunda animalia continens Ecclesiae ad quam tam iusti quam peccatores pertinerent, mira denique arcae nullo aquarum ac procellarum impetu fractae soliditas perennitatis Ecclesiae nullis persecutionibus interiturae (cf. dissert. « de arca Noë ecclesiae typo patrum sententiae » ap. *Hurter*, S. Patrum opuscula selecta, tom. 3. pag. 217). — Ceteroquin vide etiam art. DILUVIUM.

F. ZORELL.

ARCES, MUNITIONES. Israelitae cum terram palaestinensem occuparent iam ubique reperiebant urbes muris munitas. Ita exploratores referunt : terra cultores fortissimos habet et urbes grandes atque muratas (Num. 13,29) et de bello contra Og gesto monet Moyses : cunctae urbes erant munitae muris altissimis portisque et vectibus (Deut. 3,5). Quare occupata terra iam urbes moenibus protectas occuparunt. David munivit Jerusalem, cuius arcem Iebusaei expugnari non posse putaverunt (2 Reg. 5,6), et aedificavit per gyrum a Mello et intrinsecus i. e. totam urbem munivit incipiens ab ea parte quae Mello vocabatur. In qua munitione urbis augenda Salomon quoque laborabat, qui insuper omnes vicos, qui ad se pertinebant et erant absque muro, munivit et civitates munitissimas aedificavit, civitates muratas habentes portas et vectes et seras (cf. 3 Reg. 9,15. 17; 2 Par. 8,4 s.). Multas quoque urbes munivit Roboam; recensentur 2 Par. 11,6-10 urbes quindecim; cumque clausisset eas muris, po-

suit in eis principes eiborumque horrea, hoc est, olei et vini et fecit in singulis armamentarium scutorum et hastarum (2 Par. 11, 11. 12). Baasa rex Israel munivit Rama, ut non posset quisquam egredi vel ingredi de parte Asa regis Iuda (3 Reg. 15,17), quam arcem Asa destruxit et ex eius lapidibus et lignis munivit Gabaa Beniamin et Maspha (l. c. 22). Praeter muros etiam propugnacula seu antemurale ad maiorem securitatem addiderunt (cf. Is. 26,1; 54,12): moenia turribus instruebantur (1 Par. 27,25; 2 Par. 14,7; 26, 9; 27,4), ex quibus hostes observabantur (4 Reg. 9,17) et lapides aliaque iacula in hostes iaciebantur (cf. Iud. 9,51 s.). Tempore quoque Machabaeorum urbes haud paucae firmiter muniebantur (1 Mach. 4,60. 61; 12,38; 13,33; 14,33); praecipue sanctuarium in Ierusalem maxima arte reddebatur firmum et tutum eo quod mons templi robustis muris et turribus instruebatur (1 Mach. 6,62; 10,11). In ipsis quoque urbibus munitis arces munitissimae reperiebantur; de arce videtur intelligendum quod Iud. 9,51 refertur: arx munita prope templum erat in Ierusalem, quae in bello machabaico saepe nominatur (1 Mach. 6,18 s. 9,53; 13,49 s.); de arce Sion mentio fit tempore Davidis, ad quam munitiones Mello et Ophel (?) pertinebant (cf. 3 Reg. 11,27; 2 Par. 27,3; 32,5; 33,14).

Pro expugnatione urbium et pro tempore obsidionis aliqua lege mosaica praescribuntur: si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem; si receperit et aperuerit tibi portas, cunctus populus qui est in ea salvabitur et serviet tibi sub tributo; sin minus, urbe expugnata viri omnes occidentur; mulieres autem et infantes et iumenta aliaque in praedam erunt exercitui (Deut. 20,10-14). Tempore obsidionis non succides arbores de quibus vesci potest nec securibus per circuitum debes vastare regionem; sed machinae ad expugnandam urbem ex lignis non pomiferis erant conficiendae (Deut. 20,19. 20). Ponebantur circa urbem castra quae aggeribus seu vallo muniebantur (2 Reg. 20,15; 4 Reg. 10,32; 25,1; Ier. 6,6; Ez. 4,2); qua conclusione commeatus omnis prohibebatur, ut obsessi fame coacti deditionem meditarentur (4 Reg. 6,25); quare aquaeductus quoque destruebantur (Iudith 7,6). Contra urbem ducebantur aggeres seu valla, ex quibus lapides machinis iaciebantur in urbem et moenia urbis concutiebantur. Eiusmodi machinae erant arietes (Ez. 4,2; 21,22), longae ac robustae trabes quibus moenia vehementi impulsu quatiebantur, ballistae ex quibus lapides maximo impetu contra muros vibrabantur (cf. 1 Mach. 6,51), turres quae moenibus admovebantur et ex quibus sagittae et iacula mittebantur, βελοστάσεις (1 Mach. 6,20), πυρόβολα i. e. catapultae quibus sagittae ignitae, lanceae aliaque tela succensa mittebantur, scorpiones (σκορπίδια) vel manuballistae, minores ballistae quae ab uno milite dirigebantur (cf. *Vegetius* 12,22: scorpiones dicebant quas nunc manuballistas vocant; ideo sic nuncupati quod parvis subtilibusque spiculis inferant mortem). In oppugnatione urbis Gazarae (1 Mach. 13,43; loco Gazae legendum esse Gazara vide s. v. GAZARA) Simon usus est machina, cui nomen ἑλέπολις, quae inventa esse dicitur a Demetrio Poliorcete; describit eam *Ammianus Marcellinus* XXIII. 4,10: testudo compaginatur immanis axibus roborata longissimis ferreisque clavibus aptata et contegitur coriis bubulis virgarumque recenti textura atque limo adsperguntur eius suprema, ut flammeos detractet et missiles casus. Conferuntur autem eius frontalibus trisulcae cuspides praeacutae ponderibus ferreis graves, qualia nobis pictores ostendunt fulmina vel fictores, ut quidquid petierit aculeis exertis abrumpat. Hanc ita validam molem rotis et funibus regens numerosis intrinsecus miles languidiori murorum parti viribus admovet concitis et nisi desuper propugnantium valuerint vires, collisis parietibus aditus patefacit ingentes. — Aliarum machinarum descriptionem etiam affert *Ugolinus*, Thes. Antiq. XXVII. c. 272. — Uti machinis moenia evertere studebant, ita quoque non videtur fuisse ignoratum artificium ea cuniculis actis subruendi et suffodiendi; tale enim innuitur Ier. 51,58 et comparatione Ez. 13,4 (hebr.) Urbes itaque rapiebantur impetu facto oppugnatorum per ruinas muri iacentis vel etiam, uti

in monumentis assyriacis saepius cernitur, scalis ad moenia appositis quibus milites ascendunt et propugnatores devincunt.

Qui obsidebantur, etiam ex sua parte iisdem fere machinis utebantur ad lapides, tela, sagittas succensas iacienda (cf. Iud. 9,53; 2 Reg. 11,21). Iam Ozias hisce urbem munivit : fecit in Ierusalem diversi generis machinas quas in turribus collocavit et in angulis murorum, ut mitterent sagittas et saxa grandia (2 Par. 26,15). Ita hostes prohibebantur ne ad murum accederent (cf. 2 Reg. 11,24). Quae machinis destruebantur quam citissime reparabantur alio muro post ruinam prioris exstructo (cf. Is. 22,10 : destruxistis domos ad muniendum murum). Obsessi etiam eruptionem facere, oppugnatores repellere, machinas igne succendere ac destruere studebant (cf. 1 Mach. 6,31). Oppugnatio quandoque satis diu protrahebatur : Samaria ab Assyriis obsidebatur annis tribus (4 Reg. 17, 5) ; per menses octodecim Nabuchodonosor oppugnabat Ierusalem (4 Reg. 25,1). Torquebantur incolae urbis oppugnatae saepe annonae penuria (4 Reg. 6,24; 1 Mach. 6,53) ita ut ad res nefandas perpetrandas propellerentur (4 Reg. 6,28. 29; Lament. 4,10). Urbs vi expugnata saepe destruebatur (Iud. 9,45; 1 Mach. 5,51); alias opibus ablatis munitiones solo aequabantur (cf. 3 Reg. 14,26; 4 Reg. 14,13), et incolae captivi abducebantur (4 Reg. 24,13 s.). Ut significaretur locum urbis expugnatae et destructae esse maledicto devotum, spargebatur locus ille sale (cf. Deut. 29,23; Iud. 9,45; Soph. 2,9).

ARCEUTHINUM LIGNUM S. Hieronymus semel vocat arborem בְּרוֹשׁ (2 Par. 2,8 hebr. 7), retenta voce graeca ἀρκεύθινα ξύλα, quae Latinis proprie ligna *iuniperi* forent. At ceteris in locis idem S. Doctor eandem arborem rectius *abietem* dicit, quae etiam hic intellegenda videtur (v. ABIES).

L. FONCK.

ARCHANGELUS v. ANGELUS.

ARCHELAUS (Ἀρχέλαος), filius Herodis et Malthaces samaritanae. Cum Ioseph cum puero Iesu et matre rediret ex Aegypto, audiens quod Archelaus regnaret in Iudaea timuit illo ire (Matth. 2,22). Mortuo Herode Augustus Archelao ethnarchae attribuit Iudaeam, Idumaeam, Samariam pollicitus regium titulum et honorem, si dignam rege virtutem praestitisset (*Flav. Ios.* Ant. XVII. 11,4). Cum Matth. 2,22 de eo dicatur ὅτι βασιλεύει, non desunt qui evangelistam erroris et ignorantiae arguant, quippe qui Archelaum regem faceret; at βασιλεύειν uti regnare latiore quoque notione adhibetur de eo qui res publicas tamquam princeps vel dux administrat; porro quid probabilius est quam ut populus successorem Herodis regis etiam regem nominaret? atque id solum indicat evangelista : *audiens* quod *regnaret!* Atque eum a populo esse regem appellatum, inde quoque efficitur probabile, quod Archelaus in prima sua ad populum oratione aperte dixerat, se appellationis regiae honorem consecuturum, si Caesar (Augustus) testamentum a patre conscriptum sua auctoritate confirmaverit; pariter commemorat exercitum id studiose egisse, ut diadema sibi imponeret (*Iosephus* l. c. 8,4). Et merito timuit Ioseph; erat enim Archelaus etiam morum patris, praesertim crudelitatis et luxuriae heres. Quare decimo principatus eius anno fratres ipsius cum primoribus Iudaeorum et Samaritanorum, eius crudelitatem et tyrannidem non ferentes eum apud Caesarem accusarunt. Augustus audita accusatione eum Romam venire iussit (misso Archelao negotiorum eius in aula romana procuratore) et postquam illum causam suam contra accusatores agentem audivit, eum in exsilium abegit, Vienna Galliarum urbe in commorandi locum ei assignata, pecuniaque spoliavit (l. c. XVII. 13,2). Vide s. v. AUGUSTUS.

ARCHI (הָאַרְכִּי cum articulo, Ἀχαταρωθί per fusionem Archi et Ataroth nominis proxime sequentis), urbs in confinibus Ephraim et Beniamin sita (Ios. 16, 2). Forma hebraica non ipsam urbem, sed potius incolam seu incolas urbis indicat, cuius nomen Arach seu Erech fuisse supponendum est. Unde Ios. 16,2 melius vertitur : Transitque (terminus

Ephraim) per fines Arachitarum versus Ataroth. De hac urbe oriundus erat Chusai Arachites (הָאַרְכִּי, ὁ Ἀραχί), amicus et consiliarius David regis (2 Reg. 15,32; 16,16; 17,5. 14; 1 Par. 27,33). Archi (Arach, Erech) censetur esse vicus *'Ain 'Arīk* inter Bethel et Bethoron.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem III. 7; *Legendre*, Carte de la Palestine; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 414; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. V.

ARCHIPPUS (Ἄρχιππος), christianus quem S. Paulus Col. 4,17 admonet : Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Quale ministerium hoc fuerit, determinari non potest. Epistula ad Philemonem inscribitur Philemoni, Appiae et Archippo commilitoni nostro (v. 2). Unde Archippus ad familiam Philemonis pertinuisse aliquibus videtur, sed immerito.

ARCHISYNAGOGUS v. SYNAGOGA.

ARCHITECTURA v. ARTES.

ARCHITRICLINUS (ἀρχιτρίκλινος) Io. 2,8. 9 ille est, cui tamquam praefecto cura incumbit instruendi et ornandi triclinii, mensas lectulosque collocandi, disponendi dapes, praegustandi cibos et vina. Est igitur primus minister conviviorum. Perperam censet *Lightfoot* (Horae hebr. ad l. c.) eius solum fuisse benedictiones pronuntiare in talibus conviviis haberi solitas, benedictiones sponsi, benedictiones super poculum vini etc. Neque eius munus confundendum est cum munere magistri convivii (συμποσιάρχης), qui a convivis electus ceteris ferebat leges bibendi, cuius munus commodo et hilaritati convivarum inserviens Sapiens quoque describit (Eccli. 32,1-8; LXX 35,1 ss.).

ARCTURUS v. STELLAE.

ARCUS (signum foederis) v. IRIS.

ARCUS v. ARMA.

ARDON (אַרְדּוֹן, Ἀρδών), filius Caleb filii Hesron, ex Azuba genitus (1 Par. 2, 18).

AREA (אָרָה, Ἄρες, Ἠρά, Ἡραέ), princeps familiae, cuius posteri Babylone redierunt 775 viri (Esdr. 2,5) vel 652 viri (Neh. 7,10). Unus ex eius posteris appellatur Sechenias (Neh. 6,18), socer Tobiae Ammonitae.

AREA, locus apertus, planus, editus quem ventus perflare posset ad abigendas paleas. Comportabantur manipuli segetum in aream, ut ibi trituratione grana excuterentur (vide s. v. AGRICULTURA), unde area ad terendum (Deut. 25, 4); a granis ita excussis paleae erant separandae, unde area ad ventilandum (Ruth 3,2; Is. 30,24), ad quod ventus inserviebat; unde Ier. 4,11 ventus ad ventilandum et purgandum et Os. 13,3 pulvis turbine raptus ex area (Dan. 2,35). Ne manipuli in area collecti vel frumentum iam partim excussum raperetur, etiam in area solebant pernoctare (Ruth 3,2). Frumentum purgatum ex area comportabatur in horrea, cellaria (Deut. 28, 8; Ruth 2,23; 2 Par. 11,11) vel etiam in promptuaria seu granaria subterranea abdebatur, uti Ier. 41,8 dicunt decem viri ad Ismahel : noli occidere nos quia habemus thesauros in agro frumenti et hordei et olei et mellis. — Speciali modo aliquae areae efferuntur :

1. Area Atad (גֹּרֶן הָאָטָד i. e. *area rhamni*, ἅλων Ἀτάδ), ubi filii Iacob ex Aegypto profecti, ut corpus patris prope Hebron sepelirent, in itinere constiterunt et per septem dies exsequias planctu magno et vehementi celebrarunt (Gen. 50,10). Dubium est, sitne Atad nomen viri, cuius illa regio fuerit ut *Vulg.* et LXX supponunt, an potius nomen appellativum : *area rhamni*, id quod probabilius videtur ex ipso nomine (cf. Iud. 9, 14. 15; Ps. 57 [58],10 ubi idem nomen rhamni reperitur). Aliud nomen eiusdem loci est Abel Mizraim. Chananaei enim, qui testes illius planctus erant, dicebant : Planctus (אֵבֶל) magnus est iste Aegyptiis et locum vocarunt אָבֵל מִצְרַיִם i. e. pratum Aegyptiorum (Gen. 50,11). *Vulg.* (Planctus Aegypti) et LXX (πένθος Αἰγύπτου) supponunt aliam punctationem אֵבֶל מִצְרַיִם et utramque notionem (planctus et pratum Aegyptiorum) coniungunt. — Area Atad v. 10 trans Iordanem sita esse

dicitur, item Abel Mizraim v. 11 in textu hebr. et graeco. Ex quo apparet filios Iacob non via recta ab Aegypto Hebronem profectos esse, sed maiore circa mare Mortuum circuitu; hoc utique mirum videri potest, sed facile fieri potuit, ut propter rationes graves v. g. propter bellum vel propter hostilia a populis infestis timenda iter tutius per desertum eligendum fuerit. Verbis *trans Iordanem* nostro loco regionem a Iordane occidentalem indicari variae rationes suadent. Primum quidem exsequiae celebratae sunt habitatoribus terrae Chanaan spectantibus; hi autem partem occidentalem incolebant; interpretatio, quam *Franz Delitzsch* (Neuer Commentar über die Genesis, Leipzig 1887, p. 534-535) in h. l. proponit Chananaeos ex ripa dextera spectasse exsequias in ripa sinistra celebratas, est satis coacta et contra sensum obvium. Porro ipsa natura rei suadet filios Iacob non extra terram Chanaan exsequias patriarchae egisse, sed postquam solum patrium ingressi sunt i. e. in ripa dextera. Hunc locum Moyses auctor Genesis trans Iordanem situm esse merito dicere potuit. Neque obstat, quod paulo infra v. 13 dicitur : et portantes eum in terram Chanaan sepelierunt (ex quo modo loquendi aliqui colligunt planctum non esse factum in terra Chanaan); nam haec verba referuntur ad id quod praecedit : fecerunt ergo filii Iacob sicut praeceperat eis (v. 12); nempe Gen. 49, 30 praeceperat eis Iacob, ut in terra Chanaan ipsum sepelirent, quare in v. 13 singula recensentur facta esse uti Iacob iusserat; nullo autem modo dicitur eos tum tandem terram Chanaan esse ingressos. Accedit denique antiqua traditio, quam S. Hieronymus (Onomast. *ed. Lag.* 85,15) testatur locum hunc 3 mil. pass. a Iericho, 2 mil. pass. a Iordane distare et vocari Bethagla. Reiicienda quidem est interpretatio etymologica S. Hieronymi : locus gyri, eo quod ibi more plangentum circuierunt in funere Iacob; haec enim supponeret lectionem בית עֶגְלָה, dum noster textus massorethicus habet בית חַגְלָה i. e. domus perdicis. Beth Hagla (vide s. v.) nunc est *Qasr Hadlje* inter Iericho et ostium Iordanis.

Cf. *Guérin*, Samarie I. 58. 59; *Ritter*, Erdkunde XV. p. 544. 545; *Raumer*, Palaestina *ed.* 4, p. 177; *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1198.

2. Area Chidon (גֹּרֶן כִּידוֹן, ἅλων omisso nomine proprio sed A ἅλων Χειλώ) appellatur locus, ubi in transportatione arcae de domo Abinadab in Ierusalem Oza manu extensa arcam sustentavit, quoniam boves calcitrantes eam paululum declinaverant; propter quam irreverentiam et defectum fidei, quo populus rudis maiore erga res sacratissimas reverentia imbueretur, Oza a Domino percussus ibidem iuxta arcam mortuus est (1 Par. 13,9). Unde nomen loci ortum est Divisio Ozae (1 Par. 13,11) vel Percussio Ozae (2 Reg. 6,8), hebr. in utroque loco פֶּרֶץ i. e. ruptura, clades. Eadem area 2 Reg. 6,6 appellatur Area Nachon (גֹּרֶן נָכוֹן, ἅλως Ναχώρ). Nomen utrumque Chidon et Nachon loco videtur esse inditum ex eventu. Nachon enim explicandum videtur ex eo quod sequitur וַיַּכֵּהוּ *et percussit;* כִּידוֹן autem nomen est iaculi vel hastae (cf. Iob. 41,21 hebr. ubi *Vulg.* quoque *hasta,* dum alias fere vertit *clypeus*); alii malunt appellationem derivare a כִּיד (Iob 21,20, LXX σφαγή, *Vulg.* interfectio). Utrumque igitur nomen loco inditum est a sorte Ozae, qui vel iaculo Domini transfossus vel ictu ab eo percussus dicitur. Habemus igitur aream iaculi vel interfectionis 1 Par. 13,9 et aream percussionis 2 Reg. 6,6; quod nomen utrumque postea suppletum est appellatione : Percussio (divisio) Ozae. — Secundum contextum Area Chidon seu Nachon erat in via inter Cariathiarim et Ierusalem nec procul a domo Obededom, in qua post mortem Ozae David arcam collocavit (cf. 2 Reg. 6,12; 1 Par. 15,25).

3. Area Nachon v. AREA 2.

4. Area Areuna, Area Ornan. Nomen hebraicum legitur 2 Sam. 24,16 *Kethib* אורנה, *Qeri* ארונה, 1 Par. 21,15 ss. constanter אָרְנָן, unde LXX ubique Ὀρνά, *Vulg.* 2 Reg. 24,16 s. Areuna et 1 Par. 21,15 ss. Ornan. Erat haec area in monte Moria eo loco, ubi postmodum templum est aedificatum ac tempore qui-

dem Davidis extra urbem. Cum pestilentia in Iudaea grassaretur, angelus Domini iuxta aream Arauna Iebusaei cernebatur extendens manum suam super Ierusalem, ut disperderet eam; David autem videns angelum deprecatus est Dominum ac iubente Gad propheta emta ab Arauna area ibidem altare constituit obtulitque holocausta et pacifica; et propitiatus est Dominus terrae et cohibita est plaga ab Israel 2 Reg. 24,15-25; 1 Par. 21,14-28). Locum hoc sacrificio sanctificatum David templo exstruendo assignavit (1 Par. 22,1 s.; 2 Par. 3,1). Discrepantia deprehenditur inter 2 Reg. 24,24 : Emit ergo David aream et boves argenti siclis quinquaginta et 1 Par. 21,25 : Dedit ergo David Ornam pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos. Si consideramus Abraham pro loco sepulturae 400 siclos argenti solvisse Gen. 23,15. 16), iure infertur aream prope urbem in loco conspicuo sitam vix emi potuisse exiguo illo pretio 50 siclorum argenti; ex altera parte pecunia 600 siclorum auri videtur esse maior. Fortasse 2 Reg. 24,24 summa 50 siclorum argenti solum ad boves emendos refertur, ita ut pretium areae eo loco exciderit. Ceterum notandum est permultas esse discrepantias inter textum male ab amanuensibus habitum librorum Regum et Paralipomenon.

AREBBA (הָרַבָּה cum articulo : *magna* scil. urbs; Σωθηδά, Α Ἀρεδδά), urbs montis Iuda enumerata cum Cariathiarim (Ios. 15,60). Nunc fortasse *Khirbet Rebba* prope *Beit Nettîf* (Netopha) inter meridiem et occidentem.

Cf. *V. Guérin*, Judée III. 336; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 314; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 15; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 267 (addito signo?).

ARECON (הָרֵקוֹן cum articulo; deest apud LXX), urbs tribus Dan (Ios. 19,46). Censetur esse *Tell el-Reqqeit* a Iaffa septemtrionem versus iuxta mare. Vide etiam MEIARCON.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. II. 262-263. 275; *Legendre*, Carte de la Palestine; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. V; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 441.

Alii vero dubitant, num Arecon cum *Tell el-Reqqeit* componi possit v. g. *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 199.

ARED (אֶרֶד, Ἀρέδ), decimus filius Beniamin (Gen. 46,21).

AREE אֵרֵה, Ἀρέ), unus ex filiis Olla de tribu Aser (1 Par. 7,39).

ARELI v. ARIEL 1.

AREM (Neh. 7,42) v. HARIM 1.

AREOPAGUS (Ἄρειος πάγος, collis Martius) collis erat Athenis e regione Acropolis ex quo aspectus late patebat in urbem, ubi celeberrimum iudicium et in tota Graecia et apud exteros quoque maximi habitum celebrari solebat. Ad eum locum ductus est Paulus, non quidem ut iudicibus illis religiosissimi iudicii et sanctissimi consilii (uti veteres illud iudicium appellabant) sisteretur, sed ut in loco tranquilliore quam in foro et editiore facilius a pluribus audiretur. Nam qui eum deducunt in Areopagum, in collem illum, solum dicunt interrogantes : possumus scire quae est haec nova doctrina etc., eosque quaerere non animo accusandi sed cupiditate novum quid audiendi, aperte indicat S. Lucas addens Act. 17,21 : Athenienses autem omnes et advenae hospites ad nihil aliud vacabant nisi aut dicere aut audire aliquid novi. — Paulus itaque ibi sermonem habuit illum summa prudentia et arte eminentem quo Athenienses a deorum cultu ad unius Dei et Iesu Salvatoris cognitionem traducere studet; est primus quasi sermo apologeticus et didacticus de vera religione. Nec caruit effectu; v. 34 quidam viri adhaerentes ei crediderunt in quibus et Dionysius *Areopagita* i. e. erat unus ex iudicibus illis qui in Areopago sententiam dicebant, erat arei iudicii (*Tacitus*, Ann. 2,55) assessor, proin vir nobilis; nam iudices illi de rebus capitalibus gravioribus et de sacrorum violatione iudicium ferebant. Narrat Eusebius (H. E. 3,4; 4,23; *M.* 30,221. 385) tradere Dionysium corinthiacum fuisse Areopagitam primum episcopum ecclesiae atheniensis. Eum

martyrium pro Christo subiisse tradunt Nicephorus (H. E. 3,11; *M.* 145,920) et martyrologia. Notum est eius nomine inscribi libros de caelesti hierarchia, de ecclesiastica hierarchia, de divinis nominibus, de mystica theologia, quos non esse eius satis constat; cf. *Stiglmayr,* Der Neuplatoniker Proclus als Vorlage des sog. Dionysius Areopag., in Histor. Iahrb. 1895 p. 353 et p. 721 s.

ARETAS (Ἀρέτας). **1.** Aretas, ὁ τῶν Ἀράβων τύραννος (2 Mach. 5,8), primus est Nabataeorum princeps, de quo aliquid certi innotuit nobis. Ad eum confugit Iason pontifex anno 169 a. Chr.; si lectio l. c. ἐγκλειοθείς retinetur, tunc Iason prius ab Areta carcere inclusus est et postea fugit de civitate in civitatem; verum haud immerito recentiores censent ἐγκληθείς esse legendum; tum Iason confugit ad Aretam neque tamen ab eo receptus est, quia apud eum accusatus erat propter animum in Antiochum Epiphanen hostilem.

2. Aretas, de quo 2 Cor. 11,32, est rex Nabataeorum, eius nominis IV. qui Aeneas vocabatur, sed mutato nomine Aretas dictus est (*Flav. Ios.* Ant. XVI. 9,4); regnum tenuit per 48 annos (ab anno 9 a. Chr. usque ad a. 40 p. Chr., uti ex compluribus nummis constat; vide *Schürer,* Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter I. Ch. *ed.* 3, I. p. 736 s.). Cum Paulus apostolus post conversionem suam ex Arabia redux in urbem Damascum multo magis convalesceret et confunderet Iudaeos, Iudaei ab ethnarcha regis Aretae contra Paulum id impetrabant, ut ad comprehendendum Paulum portae civitatis custodirentur; quare Paulus in sporta per murum dimissus est. Eo itaque tempore Aretas Damascum quoque possidebat. Et nummi quidem damasceni cum imagine Tiberii habentur usque ad annum 33/34 p. Chr., nummi cum imagine Neronis ab anno 62/63 et deinceps; ex tempore Caligulae et Claudii nummi cum imagine Imperatoris reperti non sunt. Quomodo Damascus venerit in possessionem Aretae, non constat certo. Herodes Antipas, ut Herodiadem duceret, priorem suam uxorem, filiam Aretae repudiaverat; quare Aretas ei bellum intulit eumque devicit. Herodes auxilium a Romanis efflagitavit et Tiberius misit Vitellium Syriae legatum, ut Aretam repelleret. Verum Vitellius audito nuntio de morte Tiberii, cum assumptis duabus legionibus in urbem Ierusalem advenisset opem laturus Herodi et Petram versus properaturus, ab incepta expeditione destitit et milites in sua quemque hibernia dimisit, quod non amplius sibi eadem quae antea belli gerendi potestas esset imperio ad Caium delato (*Iosephus,* Ant. XVIII. 5,3). Qua occasione usum esse Aretam multi putant ad occupandam Damascum. Aliis tamen improbabile videtur a Romanis iniuriam urbis sibi ereptae non esse punitam. Unde probabile censent urbem Damascum à Caligula esse Aretae donatam, cum Caligula eiusmodi dona et favores conferre saepius soleret (cf. *Schürer* l. c.; *Cornely,* Comm. in 2 Cor. p. 311).

I. KNABENBAUER.

AREUNA (2 Reg. 24,16 ss.) Iebusaeus, qui aream suam in monte Moria sitam Davidi vendidit. Idem appellatur Ornan 1 Par. 21,15 ss. et 2 Par. 3,1. Vide Area Arcuna s. v. AREA 4.

ARGENTUM, hebr. כֶּסֶף, gr. ἄργυρος s. ἀργύριον, secundum inter metalla nobiliora locum occupat. Nomen tum hebraeum (a radice כסף) tum graecum (ab ἀργός) et latinum ab *albido* colore dicitur accepisse. « Venarum suarum principia » (Iob 28,1) praesertim in montibus Hispaniae (Ier. 10,9; Ez. 27,12) habebat, unde tempore posteriore per nautas Tartessios Tyrum et in Palaestinam afferebatur; sed antiquitus obtinebatur ex regionibus vicinioribus, praecipue ex Cilicia, unde Aegyptii potissimum argentum suum accipiebant (*W. M. Müller,* Asien u. Europa, 338 s. 344 s.); praeterea in montibus Armeniae et Mediae cum aliis metallis argentum quoque inveniebatur (*A. H. Layard,* Nineveh and its remains 2,417-9; cf. *Asurnasirpal* Annal. Col. 1,57. 78. 83. 95 etc.) atque etiam Aethiopia et Arabia cum auro argenti copiam, licet minorem, praebebant. Inde ab aetate patriarcharum saepissime in sacris libris memoratur.

Imprimis loco pecuniae inserviebat (Gen. 20,16; 23,16 etc.), ita ut ipsum nomen iam pecuniam generatim significaret, quamquam argentum ut « moneta publica » usque post exsilium babylonicum nondum forma signatum, sed rudi pondere appensum in pretium dabatur (Gen. 23,16; Ier. 32,10 etc.). Praeterea vero ad vasa varia sacra et profana metallum hoc pretiosum utile erat (Gen. 44,2; Exod. 12,35; Num. 7,13 etc.). Etiam tubae ductiles ad convocandam multitudinem argenteae fieri iubentur (Num. 10,2), ac pariter in tabernaculo (Exod. 38,26-28) et postea in templo hierosolymitano (3 Reg. 7,51; 1 Par. 22,14; 29,4. 7 etc.) ad varia opera argentum inserviebat. Similiter idololatrae deos argenteos (Exod. 20,23; Iud. 17,4; Is. 2,20; 30,22; Act. 17,29 etc. atque parvas aedes deorum suorum (Act. 19,24) sibi faciebant. Quamvis autem argentum in enumeratione metallorum aurum praecedat (Ios. 22,8), sicut maxime in Aegypto propter maiorem auri copiam saepius fiebat, generatim tamen vilius auro aestimabatur (cf. 3 Reg. 10,21). Unde in visione prophetica de quattuor regnis caput quidem ex auro, pectus autem et brachia de argento ac partes inferiores ex aere, ferro, luto fuisse describuntur (Dan. 2,32) ad significandum secundum regnum, scil. Persarum, minus, inferius, humilius babylonico futurum (ib. v. 39). Pariter S. Paulus opera bona quae quis super fundamentum superaedificat, primum quidem auro, ac secundo tantum loco argento assimilat (1 Cor. 3,12), minorem indicans operis valorem.

Plura v. in art. METALLA. — Cf. *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1,53-5; *R. Lepsius*, Die Metalle in d. aeg. Inschr., Philol.-hist. Abhandl. Berl. Akad. 1871, 49-52. 54. 116 s.; *Leunis-Senft*, Synopsis III. 1, p. 302-6; *M. Bauer*, Lehrb. d. Mineralogie, Berlin u. Leipzig 1886, 256 s.

L. FONCK.

ARGOB (אַרְגֹּב, Ἀργόβ), dux vel magistratus in aula Phaceia regis Israel, qui Samariae una cum rege occisus est a Phacee (4 Reg. 15,25). *Vulg.* vertit : iuxta Argob et iuxta Arie, LXX recto μετὰ τοῦ Ἀργὸβ καὶ μετὰ τοῦ Ἀρία (hebr. אתד); hi duo igitur, Argob et Arie in defensione regis Phaceia interempti vel ob auctoritatem, qua pollebant, a Phacee e vivis sublati sunt; saltem haec interpretatio textus est probabilissima.

ARGOB (אַרְגֹּב, הָאַרְגֹּב, Ἀργόβ, Ἐργόβ), tractus regionis Basan, qui sexaginta urbes muris, portis vectibusque munitas praeter oppida innumera non munita habebat (Deut. 3,4. 5). Cum tota Basan dimidiae tribui Manasse tribueretur, Iair regionem Argob occupavit et a nomine suo sexaginta urbes vocavit Havoth Iair i. e. villas Iair (Deut. 3,13. 14); v. IAIR 1 et 2. Salomone rege Argob erat praefectura sexta a Bengaber in Ramoth Galaad residente administrata (3 Reg. 4,13). — Ex dictis regio Argob non est tota Basan, ut aliqui putaverant. Merito eadem putatur ac Trachonitis (*Ledjā*); sed vix dubium est quin etiam latius patuerit. Nomen Argob explicatur acervus lapidum (a radice inus. רגב). *Targum Onkelos :* Trachona; *Targum Ionathan :* Targona, Tarcona i. e. haud dubie Trachonitis a graeco τραχών (regio petrosa) dicta. Iamvero omnes exploratores (*Burckhardt, Seetzen, Porter, Wetzstein, Merrill, Rey* etc.) *Ledjā* describunt terram petrosam a *Djebel Ḥaurān* Damascum versus forma ovata protensam, quae omnem circa planitiem 8 vel 10 m superans nonnisi massas sulphuricas aspectui praebet scil. reliquias eruptionum montis Hauran; hinc etiam explicatur abundantia cavernarum inter rupes latronibus multum favens et aditus ad vicos in media Argob sitos difficillimus; inter petrosa solum fertilissimum est et fontes limpidi prosiliunt. Argob iam a *Relando* (Palaestina p. 958. 959) eadem esse putabatur ac Ῥάγαβα Flavii Iosephi (Ant. XIII. 15,5) et Ragab Mishnae (Menachoth 8,3). S. Hieronymus cum Eusebio in Onomast. (*ed. Lag.* 88,34 cf. 216,97) s. v. Argob addit : « Et est usque hodie vicus circa Gerasam urbem Arabiae, quindecim ab ea milibus distans contra occidentem, qui Argas (Ἐργά) appellatur; quod interpretatur Symmachus mensuram » (περίμετρον). Talis vicus hucusque non innotuit. *Khirbet 'Arqub el-Rahua* ad orien-

tem lacus Tiberiadis situs, quem *Schumacher* (Across the Iordan 1886, p. 45) suggerit, ab aliis reiicitur, tum quia idem nomen *'Arqub* multis locis cis et trans Iordanem convenit, tum quia scriptio (Ayin initialis et Qof medialis) a scriptione Argob nimium recedit (*Legendre*). Videntur tamen Erga (Arga) Eusebii et S. Hieronymi, Ragaba Iosephi, Ragab Mishnae eadem esse urbs transiordanica in vicinitate Gerasenorum sita, licet cum nostra regione Argob nihil commune habuerit.

Cf. *Burckhardt*, Reisen in Syrien und Palaestina, *ed. Gesenius* I. p. 121. 126. 195. 196; *Seetzen*, Reisen durch Syrien, Palaestina etc. *ed. Kruse* I. p. 34-134; *I. L. Porter*, Five years in Damascus 1855 II. p. 271; *Wetzstein*, Reisebericht über Hauran und die Trachonen 1860; *Merrill*, East of Iordan 1881, chapt. 2-5; *Rey*, Voyage dans le Haouran, Paris 1860; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 950-953.

ARIARATHES (Ἀριαράθης), rex Cappadociae, cui Romani Simonem Machabaeum et Iudaeos sibi foedere iunctos per litteras commendarunt (1 Mach. 15, 22). Romae educatus (*Liv.* 42,19) Ariarathes V. Eusebes Philopator (163-130 a. Chr.) Romanorum semper amicus erat. Ab Oropherne aemulo regni Cappodocia pulsus ope Romanorum et Attali II. Pergameni throno restitutus est (*Polyb.* 3, 5; 32,20; *Appian.* Syr. 47; *Iustin.* 35,1). Attalo III. mortuo Romanis opem praestabat contra Aristonicum regno Pergami potiturum, sed in proelio occubuit (*Iustin.* 37,1. 2). Ariarathes V. a quibusdam VI. numeratur, quia Ariarathem I. perperam in duos dispescunt e. g. *Westcott* in *Smith-Fuller*, Dict. of the Bible, I. 1,230 b. Cf. *Pauly-Wissowa*, Real-Encycl. der klass. Altert. II. 818.

ARIDAI (אַרִידַי, Ἀρσαῖος), nonus filius Aman (Esth. 9,9).

ARIDATHA (אַרִידָתָא, Σαρδακά), sextus filius Aman (Esth. 9,8).

ARIE (הָאַרְיֵה, Ἀρία), magistratus in aula Phaceia regis Israel et una cum Argob occisus a Phacee (4 Reg. 15,25); v. ARGOB.

ARIEL. 1. Ariel (אַרְאֵלִי, Ἀριήλ), septimus inter filios Gad enumeratus, a quo descendit familia Arielitarum (Num. 26,17). Idem in *Vulg.* Gen. 46,16 vocatur Areli.

2. Ariel (אַרִיאֵל, Ἀριήλ), unus ex illis principibus quos Esdras misit ad Eddo (Esdr. 8,16. 17).

3. Ariel, quam vocem communiter explicant leonem Dei, etiam adhiberi videtur ad designandos viros fortes; ita 2 Sam. 23,20 dicitur hebr.: Banaias percussit duos אראל Moab, duos leones Moab (*Vulg.*), ubi tamen LXX : δύο υἱοὺς Ἀριὴλ τοῦ Μωάβ; in loco parallelo 1 Par. 11, 22 Vulgata quoque : duos Ariel Moab et LXX τοὺς δύο Ἀριὴλ Μωάβ. Dicitur quippe אֲרִי leo, quare iis in locis ea explicatio non videtur a re aliena. Eadem significatio : leo Dei i. e. heros agnoscitur Is. 33,7; sed formam, quae in textu massorethico habetur, non omnes eadem ratione explicant (cf. *Knabenbauer* ad h. l.). Aliter utique videtur vox explicari debere Is. 29,1 s., ubi Ierusalem vocatur Ariel. Sunt quidem hic quoque qui leonem Dei retineant; alii tamen exponunt focum (altare) Dei, quod nomen urbis illustratur Is. 31,9 : Dominus cuius ignis est in Sion et caminus eius in Ierusalem; haec explicatio confirmatur eo quod Ez. 43,15 altare Domini appellatur Ariel. Neque deest ratio explanandi de foco, igne Dei; nam ארה habet notionem ardendi; unde fortasse leo quoque significatur tamquam ardens, igneus, et appellatio ea facile transfertur ad altare Domini, in quo ignis ad sacrificia ardet.

ARIES. 1. *Animal sacrificale.* Iam Gen. 15,9 aries recensetur inter animalia quae ad sacrificium adhibentur et 22,13 offertur ab Abraham aries quem viderat inter vepres haerentem cornibus et quem ipse Deus ei praebuit offerendum in holocaustum pro filio Isaac. Cum itaque in Genesi bis aries a Domino ad sacrificium designetur, non mirum est quod in lege quoque mosaica ad varia sacrificiorum genera destinatur. Sacrificium pro delicto (אָשָׁם) ariete erat conficiendum Lev. 5, 15-6,6 (hebr. 5,15-25) et 19,21; pariter eiusmodi sacrificia fiebant in consecratione Aaronis in pontificem et filiorum

cius in sacerdotes Ex. 29,1 s.; arietes immolabantur in holocaustum et etiam in hostias pacificas; sanguine arietis immolati Aaron et filii et vestimenta sacerdotalia aspergebantur; cf. Lev. 8,2. 18-9, 19. Etiam in sollemni expiationis die aries in holocaustum erat offerendus Lev. 16,3. 5. In sacrificiis quoque diebus festorum arietes ut offerantur praescribitur Lev. 23,18 festo pentecostes, Num. 28,11 calendis, 19 festo paschatis; 29,2. 8. 13.17 in variis sollemnitatibus mensis septimi. Pariter aries in hostiam pacificam erat offerendus in completione diebus quos nasiraeus ex voto decreverat Num. 6,14. 17. In consecratione tabernaculi principes tribuum cum aliis oblationibus etiam arietes in holocaustum adducebant Num. 7,15 s. Praeter sacrificia arietum lege praescripta unusquisque poterat arietem in holocaustum vel in hostiam pacificam pro sua devotione offerre eo ritu qui pro singulis sacrificiis simul cum ferto praecipitur (cf. Num. 15,3 s.).

2. ***Machina militaris.*** Dicitur aries quoque machina militaris qua crebris ictibus muri urbium in oppugnatione concutiuntur et prosternuntur. Israelitis eiusmodi machinas ad muros pulsandos non defuisse, inde iam concludendum est quia urbes quas ingressi in terram promissam expugnare debebant muris altis erant munitae Num. 13,29; Deut. 3,5 cunctae urbes erant munitae muris altissimis portisque et vectibus); sed quales fuerint istae machinae nescimus. Machinam similem ei quam veteres arietem vocabant videtur Ezechiel 4,2 designare et 21,22 (כָּרִים arietes *Vulg.*, βελοστάσεις LXX, sed 21,22 βαλεῖν γάραακα); eandem machinam plerique deprehendunt Ez. 26,9, ubi fortasse vertendum erit : et percussionem arietis sui dabit in moenia tua; sed locus est valde obscurus et variae interpretationes iam a LXX, Syro et recentioribus sunt propositae. Appellabatur autem a veteribus aries trabes illa longa ope machinae impulsa contra murum non ideo dumtaxat, quia quidam arietes militares ferreum arietis caput praeferebant (erant enim alii quoque qui ferream cuspidem praeferebant), sed quia eis vi magna summoque impetu muri concutiebantur. Cum Ier. 39,2 hebr. dicatur de expugnatione Ierusalem a Chaldaeis facta : rupta est civitas, Chaldaei muro civitatis machinis prostrato irrupisse in eam erunt dicendi. Cf. ARCES.

I. KNABENBAUER.

ARIMATHAEA (Ἀριμαθαία), civitas Iudaeae et urbs patria Ioseph nobilis decurionis et discipuli Iesu (Matth. 27,57; Marc. 15,43; Luc. 23,51; Io. 19,38). Videtur tamen Ioseph non Arimathaeae, sed Hierosolymis sedem fixisse; erat enim membrum synedrii (βουλευτής) et Hierosolymis quoque sibi sepulcrum paraverat. Arimathaea generatim agnoscebatur in vico *Ramle* 3 km a Lydda meridiem versus sito (*Bonifacius Ragus.*, *Quaresmius*, *Relandus*, *Raumer*, *Guérin*). Obstat quod scriptores arabici (imprimis *Abulfeda*, Tabula Syriae *ed. Koehler* p. 79) referunt Ramle urbem conditam esse anno 716 p. Chr. a Soliman filio Abd el-Melek; sed hoc etiam de restitutione urbis aliquando dirutae intellegi potest. Antiquam traditionem de Ramle-Arimathaea evertere conatus est *Robinson*, cuius argumentis *Guérin* rationes pro Ramle-Arimathaea opponit. A recentioribus (*Heydet*, *Zanecchia*) Arimathaea censetur esse *Rentis* vicus a Lydda (Diospoli) inter septemtrionem et orientem situs vel si mavis, inter Ioppen et Silo. Huic opinioni sine dubio multum favet Onomasticon (*ed. Lag.* 146,24 cf. 288, 10) : « Ruma quae est Arima (Ἀρία)..... quae nunc adpellatur Remfthis (Ῥεμφίς); est autem in finibus Diospolcos et a plerisque Arimathaea nunc dicitur ». Alibi Onomasticon (*ed. Lag.* 96,17 cf. 225,12) affirmat Arimathaeam esse eandem ac Ramathaim Sophim patriam Samuelis in regione thamnitica iuxta Diospolim sitam, de cuius situ determinando iterum variae sunt opiniones; v. RAMATHA.

Cf. *Bonifacius Stephanus Ragusinus*, Liber de perenni cultu Terrae Sanctae, *ed. Cyprian. de Tarvisio*, Venetiis 1875; *Quaresmius*, Terrae Sanctae Elucidatio, *ed. Cyprian. de Tarvisio*, Venetiis 1880-1881, II. p. 8 b. 9 a; *Reland*, Palaestina p. 579-581; *Raumer*, Palaestina *ed.* 4, p. 217-218; *Robinson*, Palaestina III. 251-256 et Neuere bibl. Forsch. in Palaestina p. 184; *V. Gué-*

rin, Judée I. p. 34-55; *L. Heidet*, cuius rationes referuntur apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 959-961; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, I. 97 s. II. 433 s.

ARIOCH (אַרְיוֹךְ, Ἀριώχ). **1.** Rex mesopotamius foedere iunctus cum Chodorlahomor, Amraphel, Thadal (Gen. 14,1. 9); hi postquam quinque regibus Pentapoleos cladem inflixerunt, ipsi ab Abraham ex improviso oppressi et profligati sunt. S. Hieronymus in Vulgata Symmachum secutus vertit : Arioch rex Ponti; sed in textu hebraico et LXX legitur : rex Ellasar. Ellasar haud dubie est *Larsa* (*Larsav*), urbs Babyloniae celeberrima cultu et templo *Shamash* dei Solis, quae inter Euphraten et Tigrim prope Ur Kasdim paulo septemtrionem versus sita erat; hodie *Senkere*. Arioch rex Ellasar in inscriptionibus cuneiformibus agnoscitur *Iri-Aku* seu *Rim-Aku*, filius *Kudur-Mabug* regis Ur et Sumir et Akkad i. e. regis primarii, cui etiam regnum Larsa subiectum erat. Arioch erat ex progenie babylonica Elamitarum, sicut Cholorlahomor rex Elamitarum. Brevi post cladem quattuor regibus foederatis ab Abraham inflictam Elamitae ex Mesopotamia eiecti sunt a Hammurabi rege Babyloniae. Arioch igitur erat ultimus rex Ellasar.

Vide documenta in *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test., I. 120. II. 296-301. Cf. *F. de Hummelauer*, Comment. in Gen. p. 373 et de nomine Ponti pro Ellasar p. 376 et etiam de urbe Ellasar p. 188.

2. Princeps militiae regis Nabuchodonosor i. e. dux regiae cohortis (Dan. 2, 14. 15. 24. 25); is a rege iussus sapientes Chaldaeos, qui somnium regis coniectare non poterant, undique conquirebat, ut interficerentur; idem Danielem, qui somnium et interpretationem divinitus edoctus erat, ad regem introduxit. Nomen Arioch a nonnullis criticis (*Bohlen, Gesenius, Hitzig*) ex lingua sanscrit. explicandum esse dicebatur; nunc vero nomen omnino babylonicum esse agnoscitur scil. idem ac *Iri Aku* (*Rim Aku*, *Riv Aku*) i. e. servus dei Luni (*Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. II. 127).

ARISAI (אַרִיסַי, Ῥουφαῖος), octavus filius Aman (Esth. 9,9).

ARISTARCHUS (Ἀρίσταρχος), Macedo, christianus Thessalonicensis. Erat comes S. Pauli in eius tertio itinere apostolico; in seditione ephesina cum Gaio Macedone in theatrum raptus est (Act. 19,29); deinde Paulum comitatus est in Macedoniam et Graeciam eratque unus ex illis septem, quos Paulus rediturus Troadem praemisit, ut inde ipsum comitarentur in urbem Ierusalem (Act. 20,4). Cum apostolo captivo navim Adrumetinam conscendit (Act. 27,2). Romae Pauli concaptivus et adiutor fidelis erat (Col. 4,10; Philem. 24); sed ab eo discedere coactus erat, cum 2 Tim. 4,11 solus Lucas cum Paulo fuerit. Ex Col. 4,10. 11 colligitur Aristarchum ex circumcisione fuisse.

ARISTOBOLUS (Ἀριστόβουλος).

1. Epistula quae 2 Mach. 1,10-2,19 a synedrio populoque Iudaeorum et a Iuda in Aegyptum missa legitur, inscribitur Aristobolo magistro Ptolemaei regis, qui est de genere christorum sacerdotum et his, qui in Aegypto sunt, Iudaeis (v. 10). Haec epistula recentem Antiochi IV. Epiphanis mortem commemorat, quae rumore vago statim in Iudaeam allata erat. Mortuus est Epiphanes anno 149 aer. Seleuc. (1 Mach. 6,16) seu a. 164/163 a. Chr. Iudas igitur, qui cum synedrio epistulam scripsisse legitur, est Iudas Machabaeus, qui duobus vel tribus annis post Antiochum IV. occubuit (a. 161 a. Chr.) et hac epistula Iudaeos alexandrinos invitat ad festum encaeniorum mense Caslev celebrandum i. e. ad diem anniversarium agendum, non ad primam festi institutionem, quae iam mense Decembri anni 165 a. Chr. celebrata erat (v. IUDAS 1). Rex Aegypti in epistula nominatus est Ptolemaeus VI. Philometor (180-145 a. Chr.). Unde Aristobolus magister seu consiliarius Ptolemaei est celeberrimus ille philosophus alexandrinus, de quo *Eusebius*, Chronic. II. (*M.* 19, 505 vel *ed. Schoene* II. p. 124. 125) refert : « Aristobulus, natione Iudaeus, Peripateticus philosophus agnoscitur, qui ad Ptolemaeum Philometorem explanationum in Moysen commentarios scrip-

sit ». De eodem philosopho Eusebius (Praepar. evang. 9; *M.* 21,636) dicit : « Ille autem ipse est, cuius liber Machabaeorum secundus sub initium mentionem facit ». Cf. *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Iesu Christi *ed.* 3, III. p. 384-392.

2. S. Paulus Rom. 16,11[10] salutat eos qui sunt ex Aristoboli domo (textus receptus Ἀριστοβούλου melius ut videtur quam Ἀριστοβόλου). Non ipse Aristobulus neque omnia membra familiae aristobulianae salutantur, sed soli Christiani. Num Aristobulus idem sit, qui in Martyrologio Romano discipulus Apostolorum dicitur, non constat. Certe ex nobilioribus viris erat. Non immerito a nonnullis recentioribus censetur esse Aristobulus iunior, Herodis Magni nepos, qui cum fratribus suis Agrippa et Herode Romae educatus fuit et fratribus suis ad regiam dignitatem evectis ibidem privatus degebat Claudio imperatori amicitia iunctus (cf. *Flav. Ios.* Bell. iud. II. 11,6; Ant. XX. 1,2). Hoc supposito Aristobuliani a multis intelleguntur servi libertique, qui prius quidem Aristobuli fuerant, eo tamen tempore quo Paulus scripsit, iam ad Caesaris familiam pertinebant, sicut e. g. Maecenatiani, Agrippiani, Germaniciani in Caesarum familia inveniebantur; solebant enim servi, qui per hereditatem (vel per confiscationem etc.) in alterius manum transierant, iuxta pristini domini nomen appellari. Aristobuli igitur familia i. e. servi per hereditatem in familiam Claudii Caesaris transiisse putantur. Cf. *Cornely* ad Rom. 16,11; *Lightfoot*, St. Paul's Epistle to the Philippians p. 175.

ARIUS rex Spartae, qui epistulam 1 Mach. 12,20-23 ad Oniam pontificem Iudaeorum dedit. Nomen 1 Mach. 12,7 legitur Δαρεῖος sine dubio pro Ἄρειος. Paulo infra 12,20 legitur Ὀνιάρης (Cod. Sinait. ονιααρης), quod ex scriptione continua duorum nominum Ὀνίᾳ Ἄρης corruptum est, unde *Vulg.* recte vertit : Et hoc est rescriptum epistularum, quod miserat *Oniae : Arius* rex Spartiatarum Oniae sacerdoti magno salutem. Cf. *Flav. Ios.* Ant. XII. 4,10 : Ἄρειος, XIII. 5,8 : παρὰ Ἀρέως, τῷ Ἀρεῖ (*ed. Niese*). Forma nominis gemina videtur esse Ἀρεύς (apud scriptores graecos et *Corpus Inscriptionum Atticarum* t. II. 1. n. 332). Iamvero duo fuerunt reges Spartae, quibus nomen erat Areios seu Areus, ut auctores profani et inscriptiones nummorum testantur : Areus I. qui teste Diodoro Siculo (20,29) annos 44 regnavit (scil. 309-265) et Areus II., qui circa a. 255 a. Chr. regnavit, sed teste Pausania (III. 6,6) iam puer octo annorum mortuus est.

Tres autem erant pontifices, quibus nomen Oniae. Onias I. erat filius Ieddoa et pontificatum gessit 21 annos (Chron. Pasch. *M.* 92,417); cum igitur Ieddoa aequalis Alexandri Magni eodem fere tempore cum Alexandro mortuus sit (*Flav. Ios.* Ant. XI. 8,7), Onias I. pontifex erat circiter 323-300 a. Chr. et fortasse ultra hoc tempus, siquidem chronologia pontificum Iudaeorum multis dubiis involuta est. Onias II. tempore Ptolemaei III. Euergetis (247-222 a. Chr.) munere pontificis fungebatur (Ant. XII. 4,1. 2). Onias III. ab Antiocho IV. Epiphane anno 174 a. Chr. munere privatus et anno 171 a. Chr. a Menelao occisus est (2 Mach. 4,7-10; 4,34).

Ex his satis certo colligitur epistulam nostram ab Ario I. ad Oniam I. scriptam esse circiter intra annos 309 et 300 a. Chr.

Cf. *Clinton*, Fasti Hellenici II. 225-271; *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes etc. *ed.* 3, I. 237; *Pauly-Wissowa*, Real-Encycl. des klass. Altert. s. v. Areus.

ARMA. Distingui solent arma ad petendum et ad tegendum, vel offensiva et defensiva, quorum etiam mentionem facit apostolus commemorans arma iustitiae dextra et sinistra (2 Cor. 6,7); nam arma offensiva gladius, hasta, telum dextra vibrantur, defensiva clypeus, parma tenentur sinistra. Gladius in vagina portabatur ad femur sinistrum; singulari consilio Aod sese accinxit gladio subter sagum in dextro femore, qui manu sinistra eum infixit in ventre Eglon regis Moab (Iud. 3,16-21), ex qua narratione etiam discimus gladios utrimque habentes aciem non fuisse ignotos (cf. Hebr. 4,12 δίστομος). Gladio et arcu iam usus est Iacob (Gen. 48,22). Arcus fiebat ex ligno forti vel etiam ex aere (2 Reg.

22,35 componens brachia mea quasi arcum aereum; Iob 20,24); nervus eius manu tendebatur, dum pede arcus calcatus firmiter tenebatur; inde arcum calcare (דָּרַךְ קֶשֶׁת 1 Chron. 5,18). Sagittae portabantur in pharetra; sagittas ardentes i. e. quae alimentis ignis instructae accendebantur et accensae mittebantur etiam quandoque adhibitas esse Ps. 7,14 discimus. Lancea, hasta, iaculum arma erant ad feriendum, sed quae eminus quoque iaciebantur; ita 1 Reg. 18,11 tenebat Saul lanceam et misit eam putans quod configere posset David cum pariete (19,10; 20,33). Hastile erat ligneum, cuspis ferrea vel aerea. Lancea v. g. Goliath ita describitur : hastile hastae eius erat quasi liciatorium texentium, ipsum autem ferrum hastae eius sexcentos siclos habebat ferri (1 Reg. 17,7; 2 Reg. 21,19). Funda quoque adhibebatur, in cuius usu eminebant aliqui ex Beniamin tribu : septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra ut dextra proeliantes et sic fundis lapides ad certum iacientes, ut capillum quoque possent percutere et nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur (Iud. 20, 16). Quomodo David iuvenis in funda et lapide praevaluerit notum est (1 Reg. 17,40-50).

Arma vero ad tegendum erant scutum, galea, lorica; ocreae aereae ad tegenda crura solum commemorantur inter arma Goliath (1 Reg. 17,6), et quod Is. 9,5 habetur סָאוֹן aliqui explicant de calceo militari, sed res est dubia (cf. *Knabenbauer,* Comment. in Is. I. p. 223). Scutorum duo genera nominantur, maius צִנָּה, et minus מָגֵן (clypeus). Erant, uti coniicere licet, ex ligno corio obducta et quo corium magis aptum esset ad ictus enervandos oleo inuncta (cf. 2 Reg. 1,21); ita Is. 21,5 (hebr.) : surgite principes, ungite clypeum. Goliath autem habebat clypeum aereum et loricam squamatam (1 Reg. 17,5), Saul galeam aeream et loricam (1 Reg. 17,38). At milites gregarios non habuisse loricas et galeas saltem tempore antiquiore colligi potest ex 2 Par. 14,8, ubi de exercitu Asae solum scuta, hastae, clypei, arcus nominantur; sed iam Ozias praeparavit cuncto exercitui clypeos et hastas et galeas et loricas arcusque et fundas ad iaciendos lapides. Salomon etiam in armis magnificentiam suam ostentavit : fecit ducenta scuta de auro purissimo, sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti unius et trecentas peltas ex auro probato, trecentae minae auri unam peltam vestiebant; posuitque eas rex in domo saltus Libani (3 Reg. 10,16. 17; 2 Par. 9,15. 16); quae non tam ad pugnam quam ad pompam inserviebant. Haec scuta aurea abstulit Sesac rex Aegypti anno quinto regni Roboam, et Roboam pro eis fecit scuta aerea (3 Reg. 14,25-27). Ex Iob 6,4 hebr. videtur colligi usum sagittarum veneno infectarum etiam notum fuisse.

I. KNABENBAUER.

ARMAGEDON (Ἁρμαγεδών - γεδδών) Apoc. 16,16 appellatur locus, in quem (postquam angelus sextam phialam effudit) tres spiritus immundi in modum ranarum, spiritus daemoniorum facientes signa, congregabunt reges terrae in proelium ad diem magnum omnipotentis Dei. Nomen ibi dicitur esse hebraicum; quare proxime adiacet ex forma quae in graecis codicibus saepius reperitur הר מוגדון mons Megiddon, mons Mageddo. Ea in regione, apud aquas Mageddo, i. e. ad torrentem Cison, exercitus Iabin regis Asor sub duce Sisara victus et prostratus est (Iud. 4,7; 5,19); Ochozias quoque rex percussus fugit in Mageddo et mortuus est ibi (4 Reg. 9,27); ibi Iosias rex quoque victus et occisus est (4 Reg. 23,29; 2 Par. 35,22). E re olim gesta nomen petitur, ut significetur reges illos victum ac prostratum iri. Sicut itaque exercitus Chananaeorum ibi miro Dei favore victus est, ita Deus iterum simili modo suam manifestabit potentiam contra reges regnum Dei oppugnantes. Nomine itaque res gerenda, non regio designari videtur, ac si diceres : illis instabit alterum Mageddo. Montis quidem Mageddo non fit mentio, sed potius campi Mageddo (2 Par. 35,22; Zach. 12, 11). Ceterum si vetus Mageddo est hodiernum *Ledjdjūn* (quae est plurimorum sententia), prope *Ledjdjūn* est etiam collis *Tell el-Mutesellim* et totus ille campus

adiacet tractui collium, qui planitiem Esdrelon a planitie Saron separat.

Aliae quoque explicationes tentatae sunt, ex quibus duas commemorare satis erit. Recurrit enim *Drusius* ad etymologiam et censet nomen declarari ex חרמה excidium et גדהון exercitus eorum; *Ewald* autem monet ארמגדון si singulae litterae pro numeris sumuntur eundem numerum efficere quem רומה הגדולה Roma magna i. e. 304; quare aenigmatice Romam designari. Verum utrumque nimis subtiliter excogitatum est neque ullum reperitur in textu indicium de numero nominis esse cogitandum, neque ullo pacto id ab iis quibus liber destinatur deprehendi poterat. Unum illud de Mageddo illis non ignotum erat.

ARMENIA (sed hebr. אֲרָרָט) nominatur regio montana, in qua arca post diluvium requievit (Gen. 8,4; LXX Ἀραράτ), et regio illa, quam Araxes fluvius permeat (4 Reg. 19,37 *Vulg.* terra Armeniorum, LXX γῆ Ἀραράθ; loco parallelo Is. 37,38 *Vulg.* terra Ararat, LXX Ἀρμενία; Tob. 1,21 τὰ ὄρη Ἀραράθ). Eadem regio in inscriptionibus cuneiformibus vocatur *Urartu* et tempore regum Assyriorum montana Ararat vallemque Araxis fluvii obtinebat; sed antiquissimis temporibus fortasse latius patebat. Eius terrae quoque mentio fit Ier. 51,27 : Ararat (LXX mendose ἄρατε), Menni, Ascenez; Ararat et Menni censentur constituere Armeniam maiorem vel orientalem, Ascenez Armeniam occidentalem (cf. *Lenormant, Brunengo*). Praeterea aliqui coniiciunt Thogorma referri oportere ad partem occidentalem Armeniae (v. THOGORMA).

Cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. 53. II. 16; *Lenormant*, Les Origines de l'histoire II. 294; *Brunengo*, L'impero di Babilonia e di Ninive II. 493; *Lagarde*, Armenische Studien 100; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, I. 303 s.

ARMENTUM in Vulgata plerumque explicat hebr. בָּקָר, bos s. boves, interdum etiam eius synonymum אֶלֶף, sicut in libro Iudith graecum βόες et βουκόλια (2,8; 3,3; 8,7); v. BOS. Bis etiam pro מַרְבֵּק ponitur (Am. 6,4; Mal. 4,2), quod proprie « stabulum » significat.

ARMON (הַהַרְמוֹנָה; εἰς τὸ ὄρος τὸ Ῥομμάν var. Ῥεμμάν, Ἑρμωνά, Ἁρμανά) legitur in *Vulg.* Am. 4,3 : et proiiciemini in Armon. Quid vero הַהַרְמוֹנָה significet, plane incertum est. Insuper non constat, utrum cum textu massorethico השלכתנה vertendum sit : proiicietis (forma Hiphil) an proiiciemini (forma Hophal), ut LXX *Vulg. Syr. Chald.* habent. Textus originalis praebet ההרמנה, ההרמונה, etiam ההר מנה, immo העמונה; cf. *B. Kennikott*, Vet. Test. hebr., Oxford 1776-1780, II. p. 264; *I. B. de Rossi*, Scholia critica in V. T. libros, Parmae 1798, p. 85-86. Alii vocem explicant ut nomen proprium, alii ut nomen appellativum. Ut nomen proprium loci explicant LXX, *Itala* : super montem Remman (*Sabatier*), *Aquila* Ἁρμανᾶ et *Theodotion* εἰς τὸ ὑψηλὸν ὄρος (*Field*, Hexapla Orig.), *Symmachus* εἰς Ἑρμηνίαν (*Field*, Hexapla) vel εἰς Ἀρμενίαν (Onomast. Eus. *ed. Lag.* 289,33), S. Hieronymus in *Vulg.* Armon, in Commentario : in locis Armeniae, quae vocantur Armona (apud *M.* 25,1024), *Syrus* : ad montem Armeniae, *Chald.* ultra montes Armeniae, ex recentioribus *Vater, Mercier, König, Hartung* : proiiciemini versus Hermon (cf. Am. 5,27 : migrare vos faciam trans Damascum), ita ut generaliter indicetur, quo hostes eos in exsilium traducturi sint. — Ut nomen proprium personae explicat *Ewald* : proiicietis in montem Rimmonam scil. deam aramaicam, uxorem dii Rimmon (cf. Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3, III. p. 606 in nota); at Rimmona dea aliunde non innotuit neque ex cultu dei Rimmon cultus uxoris inferri potest; alii recentiores vocem emendatione facta interpretantur de ipso deo Hadad-Rimmon (*Baur, Steiner*), alii de dea phoenicia Chusarthis, apud Graecos Ἁρμονία (*Schlottmann, Paul Boetticher*); sed haec vix attentione digna sunt.

Ut nomen appellativum explicant Iudaei interpretes (*Rashi* et *Iarchi*) : ההרמנה = *chald. talm.* הַרְמָנָא i. e. potestas, auctoritas regia, hinc sensus :

abiicietis (Hiphil) potestatem vestram regiam i. e. superbiam; aliter *Gesenius* הַרְמוֹן i. q. אַרְמוֹן (a radice הָרַם) i. e. arx, palatium, hinc sensus : abducemini (Hophal) in arcem hostilem; iterum aliter *K. Hartung,* qui praeter explicationem localem : *versus Hermon* etiam alteram probabilem esse censet : proiicientur ad multitudinem (הַרְמוֹנָה cf. Ez. 39,11. 16) i. e. in mortem ignominiosam et oblivionem.

Plura vide apud *K. Hartung,* Der Prophet Amos, 1898 p. 80-93; *Vigouroux,* Dict. de la Bible s. v. Armon (*Legendre*).

A. DEIMEL.

ARMONI (אַרְמֹנִי, Ἐρμωνοί), filius Saulis et Resphae, a David Gabaonitis traditus et ab illis in monte prope Gabaa Saulis suspensus (2 Reg. 21,8).

ARNAN (אַרְנָן, Ὀρνά) de posteris David; utrum etiam fuerit de posteris Zorobabel, non liquet (1 Par. 3,21).

ARNON (אַרְנוֹן, Ἀρνών), torrens qui ab oriente in mare Mortuum influit (Num. 21,13 s.; 22,36; Deut. 2,24. 36; 3,8. 12. 16; 4,48; Ios. 12,1. 2; 13,9. 16; Iud. 11,13. 18. 22; 4 Reg. 10,33; Is. 16,2; Ier. 48,20). Erat terminus septemtrionalis Moabitidis separans Moabitas ab Amorrhaeis, postea terminus australis terrae ab Israelitis occupatae (seu terminus australis tribus Ruben). Frequenter de Arnone sermo recurrit ad determinandum situm Aroer urbis, quae super ripam torrentis Arnon sita dicitur. Mesa rex Moab in sua celeberrima inscriptione l. 26 gloriatur, quod viam in Arnone fecerit (flumini pontem imposuerit).

Arnon hodie est *Wādi el-Mōdjib,* qui regionem *el-Kerak* ad austrum spectantem a regione septemtrionali *el-Belqā* separat. Nomen *Wādi el-Mōdjib* tribuitur nonnisi illi parti fluvii, quae ex duobus aliis fluviis coalescit. Prior est *Seil el-Saʿīde,* qui a meridie originem habet haud procul a *Quṭrāne* prope *Viam peregrinantium* (*Derb el-Ḥadj*) et cursum suum prosequitur inter septemtrionem et occidentem, ad sinistram respiciens *Djebel el-Ṭarfūye,* ad dexteram *Djebel el-Ghuweite.* Alter est *Wādi Enkeile,* qui a deserto orientali occidentem versus profluit et ipse ex duobus torrentibus (*Seil Ledjūm* et *Wādi el-Bālūʿa*) prope *Viam peregrinantium* scaturientibus coalescit. Ibi fere, ubi *Seil el-Saʿīde* et *Wādi Enkeile* confluunt et coniuncti novum nomen *Wādi el-Mōdjib* assumunt, illa urbs Ruben in media valle Arnonis (Deut. 2,36; Ios. 13,9. 16) fuisse censetur prope ruinas *Muhatet el-Ḥadj* ad meridiem fluvii (cf. dicta s. v. AR). Brevi antequam in mare Mortuum influit, *Wādi el-Mōdjib* a septemtrione recipit *Wādi Heidān* (*Wādi el-Waʿle*).

Arnon iuremerito Rubico Israelitarum dici solet. Ubinam eum traiecerint, ex S. Scriptura coniicere licet. Terram Moab circumeuntes « castrametati sunt contra Arnon, quae est *in deserto* et prominet *in finibus Amorrhaei* » (Num. 21,13); ergo probabiliter traiecerunt *Wādi Enkeile* haud procul a loco, ubi ex duobus torrentibus (*Seil Ledjūm* et *Wādi el-Bālūʿa*) coalescit. Hinc etiam dicendum erit nomine antiquo Arnonis comprehendi *Wādi el-Mōdjib* et eius quasi prolongationem orientalem *Wādi Enkeile,* non vero *Seil el-Saʿīde,* qui totus quantus finibus Moab continetur neque « prominet in finibus Amorrhaei ».

Cf. *Ritter,* Erdkunde XV. 564. 582 s. 1194 s.; *Seetzen,* Reisen durch Syrien, Palaestina etc. *ed. Kruse* II. 364-367; *I. L. Burckhardt,* Reisen in Syrien, Palaestina, *ed. Gesenius* p. 630-636. 1064; duc *de Luynes,* Voyage d'exploration à la mer Morte I. 115-116. 166-167; *H. B. Tristram,* The land of Moab 1874, p. 124-131; *F. Buhl,* Alt. Pal. 1896, p. 124; *Legendre* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible I. 1020-1023.

AROD. 1. Sextus filius Gad. Appellatur Gen. 46,16 Arodi (אֲרוֹדִי, Ἀροηδεί), Num. 26,17 Arod (אֲרוֹד, Ἀροάδ); unde familia Aroditarum Num. 26,17.

2. Quintus filius Bariae ex genere Beniamin 1 Par. 8,15 (עֶרֶד, Ὠρήδ).

• **ARODI** v. AROD 1.

AROER (עֲרוֹעֵר, עֲרֹעֵר et semel Iud. 11,26 עֲרֵעוֹר, Ἀροήρ).

1. Aroer urbs ad ripam dexteram Arnonis sita. Ab Aroer ut termino meridio-

nali regnum Sehon Amorrhaei extendebatur usque ad torrentem laboc (Ios. 12, 2). Capta ab Israelitis erat etiam terminus australis Israel (Deut. 2,36; 3,12; 4,48). A tribu Gad restaurata et munita (Num. 32,34), tribui Ruben assignata (Ios. 13,9.16; 1 Reg. 10,33; 1 Par. 5,8), postea a Moabitis in potestatem redacta est (Ier. 48,19). De eadem Aroer videtur sermo esse 2 Reg. 24,5; describitur ibi circuitus Ioab et principum exercitus, cum populum Israel numerarent; procedunt ab Aroer (scil. Arnonis) per terram transiordanicam septemtrionem versus, inde descendunt per terram cisiordanicam meridiem versus usque Bersabee, denique tribu Iuda peragrata redeunt Hierosolyma. Non desunt tamen interpretes, qui 2 Reg. 24,5 de Aroer tribus Gad (v. infra) explicent. Mesa rex Moab in sua inscriptione lin. 26 dicit Aroer a se esse aedificatam i. e. reaedificatam. S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 86,25) Eusebium fere secutus (*ed. Lag.* 212,29) urbem ita describit : « Aroer oppidum Moabitarum, quod situm est super ripam torrentis Arnon, possessum olim a gente veterrima Ommim et postea retentum a filiis Lot, id est a Moabitis, cum priores adcolas subvertissent. Et ostenditur usque hodie in vertice montis illius. Sed et torrens per abrupta descendens in mare Mortuum fluit ». Moderni exploratores huic descriptioni optime congruere censent ruinas *ʿArāʿir* unius horae intervallo a *Wādi el-Mōdjib* (Arnon) septemtrionem versus sitas iuxta viam romanam, quae ab Areopoli (Rabbat Moab) Hesebon versus ducit.

Cf. Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins II. 1879, p. 9; *Burckhardt*, Reisen in Syrien, Palaestina, *ed. Gesenius* II. p. 633; *H. B. Tristram*, The land of Moab 1874, p. 129; *Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 133; *F. Buhl*, Alt. Palaestina 1896, p. 269; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui, 1899, II. 103; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.

2. Aroer tribus Gad (Ios. 13,25; Iud. 11,26. 33). Haec est urbs distincta ab Aroer Arnonis, ut nunc plerique fatentur. Nam Ios. 13,16 Aroer Arnonis dicitur terminus meridionalis tribus Ruben, dum tribus Gad erat ad septemtrionem tribus Ruben; iamvero tribui Gad attribuitur 13,25 dimidia pars terrae filiorum Ammon usque ad Aroer, quae est contra Rabba Rabbath Ammon, hodie *ʿAmmān*) i. e. orientem spectans. Idem colligitur ex Iud. 11,33, ubi Iephte Ammonitas debellans viginti urbes percussit ab Aroer usque ad regionem Mennith et Abel Keramim; Ammonitae enim in Galaad castra fixerant (Iud. 10,17); hinc Iephte non ab Aroer Arnonis, quae toto tractu tribus Ruben a Galaaditide separata est, persecutionem incepisse censendus est, sed ab Aroer Gad, quae in meridionali Galaaditide sita non multum a castris Ammonitarum abfuerit. In determinando situ exploratores non conveniunt nec plus pro certo dici potest, quam eam alicubi prope Rabbath Ammon fuisse. — Ambae urbes Aroer (Arnonis et Gad) indicari videntur Is. 17,2 : « Derelictae civitates Aroer gregibus erunt ». Cf. *Knabenbauer* in h. l.

3. Aroer tribus Iuda (1 Reg. 30,28), una ex urbibus, ad quas David post cladem Amalecitarum redux in Siceleg dona de praeda misit. Cum urbes simul enumeratae ad meridiem terrae cisiordanicae pertineant, haec Aroer non inepte eadem esse putatur ac *ʿArʿāra* iuxta *Wādi ʿArʿāra* sita, quae a Bersabee inter meridiem et orientem trium horarum intervallo distat (*Riess*, Bibel-Atlas). Eadem fortasse substituenda est Ios. 15,22 pro Adada (vide s. v.).

Cf. *Robinson*, Palaestina III. 181; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 183; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, carte de la Judée inter p. 312 et 313 (addito signo?).

AROMATA. — **1.** *Nomen.* Aromata (ἀρώματα), materiae scil. odoriferae maxime ex regno vegetali desumptae, hebraice dicuntur בֹּשֶׂם et frequentius in plur. בְּשָׂמִים, semel etiam בָּשֶׂם (Cant. 5,1; v. BALSAMUM), atque in descriptione incensi seu thymiamatis sacri סַמִּים (Ex. 31,11; 35,15; 37,29; 39,37; 40,25; 2 Par. 2,4. Cf. Lev. 16,13; Cant. 3,6). Eodem sensu Vulgata *odoramenta* dicit pro hebr. בְּשָׂמִים (Is. 39,2) et gr. θυμιάματα (Apoc. 5,8; 18,13). Praeterea S. Hieronymus etiam hebr. נֹכֹאת (Gen.

37,25) « aromata » vertit, quod alibi melius storacem interpretatur (Gen. 43,11; v. STORAX). Pariter בֵּית נְכֹתֹה (4 Reg. 20,13 [*Qeri* נְכֹתוֹ]; Is. 39,2) *domum* (cellam) *aromatum* explicat, sicut Aquila et Symmachus τὸν οἶκον τῶν ἀρωμάτων (*Field*, Is. 39,2); probabilius tamen conformiusque contextui « *domus thesauri* » regii intellegitur, quae simili nomine in inscriptionibus cuneiformibus satis frequenti *bît nukanti* audit (cf. *Frd. Delitzsch*, Ass. Handw. p. 462 b).

2. *Usus.* Usus aromatum praecipue duplex in. S. Scriptura indicatur, scil. ad praeparandum unguentum (שֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה) et ad incensum (קְטֹרֶת הַסַּמִּים) componendum (Ex. 25,6; 30,23 ss. 34 ss.; 35, 28), quae iterum variis finibus sive sacris sive profanis inserviebant (v. INCENSUM et UNGUENTUM). Simili modo frequentem ac multiplicem aromatum usum scriptores atque monumenta totius antiquitatis passim testantur, tum de Babyloniis et Assyriis, tum de Aegyptiis, tum de Graecis et Latinis. Neque mirum sane, praesertim populos orientales usui aromatum et antiquitus indulsisse et nostra etiam aetate indulgere, cum isti odores et sensibus oblectamenta et incommodis nimii caloris remedia, variisque malis medicinam praebeant, et in regione orientali suavi Creatoris dispositione magna abundantia inveniantur. Unde iam antiquitus tum Phoenicibus tum Palaestinensibus atque Arabibus aromata commercium florentissimum praestabant.

De Babyloniis et Assyriis cf. v. gr. *Asurnasirpal* Annal. col. 1,87; *Sargon* Khorsab. l. 181; *Asarhaddon* Prisma A et C, col. 3,23; *Nabopolassar* Inscr. de templo Merodach col. 2,51 etc.; — cf. *Aeschyl.* Agamemn. v. 1312; *Theocrit.* 15,114; *Athen.* 4, p. 131; 15, p. 692 etc. — De Aegyptiis cf. *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs 3,482-6; *Fr. Woenig*, Die Pflanzen im alt. Aeg. 354-62; *Ch. E. Moldenke*, Die in altaeg. Texten erwähnten Bäume 20-5; *V. Loret*, La flore pharaonique *ed.* 2, n. 163; *id.* Le Kyphi in Journ. As. Ser. VIII. T. 10,76-132; *G. Maspero* in Revue de l'hist. des religions XXXV. 1897 I. 281 s. 294-6; — cf. Tab. *Tell el-Amarna, ed. H. Winckler*, Berlin 1896, 16,44; 27, 24. 50; 172,16 etc.; — *Homer.* Od. 4,229 ss., et ex eo *Theophrast.* Hist. pl. IX. 15,1; *Plin.* XII. 21,100 ss.; XIII. 3,26 etc. — De Graecis et Latinis cf. *Herod.* 3,107; *Aristot.* ap. *Athen.* 11, p. 464; *Theophr.* Hist. pl. IX. 4-7; *Columella* III. 8,4; *Dioscur.* Mat. med. 1,52 ss.; *Plin.* XII. 12 ss.; XIII. 1 ss.; *Athen.* 15, p. 686 ss. etc. — De hodiernis orientalibus cf. *E. W. Lane*, Sitten u. Gebr. d. heut. Egypter, *ed. F. Th. Zenker* 1,48.203; 2,8; *G. Schweinfurth* in Berichte d. pharmac. Ges. III. 1893, 219-21, etc. — De commercio antiquo aromatum cf, *F. C. Movers*, Phoenicier III. 1,99-104; 220-32.

3. *Variae species.* In libris sacris sequentes fere aromatum species commemorantur : Aloe, amomum, balsamum, bdellium, calamus, casia, cinnamomum, fistula galbanus, gutta, ladanum, libanus, myrrha, nardus, onyx, resina, stacte, storax, thus, ungula : de quibus plura in articulis particularibus adduntur.

De aromatibus in specie tractarunt *Herodot.* 3,107-112; *Theophrast.* περὶ ὀσμῶν (Opera, rec. *F. Wimmer*, fragm. 4., t. 3,73-94); alii (v. ll. supra cit.). Praeterea cf. *Garcia ab Horto*, Aromatum et simplicium aliquot medicamentorum apud Indos nascentium historia, *ed. C. Clusius* (*ed.* 4 Antverpiae 1593); *Christophori a Costa*, Aromatum et medicamentorum in orientali India nascentium liber, *ed. C. Clusius* (*ed.* 2 ib. 1593); *Nic. Monardis*, Simplicium medicamentorum ex novo orbe delatorum historia, *ed. C. Clusius* (*ed.* 3 ib. 1593); *I. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Contin. L. III. (Hortus aromaticus), Norimb. 1699; *O. Berg*, Pharmac. Waarenkunde, *ed.* 3, Berlin 1863 (praesertim p. 563-98); *L. Haynald*, A szentírási mézgák és gyanták termönövényei (i. e. de plantis biblicis gummiferis) (*ungarice*), Kolozsvárt 1879 (cum 13 tab. coloratis); *R. Sigismund*, Die Aromata, Leipzig 1884; *F. A. Flückiger*, Pharmakognosie des Pflanzenreiches *ed.* 3, Berlin 1891.

L. FONCK.

ARORITES cognomen complurium heroum Davidis.

1. 2 Reg. 23,33 : Asiam filius Sarar Arorites (הָאֲרֹעִי, Σαραουρίτης); idem 1 Par. 11,34[35] Ararites dicitur (v. ARARITES 3).

2. 1 Par. 11,27 : Sammoth Arorites (הַחֲרוֹרִי, ὁ Ἀρωρί); idem 2 Reg. 23,25 Semma de Harodi (הַחֲרֹדִי, ὁ Ῥουδαῖος) dicitur; vide HARODI et etiam SAMAOTH.

3. 1 Par. 11,44 : Samma et Iehiel filii Hotham Aroerites (הָעֲרֹעֵרִי, τοῦ Ἀροήρ i. e. de Aroer tribus Iuda, ut videtur.

ARPHAD (אַרְפַּד, Ἀρφάδ, urbs Syriae in S. Scriptura semper una cum Emath nominata (4 Reg. 18,34; 19,13; Is. 10,9; 37,19; 37,13; Ier. 49,23). Sine dubio urbs opulentior erat, quoniam Sennacherib de rege Arphad in servitutem redacto gloriatur. Secundum documenta assyriaca *Arpadda* iam a Theglathphalasar post obsidionem trium annorum 742-740 a. Chr. expugnata est; a Sargon patre Sennacherib defecit una cum Emath, Damasco, Samaria, sed in potestatem Assyriorum redacta est.

Post Sargon nomen *Arpadda* in inscriptionibus cuneiformibus non recurrit. Sennacherib igitur urbem plene subegit. Regno Assyriae deleto Arphad iterum sui iuris videtur fuisse, ut Ier. 49,23 innuit. — Nunc *Tell Erfad* collis ruinarum circiter 20 km ab Aleppo septemtrionem versus distans.

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas Tab. IV Bc; *Delitzsch*, Paradies p. 275; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 214; II. p. 8. 12. 195; *Sachau*, Reise in Syrien u. Mesopotamien 1883 (tabula prima).

ARPHASACHAEI v. APHARSACHAEI.

ARPHAXAD (אַרְפַּכְשַׁד, Ἀρφαξάδ), filius Sem biennio post diluvium genitus (Gen. 10,22; 11,10. 11; 1 Par. 1,17), pater Sale (Gen. 10,24; 11,12. 13; 1 Par. 1,18). Secundum textum massorethicum et *Vulg.* Gen. 11,12 Arphaxad 35 annos natus genuit Sale; verum secundum LXX Arphaxad natus 130 annos genuit Cainan, qui a LXX etiam 10,24 et apud Luc. 3,36 filius Arphaxad recensetur, ita ut Sale non filius sed nepos Arphaxad fuerit. Vixit Arphaxad, postquam genuit primogenitum, per 303 annos (hebr. 403 annos, LXX ἔτη τετρακόσια et genuit filios et filias (Gen. 11,13). De nominis significatione nihil certo constat. Cum Gen. 10,22 recenseatur simul cum Aelam, Assur, Lud, Aram etiam Arphaxad, aliqui putabant nomen esse *solum* vel ethnographicum vel geographicum. Sed quae Gen. 11,10-13 habentur virum describunt, cuius utique nomen (vel derivatio quaedam ex eius vero nomine orta) postea potuit tribui regionique imponi. Fatetur *Schrader* ex inscriptionibus assyriacis nihil posse eousque colligi de ea appellatione. Quod *Bocharto* multisque aliis placuit designari regionem, cui apud Graecos nomen Ἀρραπαχῖτις (*Ptol.* VI. 1,2), *Schrader* omnino reiicit; nihilominus *Kautzsch* eam sententiam ut communiter hucusque receptam retinet. Probabilius est ex ultima vocis parte, quod iam Flav. Iosephus (Ant. I. 6,4) habet, designari כשד Chaldaeos; *arp* autem ex arabico et aethiopico vallum, aggerem terminalem significat; unde regionem Chaldaeorum eo nomine designari censet *Schrader*. Aliam explicationem proposuit *Delitzsch* vocem referens ad dictionem quam fingit babylonicam : (*mat*) *arba-kishādi* i. e. (terra) quattuor partium; contra quam opinionem militat eam dictionem nullibi reperiri, verum constanter legi in titulis regum babyloniorum et assyriorum *kibrāt arba-i* (*Schrader*).

Cf. *Bochart*, Phaleg 2,4; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 97. 98; *Kautzsch* apud *Riehm-Baethgen*, Handwörterbuch des bibl. Altertums I. 116; *Delitzsch*, Paradies p. 255 s.

ARPHAXAD (Ἀρφαξάδ) Iudith 1,1. 5 nominatur rex Medorum, qui multas gentes suo subiugaverat imperio et a Nabuchodonosor in ditionem redactus est. Cum ibidem Nabuchodonosor vocetur rex Assyriorum regnans in Ninive, per se patet non posse intellegi illum, de quo alibi in s. litteris narratur, regem Babylonis. Nabuchodonosor Iudith 1,1 s. esse regem Asurbanipal est sententia a compluribus recepta (*Robiou, Vigouroux, Delattre, Palmieri, Fl. de Moor, Kaulen, Cornely;* v. NABUCHODONOSOR). Arphaxad regem Medorum nonnulli putant esse Deiocen (*Delattre*), plerique autem Phraorten II. filium Deiocis, qui apud Medos et Persas *Parruvartis, Pirruvartis* appellatur. In annalibus suis Asurbanipal narrat de victoria, quam reportaverit de Mediae duce quodam *Bi-rizhadri* (*Bi-ri-iz-ha-ad-ri*), quod nomen

Phraorten (Phraazad seu Fravartis seu Pirruvartis) repraesentare censent.

Cf. *Robiou*, Deux questions de chronologie et d'histoire éclaircies par les Annales d'Assurbanipal 1875, p. 28-29; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, IV. p. 105-106; *Delattre*, Le Livre de Judith 1884; *Palmieri*, De veritate hist. libri Iudith p. 22 s.; *Fl. de Moor*, Le Livre de Judith 1895, p. 27; *Kaulen*, Einleitung *ed.* 4, n. 265; *Brunengo*, Il Nabucodonosor di Giuditta 1888.

ARRHA, ARRHABON, PIGNUS (עֵרָבוֹן, עֲנֹבוֹ, ἀρραβών, ἐνέχυρον). Quae de pignore accipiendo et retinendo praescribuntur, magnam spirant erga pauperes clementiam et misericordiam. Qui enim pro debito pignus a proximo exigit, iubetur stare foris : non ingredieris domum eius ut pignus auferas, sed stabis foris et ille tibi proferet quod habuerit; sin autem pauper est non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi et habeas iustitiam coram Domino Deo tuo (Deut. 24,10) i. e. ut Ex. 22,26 praescribitur : si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei; ipsum enim est solum quo operitur nec habet aliud in quo dormiat; si clamaverit ad me exaudiam eum, quia misericors sum. Cavetur itaque ne pauperes rebus ad vitam necessariis priventur; quare etiam prohibetur ne pignoris loco auferatur inferior aut superior mola; mola enim ad panem praeparandum singulis diebus necessaria erat, quare dicitur Deut. 24,6 mola pignoris loco ablata fore ut anima (vita) pauperis pignori acciperetur; et singularis ratio quoque habenda est viduarum : nec auferes pignoris loco viduae vestimentum (Deut. 24,17). Gravis illis infertur accusatio qui eiusmodi praecepta neglexerint et tamquam hominis facinorosi scelus declaratur : abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa (Iob 22,6) vel : asinum pupillum abegerunt et abstulerunt pro pignore bovem viduae (Iob 24,3; cf. v. 9 hebr.) et Israelitas arguit Amos : super vestimentis pignoratis accubuerunt iuxta omne altare (2,8) et Ezechiel enumerat inter virtutes pignus debitori reddere, inter scelera pignus retinere (18,7. 12. 16; 33,15). Tempore Nehemiae pauperes ita opprimebantur ut agros et vineas (immo et filios et filias? v. 2) pro frumento ad vitam sustentandam pignoris loco dare cogerentur (Neh. 5,2 s.). Sapiens monet : tolle vestimentum eius qui fideiussor exstitit alieni et pro extraneis aufer pignus ab eo (Prov. 20,16; 27,13) i. e. cave ne pro alienis exsistas fideiussor! Porro pignus quoque dabatur, ut firmaretur promissio, uti iam habetur Gen. 38,17; promittit Iudas se missurum haedum de gregibus et arrhabonis loco debet relinquere annulum, armillam, baculum. Quare obsides quoque hebr. appellantur בְּנֵי הַתַּעֲרֻבוֹת 2 (4) Reg. 14,14.

In commercio arrhabo, arrha dicitur pecunia quae in emptionibus datur pignoris loco, ut scil. interponatur fides integri pretii postea solvendi. Inde sensu ad rem sublimem translato apostolus vocat Spiritum sanctum quem iusti accipiunt et qui in iustis inhabitat pignus, ἀρραβῶνα (2 Cor. 1,22; 5,5) et eum appellat pignus hereditatis (Eph. 1,4), quo itaque dato futura beatitas nobis a Deo oppigneratur et cuius participatio et inhabitatio hisce in terris est iam quaedam inchoatio futurae gloriae; unde sensu haud absimili etiam ἀπαρχή, primitiae appellatur (Rom. 8,23).

I. KNABENBAUER.

ARSA (אַרְצָא, Ὥσᾶ), praefectus palatii regii in Thersa, qui Ela regi Israel convivium paravit, inter quod Zambri domum ingressus regem temulentum interfecit sibique regnum arripuit (3 Reg. 16,9); videtur etiam Arsa coniurationis complex fuisse.

ARSACES (Ἀρσάκης). Eo nomine reges Parthorum vocari solebant (*Strabo* XV. 1,36; *Iustin.* 41,5). Qui 1 Mach. 5, 22; 14,1-3 nominatur, est Arsaces VI. Mithridates I.; vocatur 14,2 rex Persidis et Mediae, quas provincias regi Syriae Parthi eripuerant. Regnum tenuit 174-136 a. Chr. Anno 140 Demetrius II. Nicator exercitu congregato in Mediam profectus, sed post variam belli fortunam ab uno

ex ducibus Arsacis captus est (1 Mach. 14,1-3; *Flav. Ios.* Ant. XIII. 5,11; *Iustin.* 36,1). Arsaces captivum suum honoribus affecit eique filiam suam in matrimonium dedit; Arsacis filius et successor Phraates Demetrium ex captivitate dimisit (*Appian.* Syr. 67. 68; *Iustin.* 38,9. 10; apud *Flav. Ios.* Ant. XIII. 8,4 legitur : Demetrius per Arsacem liberatus a captivitate).

ARTAXERXES (ארתחשׁשׁתא Esdr. 4,8. 11. 23; ארתחשׁסתא 7,7; ארתחשׁשׁתא 4,7; Ἀρθασασθά). Anno regni eius septimo Esdras scriba velox in lege Moysis ascendit a Babylone in Ierusalem cum turba Iudaeorum. Artaxerxes dedit ei decretum quo edicitur, ut unicuique de Israelitis liceat ire in Ierusalem et quo statuitur, ut Esdrae quae necessaria sint suppeditentur de thesauro et fisco regis ad opus domus Domini; eodem decreto eximuntur sacerdotes aliique templi ministri a vectigalibus et tributis et Esdras iubetur constituere iudices et praesides ad regendum populum (Esdr. 7,1-26). Potestate hac regia munitus Esdras in id incumbebat, ut legis mosaicae observationem urgeret et matrimonia cum alienigenis contracta repudiaret; quo melius Iudaeorum securitati consuleret et infestationes Samaritanorum repelleret, etiam urbem Ierusalem aedificare et muris cingere coepit. Quod tamen opus mox impeditum est. Nam inimici Iudaeorum litteras dederunt ad Artaxerxen accusantes Iudaeos rebellionis regemque monentes, ut si vellet ullam ea in regione dominationem retinere urbem aedificari omnino prohiberet. Eorum insidiae non carebant effectu. Rex enim hanc tulit sententiam : prohibeatis viros illos, ut urbs illa non aedificetur, donec a me mandatum fuerit; illi autem abierunt festini in Ierusalem ad Iudaeos et prohibuerunt eos in brachio et robore (cf. Esdr. 4,7-23). Quomodo vero prohibuerint, colligere possumus ex iis quae Hanani refert Nehemiae de conditione Iudaeorum in Ierusalem : in afflictione magna sunt et opprobrio, et murus Ierusalem dissipatus est, et portae eius combustae sunt igni (Neh. 1,2. 3). Quibus auditis Nehemias flevit et luxit diebus multis ieiunans et Deum deprecans. Qui luctus simul documento est verba Hanani non referri ad ruinam illam olim a Chaldaeis urbi illatam, sed ad recentem, de qua Nehemias nunc certior factus lacrimas fundit. Proin haec verba etiam nos docent quid Esdras redux aggressus sit facere. Nehemias ab Artaxerxe mense Nisan anno vigesimo regni eius impetravit veniam muros Ierusalem restituendi et epistulam ut ei a praesidibus regis necessaria praeberentur (Neh. 2,1-10). Ipse Nehemias a rege constitutus erat dux in terra Iuda.

Est sententia longe communissima et vera haec omnia esse referenda ad Artaxerxen I. Longimanum, cuius regni anno septimo i. e. 458 a. Chr. Esdras ascendit in urbem et anno vigesimo i. e. 445 Nehemias. Solum tempore recentissimo aliae hypotheses propositae sunt; ita *de Saulcy* Artaxerxen II. 405-358 vult intellegi; item *Havet* et *Imbert*; quas opiniones *van Hoonacker* solido fundamento ex parte carere demonstravit (Nehemie et Esdras, Extrait du Muséon 1890; Zorobabel et le second temple, Extrait du Muséon 1892). Ipse vero una in re etiam ad partes illorum transiit contendens Esdram venisse Ierusalem anno septimo Artaxerxis II. Mnemonis i. e. anno 398 a. Chr., sed tenet Nehemiam anno 445 (regni Artaxerxis I. anno vigesimo) ad aedificandam urbem missum esse. Sed eam de Esdra sententiam sustineri non posse et solam sententiam veterem narratione s. litterarum suaderi ostendit *Ch. Huyghe* in periodico Revue des questions historiques, juillet 1893 p. 5-48. De contraria sententia vide Revue biblique VIII. 1899 p. 162. Plura vide s. v. ESDRAS 1.

I. KNABENBAUER.

ARTEMAS (Ἀρτεμᾶς quae forma contracta est ex Ἀρτεμίδωρος), comes quidam S. Pauli (Tit. 3,12).

ARTES *aedificandi, sculpendi, pingendi, ex aere fundendi.* De architectura sacra s. v. TEMPLUM agitur; hic ea conspectui subiicienda sunt, quae de architectura profana in s. libris deprehenduntur. Et ante diluvium quidem iam artis aerariae mentio fit; Tubalcain enim, filius Lamech ex altera uxore Sella, fuit

malleator et faber in cuncta opera aeris et ferri; artem quoque aedificandi iam satis esse cultam ex constructione arcae Gen. 6,14 s. apparet. Post diluvium autem videmus homines eam aedificandi rationem in Sennaar adhibere, quae regioni plane convenit et posterioribus quoque temporibus usurpabatur : faciamus lateres et coquamus eos igni; habueruntque lateres pro saxis et bitumen pro caemento. Et cum turrim cogitarent erigere, cuius culmen ad coelum pertingeret, in modo aedificandi satis iam exercitati sibi videbantur. Tempore patriarcharum varia recensentur ornamenta, quibus servus Abraham Rebeccam donavit : inaures aureae et armillae, vasa argentea et aurea (Gen. 24,22. 53). Pauca quidem haec sunt, at nihilominus vitam iam cultiorem manifestant. Longe maiorem artium illarum experientiam deprehendimus apud Israelitas ex Aegypto egressos. Neque id mirum; nam sane multa didicerant in Aegypto; praeterea ea in regione Sinai, in qua versabantur, dum sacra supellex conficeretur, Aegyptii ex antiquo tempore fodinas aerarias exercuerant; adfuisse ibi fornaces aerarias, officinas et fabricas certa vestigia testantur (cf. Zeitschrift für aegypt. Sprache und Alterthumskunde 1870 p. 137 Oct. Nov.). Unde iis non deerat opportunitas omnia ea conficiendi, quae ad sacrum tabernaculum et reliqua sanctuarii vasa et instrumenta requirebantur (vide s. v. TEMPLUM).

De architectura domorum pauca innotescunt. Domus lapidibus exstructae erant; lapides enim in Palaestina minime desunt et lege de lepra domorum supponuntur (Lev. 14,40. 42); pariter nota erat calx, trullisatio, opus tectorium (cf. Is. 27.9; Ez. 13,10; Am. 8,7). Trabes conficiebantur communiter ex sycomoris (Is. 9,9). Sed ad aedificia maiora, ad palatia, adhibebantur lapides quadri, serra secti, immo politi, marmorei (cf. 3 Reg. 7,9); unde dicunt contumaces illi apud prophetam : lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus aedificabimus; sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus (Is. 9,9); cf. Am. 5,12. Pariter in aedificiis magnificentioribus trabes, laquearia fiebant cedrina; pingebantur aedificia sinopide, ornabantur ebore (cf. 3 Reg. 7,2; 22,39; Ps. 44,9; Ier. 22,14; Am. 3,15). Domibus plerumque non deerat vestibulum, ad cuius portam sedebat ianitor vel ancilla (cf. Ioan. 18,16; Act. 12,13), ex vestibulo ianua patebat ad aream undequaque lateribus aedificii domus cinctam, quae quandoque vario lapide erat strata et puteum vel balneum quoque habebat vel arboribus consita locus erat excipiendis amicis aptus (cf. 2 Reg. 17,18; 11,2; Neh. 8,16). In qua area etiam porticus erant columnis affabre factis. Domus maiores secundam vel etiam tertiam contignationem habebant (cf. 4 Reg. 1,2; Act. 20,9). Documento quoque est quod tam saepe mentio fit עֲלִיָּה coenaculi, cubiculi superioris, in quod sese recipere solebant solitudinis aut orationis causa (cf. 2 Reg. 18,33, hebr. 2 Sam. 19,1; Act. 1,13 ὑπερῷον; 20,8), quod hospitibus offerebatur (4 Reg. 4,10) et ubi corpora quoque mortuorum ante sepulturam asservabantur (cf. 3 Reg. 17,19; Act. 9,37). Nobiliores etiam habebant domum hiemalem et domum aestivam, quae itaque et situ et aedificandi ratione vel frigori vel aestui arcendo aptiores erant (cf. Iud. 3, 20; Ier. 36,22; Am. 3,15). Tecta domuum erant plana; in iis commorari solebant vel sese recreandi et purioris aurae hauriendae causa (2 Reg. 11,2) vel ad orandum (Neh. 8,16; Act. 10,9 ἐπὶ τὸ δῶμα); ibi quoque cultus idololatricus exercebatur (4 Reg. 23,12; Ier. 19,13; Soph. 1,5), et colloquia familiaria habebantur (1 Reg. 9,25), vel luctus instituebatur (Is. 15,3), vel etiam dormiebatur (1 Reg. 9, 26) etc. etc.; cf. Ios. 2,6; Iud, 9,51; 16, 27; 2 Reg. 16,22; Is. 21,1; Ier. 48,38; Matth. 10,27. Cum tam frequens esset usus tecti, statuebatur lex : cum aedificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua et sis reus labente alio et in praeceps ruente Deut. 22,8 (מַעֲקֶה marginem vel crepidinem facies).

Hebraeos in arte aedificandi haud eminuisse, inde quoque patet quod domus Davidis ab artificibus tyriis aedificabatur (2 Reg. 5,11). Atque idem assumendum erit de palatio quod tredecim annis

Salomoni aedificatum est (cf. 3 Reg. 7,14 fecit Hiram omne opus eius). Quod palatium compluribus constabat aedificiis ex lapidibus quadris lignisque cedrinis; ita domus saltus Libani, quae nomen traxit ex quattuor ordinibus columnarum cedrinarum et tribus contignationibus, conclavia continebat 45 (hebr. 3 [1] Reg. 7,3). Ei domui adiuncta erat porticus columnarum (3 Reg. 7,6) et porticus solii seu throni, in qua fortasse erat thronus Salomonis (qui 3 Reg. 10,18 s. describitur). Haec porticus non tam porticus, sed magnum conclave fuisse videtur, cum addatur: et texit lignis cedrinis a pavimento usque ad summitatem (quam lectionem *Syri* et *Vulg.* tenendam esse contra textum mas. *Thenius* ostendit ad 3 [1] Reg. 7,7). Post hoc conclave sequebatur palatium Salomonis et palatium filiae Pharaonis, «omnia lapidibus pretiosis qui ad normam quandam atque mensuram tam intrinsecus quam extrinsecus serrati erant (i. e. politi erant lapides integri, etiam illa pars in pariete absconsa) a fundamento usque ad summitatem parietum (usque ad crepidinem tecti), ab atrio priore usque ad maius; fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem sive octo cubitorum et desuper lapides pretiosi aequalis mensurae secti erant similiterque de cedro» (3 Reg. 7,9-11) i. e. parietes lignis cedrinis tecti erant, trabes quoque erant cedrinae. De istis aedificiis agit quoque *Iosephus,* Ant. VIII. 5,2. Praeterea Salomon moenia urbis Ierusalem et munitionem, cui Mello nomen, ampliavit, urbes extruxit atque munivit (3 Reg. 3,1; 9,15-19) aliaque perfecit, quaecunque optaverat et voluerat (3 Reg. 9,1), quae verba quasi explicata leguntur Eccle. 2, 4 s. Cum sibi piscinas aquarum exstrueret, ut irrigaret silvam arborum feracissimam, haud immerito opus quoque aquaeductus ad eum refertur. Aquaeductus, quo aquae in civitatem introducebantur, etiam factus est ab Ezechia rege (4 Reg. 20,20; 2 Par. 32,30; cf. Is. 7,3).

Architecturae comites sunt artes sculpendi et pingendi. Artis quam vocant plasticam pauca vestigia apud Hebraeos reperiuntur et pleraque describenda sunt, cum de architectura sacra sermo fiet (s. v. TEMPLUM; v. etiam ARCA FOEDERIS, CANDELABRUM, quae hoc loco paucis indicasse sufficiat. Ad arcam foederis duo cherubim aurea efformabantur; in templo Salomonis insuper duo grandia cherubim ex lignis olivarum posita erant. Parietes sanctuarii ornati erant cherubim, palmis, colocynthidibus, floribus e lignis cedrinis eminentibus auroque vestitis; in floribus quoque cherubim, palmae calicesque florum nondum apertorum sculpta erant. Etiam columnae ante porticum sanctuarii opere lilii et malogranatis ornatae erant. Mare quoque aeneum ornatu colocynthidum non carebat et ipsum impositum erat duodecim bobus aeneis. Bases vero lavacrorum pariter figuras leonum, iumentorum, cherubim, palmarum, coronarum ostendebant. Candelabrum aureum ornamentis calices amygdalinos floresque referentibus instructum erat. Moyses in deserto serpentem aeneum erexit. Ad thronum Salomonis duo leones grandes et in sex gradibus eius duodecim leunculi cernebantur (3 Reg. 10,19. 20). Praeterea confecta quandoque sunt simulacra et idola; ita iam in deserto Aaron vitulum aureum opere fusorio formavit (Ex. 32,4); Ieroboam duos vitulos aureos fecit et posuit unum in Dan, alterum in Bethel (3. Reg. 12,28). Prophetae quoque non raro invehuntur in eos cultores idolorum, qui de auro et argento, de ligno sibi faciunt idola (cf. Is. 2,8. 20; 44,9 s.; 46,6; Ier. 2,27; 10,3 s.; Os. 2,8; 13,2). De palatio Salomonis *Iosephus* admirabile sculptorum artificium refert, expressas fuisse arbores ac omne genus stirpes opacas ramis foliisque ab iis pendentibus et tanta quidem subtilitate, ut agitari quodammodo viderentur; parietes usque ad lacunar variis coloribus et picturis (γραφαῖς) esse distinctos (Ant. VIII. 5,2). Utique non est improbabile in palatio Salomonis eiusmodi ornamenta fuisse. — Tempore Christi autem Iudaei omnes imagines et simulacra abhorrebant; cum Herodes in theatro Caesaris gesta et tropaea exhiberet, indignissime id ferebant (*Flav. Ios.* Ant. XV. 8,1); notum est quantos excitaverint tumultus, cum Pilatus Caesaris

imagines urbi inferre tentaret (Ant. XVIII. 3,1; Bell. iud. II. 9,2); ne signa quidem militaria Romanorum ferebant, cum multa essent simulacra in signis (Ant. XVIII. 5,3). Eo quippe rigore interpretabantur mandatum illud : non facies tibi sculptile etc. (Ex. 20,4; Lev. 26,1; Deut. 5,8) neque considerabant prohiberi solum idololatriam neque cogitabant in supellectili sacra imagines non defuisse.

De arte pingendi nullum reperiri videtur vestigium. Quod Ez. 8,10 habetur, solum in visione prophetae exhibetur; videt scil. in visione : et ecce omnis similitudo reptilium et animalium et universa idola domus Israel depicta erant in pariete. Et idem propheta 23,14 non de arte Iudaeorum loquitur, sed eas imagines describit, quas paliatorum parietibus apud Assyrios et Babylonios exhibitas esse constat; genere enim dicendi parabolico demonstrat sororem minorem (populum Iudaeorum) amore ducum babyloniorum esse captam, quorum imagines splendidas adspexisset.

ARTIFICES v. OPIFICES.

ARTIFICUM VALLIS v. s. v. ONO.

ARUBOTH regio v. EPHER terra.

ARUM (הָרֻם, Ἀαρίν), pater Aharehel ex posteris Iuda (1 Par. 4,8).

ARUNDINETI VALLIS (נַחַל קָנֶה: LXX Χελκανά et φάραγξ Καρανά) in confinibus Ephraim et Manasse (Ios. 16,8; 17,9). Nomen explicatur vel *torrens arundinis* (v. ARUNDO) vel fortasse *torrens Qana* ab aliquo loco *Qana* ita dictus. Locis citatis terminus aquilonaris Ephraim seu australis Manassitarum cisiordanicorum describitur a puncto fere medio Machmethath e regione Sichem (cf. 16,6; 17,7) occidentem versus decurrens scil. primum ad fontem Taphua, deinde secundum vallem seu torrentem arundinis (*Qana*) ad mare Mediterraneum. His igitur confinia inter Ephraim et Manasse a Sichem usque ad oram maritimam delineantur; sed neque Taphua (v. TAPHUA 2) neque torrens arundinis certo assignari possunt. A nonnullis torrens *Qana* censetur esse *Wādi el-Sha'īr*, qui prope *Nāblus* (Sichem) originem ducit (*Riess*), ab aliis eiusdem vallis continuatio *Nahr Abu Zabura* seu *Nahr Iskanderūne* (*Lièvin de Hamme*), ab aliis *Nahr el-Fūleq* (*Guérin*). Aliis praeplacet *Wādi Qāna*, qui 10 km infra Sichem originem ducit et per *Wādi Zakur* cum *Nahr el-'Audjē* cohaeret (*Robinson*, Exploratores anglici, *Zanecchia*, *F. de Hummelauer*); haec opinio textibus allatis melius satisfacere videtur.

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 s. v. Kana; *Guérin*, Samarie II. 386; *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 176; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 299; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 445; *F. de Hummelauer*, Comm. in Iosue p. 376, 377. 389; *Lièvin de Hamme*, Terre Sainte 1897, III. 255. 256. — Cf. praeterea *Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 101. 105.

ARUNDO, ARUNDINETUM, ARUNDINEUS. 1. Haec nomina in Vulgata respondent hebr. קָנֶה (cf. קָנֶה Ios. 16,8; 17,9) et gr. κάλαμος (καλάμη Sap. 3,7), quas voces S. Hieronymus alias saepius *calamus* reddit. Reliquae versiones vel eandem vocem retinent (Peshitta, Onkelos, Targum, Samarit.) vel cum LXX κάλαμος vertunt. Neque haec propria vocis קָנֶה significatio (cf. ass. *qanū*, arab. قَنَا; sec. *F. Hommel* idem est cum sumerico *gin* s. *gi* [Semiten 1, 407]) ulli dubio subiacet.

2. Iuxta Scripturam imprimis in aqua crescit (3 Reg. 14,15; Is. 35,7 *Vulg.* calamus), praesertim iuxta ripam Nili (Is. 19,6 *Vulg.* calamus), et omni vento facile agitatur (3 Reg. 14,15), cui proinde magnus Baptista, constantia ac firmitate insignis, ex sententia Salvatoris minime potest aequiparari (Matth. 11,7; Luc. 7, 24). Licet facillime, si laesa fuerit, plane conteratur neque utilitatem magnam praebeat, tamen mitissimus corde Christus Dominus « arundinem quassatam non confringet » (Matth. 12,20; Is. 42,3). Qui tam fragili baculo « innixus fuerit, intrabit in manum eius et perforabit eam » (Is. 36,6; 4 Reg. 18,21; Ez. 29,6); qua comparatione propheta bene Aegyptum designat arundinetis abundantem (cf. *Fr. Woenig*, Die Pflanzen im alt. Aeg. p. 131 s.; *V. Loret*, La flore pharaonique *ed.* 2, p. 19), cuius scriptura litteras frequentissimas *a* et *i* imagine

arundinis exprimebat, cuius insigne regium, saltem pro regione septentrionali, papyrus, arundini similis, erat. Tale baculum arundineum sceptrum erat in ludibrium Christo Domino datum (Matth. 27,29 s.; Marc. 15,19). Etiam ad calamum mensorium arundine utebantur Hebraei, sicut Assyrii, eiusque longitudo ab Ezechiele propheta 6 cubitorum cum 6 palmis dicitur fere 3,15 metra (Ez. 40,3. 5 s.; 41,8; 42,16. 17. 18; Apoc. 11, 1; 21,15 s.). Tanta abundantia, altitudine, densitate crescebat, ut ferae maximae in eo latitarent (Iob 40,16 hebr. 21 *behemoth in secreto calami:* Ps. 67[68],31 *ferae arundinis* i. e. crocodilus vel hippopotamus, figura Aegypti); pariter in monumentis babylonico-assyriacis (cf. *H. Layard*, Monuments of Nin., 2,12. 25. 27. 28 etc.) et aegyptiacis (Templum Amonis in *Medînet Habu*, Ramses III. cum leone in arundineto pugnans; cf. *Woenig* l. c.) arundineta tamquam latibula ferarum describuntur. Ex simili arundineto fortassis vallis נַחַל קָנֶה dicta nomen habebat (Ios. 16,8; 17,9). Probabiliter in Palaestina quoque iam antiquitus haec arundineta etiam arte colebantur, id quod de Babylonia et Assyria testantur inscriptiones cuneiformes Nabuchodonosor I. Inscr. 2, l. 19; documenta ex tempore *Sinsharîshkun* in *E. Schrader*, Keilinschr. Bibl. 4,174 n. I. etc., cf. *Frd. Delitzsch*, Entstehung d. ält. Schriftsystems, p. 126 ss.) et de Iudaea tempore posteriore Rabbini talmudici (cf. *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen p. 342 s.), quodque etiam nunc in Italia et alibi videre licet. Forte de tali arundineto culto loquitur auctor libri Sapientiae (3, 7 *sicut scintilla in arundineto*), cum finita messe arundinum reliquiae igne consumantur.

3. Species praecipua arundinis biblicae probabiliter est ea quam Linné *Arundo donax* appellavit, quae in Syria, Palaestina, Aegypto, sicut in aliis regionibus mediterraneis abundat, altitudinem 5 vel 6 metrorum attingens. Patria huius speciei censetur Syria, unde iam antiquitus in Aegyptum translata videtur. Fortasse etiam alia species minor, in Oriente, sicut in nostris regionibus satis communis, *Arundo phragmites* Linné (s. *Phragmites communis* Trinius) in aliquibus textibus simul intellegi poterit; sed distributio textuum inter varias species, quam aliqui statuunt, non satis firmo videtur niti fundamento. Varias autem antiquis cognitas fuisse arundinis species ex auctoribus profanis constat (*Theophr.* Hist. pl. IV. 11,1 ss.; *Dioscur.* Mat. med. 1,114; *Plin.* XVI. 36,156-173; XXIV. 11,85-87, al.

Cf. *E. Boissier*, Flora orientalis V. ; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3, II. 2 p.831; *G. Schweinfurth* in Verh. d. Berl. Ges. f. Anthrop. 1891, 663; *V. Hehn*, Kulturpfl. u. Hausthiere *ed.* 6, 297-301; *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam. II. 2,68; *G. E. Post*, Flora of Syria 875.

4. Eadem vel alia arundinis species etiam ad scribendum adhibebatur, sicut usque ad nostram fere aetatem Orientalibus calamum scriptorium, Arabibus et Turcis *qalam* dictam praebebat. Hoc sensu κάλαμος in tertia epistula S. Ioannis commemoratur (v. 13 *Vulg.* calamus. Cf. 3 Mach. 4,20 γραφικοὺς καλάμους). Scalpelli, cuius ope arundo a scriba praeparabatur, mentionem facit Ieremias propheta (36,23). In psalmo 44[45],2 ubi in Vulgata *calamus scribae* legitur, in hebraeo est עֵט סוֹפֵר, stilus scribae.

5. Praeter קָנֶה etiam אַגְמוֹן probabiliter speciem arundinis significat. Etenim culmi eius et materiam ignis praebent (Iob 41,20 hebr. 12; *Vulg.* atque ferventis) et vento facile flectuntur (Is. 58,5; *Vulg.* quasi circulum) et in locutione proverbiali כִּפָּה וְאַגְמוֹן in comparatione cum nobilibus ramis palmae satis bene imaginem pauperis repraesentant (Is. 9, 13; 19,15; *Vulg.* incurvantem et refrenantem). Nomen ipsum eidem significationi ex usu linguae arabicae (*adjam*) et aramaicae (אגמון) favet.

De aliis minus propriis vocis קָנֶה significationibus v. CALAMUS. De tribus nominibus, quae ad arundinem quodammodo spectant, v. IUNCUS (כּוּף), PAPYRUS (גֹּמֶא), VIRECTUM (אָחוּ). — Cf. *L. Lemnius*, Herb. bibl. explicatio 81-3; *I. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Contin. 170 s.; *M. Hiller*, Hierophyt. II 199-205; *O. Celsius*, Hie-

robot. II. 312-25; *C. Sprengel*, Theophrasts Naturgesch 176-82; *id.* Comment. in Diosc. 1,114; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1,177-82; *P. Cultrera*, Flora bibl. 153-60; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8,437; *I. H. Balfour*, The Plants of the Bible, ed. nova, 233 s.; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 291; *L. Fonck*, Streifzüge durch die bibl. Flora 32-35; *I. Wimmer*, Palästinas Boden 35 s.

L. FONCK.

ARUSPICES v. DIVINATIO.

AS v. PECUNIA.

ASA (אָסָא, Ἀσά). **1.** Rex Iuda tertius post scissionem regni, filius Abiae, datus a Domino propter David, ut esset lucerna in Ierusalem (3 Reg. 15,4). Anno vigesimo Ieroboam regis Israel thronum adscendit et per annos 41 regnavit (3 Reg. 15,8-10) quo tempore in Israel reges erant Ieroboam I., Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Amri, Achab. — Magno cum fervore cultum divinum restaurandum suscepit, idola, statuas Baal, lucos Astarthi consecratos (v. LUCUS) destruxit praecepitque Iudae, ut quaereret Deum patrum suorum (3 Reg. 15,11 s. 2 Par. 14,2 s.). Idololatriae fautrix validissima erat Maacha, filia vel potius neptis Absalomis et avia (non mater) Asae (cf. 2 Reg. 14,27; 3 Reg. 15, 2. 10), quae omni ope cultum Astarthis propagare conabatur in eiusque honorem in luco simulacrum turpissimum Priapi collocaverat; Asa vero simulacrum hoc in frusta comminuens combussit in torrente Cedron et Maacham ex augusto imperio depositam amovit (3 Reg. 15,13; 2 Par. 15, 16). In eo autem indulgentior fuit, quod non aboleverit excelsa i. e. altaria praeter legem in locis excelsis Iahwe consecrata (3 Reg. 15,14; 2 Par. 15,17).

Nec minor erat Asae industria in rebus bellicis ac politicis. Cum per tres annos regni Abia bellum inter Iuda et Israel fere continuum perdurasset (cf. 2 Par. 13,2), Asa per decem annos pacem feliciter servavit (2 Par. 14,1). Quo pacis tempore diligenter usus urbes munitas exstruxit vel a Sesac rege Aegypti destructas (cf. 2 Par. 12,4) restituit easque muris, turribus, portis, seris roboravit (3 Reg. 15,23; 2 Par. 14,6. 7). Insuper exercitum sibi comparavit 580000 virorum fortissimorum, scilicet portantium scuta maiora et hastas de Iuda 300000, de Beniamin vero sagittariorum scutis minoribus utentium 280000 (2 Par. 14,8).

Neque frustra tempore pacis bellum parabat; nam Zara rex Aegypti et Aethiopiae cum decies centenis millibus virorum et curribus trecentis Maresam usque in campestribus Iuda sitam progressus est; Asa vero acie in valle Sephata non procul a Maresa instructa et auxilio Domini invocato hostes fugavit, ad internecionem concidit et usque Gerara persequens omnes per circuitum urbes diripuit, civitates Philisthaeorum cum Zara conspirantium percussit, spolia multa asportavit, pecorum et camelorum infinitam multitudinem abduxit (2 Par. 14,9-15).

Asae e bello redeunti occurit Azarias propheta, filius Oded, instinctu divino pronuntians adagium illud foederis theocratici: « Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo; si quaesieritis eum, invenietis; si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos » et simul prophetice depingens infortunia maxima Israeli Deum verum deserenti infligenda (2 Par. 15,1-7). Quibus auditis Asa novo fervore reliquias idololatriae exstirpare conatus est in Iuda, Beniamin et urbibus Ephraim ab Abia patre suo expugnatis. Altare holocausti ante porticum templi denuo dedicavit i. e. a pollutione idolorum purgavit vel, ut aliis praeplacet, partes ruinosas reparavit (15,8). Universum populum ad foedus theocraticum renovandum congregavit, cui invitationi non solum Iudaei, sed multi quoque Israelitae videntes Deum esse cum Asa obtemperarunt (15,9). Mense tertio anni decimi quinti regni Asa in Ierusalem celebrata est magna festivitas, qua immolatis bobus septingentis et arietum septem millibus « iuraverunt Domino voce magna in iubilo et in clangore tubae et in sonitu buccinarum » (15,10-15). Etiam aerarium templi a Sesac rege Aegypti spoliatum (cf. 3 Reg. 14,26) Asa locupletavit iis, quae voverat pater eius et ipse (3 Reg. 15,15; 2 Par. 15,18), i. e. praeda bellica, quam Abia pater eius a Ieroboam rege Israel et ipse a Zara principe Aethiope fecerat.

Brevi post festivitatem illam hierosolymitanam bellum cum Baasa rege Israel exarsit, a quo Rama urbs capta atque munita est (3 Reg. 15,17; 2 Par. 16,1). Asa vero Benadad regem Syriae, qui hucusque foedere cum Israel coniunctus fuerat, donis ex aerario regio et templi oblatis permovit, ut regem Israel aggrederetur; quo factum est, ut Baasa a Rama discederet; ea opportunitate usus Asa munitiones Ramae delevit et ex lignis ac lapidibus a Baasa congestis duo oppida, Gabaa et Maspha, in Beniamin exstruxit (3 Reg. 15,18-22; 2 Par. 16,2-6; cf. Ier. 41,9). At propter pactum cum Benadad initum Hanani propheta regem corripuit et bellorum flagella ei praedixit; rex vero vehementer indignatus prophetam in nervum mitti iussit aliosque multos de populo morti tradidit (2 Par. 16,7-10). Bella praedicta non nisi post Asae mortem irruerunt; tamen pax cum regno Israel non omni ex parte videtur firma permansisse (3 Reg. 15,16; 2 Par. 17,2).

Anno undequadragesimo regni sui doloribus pedum cruciatus in ipsa infirmitate magis medicorum arte quam Deo confisus est; post duos annos infirmitatis mortuus et in sepulcro, quod in civitate David sibi foderat, sepultus est; ei successit Iosaphat filius ipsius (3 Reg. 15, 23. 24; 2 Par. 16,12-14). Asa erat fidelis cultor Iahwe, at a languore in suis erga Deum officiis non excusandus, immo deficiente in Deum confidentia tam infirmus, ut contra constitutionem theocraticam foedus cum Syris iniret.

Superest difficultas chronologica breviter indicanda : 2 Par. 15,19 et 16,1 bellum inter Asa et Baasa reiicitur in annum trigesimum sextum regni Asa; sed quia Baasa iam anno vigesimo sexto regis Asa mortuus est (3 Reg. 16,8), mendum in numeris indicatis admittere oportet. Coniiciunt plerique 2 Par. 15,19 et 16,1 pro anno trigesimo quinto et trigesimo sexto substituendum esse annum decimum quintum et decimum sextum. Quibus mutatis omnia, quae chronologiam regni Asa spectant, hoc modo conciliantur : primis decem annis regni Asa pax habebatur (2 Par. 14,1; hebr. 13,23), deinde invasio Zarae Aethiopis et post eam instauratio cultus continuata usque ad annum decimum quintum regni Asa (15,10), denique anno decimo quinto pacifice peracto (15, 19) bellum cum Baasa anno decimo sexto (16,1).

2. Pater vel unus ex maioribus Barachiae levitae in Netopha (1 Par. 9,16).

ASAA v. ASAIA 1.

ASAEL (עֲשָׂהאֵל, Ἀσαήλ). **1.** Filius Saruiae sororis David, frater Ioab et Abisai, velocitate praeclarus (2 Reg. 2, 18). In proelio prope Gabaon commisso, quo Abner a Ioab fugatus est, Asael fugientem Abner insecutus est. Bis ab Abner monitus, ut a persequendo desisteret, in proposito perstitit; Abner autem, qui verebatur, ne caede Asaelis implacabiles Ioabi inimicitias in se provocaret, eum quantumvis invitus interfecit hasta aversa i. e. inferiore hastae extremitate, ac si casu magis quam consulto nex inflicta esset (2 Reg. 2,19-23). Asael, licet iuvenis, magni ab omnibus videtur aestimatus esse; nam omnes transeuntes per locum, in quo ceciderat, paululum ad videndum eum subsistebant (2,23); in censu eorum, qui de exercitu Davidis apud Gabaon ceciderant, prae ceteris nominatim effertur (2,30); additur eum sepultum esse in sepulcro patris sui in Bethlehem (2,32); viris fortissimis in exercitu Davidis accensetur (23,24; 1 Par. 11, 26). Sanguinem Asaelis ultus est Ioab Abnerum in Hebron dolose interficiens (2 Reg. 3,27), et in eam necem cum Ioab etiam Abisai conspiraverat (3,30). Praeterea 1 Par. 27,7 Asael (Asahel) honoris causa nominatur princeps turmae quartae 24000 militum, cui Zabadias filius eius praeerat; eo enim tempore, quo illa divisio turmarum in exercitu Davidis facta est, Asael iam dudum obierat.

2. Unus ex levitis, quos Iosaphat rex Iuda misit, ut populum Iuda in lege Domini erudirent (2 Par. 17,8).

3. Unus ex levitis, qui ab Ezechia rege primitiis et decimis templo votis praepositi sunt (2 Par. 31,13).

4. Idem nomen gerit, qui in *Vulg.* Esdr. 10,15 scribitur Azahel, pater Ionathan (Esdr. 10,15).

ASAIA (עֲשָׂיָה, Ἀσαΐα). **1.** Consiliarius in aula Iosiae, a rege cum Helcia sacer-

dote ad Holdam prophetissam missus, ut Dominum super libro legis reperto consulerent (4 Reg. 22,12. 14; appellatur Asaa in *Vulg.* 2 Par. 34,20).

2. Unus ex tredecim principibus cognationum Simeon, qui Ezechia rege pastores chananaeos e pascuis uberrimis terrae Gador expulerunt (1 Par. 4,36).

3. Levita tempore Davidis, princeps familiae Merari, opem praestans in translatione arcae de domo Obededom in Ierusalem (1 Par. 6,30; 15,6. 11).

4. Primogenitus alicuius familiae ex genere Sela, filii tertii Iuda, inter habitatores Ierusalem enumeratus (1 Par. 9,5; *Vulg.* de Siloni, sed pro הַשִּׁילֹנִי procul dubio legendum est הַשֵּׁלָנִי i. e. descendens de Sela). Cf. etiam s. v. MAASIA 17.

ASALELPHUNI (הַצְּלֶלְפּוֹנִי, Ἐσηλεββών) soror Iezrahel, Iesema, Iedebos de stirpe Etam (1 Par. 4,3); v. ETAM 4.

ASAN (עָשָׁן, Ἀσάν et 1 Par. 4,32 Αἰσάρ), urbs in campestribus Iuda, in tertia provincia Sephelae enumerata (Ios. 15,42), postea vero tribui Simeon assignata (Ios. 19,7; 1 Par. 4,32). Erat urbs sacerdotalis 1 Par. 6,59[44]; sed loco parallelo Ios. 21,16 pro Asan legitur Ain (עַיִן), quod mendum videtur (LXX Ἀσά). Censetur eadem urbs, quae 1 Reg. 30,30 appellatur lacus Asan (pro כּוֹר עָשָׁן *fornax fumans* loco citato legendum est בּוֹר עָשָׁן *cisterna Asan* cum omnibus versionibus et compluribus hebraicis codicibus). — Secundum Eusebium et S. Hieronymum Asan in tribu Iuda est vicus ipsorum aetate dictus Bethasan 16 mil. pass. (S. Hieron. 15) ab Hierosolymis occidentem versus distans (Onom. *ed. Lag.* 221,9; 93,8); iidem ab Asan tribus Iuda distinguunt Asan in tribu Simeon (222, 49; 94,15). Sed urbs in tertia (i. e. australi) provincia Sephelae enumerata multo magis meridiem versus quaerenda est. A nonnullis recentioribus innuitur ruina *Aseile* iuxta *'Anab* inter Bersabee et Hebron.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. III. 392. 393; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 257. 258.

ASANA (הַסְּנֻאָה; Ἀσινοῦ, apud *Swete* B Ἀανά, A Ἀσανουά), Beniaminita ex maioribus Salo incolae Ierusalem post captivitatem (1 Par. 9,7). Idem nomen hebr. (הַסְּנוּאָה, Ἀσανά) reccurrit in enumeratione Beniaminitarum post captivitatem Neh. 11,9 (*Vulg.* Senua).

ASAPH (אָסָף, Ἀσάφ). **1.** Levita ex familia Gersom, filius Barachiae (1 Par. 6,39), unus ex illis tribus principibus cantorum, quos constituit David ad ministrandum coram tabernaculo : Heman cum suo cantorum choro stabat in medio, ad eius dexteram Asaph cum suo choro, ad sinistram Ethan (1 Par. 6,32-47). Hi quoque cantum comitabantur cymbalis aeneis concrepantes, cum arca Dei de domo Obededom transferretur in civitatem David (1 Par. 15,17. 19) eodemque ministerio Asaph fungebatur coram tabernaculo (16,5). A Davide constitutus est princeps ad confitendum Domino (16,7. 37), quare Asaph ante Heman et Ethan (Idithun) nominari solet (25,1. 2. 6. 8). Quod sacrum ministerium, quo Dei laudes canerentur, etiam prophetia appellatur (1 Par. 25,1). Simul cum Davide Asaph videns commemoratur auctor psalmorum aliquorum (2 Par. 29,30) et eius nomine inscribuntur psalmi 49 et 72-82; qua inscriptione (לאסף, uti לבני קרח etc.) utique non evincitur omnes ab eo esse compositos, sed etiam significari potest carmen ad cantum sacrum traditum esse alicui choro levitarum (quorum plures recensentur a Cosma Indicopleusta quoque : Chorus Idithun, Core, Etam, Asaph, Mose; cf. Zeitschr. für kath. Theol., Innsbruck 1891, p. 362). In dedicatione templi salomonici Asaph, Heman et Idithun cum suis cantoribus ad orientalem plagam altaris stabant cymbalis et psalteriis et citharis concrepantes (2 Par. 5,12). Tempore quoque posteriore ordo ille cantorum, cui Asaph praeerat, nomine primi sui principis insignitus permansit (1 Par. 9,15; 2 Par. 20,14; 29,13; 35,15; Esdr. 2,41; 3,10; Neh. 7,45; 11,17. 22; 12,45).

2. Pater Ioahe tempore Ezechiae regis (4 Reg. 18,18. 37; Is. 36,3. 22).

3. Custos saltus regis seu silvarum regalium, cui Artaxerxes per epistulam mandavit, ut Nehemiae ligna daret, quibus portas turris domus et muros civitatis tegeret (Neh. 2,8).

ASARAMEL ἐν Σαραμέλ, A et B ἐν Ἀσαραμέλ (1 Mach. 14,28; *Vulg.* in Asaramel 14,27) primo intuitu videtur esse nomen loci, in quo Iudaei congregati Simoni Machabaeo eiusque posteris munus summi sacerdotis, ducis ac principis Iudaeorum tradiderunt « in aeternum, donec surgat propheta fidelis ». De obscuris vocibus *in Asaramel* opiniones interpretum sunt variae. *Schürer* certum esse iudicat illas voces ad titulos Simoni debitos referendas esse. Tituli autem Simonis tres commemorantur : ἀρχιερεύς, στρατηγός, ἐθνάρχης (cf. 1 Mach. 13,42; 14, 41. 42. 47; 15,1. 2). Unde *Schürer* coniectat σαραμέλ esse שַׂר עַם אֵל (i. e. princeps populi Dei, ἐθνάρχης); insuper ad explicandum ἐν suspicatur primitus in textu etiam adfuisse σεγεν = סֶגֶן (i. e. praefectus, praetor, στρατηγός); his suppositis nostro loco tres illi tituli in textu primigenio adfuissent. Illos autem titulos ab initio documenti publici nomini Simonis additos esse natura rei multum suadet. Apud Syrum deest quidem primus titulus ἀρχιερεύς, sed legitur Rabba Israel i. e. princeps Israel, quo coniectura a *Schürer* proposita commendari videtur. Eandem lectionem שַׂר עַם אֵל (vel הַשַּׂר) inter alias dubitanter propositas iam suggesserat *Wernsdorf*, quam approbarunt *Trendelenburg*, *Gaab*, *Scholz*, *Grimm*, *Derenbourg*, alii. Simili coniectura *Serarius* quoque legendum putabat בְּשַׂרַם אל *in principe ipsorum Deo*, ita ut Simon dicatur sacerdos magnus in principe ipsorum Deo; quae explicatio etsi admittenda non est, tamen quam maxime ad illam lectionem שַׂר עַם אֵל a recentioribus approbatam accedit, quae obscuris illis vocibus *in Asaramel* lucem affundere videtur.

Ex altera parte non desunt, qui Asaramel nomen loci esse putent. Aliqui corruptionem vocis Ἱερουσαλήμ suspicantur (*Castellio*, *Vatablus*, *F. de Saulcy* ; sed vix credibile est nomen notissimum Ierusalem tantopere corrumpi potuisse. Alii supponunt lectionem בְּחַצַר מִלֹּא, *in atrio Mello*, quod atrium (2 Reg. 5,9; 3 Reg. 9,15. 24; 2 Par. 32,5) erat pars quaedam fortificationum civitatis David (*Grotius*, *Calmet*, *Houbigant*); alii בַּחֲצַר עַם אל, *in atrio populi Dei* (*Keil* ad h. l.; *Ewald*); alii בְּשַׁעַר עַם אל, *in porta populi Dei* (*Winer* inter coniecturas a *Wernsdorf* propositas hanc contextui conformiorem esse dicit, sed rem incertam relinquit). Plures alias coniecturas recensent *Keil* et *Grimm* in 1 Mach. 14, 27. 28, quas recentiores communiter reiiciunt.

Cf. *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes etc. *ed.* 3, I. p. 249 in nota 17; *Wernsdorf*, Comment. hist-. crit. de fide libr. Mach. 1747, p. 176; *I. Derenbourg*, Essai sur l'histoire et la géographie de la Palestine 1867, p. 451; *F. de Saulcy*, Histoire des Machabées 1880, p. 276 in nota; *Grotius*, Opera theologica 1679, I. 758; *Ewald*, Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3, IV. p. 438; *Winer*, Bibl. Realwörterbuch *ed.* 3, II. p. 382.

ASARELA (אֲשַׂרְאֵלָה, Ἐραήλ), quartus filius Asaph principis cantorum, dux septimae classis cantorum davidicorum (1 Par. 25,2. 14). Nomen eiusdem in v. 14 est Isreela (יִשְׂרְאֵלָה, Ἰσραήλ).

ASARHADDON (אַסַּר־חַדֹּן, Ἀσορδάν), filius Sennacherib, in inscriptionibus cuneiformibus *Asurahiddin*, Tob. 1, 21 LXX Σαχερδονός appellatus. Postquam Sennacherib a duobus filiis suis Adramelech et Sarasar occisus est, Asarhaddon regnum obtinuit (4 Reg. 19,37; Is. 37.38); de modo quo thronum occupaverit, vide ADRAMELECH 2. — Ex Esdr. 4,2 (ubi in *Vulg.* Asor Haddan scribitur) discimus ab Asarhaddon fuisse incolas illos missos in regionem Samariae, de quibus 4 Reg. 17,24 : adduxit autem rex Assyriorum de Babylone et de Cutha et de Avah et de Emath et de Sepharvaim et collocavit eos in civitatibus Samariae pro filiis Israel. Nomina illarum gentium recensentur Esdr. 4,9. Etiam ex inscriptionibus cu-

neiformibus apparet Asarhaddon gentes ex oriente transtulisse in terram Khatti, quo nomine Syria inclusis Phoenicia et Palaestina significatur; subegerat totam Syriam et Phoeniciam ac titulum regis Aegypti sibi usurpabat; inter reges sibi tributarios enumerat Manassen regem Iuda; regnum tenuit 681-668 a. Chr.; anno 668 dignitatem regiam cum filio suo Asurbanipal (Sardanapallo) communicavit et brevi post mortuus est in itinere contra Aegyptum suscepto. Praeterea v. ASENAPHAR et ASSYRIA n. 6.

Cf. *G. Rawlinson*, The five great Monarchies II. p. 185-200; *Ménant*, Annales des rois d'Assyrie p. 239 s.; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. II. 17-22. 40. 61; *Lenormant-Babelon*, Histoire ancienne de l'Orient IV. p. 521 s. II. p. 268 s.; *Brunengo*, L'impero di Babilonia e di Ninive II. p. 72-110; *Maspéro*, Histoire ancienne des peuples de l'Orient *ed.* 4, p. 449 s.; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, IV. 66 s.; *E. Budge*, History of Esarhaddon 1880; *Pannier* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1058-1060.

ASARMOTH (חֲצַרְמָוֶת; Σαρμώθ Gen. 10,26; Ἀραμώθ 1 Par. 1,20) recensetur loc. cit. inter filios Iectan i. e. posteros Iectan. Iectanidae peninsulam arabicam occuparunt. Posteri Asarmoth habitabant in regione Arabiae meridionali, quae nomen vetus hodie quoque retinet scil. *Hadramaut* ad mare arabicum sita inter terram *Yemen* ab occidente et *Mahra* ab oriente conclusa. Ad nomen idem referuntur Χατραμωτεῖται, Χατραμῖται, Atramitae, tribus arabica, de qua mentio fit apud Strabonem (XVI. 4,2), Ptolemaeum (VI. 7,25. 26), Plinium (VI. 28,154. 155. 161; XII. 14,52 : Astramitae). Sunt tamen, qui Chatramotitas ab Atramitis distinguendos esse putent. — Regio est thuris, myrrhae, aloes feracissima, sed ob aeris insalubritatem famosa, unde nomen *atrium mortis*. — Cf. s. v. ADORAM 1.

ASASONTHAMAR v. ENGADDI.

ASBAI (אֶזְבַּי; Ἀζοβαί, sed apud *Swete* B Ἀζωβαί, ℵ Ἀζωβέ, A Ἀζβί) mendose legitur 1 Par. 11,37 : Naarai filius Asbai, sed loco parallelo 2 Reg. 23,35 Pharai de Arbi. Dubium non est, quin illud בֶּן־אַרְבִּי mendum sit pro הָאַרְבִּי i. e. Arabita, de urbe Arab (v. ARAB).

ASBEL (אַשְׁבֵּל, Ἀσβήλ), tertius filius Beniamin (Gen. 46,21), a quo familia Asbelitarum (Num. 26,38). Idem 1 Par. 8,1 recensetur secundus filius Beniamin omisso Bechor; v. BECHOR et etiam IADIEL 1. — Ex iis, quae *F. de Hummelauer* Comm. in Num. p. 185 s. exponit, Asbel idem ac Saharaim (1 Par. 8,8) haberi potest.

ASCALON (אַשְׁקְלוֹן, Ἀσκάλων), una ex quinque urbibus praecipuis Philisthaeorum (Ios. 13,3). A tribu Iuda capta (Iud. 1,18), sed mox a Philisthaeis recuperata est; desideratur iam inter urbes Iuda Ios. 15 recensitas et postea semper Philisthaeorum urbs dicitur; cf. Iud. 14, 19 (facinus Samsonis); 1 Reg. 6,17; 2 Reg. 1,20. Vaticinia prophetarum adversus Ascalonitas aliosque Philisthaeos pronuntiantur (Am. 1,8; Soph. 2,4; Zach. 9,5; Ier. 25,20; 47,5. 7). In inscriptionibus assyriacis tum nomen urbis *Isqaluna* (*Isqaalluna*) legitur tum quattuor regulorum eius (cf. *Schrader*); in tabulis *Tell el-'Amarna* compluries commemoratur *Ashqaluna* (n. 103, l. 14; n. 119, l. 6; n. 121, l. 6; cf. Revue sémitique II. 1894, p. 310). Aetate Persarum urbs Tyriorum erat (cf. *Movers*). Post Alexandrum M. Ascalon sicut omnis Phoenicia et Palaestina Aegypto tributa solvebat (*Flav. Ios.* Ant. XII. 5,4). Inde ab Antiochi III. regis Syriae regno Seleucidis subiecta erat; Ionathas Machab. bis contra eam exercitum movit, sed ab ipsis Ascalonitis honorifice exceptus urbem facili negotio sibi subiecit (1 Mach. 10,86; 11,60; cf. 12,33). Aetate romana Ascalon sua iura suasque leges habebat consentientibus Romanis (*Plinius* V. 13,68 : oppidum Ascalo liberum). Herodes Magnus, qui Ascalone oriundus merito putatur (*Iustin. Mart.* Dial. c. Tryph. 52; *Euseb.* H. E. 1,6 apud *M.* 20, 85), Ascalonitis licet sibi non subiectis balnea, fontes, peristylia exstruxit (*Flav. Ios.* Bell. iud. I. 21,11). Idem Ascalone aulam regiam videtur habuisse; Herode enim mortuo Salome soror eius regiam Ascaloniam ab Augusto accepit, in qua resideret (Ant. XVII. 11,5; Bell. iud. II.

6,3. Bello iudaico anno 66 p. Chr. exorto Ascalonitae et Iudaei inveteratas inter se inimicitias funeste redintegrarunt; Iudaei urbem A. flammis vastarunt Bell. iud. II. 18,1. Ascalonitae Iudaeorum apud se habitantium 2500 interfecerunt l. c. 18,5. Romani vero novum in Ascalonem impetum magna Iudaeorum strage repulerunt l. c. III. 2,1. 2. Reliqua fata urbis breviter indicasse sufficiet. A Muhamedi sectatoribus Sponsa Syriae appellata est; multum de eius possessione a Turcis et equitibus christianis dimicabatur; a Saladino a. 1191 destructa, a Richardo Thymoleonte a. 1192 reaedificata, Saladino a. 1193 reddita, a Saladini successore *Bibars Bondokdar* a. 1270 funditus deleta est.

Ascalon sita erat inter Gazam et Azotum (cf. *Flav. Ios.* Bell. iud. IV. 11,5); distabat a Ierusalem 520 stadiis l. c. III. 2,1. a Gaza 16 mil. pass. (Itinerarium Antonini Augusti *ed. Parthey* et *Pinder* p. 69), a Iamnia 22 mil. pass. (Tabula Peutinger. Segm. X. 1) vel 200 stadiis (*Strabo* XVI. 2,29). Ptolemaeus (V. 16,2) eam urbem maritimam dicit; attamen adhuc saeculo sexto p. Chr. *Majumas* seu portus Ascalonis ab ipsa urbe distinguitur; legitur enim in epistula synodali Ioannis patriarchae hierosolymitani, quae Actis Concilii Constantinopolitani (a. 518) inserta est: Stephanus Majumae Ascalonis i. e. episcopus ab episcopo ipsius urbis distinctus; urbs igitur antiqua a litore paulo remotior erat.

Vinum Ascalonis celebratur ab Alexandro Trallensi (8,3). Cyprus arbor, ex cuius floribus oleum odoriferum parabatur (v. CYPRUS), Ascalone abundabat (*Plin.* XII. 24,109). Praesertim vero urbs peculiari ceparum genere celebris erat, quae a Romanis Ascaloniae vocabantur (*Plin.* XIX. 6, 101-107), unde italicum *Scalogno* et gallicum *escalote, échalote*. — Ibidem colebatur Syrorum dea Derceto (Atergatis), quae faciem feminae cum corpore piscis iungebat (*Diod. Sic.* 2,4; *Herod.* 1,105). — Hodiernum nomen ruinarum urbis est *'Asqalān*.

Cf. *Abulfeda*, Tabula Syriae *ed. Köhler*, p. 78; *Reland*, Palaestina 586-596; *Ritter*, Erdkunde XVI. 70-89; *Raumer*, Palaestina *ed.* 4, p. 173-174; *Movers*, Phoenizier II. 2, 177 s.; *Tobler*, Dritte Wanderung nach Palaestina 1859, p. 32 s.; *Sepp*, Jerusalem *ed.* 2, II. 599 s.; *Guérin*, Judée II. 135-171; Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins II. 164 s.; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 237-247 et *Conder and Kitchener*, Large Map, sheet XIX, Reduced Map, sheet 13; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land p. 189-192; *E. Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes etc. *ed.* 3, II. 92-96; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 189; *Guy le Strange*, Palestine under the Moslems 1890, p. 400-403; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 118 s.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, II. 217; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 299; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 153. 154. De distinctione inter Ascalon et Majuma Ascalonis vide *Antoninus Martyr* [Anonymus] cap. 33 (*ed. Gildemeister* 1889): Ascalona..... civitas Majoma Ascalonitis; *Le Quien*, Oriens christianus III. 602 s.; *Kuhn*, Die städtische und bürgerliche Verfassung des römischen Reichs, 1864-1865, II. 363.

ASCENEZ (אַשְׁכְּנַז, Ἀσχανάζ) recensetur primus inter filios Gomer filii Iaphet (Gen. 10,3; 1 Par. 1,6). Reges Ascenez nominantur Ier. 51,27 simul cum regibus Ararat et Menni, unde concludendum est Ascenez hoc loco designare gentem et regionem prope Armeniam (*Brunengo*) vel Armeniam occidentalem (*Lenormant*). Flav. Iosephus (Ant. I. 6,1) interpretatur eos, qui a Graecis Ῥηγῖνες appellantur; verum quinam hi sint, plane ignotum est. Talmud hieros. (Megillah I. 1) et babyl. (Yoma 10 a) et Targumim (cf. *Neubauer*) intellegi volunt Asiam, Iudaei medii aevi Germanos, quam opinionem *Knobel* adoptans explicat Ascenez de Scandinavia quae proprie vocabatur Scandia, Scandzo, Scanzia, Scanza. Alii e recentioribus interpretantur cum *Bocharto* « Bithyniam, in qua est sinus Ascanius et Ascanius lacus et amnis; et Troadem et Phrygiam minorem, in quibus Ascania regio et urbs et Ascaniae insulae ». Animadvertit *P. de Lagarde* terminatione *az* in lingua (phryg.) armeniaca formari patronymica; unde, quia in Mysia, Bithynia, Phrygia incolebant Ascanii (cf. *Homer.* Il. 2,862 s. 13,793; *Strabo* XII. 4,5 s. XIV. 5,29; *Plin.* V. 31,138; 32,144. 148; *Steph. Byz.* s. v. Ἀσκανία), *Dillmann* existimat Gen. 10,3 intellegendos esse

Ascanios antiquos et Ier. 51,27 illos Ascanios, qui postea ex Phrygia in Armeniam occidentalem immigraverint. In inscriptionibus cuneiformibus *Ashgūza* seu *Ishkūza* cum Ascenez comparari posse censent *Frdr. Delitzsch*, *Schrader*, *H. Winckler*.

Cf. *Brunengo*, L'impero di Babilonia e di Ninive II. p. 494; *Lenormant*, Les origines de l'histoire II. p. 394 et cf. p. 388 s.; *A. Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 309. 310; *Knobel*, Völkertafel 1850, p. 33-43; *Bochart*, Phaleg 3,9; *P. de Lagarde*, Gesammelte Abhandlungen p. 254. 255; *idem*, Armenische Studien n. 143; *Dillmann* ad Gen. 10,3; *Frdr. Delitzsch* apud *S. Baer*, Libri Dan. Ezr. Neh. 1882, p. IX.; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. II. p. 293; *H. Winckler*, Altorientalische Forschungen 6,484 s.

ASCENSIO DOMINI. Christum ex morte redivivum in caelos ascendisse multis locis Novi Testamenti asseritur. Et quidem explicite Marc. 16,19 : et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis assumptus est in caelum et sedet a dextris Dei. Ex Luc. 24,50 s. et Act. 1,9-12 discimus Iesum e monte Oliveti ascendisse, postquam discipulis suis benedixit; « ferebatur in caelum; elevatus est videntibus illis et nubes suscepit eum ab oculis eorum ». S. Paulus dicit Eph. 4,10 eum ascendisse super omnes caelos, Hebr. 6,20 praecursorem Iesum introisse in interiora velaminis i. e. in caeleste sanctuarium; 7,26 dicitur Iesus excelsior caelis factus; 9,12. 24 introisse in sancta, introisse in ipsum caelum ut appareat vultui Dei pro nobis. Idem indicatur Phil. 3,20 : nostra autem conversatio in caelis est, unde etiam Salvatorem exspectamus, et 2 Thess. 1,7 : in revelatione Domini Iesu de caelo; idem indicatur quotiescumque Iesus dicitur sedere a dextris Dei; id synedristis praedixerat (Matth. 26,64; Marc. 14,62), idem discipulis Matth. 24,30 : videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli; idem consequitur, cum ad discipulos loquatur de multis mansionibus in domo Patris, in quam iturus sit ut ipsis locum paret Ioan. 14,2. 3; item Col. 3,1 quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens et vide Act. 7,55; Hebr. 1,3; 8,1; 10,12; 12,2; 1 Petr. 3,22. Est sententia satis communis illos qui in morte Christi apertis monumentis resurrexerint etiam cum Christo glorificatis corporibus ascendisse in caelum (cf. *Knabenbauer*, Comm. in Matth. II. p. 538). In ascensione Christi impletur illud Ps. 109,1 : sede a dextris meis; in ascensione videmus Iesum propter passionem et mortem gloria et honore coronatum (Hebr. 2,9; 4,14). Tamquam praefigurationem quandam eius ascensionis considerare licet quae de Henoch (Gen. 5,24) et Elia (4 Reg. 2,11) in s. litteris commemorantur.

ASCENSUS Acrabim (Scorpionis), Adommim, Bethoron, Gaver, Luith; vide ACRABIM etc.

ASEBAIM v. PHOCHERETH.

ASEDOTH (אֲשֵׁדוֹת plur. fem. nominis אֲשֵׁדָה a radice inus. אשד *fudit, effudit;* Ἀσηδώθ).

1. Asedoth Phasga (Ios. 12,3; 13,20) seu radices montis Phasga (Deut. 3,17; 4,49); cf. etiam Num. 21,15 : אֲשֶׁד הַפִּסְגָּה, *Vulg.* scopuli torrentium, *Gesenius :* loca quo torrentes e montibus feruntur. Asedoth si nomen commune sumitur, significat effusionem torrentium seu loca humiliora in radice montium, hinc radices montis Phasga. Si cum LXX ut nomen proprium sumitur, indicat locum *ʿAyūn Mūsā* i. e. fontes Moysis, qui e rupibus *Djebel Nebā* (Nebo) scaturiunt et aquas suas per *Wādi ʿAyūn Mūsā* in mare Mortuum transmittunt. Eusebius (Onom. *ed. Lag.* 216,2) dicit Asedoth urbem Amorrhaeorum tribui Ruben traditam et additum Phasga explicat λαξευτή i. e. excisa, polita; sed haec minus feliciter.

2. Asedoth (Ios. 10,40; 12,8) non urbem aliquam significat, ut Eusebius (Onom. *ed. Lag.* 217,27) supponit, sed generatim valles torrentibus irrigatas; in contextu enim enumerantur variae regionis partes naturales : montana, planities, Negeb (meridies), solitudo et Asedoth. Designari videntur voce Asedoth clivi abrupte descendentes a monte Iuda ad mare Mortuum et depressionem Iordanis (cf. *F. de Hummelauer* ad Ios. 10,40), sicuti Asedoth Phasga sunt clivi

a Moabitide ad mare Mortuum et depressionem Iordanis descendentes; omnino probabile est idem nomen fuisse clivis illis et occidentalibus et orientalibus.

ASEL (אֶצֶל, Ἐσήλ), filius Elasa ex posteris Cis, Beniaminita 1 Par. 8,37. 38; 9,43. 44.

ASEM (עֶצֶם, in pausa עֶצֶם), urbs tribus Iuda meridiem versus prope fines Edom sita Ios. 15,29 : Esem, Ἀσόμ, postea tribui Simeon assignata Ios. 19,3 : Asem, Ἀσόν et 1 Par. 4,29 : Asom, Αἰσέμ. Situs accuratior ignoratur, sicut etiam aliae urbes Ios. 15,21-32 quoad maiorem partem determinari non possunt.

ASEMONA (עַצְמוֹן, bis cum ה locali, Ἀσεμωνᾶ, Σελμωνά), urbs tribus Iuda Ios. 15,4), ad terminum meridionalem terrae promissae pertinens (Num. 34,4. 5). Describitur terminus ab extremitate australi maris Mortui usque ad torrentem Aegypti et mare Mediterraneum; ultimo loco ante torrentem Aegypti (*Wādi el-'Arīsh*) Asemona ponitur. Si igitur Cadesbarne, ut plerique sentiunt, est *'Ain Qadīs*, Asemona agnosci potest in *'Ain Qaseime* (*Wādi Qaseime*) ad occidentem Cadesbarne; huic opinioni favet Targum Pseudo-Ionathan Num. 34,4 : קסם, pro Asemona (cf. *Trumbull*). Attamen *Riess* praefert *Djebel Helal* magis occidentem versus. Praeterea v. HASSEMON.

Cf. *Trumbull*, Kadesh Barnea p. 117. 289 s.; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 4 b.

ASENA (אֲסֵנָה, Ἀσενά), Nathinaeus, cuius posteri duce Zorobabel e captivitate redierunt (Esdr. 2,50).

ASENA (אַשְׁנָה, Ἄσσα), urbs Iuda in prima provincia Sephelae (Ios. 15, 33); enumeratur post Estaol et Sarea. Correspondere videtur apud Eusebium (Onom. s. v. Ἀσάν, *ed. Lag.* 221,9; cf. 93,8 Bethasan vicus 16 (*S. Hier.* 15) mil. pass. ab Aelia occidentem versus distans. Nunc fortasse *Kefr Hasan* (*G. A. Smith*) vel *'Aslin* (*Legendre*); uterque vicus est in vicinia *Eshū'a* (Estaol) et *Sar'a* (Sarea). — Alia urbs eiusdem nominis hebr. in *Vulg.* scribitur Esna (v. s. v.).

Cf. *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV; *Legendre*, Carte de la Palestine, addito signo ?

ASENAPHAR (אֲסְנַפַּר, Ἀσσεναφάρ) dicitur Esdr. 4,10 magnus et gloriosus, qui transtulit varias tribus in Samariam, inter alias etiam Babylonios, Susanechaeos, Aelamitas. Ex titulis *magni et gloriosi*, quibus honoratur, nomen regis efferri videtur. Asurbanipal (668-626) e regibus Assyriorum primus, quantum ex inscriptionibus hucusque erui potest, penetravit in regionem aelamiticam et Susa quoque occupavit; insuper ipse narrat Aelamitas a se esse e regione Aelam transportatos (cf. *Alden Smith*, *G. Smith*, *H. Gelzer*). Quare in nomine Asenaphar latere Asurbanipal i. e. nomen illud ex quadam corruptione ortum esse putant (cf. *Schrader*, *Delitzsch*). Maior tamen pars populorum, qui Esdr. 4,10 nominantur, iam ab ipsius patre Asarhaddon (vide s. v.) videntur esse translati; quare transportatio adscribi poterat modo Asarhaddon patri modo Asurbanipal filio neque certo dici potest, utrius nomen sub voce Asenaphar lateat (*Vigouroux*).

Cf. *Alden Smith*, Die Keilschrifttexte Assurbanipals, Leipzig 1887-1889, Heft 1, p. 46. 47; *G. Smith*, History of Assurbanipal p. 224 s.; *H. Gelzer*, Die Colonie des Osnappar in Zeitschr. für aegyptische Sprache XIII. 1875, p. 81; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. II. p. 65; *Delitzsch*, Paradies p. 329; *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1080-1082; *idem*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, IV. p. 74. 76 s.

ASENETH (אָסְנַת, Ἀσενέθ, apud *Swete* Ἀσεννέθ), filia Putiphare sacerdotis Heleopoleos, quae a Pharaone Iosepho uxor data est eique duos filios peperit Manassen et Ephraim (Gen. 41,45. 50; 46,20). In nomine Aseneth continetur nomen deae aegyptiacae Neith, quae est socia Ammon, dea sapientiae et artium, quae etiam tamquam mater solis colebatur et tamquam dea belli in urbe Sais veneratione habebat (cf. *Erman*). De explicatione prioris partis nominis variae sunt opiniones. Probabile est *as* dicere sedem, habitationem et Aseneth significare sedem Neith (*Vigouroux*, *Levesque*); cf.

similia nomina composita As Ptah, As Menti, As Hathor (apud *Lieblein*). Alii aliter explicant : quae est (serva) Neith, quae pertinet ad Neith (cf. *Gesenius, Brugsch, P. de Lagarde, G. Steindorff*).

Cf. *Erman*, Aegypten p. 49. 393; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, II. 134; *Levesque* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1082. 1083; *Lieblein*, Dict. des noms hiéroglyphiques n. 193. 241; *Gesenius*, s. v.; *Brugsch*, Geschichte Aegyptens p. 248; *P. de Lagarde*, Mitteilungen III. 229; *G. Steindorff* in Zeitschr. für aegypt. Sprache XXVII. 41. XXX. 51.

De historia apocrypha Aseneth cf. *Vincent. Bellovac.* Specul. histor. II. 118; *Ios. Alb. Fabricius*, Cod. pseudep. Vet. Test. 774-784; *P. Batiffol*, Studia patristica p. 1-115; Revue des études juives XXII. 1891, p. 87.

ASER (אָשֵׁר, Ἀσήρ).

1. Aser filius octavus Iacob ex Zelpha ancilla Liae genitus et a Lia exsultante Aser appellatus (Gen. 30,13) i. e. beatus vel etiam beatificator (*Flav. Ios.* Ant. I. 19,7). Ambo filii Zelphae, Gad primogenitus et Aser, in Mesopotamia Syriae (Paddan Aram) nati sunt (Gen. 35,26). Aser filios habuit Iamne, Iesua, Iessui, Beria et filiam Sara (Gen. 46,17). Iacob moriturus ei benedicit : Aser pinguis panis eius et praebebit delicias regibus (Gen. 49,20). Posteri Aser recensentur 1 Par. 7,30-40.

2. Aser tribus Israel. Describuntur termini Aser Ios. 19,24-31 (cf. *Flav. Ios.* Ant. V. 1,22). Ex quibus colligitur terminos Aser ab occidente fuisse mare Mediterraneum, a meridie Manasse (et Issachar?), ab oriente Zabulon et Nephthali, a septemtrione Phoeniciam. Producitur enim terminus Ios. 19,26-29 a mari prope Carmelum meridiem versus ad flumen Labanath (Crocodilon, *Nahr el-Zerqā*), inde ad terminum Zabulon; adhaeret termino Zabulon occidentali et etiam septemtrionali (seu valli Iephtahel inter Galilaeam superiorem et inferiorem) usque ad Sephat (*Ṣafed*), flectitur aquilonem versus iuxta terminum occidentalem Nephthali, attingit fines Sidoniorum prope introitum Emath (*Merdj ʿAyūn*) et occidentem petens ad meridiem Tyri mare attingit. Hanc finium descriptionem praecedit elenchus quidam 7 urbium (Halcath, Chali, Beten, Axaph, Elmelech, Amaad, Messal), sequitur alius elenchus 5 urbium (Helba, pro qua *Vulg.* de funiculo, Achziba, Amma, Aphec, Rohob); additur unius provinciae summa urbium 22. De his cf. *F. de Hummelauer* (Comm. in Ios. p. 428-435).

Fertilitas terrae tribui Aser praedicta erat a Iacob morituro (Gen. 49,20) et iterum a Moyse : « Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis et tingat in oleo pedem suum. Ferrum et aes calceamentum eius. Sicut dies iuventutis tuae, ita et senectus tua » (Deut. 33,24. 25). Haec ad litteram impleta sunt. Nota est abundantia tritici, hordei ceterarumque frugum terrae praesertim circa Accho et Tyrum. Olei feracissima erat tota illa regio (*Flav. Ios.* Bell. iud. II. 21,2; Vita 13). Ferrum et aes Deut. 33,25 ab aliis explicatur de animo bellico Aseritarum (1 Par. 7,40), ab aliis de firmitate urbium munitarum, ab aliis de abundantia metallorum tanta, ut Aser ferreis, non ligneis utatur portarum claustris; neque tamen Aser in suis finibus habiturus esse fodinas ferri dicitur. Fertilitas praesertim fluviis, rivis, torrentibus debetur, qui de montanis ad mare descendentes permultas valles efformant; ex illis solus Cison torrens (*Nahr Muqaṭṭaʿ*), qui in sinum Ptolemaidis influit, in S. Scriptura nominatur. Planities orae maritimae duobus montibus intersecatur, Carmelo iuxta vallem Cison et Scala Tyriorum media fere inter Accho et Tyrum (*Rās el-Nāqūra* et *Djebel el-Mushaqqah*).

In historia Israelitarum tribus Aser raro partes egit. Princeps tribus anno secundo egressionis ex Aegypto erat Phegiel, filius Ochran (Num. 1,13). Apud montem Sinai de Aser numerabantur 41500 viri, qui arma ferre poterant (Num. 1,40.41), postea in campestribus Moab 53400 viri bello apti (Num. 26,47), tempore Davidis 40000 bellatores, qui in Hebron una cum aliis tribubus Davidi regnum Saul contulerunt (1 Par. 12,36). In castris et in itinere per desertum Aser iuxta Dan et Nephthali locum tenebat (Num. 2,27; 10,26). Oblationes Phegiel principis Aser in dedicationem alta-

ris Num. 7,72-77 recensentur. Inter duodecim exploratores a Moyse in terram Chanaan missos erat de tribu Aser Sthur, filius Michael (Num. 13,14). Inter viros ad terram promissam sorte dividendam electos erat ex tribu Aser Ahiud filius Saloni (Num. 34,27). Post ingressum in terram promissam Aser cum Ruben, Gad, Zabulon, Dan, Nephthali maledictionem in monte Hebal pronuntiavit (Ios. 8,33. 34), ut Moyses mandaverat (Deut. 27,13). Distributione terrae peracta Aser levitis filiis Gerson quattuor civitates Masal, Abdon, Helcath, Rohob cum suburbanis tradidit (Ios. 21,30. 31; 1 Par. 6,62. 74. 75). Monitis Debborae et Barac, ut cum Zabulon et Nephthali contra regem Asor pugnaret, Aser obsecundare detrectavit, unde in cantico Debborae reprehenditur : Aser habitabat in litore maris et in portubus morabatur (Iud. 5,17). Gedeonem tamen in persequendis Madianitis adiuvit (Iud. 7,23). Tempore Salomonis Aser ad nonam praefecturam a Baana filio Husi administratam pertinebat (3 Reg. 4,16). Ezechiae regi omnem Israel et Iuda ad Phase in Ierusalem celebrandum convocanti etiam viri quidam ex Aser acquieverunt (2 Par. 30,11). In symbolica descriptione terrae sanctae apud Ezechielem Aser locum suum occupat et uni ex portis occidentalibus novae Ierusalem nomen suum indidit (Ez. 48,2. 3. 34). De tribu Aser est Anna prophetissa (Luc. 2,36). Ultima denique mentio tribus Aser fit Apoc. 7,6.

3. Aser filius Core v. ASIR 2.

4. Aser urbs in finibus extremis tribus Manasse cisiordanicae (Ios. 17,7). S. Hieronymus cum Eusebio (Onom. *ed. Lag.* 93,28 cf. 222,29) dicit : « Aser civitas tribus Manasse; nunc demonstratur villa descendentibus a Neapoli Scythopolim in decimo quinto lapide iuxta viam publicam ». *Guérin,* Samarie I. 355-357 asserere non dubitat Aser esse hodiernum vicum *Teyasir* circiter 22 km a Neapoli (Sichem) distantem in via, quae *Beisān* (Scythopolim) versus ducit.

Idem censent *Riess,* Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 3; *Legendre,* Carte de la Palestine; *F. Buhl,* Alt. Pal. 1896, p. 204 (« möglicherweise »); Revue biblique IV. 1895, p. 72. 617. Sed *F. de Hummelauer* textum : Fuitque terminus Manasse *ab Aser* (Ios 17,7) emendandum esse putat : Fuitque terminus Manasse *reliquus.*

5. Aser in graeco Tob. 1,2 (Ἀσήρ urbs Nephthali probabilius est Asor urbs Iabin; v. ASOR 1.

ASERGADDA (הצר גדה *pagus Gadda,* Σερί, Α Ἀσεργαδδά), urbs in parte meridionali tribus Iuda (Ios. 15,27). Situs accuratior ignoratur, nisi forte ex eo, quod l. c. simul cum Molada (*Khirbet el-Milh* ad orientem Bersabee) nominatur, coniectura fieri possit. Apud Eusebium (Onom. *ed. Lag.* 245,35) legitur : Gadda in tribu Iuda; est autem hodieque villa in extremis finibus Daromae. Et addit S. Hieronymus (l. c. 127,38) : contra orientem imminens mari Mortuo. Quodsi igitur Asergadda (pagus Gadda) eadem est cum Gadda Eusebii et S. Hieronymi, quaerenda erit inter Molada et mare Mortuum.

ASHUR (אַשְׁחוּר, Ἀσχώ), filius postumus Hesron ex tribu Iuda et pater possessor) Thecuae (1 Par. 2,24). Idem 1 Par. 4,5 vocatur Assur.

ASIA (ἡ Ἀσία). Uti apud scriptores profanos, ita etiam in s. litteris notio Asiae varia est. Nomen in s. litteris primum occurrit 1 Mach. 8,6; appellatur Antiochus III. magnus rex Asiae, i. e. erat rex Syriae et partis maioris Asiae minoris; sed victus a Romanis (189 a. Chr.) regiones a Tauro occidentem versus sitas Romanis cedere debuit. Nihilominus ipse et successores eius titulum regis Asiae retinuerunt, quamvis praeter Syriam solum Ciliciam occuparent. Ita eius successor Seleucus IV. (187-176 a. Chr.) appellatur rex Asiae (2 Mach. 3,3) et 1 Mach. 11,13 Ptolemaeus imposuit duo diademata capiti suo, Aegypti et Asiae (150 a. Chr.); et Tryphon quoque regnare Asiae cupiens Antiochum regem adolescentem occidit et imposuit sibi diadema Asiae (1 Mach. 12,39; 13,32). Anno vero 129 a. Chr. post mortem Attali III. regis pergameni et seditione Aristonici suppressa constituta est provincia romana Asia, qua comprehendebatur Mysia, Aeolis, Lydia, Ionia, Caria. Hae regiones vocabantur quoque Asia propria. Ita intellegitur enumeratio Act. 2,9 s. : qui

habitant Cappadociam, Pontum, Asiam, Phrygiam et Pamphyliam; item 6,9 qui erant a Cilicia et Asia; et 16,6 s.: transeuntes autem Phrygiam et Galatiae regionem vetati sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia; cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam et non permisit eos Spiritus. Sed adverti debet ab anno 49 a. Chr. partem occidentalem Phrygiae attributam esse provinciae Asiae (ita Laodiceae, Apameae, Synnadorum, Eumeniae regiones vel, uti vocari solebant, dioeceses) et ab anno 25 a. Chr. partem meridionalem Phrygiae cum Apollonia, Antiochia, Philomelio aliisque urbibus attributam esse provinciae romanae, quae tunc constituta erat, Galatiae (cf. *Becker-Marquardt*, Handbuch der römischen Alterthümer III. p. 130 s.). Quare Phrygia iis in locis intellegenda erit Phrygia maior vel Asia solum pars Asiae proconsularis. De Asia proconsulari intellegendum erit, si dicitur Paulo per biennium Ephesi commorante omnes qui habitabant in Asia audisse verbum Domini Iudaeos atque gentiles vel potius notione quadam magis indeterminata de provincia Asiae; cf. Act. 19,10. 22. 26; 20,16; 21,27; 24, 19; 27,2; Rom. 16,5; et quia ex Epheso evangelium propagatum erat in reliquas regiones circumiacentes, apostolus scribit 1 Cor. 16,19: salutant vos ecclesiae Asiae. Provincia Asia intellegitur 1 Petr. 1,1 et Apoc. 1,4 et septem illae ecclesiae quae sunt in Asia, Epheso et Smyrnae et Pergamo et Thyatirae et Sardis et Philadelphiae et Laodiceae (1,11) in provincia Asia sitae erant.

Unde *Asianus* est ex Asia (notione explicata) oriundus; ut asiatici designantur Act. 20,4 Tychicus et Trophimus, comites Pauli. Et Trophimus quidem Act. 21,29 Ephesius, ex Epheso oriundus appellatur; fortasse Tychicus quoque ex eadem erat civitate oriundus; cf. Eph. 6,21; Col. 4,7.

I. KNABENBAUER.

ASIARCHAE, Asiae principes Act. 19,31 (τινὲς τῶν Ἀσιαρχῶν) appellabantur magistratus singulis annis circa aequinoctium autumnale in praecipuis urbibus Asiae proconsularis a civibus electi, quorum erat ludos publicos in honorem deorum, Romae, Augusti instituere suis sumptibus. Erant itaque ex nobilissimis ac ditissimis civibus. Qui semel eo munere functi erant, videntur titulum retinuisse. Etiam in aliis urbibus Asiae praecipuis Asiarchas exstitisse testimonio rerum scriptorum et nummorum et inscriptionum constat. Similiter in aliis provinciis nominabantur Bithyniarchae, Galatarchae, Syrarchae, Lyciarchae etc.

Secundum opinionem communem Asiarches idem est, « qui etiam ἀρχιερεὺς τῆς Ἀσίας, magistratus quotannis ex ditissimis provinciae electus, qui et conventui provinciae praeesset et templum a communi Asiae Augusto Pergami dedicatum administraret ludosque cum eo coniunctos ederet. Mox autem plura templa ab eodem communi in pluribus oppidis Caesaribus aedificata sunt exstiteruntque plures ἀρχιερεῖς et Ἀσιάρχαι » (ita *Blass;* similiter *Wetstein*, *Lightfoot*, *Mommsen*, *Marquardt*, *P. Guiraud*, *Vigouroux*, *E. Beurlier*, *Ramsay*). Quam opinionem communiter receptam impugnat *Brandis*, qui multis argumentis contendit Asiarchas fuisse deputatos singularum urbium ad κοινὸν Ἀσίας, ad concilium ordinum provincialium (députés de la province, Landtagsabgeordnete), potuisse complures ex eadem urbe esse Asiarchas, fuisse hoc munus extraordinarium et accessorium ad alia munera vel sacra vel civilia, quibus bene functi a concivibus Asiarchae eligerentur.

Cf. *Blass*, Acta apost., Goettingen 1895, ad 19,31; *Wetstein* ad Act. 19,31; *Lightfoot*, Apostolic Fathers II. 2, p. 987-998 in appendice *The Asiarchate; Mommsen*, Römische Geschichte V. 318 s.; *Marquardt*, Römische Staatsverwaltung I. 513; *P. Guiraud*, Les assemblées provinciales dans l'empire romain, Paris 1887; *F. Vigouroux*, Le Nouveau Testament et les découvertes archéologiques mod. *ed.* 2, 1896, p. 303. 304; *E. Beurlier* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1091. 1092; *Ramsay*, Cities and Bishoprics of Phrygia I. p. 55-58; II. chap. 11; *idem* in Classical Review III. 174 et apud *Hastings*, Dict. of the Bible I. 172; *Brandis* apud *Pauly-Wissowa*, Real-Encyclopaedie der klass. Altert. I. 1564-1578.

ASIEL (עשיאל, Ἀσιήλ), pater Saraia

ex tribu Simeon; unus ex eius posteris nomine Iehu tempore Ezechiae regis vixit (1 Par. 4,35).

ASIMA אֲשִׁימָא, LXX cum terminatione feminina Ἀσιμάθ) idolum est quod viri de Emath (חֲמָת) secum in regionem Samariae transtulerunt (4 Reg. 17,30), de quo tamen idolo nihil notum est neque repertum est in inscriptionibus cuneiformibus. Talmudistae illud forma hoedi vel agni dicunt repraesentari. Alii deum deserti ex voce syriaca explicarunt, alii ad persicum asuman (similiter in lingua zendica açmano) *caelum* recurrerunt. Cum idolum nullibi alias occurrat satius est fateri nos nihil de eo scire: vide *Paul Scholz*, Goetzendienst und Zauberwesen etc. p. 398.

ASINUS. 1. Asini genus tribus nominibus hebraicis in Scriptura designatur. Imprimis חֲמוֹר, i. e. proprie « rufus », communiter asinum domesticum designat; semel etiam pro asina adhibetur (2 Reg. 19,26). Idem asini nomen in aliis linguis semiticis invenitur: aram. חֲמָרָא, assyr. *imēru*, arab. *ḥimār*. Deinde alterum nomen אָתוֹן asinae proprium est, sicut syr. אתן, assyr. *atānu*, arab. *atān*. Tertium עַיִר, sicut idem arabicum nomen (*'ayr*), proprie pullum asini (Gen. 49,11; Zach. 9,9), sed etiam asinum adultum iuniorem significat (Iud. 10,4; 12,14; Is. 30,6 [*Vulg.* iumentorum]. 24). Graecis autem asinus et asina ὁ et ἡ ὄνος, pullus vero πῶλος audit; forma diminutiva asellus ὀνάριον dicitur (Io. 12,14).

Cf. *Fr. Hommel*, Die Namen der Säugethiere bei d. südsemit. Völkern p. 117. 136-139; *V. Hehn*, Kulturpfl. u. Hausthiere *ed.* 6. p. 130 s. 134 s. 562 s.).

2. Asinus et asina saepissime in codice sacro commemorantur atque inde ab aevo patriarcharum partem substantiae magnam apud Hebraeos constituebant (Gen. 12,16; 24,35; 30,43; 32,5. 15; 36, 24; Deut. 28,31; Ios. 7,24; Iud. 6,4; 1 Reg. 8,16; 9,3. 5. 20; 10,2. 14. 16; 12,3; 22,19; Zach. 14,15), sicut etiam apud Sichemitas (Gen. 34,28), Aegyptios (Gen. 47,17; Ex. 9,3), Madianitas (Num. 31,28. 30. 34. 39. 45), Hierichuntinos (Ios. 6,21) Amalecitas (1 Reg. 15,3; 27,9), Syros (4 Reg. 7,7. 10) aliasque gentes (Iob 1, 3. 14; 42,12; 1 Par. 5,21). Asinorum curam rex David speciali contulit praefecto, qui inter « principes substantiae regis » locum suum habebat (1 Par. 27, 30). Numerus autem asinorum multitudini ovium multo inferior erat (Gen. 32, 14 s.; Num. 31,32-35; 1 Par. 5,21; Iob 1,3; 42,12), atque etiam camelorum copiam apud gentes nomades non aequabat (1 Par. 5,21; Iob 1,3; 42,12). At numero boum fere aequalis describitur (Num. 31, 32-35; Iob l. c. Gen. 32,14 s.), et in possessione pauperum exsulum revertentium numerum equorum et mulorum ac camelorum sexies fere superabat (Esdr. 2,66 s.; Neh. 7,68 s.). Generatim una cum bove adeo communis in possessione omnium supponitur, ut ne pupillis quidem pauperibusve deesset (Iob 24,3; cf. Num. 16,15; Is. 1,3; Zach. 9,9; Luc. 13,15; 14,5). Quare etiam in lege mosaica in mandato de non concupiscenda proximi domo bovis et asini specialis mentio habetur (Ex. 20,17; Deut. 5,21) ac varia de ipsis praecepta traduntur (Ex. 13,13; 21,33; 22,4. 9. 10; 23,4. 5. 12; 34,20; Deut. 5,14; 22,3. 4. 10).

3. Usus asini multiplex in sacris libris describitur. Imprimis maximam ad equitandum praestat utilitatem, praesertim in terra aspera et montuosa, ubi firmitate gressus et incessus securitate equis longe antecellit; ac licet nobilitate et velocitate ipsis sit inferior, laboris tamen et famis sitisque ac caloris maxime patiens, nec non « plagarum et penuriae tolerantissimus » atque « exiguo et qualicumque pabulo contentus » (*Colum.* 7, 1), conditioni regionis orientalis quam maxime est accommodatus. Quare a divitibus pariter ac pauperibus ad equitandum adhibebatur (Ex. 4,20; Ios. 15,18. Iud. 1,14; 19,3 ss.; 1 Reg. 25,20. 23. 42; 2 Reg. 17,23; 3 Reg. 2,40; 13,13 ss.), ita tamen, ut asina mari praeponeretur (Num. 22,21 ss.; 2 Reg. 19,26; 4 Reg. 4, 22. 24; Iob 1,3. 14; 42,12; Matth. 21,2. 5. 7). Principibus praesertim asinae candidae subrubrae acceptae erant (Iud. 5,10 צחרות *Vulg.* nitentes), filiique nobilium pullis asinorum insidebant (Iud. 10,4;

12,14). Loco vero sellae probabiliter vestis tantum stragula dorso animalis imponebatur, uti etiam nunc Orientalibus non est insuetum. Licet autem aliquibus gentibus asinus etiam operi bellico inserviret (4 Reg. 7,7. 10; Is. 21,7. Cf. *Herodot.* 4,129; *Strabo* XV, 2,14, *ed. Cas.* 727; *Lepsius*, Denkm. III, 154 etc.), maxime tamen laboribus pacis natus censebatur, ideoque rex pacificus asinae insidens regiam suam ingreditur (Zach. 9, 9; Matth. 21,2 ss.; Marc. 11,2 ss.; Luc. 19,30 ss.; Io. 12,14 ss.).

4. Sicut aliis pacis laboribus, ita maxime etiam oneribus ferendis asinus accommodatus erat (Gen. 22,3. 5; 42,26; 43,18. 24; 44,3. 13; 45,23; 49,14 s.; Ios. 9,4; 1 Reg. 16,20 [ubi tamen pro חֲמוֹר potius חֹמֶר γόμορ legerunt LXX, עֲשָׂרָה corrigunt *Wellhausen, Driver,* al.]; 25, 18; 2 Reg. 16,1. 2; 1 Par. 12,40; Neh. 13,15). Quare Siracida sortem asini describens ait « cibaria, virga et onus asino » (33,25; cf. Prov. 26,3). Praeterea in colendo agro asinus suam praestabat operam (Deut. 22,10; Is. 30,24; 32,20. Cf. Gen. 49,11; Ex. 23,12), id quod pro Hebraeis etiam Iosephus Flavius testatur (c. Apion. 2,7) aliorumque pariter populorum usus habet (*Varro,* De re rust. 2,6; *Colum.* 7,1; *Plin.* VIII, 43, 167, al.). Denique « molarum et conficiendi frumenti paene sollemnis huius pecoris labor » (*Colum.* ib.) in Evangelio supponitur, ubi de « mola asinaria » (μύλος ὀνικός) sermo est (Matth. 18,6; Marc. 9,41 gr. 42).

5. Propter magnam quam praestat utilitatem asinus maiore in Oriente quam alibi honore ac cura dignus habetur; atque etiam forma et habitu illic fratribus suis occidentalibus longe praestat. Verba igitur, quibus Iacob moribundus Issachar « asino forti » (חֲמֹר גָּרֶם *asinus ossium*) comparat (Gen. 49,14), per se nihil minus honorifici habent, sicut etiam apud Homerum similis comparatio legitur (Il. 11,558-565) et apud Graecos (Ὀνόσανδρος), Romanos (Asina, Asinius), Arabes (Mervan II. « asinus Mesopotamiae ») denominatio ab asino nihil dedecoris habebat. Ex sequenti tamen de Issachar versu aliqua saltem etiam in illa comparatione avaritiae atque ignaviae nota videtur indicari, praesertim si cum *F. de Hummelauer* loco ח״ גָּרֶם lectio codicis samaritani ח״ גֵּרִים *asinus peregrinorum* praeferenda censeatur (Comment. in h. l.).

6. At licet ex utilitate varia, quam praestat, honorem aliquem asinus in Oriente consecutus sit, nihilominus inter animalia impura locum suum habet, ideoque primogenitus asini ove mutandus praecipitur (Ex. 13,13; 34,20) neque in cibum nisi gravissima urgente fame assumebatur (4 Reg. 6,25). Ad venerem pronus censebatur (Ez. 23,20; cf. 16,26), ideoque apud paganos diis naturae sacer erat (cf. *F. C. Movers,* Phoenicier I. 365. 383); immerito tamen eius cultus Iudaeis (*Ios. Fl.* c. Apion. 2,7, al.) ac postea Christianis imputatus est. Denique mortuus, sicut aliorum animalium cadavera, extra portam canibus et avibus aliisque bestiis devorandus proicitur; quare Dominus regi Ioakim imprecatur : « sepultura asini sepelietur, putrefactus et proiectus extra portas Ierusalem » (Ier. 22,19). Talis asini secus viam iacentis maxillam invenit Samson eaque mille Philistaeos percussit (Iud. 15,15 ss.).

7. Ex dictis apparet, antiquis Hebraeis inde a prima patriarcharum aetate (Gen. 12,16) asini usum domesticum notum fuisse, cum apud Graecos et Romanos aliasque gentes posteriore tantum tempore memoretur (v. *Hehn* l. c.). Atque id quidem cum iis, quae ex scientia naturali constant, omnino concordat. Auctores enim probabile censent, asinum (*Equus asinus* Linné) ab *Equo taeniopo* Heuglin seu asino desertorum africanorum, qui regionum inter Nilum et oceanum indicum indigena est, ortum esse, quamquam alii potius ab onagro desertorum Asiae centralis et Persiae ipsum derivent. Certo Aegyptiis finitimisque populis notissimum fuisse domesticum asini usum, monumenta varia inde a primis saeculis testantur (*Lepsius*, Denkm. II. 9. 15. 43 a. 47 51 etc., 127. 131. 132 etc. Cf. Tab. *Tell el-'Amarna, ed. H. Winckler* 25,29; 51,23). Apud Assyrios autem in monumentis quidem sculptis imago asini nondum videtur reperta esse; in inscriptionibus vero cuneiformibus, sal-

tem posterioribus, frequens eius mentio occurrit (*Sargon* Khorsab. l. 184; *Asarhaddon* Prism. A et C, col. 1,26; 4,17; 6,47 etc.), atque etiam in antiquissimis inscriptionibus asinus domesticus notus supponitur (*Fr. Hommel*, Die semit. Völker u. Sprachen p. 400. 402 s.). Eaedem inscriptiones specialiter regionem damascenam « terram asinorum » (*mat imerishu* appellant (cf. DAMASCUS). Ex istis autem regionibus, scil. sive ex Africa sive ex Asia centrali, per Syriam minorem in Graeciam asinus videtur esse propagatus (*Hehn* l. c. 130; *Hommel*, Namen d. Saugeth. 137 s.).

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. I. 181-228, *ed. Roseum* I. 148-209; *Fr. I. Schoder*, Hieroz. Spec. 3,64-86; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2 p. 41-54; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griechen u. Römer, Gotha 1856, p. 208-211; *I. Lewysohn*, Zool. d. Talmuds, Frankf. a. M. 1858, p. 22 s. 140-142; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, p. 38-41; *id.* Fauna and Flora of Pal. p. 2; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9,19-23; *Leunis-Ludwig*, Synopsis *ed.* 3, I. 1 p. 271; *A. E. Brehm*, Tierleben, *ed.* 3 *Pechuel-Loesche* III. 68-75; *W. Houghton*, On the Mammalia of the Assyr. Sculpt. in Trans. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, 48-50; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs III. 300 s.; *G. Rawlinson*, Five great Monarchies *ed.* 4, I. 233; *A. Erman*, Aegypten 648 s. 652. 699; *I. G. Wood*, Bible Animals 264-79; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere I. 1 p. 444-8; *A. Zeller*, Pferd, Esel u. Hund in d. h. Schrift, Plauen 1890; *G. Schweinfurth*, in Verh. Ges. f. Anthrop. 1897, 269.

L. FONCK.

ASIONGABER (עֶצְיוֹן־גֶּבֶר), Γεσιὼν Γάβερ, Γασίων Γαβέρ et in *Cod.* A 3 Reg. 22,49 Ἀσεὼν Γαβέρ, urbs Idumaeae in termino aquilonari sinus Aelanitici, ut elucet ex indicatione generali 3 Reg. 9,26 : iuxta Ailath in litore maris Rubri in terra Idumaeae. Ibi castrametati sunt Israelitae et inde in desertum Sin Cadesbarnen profecti sunt (Num. 33,35). Anno quadragesimo migrationis de monte Hor iter meridiem versus direxerunt i. e. versus Elath et Asiongaber, ut montes Edom haud procul ab illis urbibus circumirent (Deut. 2,8; cf. Num. 21,4); sunt tamen qui putent Deut. 2,8 priorem illam castrametationem summario modo in memoriam revocari, alteram profectionem de monte Hor versus Elath et Asiongaber non esse admittendam (*Vigouroux* in Dict. de la Bible I. 1097 s.). In portubus Asiongaber et Elath Salomon classem habebat et inde naves eius in Ophir navigabant (3 Reg. 9,26-28; 2 Par. 8,17. 18; cf. 3 Reg. 10,22; 2 Par. 9,21). Rem nauticam a Salomone feliciter inauguratam Iosaphat rex Iuda cum Ochozia rege Israel sociatus instaurare conatus est, sed eius classis in Asiongaber tempestate confracta est, ut ei prophetaverat Eliezer : quia habuisti foedus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua (3 Reg. 22,49; 2 Par. 20,35-37). — Vestigium urbis nullum exstat, quaerenda est prope *'Aqaba* (Aelath, Aila) in termino boreali sinus Aelanitici et probabilius quidem iuxta litus occidentale, ut urbs ab Aelath distincta cum portu distincto. Neque enim cum textu sacro sufficienter conciliari potest Asiongaber fuisse ipsum portum urbis Aelath (*Ewald*, Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3, III. 360) neque Asiongaber fuisse meridiem versus ab Aelath cum portu intermedio communi iuxta litus orientale (*Kneucker* apud *Schenkel*, Bibel-Lexicon II. p. 256). Geographi quoque arabici tradunt magnam pulchramque urbem *'Asiūn* olim prope Ailam sitam fuisse (cf. *Gesenius*, Thesaurus p. 1057; *Vigouroux* l. c.). Ex *Chabas*, Voyage d'un Egyptien au quatorzième siècle avant notre ère, Paris 1866, p. 284 discimus in papyro hieratico, quo illud Aegyptii itinerarium describitur, urbem munitam *Uzaina* memorari, qua voce primum elementum nominis hebraici exprimitur. Eusebius et S. Hieronymus Asiongaber agnosci ferunt in Αἰσία, Essia haud procul ab Aila iuxta mare Rubrum (Onom. *ed. Lag.* 227,44; 97,21). Apud Flav. Iosephum legitur Ant. VIII. 6,4 : Γασίων Γάβελος οὐ πόῤῥω Ἰλάνεως πόλεως, ἥ νῦν Βερενίκη καλεῖται (*ed. Niese*); verum Iosephus portum classis salomonicae confundere videtur cum Berenice urbe in litore Nubiae sita, de cuius ruinis vide *Ritter*, Erdkunde I. 724.

Ceterum v. AELATH.

ASIR (אַסִּיר), Ἀσίρ, Ἀσήρ, Ἀσείρ.

1. Filius Iechoniae paenultimi regis

Iuda (1 Par. 3,17). Sed dubium est, utrum textus hebraicus vertendus sit : Filii Iechoniae fuerunt Asir, Salathiel etc. an forte : Filii Iechoniae *captivi* (scil. Babylone) fuerunt Salathiel etc.

2. Filius Core ex tribu Levi (1 Par. 6, 22[7]). Idem Ex. 6,24 vocatur Aser; v. ASER 3.

3. Filius Abiasaph fratris Asir 2 (1 Par. 6,23. 37 hebr. 6,8. 22).

ASLIA (אַצַלְיָהוּ, Ἐζελίας), pater Saphan scribae tempore Iosiae regis (4 Reg. 22,3). Idem 2 Par. 34,8 vocatur in *Vulg.* Eselias (Ἐσελίας).

ASMODAEUS (אשמדאי in textu chald., אשמדי in versione hebr.; cf. *Neubauer*, The book of Tobit, 1878, p. 6. 23; Ἀσμοδαῖος), daemonium Tob. 3,8 (graece etiam 3,17). Vocem plerumque derivant a שָׁמַד destruere, ita ut hoc daemonium eadem notione designetur, qua in Apoc. 9,11 Abaddon, Apollyon seu Exterminans; alii ex lingua persica « vehementer appetentem » explicant. Utrum Asmodaeus sit ipse princeps omnium daemonum an daemon quidam inferioris ordinis, non liquet. Asmodaeum septem viros, qui Ecbatanis in Media filiam Raguelis deinceps uxorem duxerant, ante consummatum matrimonium occidisse ab auctore libri Tobiae 3,8 explicite affirmatur. Ab iis autem, quae sacer auctor clare dicit, distinguenda sunt ea, quae Tobias iunior teste s. auctore fando audivit. Tobias enim angelo Raphaeli comiti suo narrat, quid fando audiverit scil. illos septem viros a daemonio esse occisos (6,14); insuper secundum textum graecum 6,15 fando audivit Asmodaeum Sarae amore captum ex aemulatione illos septem viros occidisse. Iamvero in longiore admonitione 6,16 s. Raphael priorem partem illius rumoris confirmat scil. septem viros a daemonio occisos esse, reliqua de amore et aemulatione mali spiritus nullo verbo commemorat. Quare Deus talem potestatem Asmodaeo concesserit, ratio redditur quia coniugium sola libidine suscipere volebant Deum a se et a sua mente excludentes (6,16. 17); idque omnino congruit cum verbis Christi Ioan. 8,34 : omnis qui facit peccatum, servus est peccati (cf. 2 Petr. 2,19; 1 Ioan. 3,8). Quod autem angelus Raphael daemonem expellendum esse dicit incenso corde (6,8) vel iecore (6,19) piscis et quod Tobias angelo obsecundans partem iecoris adhibuit (8,2; textus graecus 6,8. 19 et 8,2 de corde et iecore simul loquitur), ad superbiam daemonis retundendam spectat, qui adhibita re tam exigua expellitur. Daemon utique non ipso iecore fugatur neque opus est dicere illam actionem externam fuisse causam instrumentalem, sicut in Sacramentis Ecclesiae causas instrumentales agnoscimus; sufficit actio symbolica. Illo igitur signo exhibito virtute angeli daemon apprehensus arcetur et in desertum Aegypti superioris relegatur (9,3). Cum non detrudatur in abyssum inferni, idem ei ab angelo Raphael conceditur, quod daemones a Christo petierunt, ne imperaret illis, ut in abyssum irent (Luc. 8,31), ne se expelleret extra regionem (Marc. 5,10), sed in gregem porcorum mitteret (Matth. 8,31). Desertum autem Aegypti Asmodaeo assignatur, tum quia ibi satis remotus est a domicilio Sarae et populo electo, tum quia commoratio in locis desertis, aridis, vastis maxime ad indolem daemonum congruit (cf. Matth. 12,43; Luc. 11,24; Apoc. 18,2).

Quae in libro Tobiae de Asmodaeo narrantur, neque sunt persicae originis neque aliquid commune habent cum fabulis Talmudicorum de Ashmedai principe omnium Shedim seu potestatum, quem a Sammael principe omnium daemonum distinguunt.

Cf. *Gutberlet*, Das Buch Tobias 1877, p. 119 s. 225 s.; Theolog. Quartalschrift, Tübingen 1856, p. 422 s.

ASMONAEI v. MACHABAEI.

ASNAA (הַסְנָאָה cum articulo, Ἀσανά). Filii Asnaa post captivitatem portam piscium aedificaverunt ad septemtrionem urbis Ierusalem (Neh. 3,3). Asnaa haud dubie non est nomen viri, sed urbis Senaa (סְנָאָה) addito articulo; cf. Esdr. 2,35; Neh. 7,38. V. SENAA.

ASOM (אָצָם). **1.** Sextus filius Isai patris David (Ἀσάμ 1 Par. 2,15).

2. Filius Ierameel ex posteris Iuda (Ἀσάν 1 Par. 2,25).

3. Nomen urbis; v. ASEM.

ASOR (חָצוֹר a rad. inus. חָצַר *circumdedit*, unde חָצֵר *septum, pagus*), nomen variarum urbium. Eadem radix deprehenditur in nominibus Asergadda, Baalhasor, Enhasor, Haseroth, Hasersual etc. et hodie quoque conservatur in compluribus nominibus locorum *Hazīre, Haḍīre, Hazūr, Huzzūr*.

1. Asor, Hasor, Heser (Ἀσώρ), urbs principalis et munitissima Chananaeorum septemtrionalium, quam Iosue Iabin regi eripuit et incendio delevit (Ios. 11,1. 10. 13; 12,19); Flavius Iosephus (Ant. V. 1,18) dicit proelium commissum esse prope Berotham oppidum Galilaeae superioris non procul a Cedesa. Asoritae urbem mox restituerunt, ut ex ulterioribus notitiis historicis patet. Asor tribui Nephthali attributa est (Ios. 19,36). Tempore Debborae alter Iabin rex Asor Israelitas septemtrionales in servitutem viginti annorum redegit, sed a Barac prope torrentem Cison devictus est (Iud. 4,2 s.; 1 Reg. 12,9 et v. IABIN); Flavius Iosephus (Ant. V. 5,1) eundem eventum referens addit Asor sitam fuisse super Semechonitidem lacum (*Ḥūle*). A Salomone Asor (Ἐσέρ 3 Reg. 9,15) munita est una cum Mageddo et Gazer. A Theglathphalasar simul cum Cedes expugnata est (4 Reg. 15,29; *Flav. Ios.* Ant. IX. 11,1). Probabilius etiam Ἀσήρ, quae Tob. 1,2 LXX in vicinitate Cedes (Κυδίως) Nephthali ponitur et in *Vulg.* Naasson appellatur, est nostra Asor. Ultima denique urbis mentio fit 1 Mach. 11,67 s. (ubi lectio erronea Νασώρ, facile explicatur ex littera finali praecedentis πεδίον); Ionathas Mach. a lacu Genesareth summo mane profectus in campo Asor cum exercitu Demetrii II. Nicatoris proelium commisit et victoria parta Syros usque ad Cades, ubi castra posuerant, persecutus est; cf. *Flav. Ios.* Ant. XIII. 5,7. — Ex his colligitur Asor inter lacum Genesareth et Cedes Nephthali nec procul a lacu *Ḥūle* fuisse. De situ accuratius determinando duae praesertim opiniones in quaestionem veniunt. *Robinson* assignat *Tell el-Khureibe* collem ad occidentem lacus *Ḥūle* et meridiem Cedes Nephthali. E contra *Guérin* assignat *Tell el-Harrawe* seu *Harra* collem inter Cedes et lacum *Ḥūle*. Hic alter situs (*Guérin*) a priore (*Robinson*) unius horae spatio distat et lacui *Ḥūle* propinquior est; hinc magis commendatur verbis Ios. 11,13 et Flavii Iosephi (Ant. V. 5,1), quibus Asor supra collem lacui imminentem exstructa fuisse supponitur. Alii (*Schürer, Conder, Zanecchia*) nomen antiquum conservatum vident in *Merdj Haḍīre* et *Djebel Haḍīre*; sed planities et mons *Haḍīre* nimium occidentem versus a lacu *Ḥūle* absunt, quam ut documentis allatis satisfaciant et praeterea similitudo nominis non multum valet, quoniam huius nominis loca satis frequentia sunt.

Cf. *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 479-481; *Guérin*, Galilée II. 363-368; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 204. 237 s.; *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, I. 236; *W. Max Müller*, Asien und Europa p. 173; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 709-711; *Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 236; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v., qui cum *Guérin* consentit.

2. Asor (Ἀσοριωνάιν), urbs in parte meridionali tribus Iuda (Ios. 15,23). Enumeratur inter Cades et Iethnam. LXX Asor et Iethnam pro una urbe habuerunt. Situs ignoratur. *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 182 suggerit *Ḥuḍēre* inter *Khirbet Maʿīn* (Maon) et *Tell ʿArād* (Arad).

3. Asor nova (חָצוֹר חֲדַתָּה, LXX omittunt), urbs in parte meridionali tribus Iuda (Ios. 15,25). Vocatur nova, ut ab Asor v. 23 distinguatur. Notat *Rosenmüller*, Scholia in Vet. Test. ad hunc locum : « Sane חֲדַתָּה est chaldaice pro חֲדָשָׁה..... Quod autem hoc adiectivum aramaicae est formae, factum est forsan hinc, quod oppidum illud a Phoeniciis aut Syris huc delatis conditum fuerit ». Eusebius (Onom. *ed. Lag.* 217,31) mentionem facit villae tribus Iuda Asor in finibus Ascalonis contra orientem sitae eamque a Scriptura appellari dicit novam ad distinctionem veteris Asor regni Iabin. His Eusebii verbis adductus *V. Guérin* (Judée II. 67) vicum *Yāsūr* ad orientem Azoti et ab Ascalone inter

septemtrionem et orientem situm pro nostra Asor nova habet. Sed hoc admitti nequit; nam Asor nova non iuxta Ascalonem vel Azotum in Sephela, sed in extremis partibus Iuda iuxta terminos Edom a meridie (Ios. 15,21) quaerenda est. Situs accuratior determinari nequit.

A. Legendre apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1110 Asor novam componere non dubitat cum *Azuru*, quam Sennacherib in expeditione contra Ezechiam regem Iuda expugnavit; cf. Prisma hexagonum Taylor col. II. 66; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. 281. 285; *F. Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, IV. p. 26. 34 n. 2.

4. Asor (Ios. 15,25; *Vulg.* Hesron, haec est Asor; LXX Ἀσερὼν αὕτη Ἀσώρ) v. CARIOTH 1.

5. Asor (Ἀσώρ), urbs a Beniaminitis habitata post reditum ex captivitate (Neh. 11,33). Enumeratur inter Anania (*Beit Ḥanīna*) et Rama (*el-Rām*). Censetur esse *Khirbet Hazzūr* ad septemtrionem Ierusalem prope *Beit Ḥanīna* nec procul ab *el-Rām*.

Cf. *Legendre*, Carte de la Palestine et apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1111; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 8. 43. 114; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV.

Alii vero hanc Asor eandem ac Baalhasor (vide s. v.) esse volunt, ut *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 177; *Gesenius-Buhl*, Hebr. Handwörterbuch *ed.* 13, p. 117 a, 271 b; *Siegfried-Stade*, Hebr. Wörterbuch 1893, p. 218 a (addito signo?).

6. Asor (Ier. 49,28. 30. 33). In oraculo de Arabibus habitatores Asor admonentur, ut fuga se abscondant, quia Nabuchodonosor Deo iubente eos aggredietur; greges eorum ab invasore rapientur, ipsi in omnem ventum dispergentur, Asor erit deserta. LXX (30,6 s.) pro חָצוֹר legentes חָצֵר verterunt αὐλή. Chaldaeus et Syrus cum Vulgata vertunt Asor. Unde aliqui Asor urbem vel regionem in Arabia quaerunt. Sed sine dubio communior explicatio retinenda est, quam *Knabenbauer* in Ier. 49,18 tradit: Asor, Hazor nullibi occurrit tamquam nomen regionis arabicae; generatim nomen explicant Is. 42,11 חֲצֵרִים de iis Arabum tribubus, quae habitent in חֲצֵרִים in parvis vicis. Potuit igitur Hazor eam designare regionem, in qua aliquae tribus sedem stabilem ac domicilium collocarant. Solent enim inter Arabes distingui ii, qui nomadum more vivunt et ii qui certas sedes incolunt; illi hodiedum appellantur *Wabarīye*, hi vero *Hadarīye*, in qua voce חָצֵר facile deprehendes (cf. *Delitzsch* ad Is. 42,11).

ASOTH (עַשֹּׂת, Ἀσίθ), filius Iephlat ex tribu Aser (1 Par. 7,33).

ASPHAR (λάκκος Ἀσφάρ, *Vulg.* lacus Asphar; rectius vertitur: cisterna Asphar). Iuda Machabaeo devicto et occiso Ionathas et Simon fratres eius cum suis in desertum Thecuae se receperunt, ut insidias Bacchidis Syrorum ducis effugerent et iuxta cisternam Asphar morabantur (1 Mach. 9,33). Thecua (*Teqūʿa*) est ad meridiem Bethlehem, desertum Thecuae usque ad mare Mortuum se extendit. Unde aliqui (v. g. *Guérin*, Judée III. 145) existimabant pro lacu Asphar legendum esse lacum Asphaltiten. Sed etiam Flavius Iosephus hunc eventum referens dicit (Ant. XIII. 1,2) . τὸ ὕδωρ τὸ καλούμενον λάκκου Ἀσφάρ, dum alias mare Mortuum ipsi est ἡ Ἀσφαλτῖτις λίμνη. Accedit quod λάκκος non recte vertitur lacus, sed potius cisterna vel puteus. *Riess* (Bibel-Atlas) innuit puteum *Bīr el-Zaʿfarānī* 5 km ad meridiem *Teqūʿa* situm; eidem opinioni favet *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1123.

ASPHENEZ (אַשְׁפְּנַז, *Theod.* Ἀσφανέζ, LXX Ἀδιεσδρί), praepositus eunuchorum (Dan. 1,3), cui Nabuchodonosor commisit curam et institutionem iuvenum nobilium Iudaeorum, qui etiam nomina babylonica Danieli eiusque sociis imposuit. Ipse super Daniel eiusque socios constituit Malasar, qui eorum curam haberet. Nomen explicat *Lenormant* (Divination chez les Chaldéens p. 182) partim in auxilium vocans formam a LXX traditam: Ashpenazar i. e. Assa-ibni-zir i. e. domina (Istar ninivitica) formavit germen.

Cf. *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, IV. p. 279. Praeterea v. *P. de Lagarde*, Mittheilungen I. 225; *Halévy*, Jour-

nal asiatique VIII. 2,282; *Nestle*, Marginalien 38.

ASPIS ponitur in Vulgata imprimis pro hebr. פֶּתֶן, quod designat serpentem maxime venenosum (Deut. 32,33; Iob 20, 14. 16. Cf. Ps. 13[14],3 *Vulg.* et LXX, ubi in textu massorethico omittitur; Rom. 3,14 ὧν ἀσπίδων), in foraminibus degentem Is. 11,8, super quem incantatores artem suam exercebant (Ps. 57[58],5). In Ps. 90[91],33, ubi *Vulg.* cum LXX vertit « super aspidem et basiliscum ambulabis », textus massorethicus legit עַל שַׁחַל וָפֶתֶן i. e. super leonem et aspidem. Praeterea aspis in Vulgata exponitur etiam hebr. עֲכָשִׁיב, quod semel tantum Ps. 139[140],4 occurrit, et צִפְעֹנִי in textu Is. 59,5, quod alibi *regulus* explicatur.

De significatione nominum hebraicorum aliisque v. SERPENS.

L. FONCK.

ASRAEL (אַשְׂרְאֵל, Ἐσρήλ, B Ἰσραήλ, A Ἐσραήλ), unus ex filiis Iaheleel de tribu Iuda (1 Par. 4,16).

ASRIEL (אַשְׂרִיאֵל, Ἐσριήλ), filius Galaad filii Machir filii Manasse, a quo familia Asrielitarum (Num. 26,31), quibus sors et possessio assignabatur cum aliis ex tribu Manasse in Chanaan (Ios. 17,2; *Vulg.* filiis Esriel, LXX τοῖς υἱοῖς Ἰεζριήλ). Idem 1 Par. 7,14 (*Vulg.* Esriel) nominatur filius (i. e. pronepos) Manasse. Verum ex opinione, quam *F. de Hummelauer* nuperrime defendit, Asriel est primogenitus Manasse ex uxore forte aegyptia et progenitor sacerdotum praemosaicorum.

Cf. *F. de Hummelauer*, Commentarius in Numeros p. 176 s. et Das vormosaische Priesterthum in Israel, Freiburg 1899.

ASSEDIM (הַצִּדִּים cum articulo; LXX τῶν Τυρίων), urbs munita tribus Nephthali Ios. 19,35). LXX videntur legisse הַצֻּרִים i. e. Tyrii. Assedim in Talmude hierosolymitano (Megillah 1,1) vocatur *Kefar Hittaya*, cui respondet hodiernum *Ḥaṭṭîn* ab occidente Tiberiadis et a septemtrione Cornuum *Ḥaṭṭîn Qarn Ḥaṭṭîn* situm (cf. *Survey of West. Pal.*, *Neubauer*). Alii praeferunt vicum *el-Sattîye* paulo magis septemtrionem versus ad *Wâdi el-'Amûd* situm (*Furrer*). Descriptionem topographicam vide apud *Robinson*, *Guérin*, *A. Frei*, *D. Zanecchia*, qui Assedim ibidem fuisse gratis asseri censet. — Verumtamen *F. de Hummelauer* contendit Ios. 19, 35-38 non esse clenchum urbium Nephthali, sed potius arcium Tyriorum (vel generatim Phoenicum) per Galilaeam et regionem transiordanicam et 19,35 eiusdem clenchi inscriptionem : civitates munitissimae Assedim i. e. Tyriorum (LXX; Syrus צידן i. e. Sidoniorum). Reapse primo loco enumeratur Ser (צר), quam vocem LXX et Syrus interpretati sunt : Tyrus. Neque tamen affirmat *F. de Hummelauer* illas urbes totas fuisse in potestate Phoenicum (praeter Tyrum, quae primo loco honoris causa recensetur), sed Phoenices in illis habuisse praesidia munita.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. I. 360. 365; *A. Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 207; *Furrer* in Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins II. 1879, p. 58; *Robinson*, Palaestina III. 496; *Guérin*, Galilée I. 193; *A. Frei* in Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins IX. 1886, p. 142; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 660-662; *F. de Hummelauer* ad Ios. 19,35-38.

ASSEM v. IASSEN.

ASSIDAEI (Ἀσιδαῖοι) nomen est idem quod חֲסִידִים i. e. pii cultores Dei, sancti, donati gratia; cf. Ps. 30,5; 31,24; 37,28 etc. Eo nomine appellabantur, qui contra mores Graecorum obnitentes accuratam legis mosaicae observationem tuebantur et propagabant. Cum Machabaei patrios mores ac religionem contra Antiochum IV. Epiphanem defenderent, iis sese etiam adiunxerunt Assidaei (1 Mach. 2,24, ubi in textu quoque graeco lectio συναγωγὴ Ἀσιδαίων genuina est). Neque tamen nomen hoc idem est, quod omnibus indatur, qui a partibus Machabaeorum dimicabant fideles legis defensores; nam 1 Mach. 7,13 Assidaei cum scribis exquirebant pacem a Syris, dum Iudas et fratres eius sermonibus Syrorum non intenderunt, sed dolum subesse verbis pacificis recte suspicati sunt. Et revera Alcimus, qui summus sacerdos a Deme-

trio I. Sotere constitutus erat (7,9), Assidaeos decepit et occidit ex eis sexaginta viros in una die (7,16). Idem Alcimus, qui voluntarie coinquinatus erat temporibus commistionis (2 Mach. 14,3), omnes Iudaeos foederis legisque observantes apud Demetrium accusat : Ipsi qui dicuntur Assidaei Iudaeorum, quibus praeest Iudas Machabaeus, bella nutriunt et seditiones movent nec patiuntur regnum esse quietum (2 Mach. 14,6). — Aliqui putant Assidaeos esse eosdem, qui mox postea pharisaei appellabantur; cf. *Schürer,* Geschichte des jüd. Volkes *ed.* 3, II. 404.

ASSON. 1. Urbs (ἡ Ἄσσος, *Vulg.* in Asson) et portus Mysiae exadversus Lesbum insulam ad sinum Adramyttium sita, ubi S. Paulus Corintho Hierosolyma proficiscens S. Lucam aliosque comites sibi adiunxit (Act. 20,13. 14). Legitur apud *Plinium* V. 30,123 : Assos, eadem Apollonia. Distabat a Troade 19 mil. pass. (Tabula Peutinger. Segm. IX. 2). Situm urbis hodie occupat *Behram Kalessi*.

Cf. *Quandt,* De Asson, Regiom. 1710; *I. I. Amnell,* De Ἄσσῳ, Upsal. 1758; *I. F. Clarke,* Report on the Invest. at Assos, Boston 1882; Papers of American School of Classical Studies at Athens I. p. 1-90; *Pauly-Wissowa,* Real-Encycl. der klass. Altert. I. 1748-1750; *Le Camus,* Notre voyage aux pays bibliques, t. III. p. 169.

2. In *Vulg.* Act. 27,13 legitur : cum sustulissent de Asson, legebant Cretam. Sed textus graecus vertendus est : cum sustulissent videlicet anchoras, propius (ἄσσον comparativus ad ἄγχι) legebant Cretam; quam proxime igitur ad oram Cretae insulae cursum navis dirigebant. Fuit quidem in Creta oppidum nomine Asium (Asus, Asum), non tamen maritimum, sed mediterraneum (*Plin.* IV. 12, 59).

ASSUERUS (אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ, Ἀσσούηρος) Esdr. 4,6 et in libro Esther (1,1 s., ubi LXX habent Ἀρταξέρξης) est Xerxes I. rex Persarum. In initio regni eius, ergo mox post annum 485, scripserunt Samaritani iterum accusationem contra habitatores Ierusalem; quam tamen rex sprevisse videtur, cum Esdr. 4,6 nihil ultra de ea referatur. Xerxes luxui deditus statim ab initio regni bello aegyptiaco, dein praeparatione belli graeci occupatus erat; quare explicatur, cur de parva regione Iudaeorum haud sollicitus fuerit. Uti Herodotus (7,8) narrat, Xerxes post bellum aegyptiacum i. e. tertio anno regni sui, cum Graecis bellum inferre meditaretur, concilium nobilium Persarum celebre convocavit (σύλλογον ἐπίκλητον Περσέων τῶν ἀρίστων ἐποιέετο); id quod omnino congruit cum Esth. 1,3 : tertio anno imperii sui fecit grande convivium cunctis principibus etc.; ad quod convivium cum Vasthi regina apparere renueret, repudiata est. Septimo anno regni cum Xerxes e bello graeco redux esset, Esther regina declarata est, quae anno duodecimo regni eius Iudaeos ab interitu, quem eis Aman intenderat, sua apud regem intercessione servavit. — In inscriptionibus persicis nomen Xerxis effertur *Khsayārsa,* apud Babylonios *Khisiarsu;* cf. *Spiegel,* Altpersische Keilinschriften p. 194; *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and Old Test. II. 63.

ASSUERUS (Ἀσύηρος) nominatur in textu graeco Tob. 14,15 simul cum Nabuchodonosor, eisque expugnatio Ninives adscribitur. Regnum assyriacum concidit rebellione Medorum et Babyloniorum i. e. viribus unitis regis Medorum Cyaxaris et regis Babyloniorum Nabopolassar, patris Nabuchodonosor. Unde ille Assuerus erit Cyaxares I. — Nabuchodonosor autem videtur omnino retineri posse. Nam nemo veterum narrat ipsum Nabopolassar expeditionem in Niniven suscepisse, Polyhistor vero refert eum copias auxiliares regi Medorum misisse; unde verisimillimum est copias has esse missas duce filio Nabuchodonosor (cf. *Brunengo,* L'Impero di Babilonia e di Ninive II. p. 221). Idem quoque Cyaxares I. erit ille, qui Dan. 9,1 nominatur Assuerus אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ, Ἀσούηρος), pater Darii Medi super regnum Chaldaeorum constituti. Etenim quis sit hic Assuerus, ab altera quaestione erui debet, quis sit Darius ille Medus. Secundum sententiam probabiliorem et melioribus indiciis nixam a multis veteribus et recentioribus recte statuitur Da-

rium Medum esse Cyaxarem II. filium Astyagis Medorum regis. Unde Assuerus noster non erit pater, sed avus huius Darii i. e. Cyaxares I. Neque obstat nomen filii; nam in genealogiis saepe nepos filii nomine inducitur. Insuper probabile est et ex nomine Achashverosh sequi videtur, genus Darii non ad patrem Astyagen satis inglorium, sed ad avum Cyaxarem I. regem potentem et celebrem referri. Cf. *Knabenbauer*. Comment. in Dan. p. 170 s. et 223.

ASSUR (אַשּׁוּר, Ἀσσούρ), urbs antiquissima, a qua Assyria nomen accepit, caput regni et sedes regia, antequam Ninive floreret (Gen. 10,11). Fortasse de eadem sermo est Gen. 2,14 (*Vulg.* contra Assyrios, LXX κατέναντι Ἀσσυρίων). Hodie *Qal'at Sherkat* ad ripam occidentalem Tigridis meridiem versus a Ninive. Vide etiam s. v. ASSYRIA n. 2.

ASSUR (1 Par. 4,5) v. ASHUR.

ASSURIM (אַשּׁוּרִים, Ἀσσουριείμ), tribus arabica, quae ab Abraham et Cetura originem duxit per Iecsan eiusque filium Dadan (Gen. 25,3 et in *Vulg.* 1 Par. 1, 32). Assurim, qui cum Latusim et Loomim inter filios Dadan recensentur, quaerendi sunt in ea Arabiae parte, quae inter septemtrionem et occidentem spectat (v. DADAN 2); sed eius nominis tribus nondum innotuit. Coniecturas quasdam vide apud *Knobel*, Völkertafel der Genesis 1850, p. 269; *Dillmann* ad Gen. 25,3 et cf. SUR desertum prope Aegyptum.

Nota Ez. 27,23 non agi de Assurim, ut *Knobel* l. c. coniicit, sed de Assur (*Vulg.*) i. e. Assyria. Neque de Assurim agitur 2 Sam. 2,9 (*Vulg.* Gessuri).

ASSYRIA (**ASSUR**). **1.** *Nomen*. Regio Assyriorum hebraice vocatur אַשּׁוּר (s. אֲשֶׁר 1 Par. 5,6; אֶרֶץ אַשּׁוּר Is. 7,18), eodem scil. nomine, quo ab incolis ipsis *Ashür* s. *Ashshür* appellabatur, quodque eadem forma ad Graecos et Latinos transiit (Ἀσσούρ Iudith 2,14; 5,1; 6,4 etc.; LXX cod. A Gen. 10,11. 22 etc., A et B 1 Par. 1,17 etc.; Ἀσσούρ cod. E bodleian. Gen. 10,22 etc., *Assur* Gen. 10,11 etc.); alia pronuntiatione a Syris ܐܬܘܪ, sicut a scriptoribus graecis Ἄτουρα (*Strabo* XVI. 1,1 s.; *ed. Cas.* 736 etc.; sed Ἀσσυρία *Herod.* 1,185 etc.) profertur. Incolae regionis assyriacae eodem nomine hebraico designantur, quod hoc sensu in textu graeco plerumque Ἀσσύριος (Eccli. 48,21 [24]; Iudith 1, 1 etc.) et in Vulgata *Assyrius* (Gen. 2, 14 etc.) audit. Acceptio nominis varia est in variis S. Scripturae libris. Imprimis enim sensu stricto regionem Assyriorum proprie dictam a Babylonia et Mesopotamia distinctam, eiusque incolas designat (Gen. 10,22; cf. 2,14; 10, 11 etc.). Dein vero sensu latiore regnum quoque Assyriorum significat, quod praeter provinciam propriam etiam regionem Babyloniorum, Mesopotamiam aliasque finitimas terras comprehendebat (Is. 7,17 ss.; 8,4. 7 etc.); eodem sensu latiore regnum illud vocatur *terra Nemrod* (Mich. 5,6 [5]; cf. Gen. 10,9 s.). Denique post interitum huius regni assyriaci etiam regna succedentia Babyloniorum seu Chaldaeorum (4 Reg. 23, 29; Iudith 1,5. 10 etc.; Ier. 2,18; Lam. 5,6; Ez. 27,23) et Persarum (Esdr. 6, 22) eodem nomine appellantur. Secundum aliquos etiam ea regio, quae nomine ab Assyriis derivato Syria audit, nonnullis S. Scripturae locis nomine Assyriae intellegenda foret (Ps. 82 [83], 9; Is. 27,13; Zach. 10,10 s. Cf. Ztschr. f. A. T. Wiss. II. 1882, 291-3). — Praeterea vero eodem vel simili nomine etiam regio omnino diversa in Arabia septemtrionali prope Aegyptum sita videtur designari, quam tribus Assurim (Gen. 25, 3; 1 Par. 1,32 *Vulg.*) inhabitabat, quaeque nomine abbreviato שׁוּר *Sur* vocatur (Gen. 16,7; 20,1 etc.). Iam vero in praesenti tantum de Assyria proprie dicta et de populo ac regno Assyriorum agemus; de aliis v. ASSURIM, BABYLONIA, CHALDAEA, MESOPOTAMIA, SUR, SYRIA.

De nomine cf. *Frd. Delitzsch*, Paradies 252-5; *Eb. Schrader*, Keilinschr. u. A. T. *ed.* 2, 35-7; *P. Jensen* in Ztschr. f. Ass. I. 1886, 2-7; *Eb. Schrader* ib. 211-5; *Th. Nöldeke* ib. 268-73.

2. *Descriptio*. Assyria proprie dicta partem eius regionis comprehendebat, quae hodie *Kurdistan* appellatur. Fines eius septemtrionales erant montes Arme-

F. Guillot del. et Paris

P. LETHIELLEUX, Editor. Paris

niae, praecipue mons Masius; orientem versus terminabatur montibus Mediae, potissimum Zagro; fluvium Zabam minorem plures auctores tamquam limitem australem designant; versus occidentem vero antiqua Assyria non ita multum fluvium Tigrim excedebat, licet postea, sicut in aliis partibus, angustos fines primitivos multo praetergressa sit. Maior Assyriae pars montibus et collibus traicitur, qui satis parvum planitiei locum relinquunt. Aquis provincia abundabat, cum tota Tigride atque minoribus fluminibus in ipsum influentibus, praesertim Zaba maiore et minore et Chusur (*Chōser*) allueretur; Tigris vero inde a Ninive urbe navigiis aptus evadit. Urbs Assur, a qua terra nomen accepit, ad dextram Tigridis ripam sita (hod. *Qal'at Sherkat*) in libris sacris multis quidem auctoribus non videtur commemorari; at recte monet *F. de Hummelauer* (Comment. in Gen. 139. 220), tum Gen. 2,14, tum maxime 10,11 urbem illam antiquissimam regnique exordium optime intellegi posse. Praeterea quattuor partes, « civitatis magnae », quam Nemrod aedificavit, nominantur : Ninive et Rechoboth 'Ir (*Vulg.* plateae civitatis) ac Chale et Resen (Gen. 10,11 s.; v. artic. spec.); quibus per Sargonem quinta pars « Arx Sargonis » addita est (*Dur-Sarrukin,* hod. *Khorsabad*). Insuper notandae sunt urbes Arbela et Gaugamela prope Niniven sitae, Alexandri Magni de Dario victoria celebres (Kal. Oct. 331 a. Chr.). Situs « civitatis magnae » aliarumque Assyriae urbium, qui per multa saecula prorsus in oblivionem abierat, hoc nostro saeculo repertus est maxime opera Cl. *I. Rich* (1820), *P. E. Botta* (1842-45), *A. H. Layard* (1845-47; 1849-51), *V. Place* (1852), *Hormuzd Rassam* (1852-54; 1877-82), *G. Smith* (1873-76) aliorumque.

Cf. *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Alterth. I. 2,91-132; *C. Ritter,* Erdkunde XI. 1-247. 583-681; *A. H. Layard,* Nineveh and its remains, London 1848 (*ed.* 6 ib. 1854); *id.* Discoveries in the ruins of Nineveh and Babylon, ib. 1853; *id.* The monuments of Nineveh, 2 voll. ib. 1849-53; *F. Jones,* Topography of Nineveh, ib. 1855; *V. Place,* Ninive et l'Assyrie, Paris 1866-69; *G. Smith,* Assyrian Discoveries, London 1875; *Frd. Delitzsch,* Paradies 259-62; *Eb. Schrader,* Keilinschr. u. A. T. *ed.* 2,96-102; *A. I. Delattre,* L'Asie occidentale dans les inscript. assyr., Bruxelles 1885; *É. Reclus,* Nouv. Géogr. univ. IX. 377-461; *Eb. Schrader,* Zur Geogr. d. assyr. Reiches, Sitzungsber. Berl. Akad. 1890,321-44; *H. Rassam,* Asshur and the land of Nimrod, Cincinnati 1897. — Alia v. infra.

3. *Conditiones naturales.* Assyria a Rabsace, duce exercitus Sennacherib, appellatur « terra quae similis est terrae (Iudaeorum), terra fructifera et fertilis vini, terra panis et vinearum, terra olivarum et olei ac mellis » (4 Reg. 18,32; Is. 36,17). Atque re vera satis magna inter Iudaeam et Assyriam similitudo intercedit; maiorem utriusque provinciae partem montes et colles occupant, qui hic valli Iordanis, illic Tigridi locum relinquunt; ambae regiones aquarum copia fruebantur et sub eodem fere caelo sitae, aëre montibus aquisque temperato gaudebant; praesertim vero fertilitate Assyria, sicut Iudaea, insignis erat. Licet enim per maiorem anni partem, exceptis fere mensibus hibernis, pluvia careret, variorum tamen fluminum aquae tum valles inter montes sitas tum agros in planitie, canalibus multis distributae, fecundabant. Unde frumentum, ac praecipue triticum et hordeum, in agris, vineae et oleae in hortis et collibus, praeterea fici, palmae, nuces, mali granatae, aliaeque arbores fructiferae, atque in montibus cupressi et variae quercus pinique species et platani abundabant, quarum pleraeque in monumentis antiquis frequenter repraesentantur. Praeterea reges Assyrii etiam cedros Libani et Amani aliasque arbores e terris longinquis petitas in hortos suos transtulerunt. Eadem monumenta atque inscriptiones cuneiformes animalibus quoque variis Assyriam abundasse ostendunt. Domestica animalia eadem fere habebat atque Palaestina, boves praesertim et oves caprasque et asinos ac canes, porcos quoque Iudaeis interdictos et praeclaros equos et camelos, sitis laborisque patientes. Praeterea venatores Assyrii in vallibus praesertim ac montibus patriis uros (*rimu* רְאֵם), leones, ca-

preas et ibices, cervos, apros, ursos, pardos, lepores, elephantos in Mesopotamia, onagros in deserto, aliasque feras, aves quoque varias ac pisces in fluviis persequebantur. Etiam metalla varia, praesertim argentum et cuprum et ferrum ac plumbum, lapidesque ad magna aedificia et statuas aptissimi, maxime in montibus orientalibus inveniebantur.

Cf. *Frd. Delitzsch*, Assyr. Thiernamen (Ass. Studien I.), Leipzig 1874; *W. Houghton*, On the Mammalia of the assyrian sculptures, in Trans. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, 33-64. 319-83; *id.* On the Birds of the ass. records and monuments, ib. VIII. 1884, 42-142, et Proceed. Soc. Bibl. Arch. IV. 1882, 57-60; *Th. G. Pinches*, Assyrian names of domestic animals, in Journal Royal Asiat. Soc. XIX. 1887, 319 s.; *E. Boissier*, Flora orient., 6 voll., Basileae et Genevae 1867-88; *E. Bonavia*, The sacred trees of Assyria, in Trans. of the IX. internat. Congr. of Orient., vol. II., London 1893, 245-57; *id.* The flora of the ass. Monum. and its outcomes, Westminster (London 1894; *A. Boissier*, Liste de plantes médicinales, in Rev. sémit. II. 1893, 135-45.

4. *Incolae.* Assyrii cum patre suo Assur inter filios Sem recensentur (Gen. 10,22), eorumque origo per Nemrod a Babyloniis repetitur (ib. v. 11). Utrumque ex monumentis antiquis atque ex lingua et litteris universaque cultura Assyriorum abunde confirmatur, quae et characterem prorsus semiticum et originem babylonicam populi assyriaci clare manifestant. — Occupatio praecipua incolarum tempore pacis erat negotiatio; unde Ninive plures dicitur fecisse mercatores suos quam sint stellae caeli (Nah. 3,16 hebr.). Assyria enim opibus variis abundabat atque incolarum industria artibusque, quarum testes monumenta magnifica exsistunt, magna mercium copia praesto erat. Praeterea cum Tigris fluvius inde ab urbe Ninive maioribus navigiis aptus evaderet, in civitate illa merces variae undique confluebant, hinc quidem aromata et gemmae atque ceterae opes Indiae atque insularum, illinc vero metalla lapidesque pretiosi, inter quos imprimis lapis lazuli, aliaeque divitiae Scythiae ac provinciarum interiorum, quae ex magno illo emporio in omnem Mesopotamiam et Asiam ac Babyloniam, atque per Syriam et Arabiam in Aegyptum usque diffundebantur (*F. C. Movers*, Phoenicier II. 3,240 s.; *R. Lepsius*, Metalle, Abh. Berl. Akad. 1871, 72 s. etc.). — At praeter ista studia pacis etiam operibus bellicis Assyrii insignes erant, quae et in libris sacris (4 Reg. 15 ss.; v. infra), et testimoniis veterum, et inscriptionibus atque sculpturis assyriacis passim celebrantur. Maxima vero praeda ingentiaque tributa ex populis devictis accepta opulentiam illam commercio atque industria fundatam supra modum augebant, ita ut propheta praedatoribus metropoleos assyriacae merito acclamaverit: « diripite argentum, diripite aurum : et non est finis opibus, adest copia ingens omnis supellectilis pretiosae » (Nah. 2,10 hebr.). — Indoles gentis opulentae et bellicosae in sacris libris describitur superba, violenta, crudelis, plena mendacio et dilaceratione et rapinis (Is. 33,1; Nah. 2,12. 14; 3,1 hebr. etc.); atque eadem superbia et crudelitas passim in trophaeis regum Assyriorum apparet, qui gloriabundi iterum atque iterum referunt civitates innumeras devastatas, arbores frugiferas excisas, multa hostium millia occisa, alios oculis privatos, aliis vivis cutem detractam, alios cruci affixos, alios catenis onustos cum porcis et canibus in portis Ninive servatos etc. Praeterea luxuriae atque libidini deditos Nahum propheta praesertim metropoleos incolas describit (3,4-6), idque ex turpissima quae apud ipsos vigebat idololatria, ac maxime ex cultu Astartes (*Istar*) in urbe Arbelae atque in ipsa civitate Ninive florente, quasi necessario fluebat (cf. Bar. 6,42 s.). Nihilominus voce Domini excitati atque culparum conscientia moniti verbis Ionae credidisse et poenitentiam egisse perhibentur (Ion. 3; cf. *I. Knabenbauer*, Comm. in h. l.). — Ceterum de religione Assyriorum, quae simul cum reliquis ex Babylonia originem ducebat, praeter nomina quorumdam deorum satis pauca in S. Scriptura commemorantur. Princeps omnium deorum saltem aetate posteriore habebatur Asur, quem aliqui Mich. 5,5 intellegi volunt (cf. Asarhaddon, assyr. *Ashur-ach-iddin*) post ipsum locum praecipuum obtine-

bant Anu (cf. Anamelek, assyr. *Anu-malik*), Bel (Is. 46,1 etc.), Ea. Praeterea potissimum sol (*Shamash*), luna (*Sin;* cf. Sennacherib, assyr. *Sin-achi-irba*), Venus (*Istar,* « regina caeli ») ceteraeque planetae, Mars (*Adar* s. *Ninib* [*Nindar*]; cf. Adramelech, assyr. *Adar-malik*), Mercurius (*Nabo* Is. 46,1 etc.), Iupiter (*Marduk;* cf. Merodach-Baladan, assyr. *Marduk-abal-iddīn*), Saturnus (*Nergal*; cf. Neregel-Sereser, assyr. *Nergal-shar-usur*), colebantur. Insuper Nesroch deus Assur in S. Scriptura nominatur (4 Reg. 19,37; Is. 37,38), atque etiam Anath (cf. Beth-Anath), Raman (Remmon cf. Tabremmon) cum aliis multis locum in Olympo assyriaco occupabant.

Plura de religione Assyriorum v. ap. *W. v. Baudissin*, Studien zur semit. Religionsgesch. I. Leipzig 1876; *I. N. Strassmaier*, The assyr. and babylon. Gods, in The Month 1879, II. 363 ss. (June), 558 ss. (August), III. 550 ss. (December); *I. Halévy*, Documents religieux de l'Assyrie et de la Babylonie I. Paris 1882; *I. Oppert*, Fragments mythologiques (1883); *A. Jeremias*, Bab.-Assyr. Vorstellungen vom Leben nach d. Tode, Leipzig 1887; *C. P. Tiele*, Geschied. v. d. Godsdienst in de Oudheid I. Amsterdam 1891-93; *W. Roberston Smith*, Lect. on the Relig. of the Semites, ed. nova, London 1894; *I. A. Knudtzon*, Assyr. Gebete an den Sonnengott, 2 voll., Leipzig 1893; *I. A. Craig*, Assyr. and babylon. religious texts (Assyriol. Biblioth. 13), Leipzig 1895-97; *Morris Jastrow*, The religion of Babylonia and Assyria, Boston 1898. (ed. germ., Giessen 1902 ss.; *L. W. King*, Babylonian Religion and Mythology of the Babylonians and Assyrians, London 1899; *Bassi*, Mitologia Babilonese-Assiria, Milano 1899; *Fr. Martin*, Textes religieux assyr. et babylon., Paris 1900 et 1903; *P. Jensen*, Assyr.-babyl. Mythen und Epen, Leipzig 1900 s. (Keilinsch. Bibliothek VI.). — De moribus Assyriorum cf. *A. H. Sayce*, Social life among the Assyrians and Babylonians, London 1893. Alia v. infra inter libros historicos.

5. ***Lingua et litterae.*** Lingua assyriaca, quae eadem fere est atque babylonica, ad idiomata semitica pertinet atque cum eis tum in copia verborum radicibusque usitatis, tum in formationibus regulisque grammaticis generatim magnam habet affinitatem. Ita tamen ab aliis linguis semiticis distinguitur, ut recte tamquam tribus orientalis a reliquis in tribu occidentali convenientibus separetur. In S. Scriptura Assyrii etiam *syriace* s. aramaice (אַרַמִּית 4 Reg. 18,26; Is. 36,11; cf. Esdr. 4,7; Dan. 2,4), loqui perhibentur, atque haec *lingua syra*, quam incolae Ierusalem non intellegebant, a patria ipsorum dialecto iudaica (יְהוּדִית) distinguitur, non quasi nullatenus affinis, sed quia in multis diversa. Quae lingua aramaica in commercio inter Assyrios populosque finitimos occidentales in usu videtur fuisse, eamque in Assyria quoque praeter propriam incolarum linguam adhibitam esse etiam ex duplici scribae assyrii atque aramaici munere sub Asurbanipale apparet (cf. *I. Knabenbauer* in Is. 36,11). Praeterea lingua babylonica etiam « lingua Chaldaeorum » יְשׁוֹן כַּשְׂדִּים Dan. 1,4) appellatur, quae certe cum ea quae hodie dicitur lingua chaldaea non est confundenda, neque etiam ad solam linguam quam vocant sumericam videtur restringenda, sed tum linguam babylonicam recentiorem, tum veterem illam sumericam videtur comprehendere. — Praeter linguam illam semiticam incolae antiquitus alia quam vocant sumericam videntur usi esse, quae ad diversam omnino linguarum classem, fortasse turanicam, pertinet. Atque ex hac lingua antiquiore etiam signa illa originem ducunt, quae nomine scripturae cuneiformis vel cuneatae appellantur, quaeque ab Assyriis in omnibus fere inscriptionibus ac monumentis adhibita sunt. Primae signorum illorum formae manifeste characterem hieroglyphicum habebant, qui paulatim ita mutatus est, ut iam unico fere elemento, cuneis scilicet angulisque vario modo iunctis, constent nullamque rerum quas designant imaginem referant. Usus vero scripturae cuneiformis multis saeculis per totum fere Orientum anteriorem diffusus erat, ita ut non modo in Assyria atque Babylonia, verum etiam in Persia, Armenia, Syria, Palaestina, Aegypto monumenta istis characteribus cuneatis ornata inventa sint. Saeculo elapso scripturae illius assyriacae, syllabicae simul et polyphonae, aenigmata solvi coepta sunt, praesertim opera et studio *Georgii Friderici Grotefend, Eug.*

Burnouf, Christ. Lassen, Henr. Rawlinson, Ed. Hincks, Iul. Oppert aliorumque, post quos cognitio linguae assyriacae monumentorumque litterariorum per plurimos auctores in variis provinciis perfecta atque completa est. — Iam ex monumentis istis apparet, Assyrios praesertim in studio litterarum omnino a Babyloniis dependisse. Maior enim pars textuum in Assyria inventorum non nisi apographa sunt textuum babylonicorum, quibus reges assyrii ac maxime quidem Asurbanipal (Asenaphar Esdr. 4,10; a. 668-628 a. Chr.) bibliothecas suas ornarunt. Praeter apographa ista (de quibus v. BABYLONIA) quaedam etiam opera Assyriorum propria nobis conservata sunt, quae tamen Babyloniis aequiparari nullatenus possunt. Res enim militaris apud Assyrios primum obtinebat locum, ideoque et inscriptiones et monumenta Assyriorum propria omnia fere de rebus bellicis agunt. — Variis autem artibus Assyrios insignes fuisse iam monuimus; praesertim in aedificandis palatiis regiis templisque, et in sculpturis egregiis perficiendis facile finitimos suos Babylonios superabant, cum montes prope Niniven siti alabastrum et marmora aliosque lapides aedificiis ac sculpturis aptissimos abundanter suppeditarent, solum vero babylonicum vix quidquam nisi lutum lateribus aptum praeberet.

Cf. *C. Bezold*, Kurzgefasster Überblick über die assyr.-babyl. Litteratur, Leipzig 1886; *A. Amiaud* et *L. Méchineau*, Tableau comparé des écrit. bab. et assyr. archaïques et mod., *ed.* 2, Paris 1902; *R. E. Brünnow*, A classified list of all simple and compound cuneiform ideographs, Leiden 1887-89 (Indices 1897); *Frd. Delitzsch*, Assyr. Grammatik, Berlin 1889; *id.* Assyr. Lesestücke *ed.* 4, Leipzig 1900; *id.* Assyr. Handwörterbuch, ib. 1896; *id.* Die Entstehung d. ältesten Schriftsystems, ib. 1896; *Br. Meissner*, Assyr.-babylon. Chrestomathie, Leiden 1895; *id.* Supplement zu den assyr. Wörterb., ib. 1898; *V. Scheil*, Recueil de signes archaïques de l'écrit. cunéif., Paris 1898; *Fr. Thureau-Dangin*, Recherches sur l'origine de l'écrit. cunéif. I. ib. 1898; *V. Scheil* et *C. Fossey*, Grammaire assyr., Paris 1901; *C. Fossey*, Syllabaire cuneif., ib. 1901. — Totius litteraturae assyr. brevem conspectum habes ap. *Fr. Kaulen*, Assyrien u. Babylonien *ed.* 4, Freiburg 1891, 266-86; *A. Baumgartner*, Weltliteratur I. ib. 1897, 53-85. Historiam explicatae scripturae cuneiformis breviter narrant *Kaulen* ib. 112-39; *Fr. Hommel*, Gesch. Babyl. u. Assyr. (*Oncken* I. 2) 58-146.

6. *Historia.* Fontes historiae assyriacae praecipui sunt inscriptiones illae cuneiformes, quibus reges Assyrii annales regni sui nobis reliquerunt; eaedem inscriptiones etiam historiam synchronisticam regum Assyriae et Babyloniae (fere ab a. 1400-1050 et c. 900-800 a. Chr.) et Chronicon babylonicum (a. 744-668 a. Chr.) ac catalogum eponymorum assyriorum (893 — c. 650 a. Chr.), eundemque catalogum addito brevi praecipuorum factorum conspectu (a. 860-704 a. Chr.) aliaque de historia assyriaca documenta publica et privata servarunt. Praeterea etiam ea quae in libris sacris Regum et in vaticiniis prophetarum V. T. leguntur, multis in rebus historiam Assyriae illustrant. Ea vero quae Ktesias, Diodorus aliique scriptores veteres de iisdem narrarunt, multis fabulis permixta apparent neque magnum habent valorem praeter catalogum regum babylonicorum (inde ab a. 747 a. Chr.) a Ptolemaeo traditum. — De primordiis regni assyriaci id unum constat, quod iam ex S. Scriptura notavimus, Assyrios ex Babylonia egressos primum urbem Assur, postea Niniven condidisse (Gen. 10,11). Quo vero tempore id factum sit nescimus, neque aliud probabili aliqua coniectura assequi possumus, quam primum regem ante a. 1800 a. Chr. vixisse. Quamquam autem Salmanassar I. (c. a. 1300 a. Chr.) urbem Calach (cf. Gen. l. c.) fundasse referatur, id nequaquam de prima fundatione necessario intellegendum est. Primi vero reges, quorum nomina monumentis tradita accepimus, titulo *patesi* i. e. principis sacerdotalis designantur, ac probabiliter dominio Babyloniorum subiecti erant; successores eorum, postquam iugum babylonicum excusserunt (ante a. 1500 a. Chr.) etiam *reges* Assyriae vocantur. Inde a saeculo fere decimo quinto certiora quaedam de historia assyriaca nota sunt, quae tamen accuratius hic explicare non iuvat, cum vix quidquam ad illustrandum textum sacrum conferant. Sufficiat breviter notasse, fere usque ad

a. 1400 a. Chr. reges assyrios e propria regione vix egressos esse, deinde vero paulatim in provincias vicinas auctoritatem suam exercere coepisse. Imprimis satis magnam Babyloniae partem frustra reluctantem suo imperio subiugarunt ac mox etiam Mesopotamiam septemtrionalem partemque Armeniae subegerunt, ita ut *Ramman Nirāri I.* et Salmanassar I. (c. a. 1300 a. Chr.) titulum « regis nationum » (*shar kishshati*) assumpserint. Filius et successor huius Salmanassar, *Tuklat-Adar* (s. Tuklat-Nindar), ipsam urbem Babylonem cepit et per praefectos suos totam Babyloniam subiectam annis septem administravit; at post mortem eius violentam Babylonii iugum assyrium rursus excusserunt. — Potentissimus autem ex illis regibus antiquis erat Theglath-Phalasar I. (c. a. 1100 a. Chr.), qui Babyloniam septemtrionalem denuo subiecit et se omnem regionem « a magno mari occidentali usque ad mare terrae Naïri » i. e. a mari Mediterraneo usque ad lacum Van (s. Thospitidem) in Armenia expugnasse gloriatur, atque Amanum et Libanum montes ascendit cedrosque inde in paradisos suos transplantavit, in mari quoque Mediterraneo navibus aradiis vectus, a Pharaone Aegypti inter alia dona crocodilum et hippopotamum accepit. — De successoribus eius nihil fere traditum est; nominatur inter ipsos alter Theglath-Phalasar (c. a. 920 a. Chr.) itemque alter *Tuklat-Adar* (T.-Nindar) (c. 890-884 a. Chr.), qui iterum terras septemtrionales in montibus « ab ortu solis usque ad occasum » se subiecisse refert. Successor eius *Asurnasirpal III.* (884-860 a. Chr.) iterum devictis Mesopotamia terrisque septemtrionalibus et « filiis Eden » (*Bît-Adini* circa medium Euphratem; cf. 4 Reg. 19,12; Is. 37,12), in Syriam penetravit, montes Amanum et Libanum ascendit, tributa Tyriorum, Sidoniorum, Bybliorum aliarumque urbium in ora maris Mediterranei accepit, ligna cedrina de Amano in Assyriam transtulit aliaque feliciter peregit. Ea quae pater expugnaverat, filius Salmanassar II. (859-825 a. Chr.) firmavit latiusque extendit, qui etiam regem Achab, filium Amri, et Benadad, regem Syriae (Damasci) cum decem aliis principibus foederatis (a. 854) atque iterum Ioram, filium Achab, cum iisdem foederatis (a. 849 et 846) devicit. Mortuis Benadad et Ioram idem Salmanassar denuo Syriam invasit et Hazael, regem Damasci, praelio victum in urbe damascena obsedit, ab Iehu vero, quem ex nova dynastia oriundum minus accurate vel sensu admodum lato « filium Omri » fuisse dicit, pariterque a Tyriis et Sidoniis tributa accepit (a. 842). Successores eius *Samsi-Ramman IV.* (824-812 a. Chr.) et *Ramman-Nirāri II.* (811-783) contra Babylonios, Medos, Armenos feliciter dimicarunt; at sub Salmanassar III. (782-773), *Asur-Dan III.* (772-755), *Asur-Nirāri II.* (754-745) praesertim reges Armeni plures regni assyriaci provincias subegerunt. Mortuo Asur-Nirāri II. usurpator Phul sub nomine Theglath-Phalasar III. (745-727) thronum assyrium occupavit feliciterque tum Babyloniam, tum regiones septemtrionales, tum Mesopotamiam et magnam Syriae partem ac plures urbes regni Israel (4 Reg. 15,29) sceptro suo subiecit. Reges quoque Israel Manahem (4 Reg. 15,19 s.) anno 738, Phacee (ib. v. 29) a. 733, Osee a. 732, atque Achaz rex Iuda (ib. 16,7 ss.) a. 734 et 732 magno victori tributa miserunt; similiter Samsi, regina Arabum, et Sabaei cum aliis Arabiae tribubus dona obtulerunt. Quo facilius autem regiones devictas a rebellione arceret, incolas in provincias Assyriae transtulit, aliis aliunde in locum eorum translatis, uti regibus assyriis in more erat (cf. 4 Reg. 15,29; 17,6 etc.). Filius Theglath-Phalasar magni, Salmanassar IV. (726-722) iterum contra Osee, regem Israel, ascendit, et ipso in carcerem misso tribus annis Samariam obsedit (ib. 17,3-5). Sed ante finitam obsidionem anno tertio mortuus, filio Sargon (722-705) regnum et gloriam urbis capiendae reliquit; qui post aliquos menses Samariam cepit (a. 722) et populum Israel in Assyriam transtulit (l. c. v. 6), virga furoris Domini et baculus in populum rebellem factus (Is. 10,5). Devicta Samaria rex Sargon undique hostes finitimos debellavit, Armenos sociosque eorum Mannaeos (Menni Ier. 51,27) et Elamitas ac Babylonios, quorum regem Merodach-

Baladan a. 709 deposuit. Etiam in Syria et Palaestina saepius provincias rebelles subegit novosque hostes superavit, Emath et Gazam a. 720, Arabes et Aegyptios *musri*, quod *Winckler*, *Hommel* al. hic de regione arabica intellegunt) a. 715, Azotum et Gath a. 711 (cf. Is. 20, 1). Rebus in bello feliciter gestis novam sibi regiam *Dur-Sarrukin* (arcem s. urbem Sargonis, hodie *Khorsabad*) prope Niniven aedificavit, sed paulo post a. 705 a sicario occisus est. Sennacherib filius eius (704-681) imprimis Babylonios denuo aggressus est, penes quos Merodach-Baladan iterum regno potitus erat, qui undique subsidia contra oppressores Assyrios quaesivit et auxilium Ezechiae regis Iuda litteris et muneribus expetiit (4 Reg. 20,12-19; Is. 39); at post novem menses a coepta rebellione babylonica elapsos Sennacherib regem Merodach-Baladan devictum regno privavit a. 703. Nihilominus etiam sequentibus annis iterum atque iterum contra Babylonios dimicare coactus, denique anno 689 urbem Babylonem captam evertit. Antea vero a. 701 expeditione in Syriam et Palaestinam facta, universas civitates munitas in terra Iuda cepit (4 Reg. 18,13); quo perterritus Ezechias nuntios ad regem magnum in Lachis misit, veniam precaturus, ac tributum 300 talentorum auri et 30 talentorum argenti a rege impositum solvit. At nihilominus Sennacherib exercitum magnum contra Ierusalem misit regemque Ezechiam « velut avem in cavea » in civitate sua inclusit; sed re infecta recedere coactus est, postquam Angelus Domini in castris Assyriorum in una nocte 185,000 percussit (4 Reg. 18,17-19,36; 2 Par. 32,1-22; Is. 36, 2-37,37). Altera adversus Ezechiam expeditio, quam propter mentionem Tharacae, regis Aethiopiae (4 Reg. 19,9) aliqui adstruunt, gratis videtur supponi. Sennacherib autem in urbe Ninive in templo Dei sui Nesroch a filiis suis Adramelech et Sarasar interfectus est a. 681 (ib. v. 37); parricidae in terram Armeniorum, hostium Assyriae antiquorum atque potentium, fugerunt, cum fratri Asarhaddon regnum eripere non possent. Qui duodecim annis (680-668) feliciter regnavit et praesertim civitati et provinciae Babyloniae restaurandae multam curam impendit. Periculo quod a Cimmeriis a. 678 imminebat, feliciter superato, Sidonios et Tyrios atque Arabes, ac demum Aegyptios subegit et pharaonem Tharacam (*Tirhaka*) Aethiopem a. 673 et 670 usque in Nubiam repulit; unde se regem Assyriae, Babyloniae, Aegypti, Pathros, Aethiopiae gloriabundus appellavit. Probabiliter in hac expeditione etiam Manasses, rex Iuda, captus et vinctus catenis atque compedibus in Babyloniam ductus est (2 Par. 33,11), ubi Asarhaddon habitare consuevit; qui postea captivum dimissum in regnum patrium restituit (ib. v. 13). Idem rex Asarhaddon populos orientales in Samariam transtulit, uti in libro Esdrae commemoratur (Esd. 4,2). Tertio in Aegyptum profectus in itinere occubuit a. 668, regnumque Assyriae filio suo *Asurbanipal* (probabiliter = Asenaphar Esdr. 4, 10) reliquit (668-626), fratre eius *Samassum-ukin* rege Babyloniae constituto. Exercitus assyrii sub novo rege bis feliciter contra Aegyptum dimicabant a. 668 et 663, atque saepius Babylonios inimicitias parantes et Elamitas aliosque hostes devicerunt, quamquam Medi et Mannaei aliique iterum atque iterum Assyrios aggrediebantur viresque regni in dies magis debilitabant. Ipse vero Asurbanipal potius litterarum studio et cultui deorum vivebat, atque in bibliotheca sua pretiosos babyloniae sapientiae thesauros diligenter descriptos nobis conservavit. — Mortuo Asurbanipal successit *Asur-itil-ilāni*, qui inde ab a. 625 per quattuor vel plures annos regnavit et thronum ultimo regi Assyriae *Sin-sar-iskun* (Graecorum *Sarakos*) reliquit. Postquam Pharao Nechao II. Palaestinam et Syriam Assyriis eripuit, *Nabopalassar*, rex Babyloniae (625-605), simul cum Medis contra Niniven ascendit, urbem biennio obsedit, captam funditus evertit a. 607, adiutus magna Tigridis inundatione (Nah. 2,6[7]; cf. *Diodor*. 2,24-27); Assyriam Medis reliquit, ipse Mesopotamiam reliquasque provincias occidentales, Aegyptiis ereptas, occupavit. Ita vastata est Ninive, cecidit civitas sanguinum, et incolae eius quasi locustae quae considunt

in sepibus in die frigoris, dispersi sunt: sol ortus est et avolaverunt et non est cognitus locus earum, ubi fuerint (Nah. 3), Domino implente ultionem quam per prophetas suos praedixerat (Nah.; Soph. 2,13). — Notandum vero, ea quae in S. Scriptura de relatione inter Assyrios et regna Israel ac Iuda narrantur, ex annalibus et monumentis regum Assyriorum quoad *facta ipsa* in omnibus prorsus confirmata esse; quoad *annos* autem regum Israel et Iuda temporumque determinationem in textum hodiernum S. Scripturae plura irrepsisse menda et posteriores falsas correctiones, quas difficile quis cum certitudine emendarit; neque huius loci est haec accuratius declarare.

Cf. *G. Rawlinson,* The five great Monarchies (Assyria 2° loco), London 1862-67 (*ed.* 4 ib. 1879, 3 voll.); *G. Smith,* Assyria from the earliest times to the Fall of Nineveh, ib. 1875; *G. Maspéro,* Hist. anc. des peuples de l'Orient, Paris 1875; *id.* Hist. anc. d. peuples de l'Or. classique I. II. ib. 1895-96; *Eb. Schrader,* Keilinschr. u. Geschichtsf., Giessen 1878; *id.* Keilinschr. u. d. A. T. *ed.* 2, ib. 1883 (*ed.* 3 *H. Zimmern* et *H. Winckler,* prorsus mutata, Berlin 1903; ed. angl. *O. C. Whitehouse,* London 1889); *id.* Keilinschr. Biblioth. I. II. Berlin 1889-90; *F. Hommel,* Gesch. Babylon. u. Assyr., Berlin 1885-89; *Ed. Meyer,* Gesch. des Alterthums I., Stuttgart 1884; *Gius. Brunengo,* L'impero di Babilonia e di Ninive, 2 voll., Prato 1885; *C. P. Tiele,* Babyl.-Assyr. Gesch. (Handb. d. alten Gesch. I.), 2 voll., Gotha 1886-88; *I. Menant,* Ninive et Babylone, Paris 1887; *H. Winckler,* Altorient. Forschungen, Leipzig 1889; *id.* Gesch. Babyloniens und Assyriens, ib. 1892; *id.* Keilinschr. Textbuch zum A. T., *ed.* 2, ib. 1903; *id.* Alttest. Untersuchungen, ib. 1892; *id.* Altorient. Forschungen, ib. 1893 ss.; *Ed. König* in N. Kirchl. Ztschr. II. 1891, 647-74; *P. Rost,* Untersuchungen z. altorient. Gesch. (Mitt. d. vorderasiat. Ges. 1897, 2), Berlin 1897; *C. F. Lehmann,* Zwei Hauptprobleme der altorient. Chronologie, Leipzig 1898. — Praeterea cf. varias dissertationes et textuum editiones in periodicis et collectaneis, quorum praecipua enumerat *Delitzsch,* Grammat. p. 74* s.; alia v. ap. *Bezold* op. c. et *F. Kaulen,* Assyrien u. Babylonien *ed.* 4, Freiburg 1891 (litteratura p. 266-86).

L. FONCK.

ASTAROTH (עַשְׁתֹּרוֹת), pluralis nominis עַשְׁתֹּרֶת deae Sidoniorum, quae 3 Reg. 11,5. 33 Astarthe dicitur; v. BAAL.

ASTAROTH (עַשְׁתָּרוֹת, Ἀσταρώθ), urbs et sedes Og regis Basan (Deut. 1,4; Ios. 9,10; 12,4; 13,12), tribui Manasse tradita (Ios. 13,31), urbs refugii et levitica (Ios. 21,27 ubi Bosra, בְּעֶשְׁתְּרָה, Βεεσθερά vocatur; et 1 Par. 6,71 [56]). Praeterea Gen. 14,5 legimus a Chodorlahomor devictos esse Raphaim apud Astarothcarnaim (עַשְׁתֹּרֹת קַרְנַיִם, *Astaroth amborum cornuum,* Ἀσταρὼθ καὶ Καρναΐν, Cod. A Ἀσταρὼθ Καρναΐν). Denique 1 Mach. 5,26. 43. 44 legitur Carnaim (Καρναΐν) et loco parallelo 2 Mach. 12, 21. 26 Carnion (Καρνίον): urbs munita et accessu difficilis, quam Iudas Mach. fano celeberrimo Atargatis deae succenso expugnavit; cf. *Flav. Ios.* Ant. XII. 8,4 (Καρναΐν *ed. Niese* in nota). — S. Hieronymus cum Eusebio (Onomast. *ed. Lag.* 86,32 cf. 213,35): « Astaroth antiqua civitas Og regis Basan...., regionis Batanaeae et sex milibus ab Adra (*Der'āt*) urbe Arabiae separata est. Porro Adra a Bostra viginti quinque milibus distat ». Quae Onomasticon *ed. Lag.* 84,5 (cf. 209,61) tradit, sine dubio erronea sunt: « Astaroth Carnaim terra gigantum quondam in supercilio Sodomorum, quos interfecit Chodorlahomor ». Ibidem vero addit: « sunt hodieque duo castella in Batanaea hoc vocabulo, novem inter se milibus separata inter Adaram et Abilam civitates ». Denique alibi (108,17 cf. 268,98): « Carnaim Astaroth. Carnaim nunc vicus est grandis in angulo Batanaeae et appellatur Carnaea trans fluenta Iordanis traduntque ibi fuisse domum Iob ».

Haec sunt documenta, ex quibus situs urbium determinandus est. *Riess* (Bibel-Atlas s. v.) existimat Astaroth regis Og, Astarothcarnaim (Gen. 14,5), Carnaim seu Carnion machabaicam esse unam urbem, hodie vel *Tell el-Ash'arī* vel *Tell 'Ashtara,* priorem a *Der'āt* (Edrai) 10 km, alteram 18 km inter septemtrionem et occidentem; addit tamen in edit. 3 fortasse duas Astaroth distinguendas esse. Alii (*van Kasteren*) censent *Tell el-Ash'arī* esse urbem regiam Og, *Tell*

'Ashtara esse Astaroth-Carnaim scil. Astaroth prope Carnaim *Sheikh Sa'd*; etenim Carnaim seu Carnaea Eusebii, ubi domus Iob ostendebatur (Onomast.), haud dubie est vicus *Sheikh Sa'd*, apud quem antiquae de Iob traditiones hodie quoque conservantur Iob patriarchae coenobium, balneum, fons, aedes sacra, petra. Alii (*Wetzstein*) urbem regiam Og reperiunt in Bosra urbe celeberrima ad radicem *Djebel Ḥaurān* prope *Salkhad* sita. Alii (*Furrer*) dicunt, Carnaim (Gen. 14,5) et Carnain (Carnion) machabaicam esse hodiernum *Krōn* seu *Djrōn*, *Djurōn* in *Ledjā* (Trachonitide). Hoc ultimum *I. P. van Kasteren* admittit pro Carnaim machabaica, negat quoad Carnaim Gen. 14,5.

Plura de hac intricata quaestione vide in Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XIII. p. 42. 198. 213. XIV. p. 142 s. XV. p. 193-211; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 248-250; *I. P. van Kasteren* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1174-1180.

ASTAROTHCARNAIM v. ASTAROTH.

ASTAROTHITES seu de Astaroth oriundus erat Ozia heros (v. OZIAS 3).

ASTARTHE v. BAAL.

ASTRA v. STELLAE.

ASTYAGES (Ἀστυάγης) legitur apud Danielem in versu, quem exhibent Theodotio, *Vulg.* (13,65) et versiones syriaca et arabica, quo versu narratio de Bel et dracone inchoatur: et rex Astyages appositus est ad patres suos et suscepit Cyrus Perses regnum eius. LXX eum versum non habent. Cyrus Astyagen devicit eumque captivum fecit anno 550; at cum Astyagen in honore haberet, facile intellegitur eum Astyagi quandam regni regiique splendoris umbram reliquisse. Id Herodotus (1,130) quoque indicat dicens Astyagi nihil mali a Cyro esse illatum et ipsum apud Cyrum esse commoratum usque ad mortem. Unde ex opinione quadam populari dici potuit Cyrum mortuo Astyage regnum eius suscepisse, quia eius morte revera cessavit ipsa illa species externa, qua Astyages aliquid dominationis retinere videbatur. Ceterum cum non perspiciatur, qua ratione hic versus cohaereat cum narratione de Bel et dracone, variae propositae sunt coniecturae, quas v. apud *Knabenbauer*, Comm. in Dan. p. 343 s. In monumentis cuneiformibus Astyages scribitur *Istuvegu*.

Cf. *Tiele*, Babylonisch-assyrische Geschichte p. 468; *Brunengo*, L'impero di Babilonia e di Ninive II. p. 410 ss.

ASYNCRITUS (Ἀσύγκριτος), christianus ecclesiae romanae, quem S. Paulus salutat Rom. 16,14. Aliqua verisimili ratione suadetur eum aliosque l. c. nominatos quasi societatem separatam, forte ecclesiam quandam domesticam constituisse (*Cornely* ad h. l.).

ATAD (area Atad) v. AREA 1.

ATARA (עֲטָרָה, Ἀτάρα), uxor altera Ierameel filii primogeniti Hesron et mater Onam (1 Par. 2,26).

ATARGATIS seu Derceto, dea Philisthaeorum, Phoenicum, Syrorum. Ipsius deae nomen in S. Scriptura non legitur, sed textus graecus 2 Mach. 12,26 loquitur de templo, quod in urbe transiordanica Carnion ipsi consecratum erat et Atargateion (Ἀταργατεῖον, Ἀ Ἀτεργατεῖον) vocabatur. Locus parallelus 1 Mach. 5, 43. 44 (cf. *Patrizi*, Consensus utriusque libri Mach. p. 224) de eodem fano eiusdem urbis Carnaim (Carnion) loquitur, nomen autem fani non expressit. Strabo (XVI. 1,27; 4,27) varia huius deae nomina tradit: Syria dea, Ἀταργάτις, Ἀθάρα et ex Ctesia nomen Δερκετώ addit; apud *Plinium* V. 23,81: « Prodigiosa Atargatis, Graecis autem Derceto dicta ». Eius statuae et imagines faciem feminae cum corpore piscis iungebant, ut refert Diodorus Sic. (2,4) de eius templo prope Ascalon loquens. Pisces et columbas velut rem ei sacram Syri colebant (*Diod. Sic.* l. c.; *Lucian.* de Syria dea 14; *Athenagoras*, Legat. pro Christo 39 apud *Migne* 6,960). Eius nomen עתרעתה in inscriptione palmyrena et aliquibus nummis merito compositum esse censetur ex duabus vocibus עתר i. e. Astarthe et עתה i. e. tempus, tempus opportunum. Est igitur Atargatis forma syriaca Astharthes cum alia quadam dea in unum confusae; identitatem Atargatis et Astarthes iam suadet Ἀθάρα Strabonis et commu-

niter recentiores affirmant. Idem ex nonnullorum opinione ulterius confirmatur eo, quod urbs machabaica Carnaim (Carnion) eadem est cum Astarothcarnaim, quae ab Astarthe nomen habet; alii tamen Astarothcarnaim a Carnaim (Carnion), ubi Athargateion erat, omnino distinguunt (v. ASTAROTH).

Cf. *Movers*, Phoenizier I. p. 584-600; *K. B. Stark*, Gaza und die philistaeische Küste 1852, p. 250-255; *P. Scholz*, Goetzendienst und Zauberwesen 1877, p. 244. 301-333; *F. Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1199-1202; *M. I. Lagrange*, Religions sémit. 1903, p. 130-133.

ATAROTH (עֲטָרוֹת, Ἀταρώθ), nomen complurium urbium.

1. Ataroth urbs in terra Iazer et Galaad (Num. 32,3), Sehon regi Amorrhaeorum erepta (32,33), a filiis Gad reaedificata (32,34), postea vero una cum Dibon et Aroer Arnonis tribui Ruben tradita (Ios. 13,16. 17). Mesa rex Moab de huius urbis expugnatione gloriatur (Inscriptio Mesa lin. 10-13). Nomen antiquum conservatum est in *Khirbet ʿAṭṭārūs* prope *Djebel ʿAṭṭārūs* ad meridiem *Wādi Zerqā Maʿīn*.

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas; *Legendre*, Carte de la Palestine; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 267; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 100.

2. Atroth Shophan hebr., in *Vulg.* Etroth et Sophan (Num. 32,35); v. ETROTH.

3. Ataroth in confinibus Ephraim et Beniamin (Ios. 56,2; LXX Ἀγαταρωθί corruptum ex Archi Ataroth). *Guérin* suggerit vicum *ʿAthāra* prope *Djildjilīā* (Galgala) aquilonem versus a Bethel, hinc in tribu Ephraim. Sed est etiam alter vicus *ʿAthāra* in Beniamin nec procul a confinibus Ephraim, inter *el-Bīre* (Beroth) et *el-Rām* (Rama) situs, qui textui Ios. 16,2 satisfacere postest (*Legendre*). Ceterum Ataroth nostra a multis (*Riess, Wilson, Zanecchia*) eadem esse putatur ac Ataroth Addar.

Cf. *Guérin*, Samarie II. 169; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v. Ataroth 3; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *Wilson* apud *Smith-Fuller*, Dict. of the Bible s. v. Ataroth 3; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 505. 506.

4. Ataroth Addar (עֲטָרוֹת־אַדָּר), urbs in confinibus Ephraim et Beniamin (Ios. 16,5 Ἀταρὼθ καὶ Ἐρώκ; Ios. 18,13 Ματαρὼθ Ὀρέχ). Censetur ab aliquibus esse vicus *ʿAthāra* in Beniamin inter Rama et Beroth (*Raumer, Riess*), ab aliis *Khirbet el-Dariye* ad occidentem Bethoron (*Survey of West. Pal.*, *Legendre, G. A. Smith*, *Zanecchia*). — Cf. Onomasticon (*ed. Lag.* 222,32; 93,31): Ataroth civitas tribus Beniamin; sunt autem duae Ataroth haud procul ab Aelia.

Cf. *Raumer*, Palaestina *ed.* 4, p. 175; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 35; *Legendre*, Carte de la Palestine; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV. V; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 414. 415.

5. Urbs in termino orientali tribus Ephraim (Ios. 16,7); in valle Iordanis quaerenda est, sed nominis antiqui vestigium nullum exstat. Onomast. (*ed. Lag.* 221,26; 93,25): « Ataroth civitas tribus Ephraim; nunc vicus ad aquilonem Sebastae in quarto eius miliario Attharus dicitur »; sed vicus hodiernus *ʿAṭṭārā* 6 vel 7 km a Sebaste (Samaria) aquilonem versus nimis abest a termino orientali Ephraim Ios. 16,7 descripto.

6. Corona domus Ioab (עֲטָרוֹת בֵּית יוֹאָב, Ἀταρὼθ οἴκου Ἰωάβ), quo nomine in genealogia domus Iuda 1 Par. 2,54 urbs vel regio quaedam nobis ignota indicari videtur.

ATER (אָטֵר, Ἀτήρ). **1.** Princeps familiae ex posteris Ezechiae seu Hezeciae; ex hac familia cum Zorobabel 98 exsules redierunt (Esdr. 2,16 *Vulg.* Ather; Neh. 7,21).

2. Princeps familiae, cuius filii cum Zorobabel reduces erant ianitores templi (Esdr. 2,42; Neh. 7,46).

3. Princeps populi, qui cum Nehemia foedus signavit (Neh. 10,17). Vix dubium est, quin hic princeps familiae Ater 1 fuerit.

ATHACH (הֲתָךְ, Ἀχραθαῖος), eunuchus in aula Assueri in ministerium Esther deputatus (Esth. 4,5. 6. 9. 10).

ATHACH (עָתָךְ. Νομεί, Α Ἀθάγ), una ex urbibus, quibus David Amalecitis devictis dona de praeda misit (1 Reg. 30, 30). Est prorsus ignota. Ceterum genuina nominis forma fortasse, immo ex sententia *F. de Hummelauer* ad h. l. probabilius est Ether, עֶתֶר Ios. 15,42 (Ἰθάκ), 19,7 Ἰεθέρ). Vide ETHER.

ATHAIAS (עַתָּיָה, Ἀθαΐα), filius Aziam ex tribu Iuda, incola Ierusalem post instaurationem (Neh. 11,4).

ATHALAI (עַתַּי, Θαλί), unus ex filiis Bebai, qui uxores alienigenas Esdra mandante dimiserunt (Esdr. 10,28).

ATHALIA (עֲתַלְיָה, Ἀθελία) ex posteris Alam seu Elam; Isaias filius Athalia cum 70 viris Esdra duce Babylone rediit (Esdr. 8,7).

ATHALIA (עֲתַלְיָה, עֲתַלְיָהוּ, Γοθολία), filia regis Achab et Iezabel, uxor Ioram regis Iuda et mater Ochoziae, qui post Ioram uno anno regnavit in Ierusalem. Athalia 4 Reg. 8,26 et 2 Par. 22,2 vocatur filia (i. e. neptis) Amri regis Israel. Haec mulier impia effecit, ut et maritus et filius ambularent in viis regum Israel et facerent quod est malum in conspectu Domini (4 Reg. 8,18. 27; 2 Par. 22,3. 4). Postquam Ochozias qui simul cum Ioram rege Israel bellum contra Syros moverat, per Iehu occisus est, Athalia regnum usurpavit et omnem stirpem regiam domus Ioram regis Iuda interfecit. Solum Ioas parvulus annum unum natus a Iosaba (Iosabeth), filia regis Ioram et sorore Ochoziae clam caedi subductus est et in domo Dei absconditus sex annis quibus regnavit Athalia. Anno septimo Ioiada pontifex Ioas septennem filium Ochoziae unxit regem applaudente populo et Athalia interfecta est (4 Reg. 11, 1 ss.; 2 Par. 23,1 ss.).

ATHANAI (אֶתְנִי, Ἀθανί), levita de familia Gerson inter maiores Asaph cantoris enumeratus (1 Par. 6,41 [26]).

ATHAR urbs v. ETHER.

ATHENAE (Ἀθῆναι), celeberrima illa urbs Atticae. Antiquae eius famae et gloriae testimonium etiam exhibetur 2 Mach. 9,15, cum Antiochus IV. ut iniurias Iudaeis illatas maioribus sanaret beneficiis promitteret se Iudaeos Atheniensibus facturum aequales. Paulus apostolus ex Beroea venit Athenas Act. 17,15; ibi non solum cum Iudaeis et proselytis in synagoga disputabat, verum etiam in foro, ἐν τῇ ἀγορᾷ, per omnes dies iis qui aderant doctrinam exponebat. Forum celeberrimum Athenis erat Ceramicus (Κεραμεικός) insignis propter multa deorum templa et altaria; hic et in vicino gymnasio Ptolemaei etiam philosophi versabantur disputantes. Paulum cum Epicureis et Stoicis philosophis disseruisse discimus Act. 17,18, qui partim eum deridebant, partim eum ξένων δαιμονίων annuntiatorem esse dicebant, deos peregrinos, alienos ab eo annuntiari. Cum iam a tempore belli peloponnesiaci varii peregrinorum deorum cultus ab Atheniensibus suscepti essent, Paulo illam annuntiationem non vertunt crimini, sed quo commodius eum audirent, eum ducunt ad Areopagum ad quem ex foro per scalas ascendebatur. Dicit Paulus se invenisse altare cui inscriptum erat : ignoto Deo. Atque Pausanias (Attic. I. 1,4) scribit de antiquo portu Phalero prope Athenas ἐνταῦθα καὶ βωμοὶ θεῶν τε ὀνομαζομένων ἀγνώστων et Philostratus (vita Apollon. 6,3) Athenis scribit poni altaria καὶ ἀγνώστων δαιμόνων (καὶ ἀγνώστων δαιμόνων βωμοὶ ἵδρυνται). Iam ex his locis satis elucet exstitisse βωμὸν ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο Ἀγνώστῳ θεῷ. Id quoque ad superstitionem qua gentes tenebantur plane congruit. Uti enim alias peste grassante consilio obsecuti Epimenidis cretensis Athenienses complures oves ex Areopago vagari permittebant et ubicumque una ex eis in urbe accumbebat τῷ προσήκοντι θεῷ aram erigebant (cf. *Diogenes Laert.* Epimenid. 3), ita alia occasione ne quod numen cultu omisso offenderent vel ut ignotam infortunii causam amoverent etiam ignoto deo aram ponebant (cf. *Felten,* Die Apostelgeschichte p. 331). Paulus ex Athenis misit Timotheum Thessalonicam ad confirmandos christianos qui ibi variis tribulationibus subiecti erant 1 Thess. 3,1 s. Ab Athenis profectus est Corinthum Act. 18,1. Ceterum vide s. v. AREOPAGUS.

De topographia Athenarum cf. *W. M. Leake*, Topography of Athens, London 1821; Topogr. of Athens and the demi I. London 1841; *P. Forchhammer*, Topogr. von Athen, Kiel 1841; *Beulé*, L'Acropole d'Athènes, Paris 1854; *E. Curtius*, Attische Studien, Göttingen I. 1862. II. 1865; *T. H. Dyer*, Ancient Athens, London 1873; *C. Wachsmuth*, Die Stadt Athen im Altert. I. 1874. II. 1, 1890; *A. Milchhoefer*, Athen, München 1884; *G. E. Hertzberg*, Athen hist.-topogr. dargestellt, Halle 1885; *I. Harrison*, Mythology and monuments of ancient Athens, London 1890; *Wordsworth*, Athens and Attica; *Mommsen*, Athenae Christianae; *Pauly-Wissowa*, Real-Encycl. d. klass. Altert. Suppl. 1 (1903), 159-219.

ATHENAEUS (Ἀθηναῖος, *Vulg.* Antiochenus) 2 Mach. 6,1 a nonnullis habetur nomen proprium, sed probabilius designatur vir Atheniensis.

ATHENOBIUS (Ἀθηνόβιος) legatus, quem Antiochus VII. Sidetes rex Syrorum in Ierusalem misit postulans, ut Simon Machabaeus urbes Ioppen et Gazaram arcemque hierosolymitanam Syris traderet aut pro illis quingenta talenta argenti praeter alia quingenta talenta tributorum solveret; cum Simon pro Ioppe et Gazara centum talenta offerret et alia postulata reiiceret, Athenobius visis gloria et divitiis Simonis iratus domum rediit (1 Mach. 15,28-36). Nuntio accepto Antiochus Cendebaeum in Iudaeam misit; is autem a filiis Simonis clade affectus est.

ATHER (Esdr. 2,16) v. ATER 1.

ATHERSATHA (הַתִּרְשָׁתָא cum articulo, Ἀθερσαθά) vox videtur esse designatio regii praefecti alicuius provinciae, eiusdem scil. notionis cum פֶּחָה; nam Zorobabel qui Agg. 1,1. 14; 2,3. 22 (hebr. 2,2. 21) dux Iuda (פַּחַת יְהוּדָה) appellatur, Esdr. 2,63 et Neh. 7,65. 70 vocatur Athersatha; eodem modo Nehemias, qui Neh. 5,14. 18; 12,26 pariter פֶּחָה Iudaeorum nominatur, Neh. 8,9 et 10,1 (hebr. 2) Athersathae nomine insignitur. Unde vox תִּרְשָׁתָא desumpta sit, incertum est; *Benfey* et *Stern* eam explicant ex zendico vocabulo *thvōrestā* i. e. praefectus, dux; *Gesenius* ex persico *torsh* i. e. severus, austerus; *P. de Lagarde* ex bactrico *antarekhshathra* i. e. qui in provincia vices magni regis gerit. *E. Meyer* censet vocem *tarshatā* (participium persicum) non esse designationem muneris, sed titulum honoris, sicuti : Excellentia. Quo titulo eundem designari, qui alias פֶּחָה i. e. praefectus provinciae vocatur, certe probabilissimum est (cf. *I. Nikel*).

Cf. *Th. Benfey* et *M. A. Stern*, Ueber die Monatsnamen einiger alten Völker, Berlin 1836, p. 196; *Gesenius*, Lexicon s. v.; *P. de Lagarde*, Symmicta I. p. 60; II. p. 222; *idem*, Psalt. iuxta Hebr. Hier. p. 161; *idem*, Armenische Studien n. 280. 1680; *E. Meyer*, Entstehung des Judenthums 1896, p. 194; *I. Nikel*, Wiederherstellung des jüdischen Gemeinwesens nach dem babyl. Exil 1900, p. 81 [Bibl. Studien V. 2 et 3]. Vide etiam Zeitschr. für Assyriologie II. 1887, p. 52, nota 1.

ATHMATHA (חַמְיָטָה, Εὐμά, Α Χαμματά), urbs Iuda in secunda provincia montis (Ios. 15,54). Est ignota.

ATRAMENTUM v. SCRIBENDI ARS.

ATTACUS (סְלְעָם) Lev. 11,22 v. LOCUSTA.

ATTALIA (Ἀττάλεια), urbs maritima Pamphyliae (Act. 14,24). S. Paulus in primo itinere apostolico cum Barnaba a Perge descendit Attaliam et inde navigavit Antiochiam. Ptolemaeus (V. 5,2) et Stadiasmus (n. 215; apud *Müller*, Geogr. graeci min. I. p. 488) eam ponunt ad occidentem fluvii Catarrhactes (*Dudensu*), Strabo (XIV. 4,1) ad orientem, ut videtur. Hodie *Adalia*.

Cf. *Ritter*, Erdkunde XIX. 624 ss. 640 ss.; *Lanckoronski*, Staedte Pamphyliens I. 7 ss. 153 ss.

ATTALUS (Ἄτταλος), rex Pergami (1 Mach. 15,22), ad quem Lucius consul Romanorum eadem scripsit, quae regibus Aegypti, Syriae, Cappadociae, Parthiae aliisque civitatibus Graeciae et Asiae minoris scripta sunt, ne scil. Iudaeis mala inferrentur. Senatus consultum, quo haec decreta sunt, factum est anno 139 a. Chr. (cf. *Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes *ed.* 3, I. p. 251. 252). Tres autem erant reges nomine Attali, scil. Attalus I. (241-197), Attalus II. Philadel-

phus (159-138), Attalus III. Philometor (138-133), filius Eumenis II., qui erat frater natu maior Attali II. et regnaverat 197-159. Omnes tres erant socii et amici Romanorum; Attalus III. Romanos anno 133 heredes regni sui scripsit. Epistula igitur illa videtur scripta esse Attalo II. Fieri tamen potuit, ut ad Attalum III. perveniret, qui anno 138 regnum capessivit. — Attalus II. circa annum 152 Alexandro Balas opem praestitit, ut regno Syriae potiretur (*Iustin.* 35,1); v. ALEXANDER 2.

AUCEPS, AUCUPIUM. Quomodo aves captae sint, discimus ex variis comparationibus: ipse liberavit me de laqueo venantium (Ps. 90,3) et: anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium (Ps. 123,7) et de falso propheta dicit Osee (9,8 cum esse laqueum aucupis. Laqueus abscondebatur: abscondeerunt superbi laqueum mihi (Ps. 139,6); iuvenis a muliere procaci pellectus est velut avis festinans ad laqueum (Prov. 7, 23); homines capi tempore malo ut aves laqueo ait Ecclesiastes (9,12). Omnibus his locis פַּח, παγίς ponitur. Praeter פַּח commemoratur Am. 3,5 מוֹקֵשׁ tendicula; fortasse significatur, ut eo loco textus syro-hexaplaris habet, aucupium ope virgarum viscatarum. — Retia quoque adhibita esse docemur Prov. 1,17: frustra autem iacitur rete ante oculos pennatorum et Os. 7,12: expandam super eos rete meum, quasi volucrem coeli detraham eos. Similiter caveae ponebantur, quae avem ad cibum capiendum ingressam caperent (cf. Ier. 5,26). Aves iam captas adhibitas esse ad alias alliciendas concludi videtur ex Eccli. 27,10: volatilia ad sibi similia conveniunt et praesertim ex Eccli. 11,32[30]: πέρδιξ θηρευτὴς ἐν καρτάλλῳ (*Vulg.* perdix inducitur in caveam).

AUGURES, AUGURIUM v. DIVINATIO.

AUGUSTUS, Imperator romanus, Herodi qui magnus dictus est regnum iudaicum concessit eique varias regiones pro gratia adiecit, ita ut regnum Herodis a Damasco usque ad Aegyptum protenderetur. Erat autem Herodes qui a partibus steterat Antonii rex restitutus i. e. qui regnum suum debuit gratiae et amicitiae Caesaris Octaviani Augusti; alii quoque reges qui Antonium adiuverant in ordinem regum restitutorum redigebantur cf. *Suetonius*, Octav. 48). Et, uti Flavius Iosephus narrat (Ant. XV. 6,6 et 7), Herodes Rhodum ad Caesarem victorem profectus diadema deposuit, quod ei postquam apte suam tuitus est causam Octavianus rursum imposuit eumque inter amicos recepit. Erat itaque ex eo tempore Herodes rex, non iure proprio, sed solum titulo amici Caesaris. Et quantum imperio romano esset subiectus, etiam eo demonstrabatur, quod Iudaei iurare debebant se Caesaris regisque rebus esse fautures (Ant. XVII. 2,4), quod nummi Herodis non inveniuntur nisi aerei; proin ius cudendi nummos aureos et argenteos ei non concedebatur, id quod documento est eum non fuisse sui iuris, sed Caesari subiectum, cuius nummi iudaici revera inventi sunt cusi annis 30. 33. 35 i. e. antequam Iudaea in formam provinciae romanae redigeretur. Porro Herodes suam subiectionem etiam testabatur veneratione illa qua Augustum et Romam prosequebatur aedificatis urbibus, theatris, templis Augusto dedicatis, ludis in honorem eius institutis, quae se non sua sponte, sed ex iussu et mandato facere profitebatur. Insuper veniam petere debuit a Caesare, ut sibi liceret in filios rebelles animadvertere neque eius testamentum per se valuit sed debuit auctoritati Augusti committi ac subiici. Proinde Herodes non erat rex socius. Hisce iam removetur una ex praecipuis obiectionibus quae movetur contra Luc. 2,1 edicto Caesaris Augusti esse factum, ut descriptio haberetur in Iudaea. Quae obiectio inde iam enervatur quod Herodes tributum solvere debuit Augusto et quod Augustus, cum audisset eum duxisse exercitum, ei scripsit: se aliquando eum in amicis habuisse, nunc pro servo (ὑπηκόῳ) habiturum. Et quantum operis et laboris impendere debuerit ut Caesarem redderet sibi propitium, Iosephus narrat (Ant. XVI. 9,4; 10,8 et 9).

Refert itaque Lucas 2,1 exiisse edictum ab Augusto, ut describeretur universus orbis i. e. imperium romanum. Iam ex documentis profanis ea colliguntur qui-

bus haec descriptio omnino probatur. Eius praeambula quaedam erant mensurae regionum et agrorum, de quibus sat multa refert Plinius (III. 1,16; 2,17; cf. *Marquardt*, Handbuch der roemischen Alterth. III. 2 p. 165); ita Balbus mensor omnium provinciarum et formas civitatum et mensuras in commentariis contulit. Porro Tacitus (Annal. 1,11), Suetonius (Octav. 28. 102), Dio Cassius (53,30; 56, 33) referunt de rationario vel breviario imperii quod Augustus ipse conscripserat, in quo teste Tacito « opes publicae continebantur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciae, tributa aut vectigalia et necessitates ac largitiones; quae cuncta manu sua perscripserat Augustus ». Verum clarum est haec sciri non potuisse sine accurata inquisitione in singula. Porro praeter censum civium romanorum quem egit ter annis u. c. 726. 746. 767, etiam in provinciis multis, immo plerisque censum agendum curavit (cf. *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes etc. *ed.* 3, I. p. 524. 543). Itaque profecto etiam decretum edidit Augustus vel decrevit ut eiusmodi census fierent; proinde merito dicitur eiusmodi decretum exiisse, ut describeretur orbis terrarum; neque ea dictione affirmatur uno eodemque tempore vel eadem ratione ubique censum esse actum. Eius descriptionis mentionem facit Cassiodorius (*M.* 69,608) et eo quidem modo : « Augusti temporibus orbis romanus agris divisus censuque descriptus est, ut possessio sua nulli haberetur incerta quam pro tributorum susceperat quantitate solvenda; hoc auctor Hyrummetricus (emendant : Hyginus gromaticus) redegit ad dogma conscriptum ». Vides haec non e Luca esse hausta neque Lucam eius rei auctorem allegari. Neque obstat quod scriptores rerum romanarum de tali decreto non faciunt mentionem. Sufficit enim quod referunt census actos esse et Augustum rationarium imperii conscripsisse; si enim census habiti sunt, etiam de edicto et voluntate Caesaris iam non dubitari potest. Annales Taciti a Tiberio ducunt initium; ex libro 55 Dionis Cassii ea quae de rebus annis 748-752 gestis conscripta erant iniuria temporum non pervenerunt ad nos; quare non mirum est si non cuncta ex scriptoribus profanis demonstrari possunt. Nihilominus pro re nostra documenta exsistunt plane quae sufficiant; cf. *Cornely*, Introd. *ed.* 2 III. p. 156 ss.; *Knabenbauer* ad Luc. 2,1. Praeterea v. CYRINUS.

Post Herodis mortem filii eius Archelaus, Antipas, Philippus Romam profecti sunt; unusquisque enim ut pro se impetraret regnum ab Augusto optabat. Praeterea Romam adierunt quinquaginta legati populi iudaici qui peterent ut exclusis a regno filiis Herodis Iudaea provinciae Syriae attribueretur; adeo iis exosa erat Herodis familia. Augustus autem regnum divisit; Archelaus, non quidem rex, sed ethnarcha constitutus est eique regii nominis honor promissus, si dignam rege virtutem praestitisset; accepit Iudaeam, Idumaeam, Samariam. Antipas sortitus est Galilaeam et Peraeam; Philippus autem Batanaeam cum Trachonitide et Auranitidem (cf. *Flav. Ios.* Ant. XVII. 9,4 s. 11,4). Aliquae urbes, Gaza, Gadara, Hippos, a ditione Archelai avulsae et Syriae adiunctae sunt ab Augusto. Anno autem decimo principatus sui Archelaus in exsilium missus et tota eius ditio provinciae Syriae adiuncta est (Ant. XVII. 13, 2. 5). Atque haec de Augusto Imperatore aliquo modo ad s. litteras pertinent.

I. KNABENBAUER.

AURAN (חוֹרָן, Αὐρανῖτις, Ὠρανῖτις), regio qua Ezechiel (47,16. 18) terminum septemtrionalem et orientalem terrae sanctae determinat. Tali accurata finium descriptione propheta oraculo suo de nova instauratione pondus et firmitatem addit. Terminus septemtrionalis definitur a mari magno i. e. Mediterraneo; aquilonem versus extenditur usque ad introitum Emath; orientem versus ad confinium Auran protenditur. Terminus orientalis egreditur medius inter Auran, Damascum, Galaad ex una parte et terram Israel ex altera parte secundum Iordanem, ut scil. Iordanis terminum a septemtrione usque ad mare Mortuum constituat. Auran igitur apud Ezechielem totam regionem complectitur a lacu Tiberiadis orientem versus usque ad *Dje-*

Lel Hauran, a Damasci finibus meridiem versus usque ad Galaad. Difficilius est fines provinciae graeco-romanae Auranitidis determinare; a Flavio Josepho ad septentrionem Galaad quattuor regiones passim nominantur: Auranitis (*Hauran*), Trachonitis (*Ledjā*), Gaulanitis (*Djolān*), Batanaea (*el-Bataniye?*); Auranitis a Trachonitide et Batanaea aperte distinguitur (Bell. iud. I. 20,4; II. 17,4; Ant. XVII. 11,4); una cum Trachonitide regione Auranitis erat etiam pars tetrarchiae Philippi (Ant. XVII. 11,4; Luc. 3,1). Quattuor illae regiones comprehenduntur nomine Basan. — Hodie *Hauran* sensu strictiore est regio montana *Djebel Hauran* (Alsadamus mons et magna planities *el-Nuqra* inter *Djebel Hauran* et *Djolān* (Gaulanitidem ad orientem lacus Genesareth sitam). Tota regio est vulcanica. Imprimis celebris est propter cavernas et subterranea domicilia, quibus vici aditu difficiles hodieque a Drusis habitati formantur. Inde etiam nomen hebraicum a Gesenio et aliis explicatur terra cavernarum (חוֹר caverna). Idem nomen conservatum est in Mishna (Rosh ha-shana 2,4) et apud geographos arabicos. — In Auranitide secundum plerosque recentiores erat etiam Ausitis patria Iob; v. HUS.

De Hauran cf. imprimis *Wetzstein*, Reisebericht über Hauran u. die Trachonen, Berlin 1860; *Schumacher*, Across the Iordan, London 1886; Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XII. 1889, p. 225 ss.

AURICHALCUM legitur in Vulgata imprimis pro hebr. נְחֹשֶׁת מְכֻלָּמָה 3 Reg. 7,45, quod *aes laevigatum* explicant. Praeterea respondet graeco κασσίτερος Eccli. 47,20(18), ubi textus hebraicus כְּבַרְזֶל « sicut ferrum » legit. Denique in Apocalypsi bis explicat graecum χαλκολίβανος (1,15; 2,18), quod mixtionem auri et argenti, electrum vel aes corinthium vel simile quid videtur designare. Vide METALLA.

AURUGO (melius *aurigo*, uti cod. amiat. Ag. 2,18 scribit) dicitur morbus segetum, hebr. יֵרָקוֹן, de quo v. FRUMENTUM n. 6.

AURUM — 1. *Nomina.* Aurum ex omnibus metallis nobilissimum, hebraice communiter זָהָב audit, quod chaldaice דְּהַב pronuntiatur Esdr. 5,14; 7,15. 16 etc. Praeterea praesertim aurum purum variis aliis nominibus hebraeis designatur: כֶּתֶם, quod Vulgata explicat obrizum (Iob 31,24; cf. Dan. 10,5; כֶּתֶם טָהוֹר tincturae mundissimae Iob 28,19); הַטּוֹב כ״ color optimus (Lam. 4,1); אוֹפִיר כ״ tinctis Indiae coloribus (Iob 28,16), circumamicta varietate (Ps. 44[45],10), mundo obrizo (Is. 13,12); פַּז כ״ aurum optimum (Cant. 5,11, ubi cum LXX potius legendum יָקָר כ״); — deinde פַּז, quod in *Vulg.* dicitur aurum (Iob 28,17; Is. 13,12), aureus (Cant. 5,15), aurum primum (Lam. 4,2), topazion (Ps. 118 [119], 127), lapis pretiosus (Ps. 18[19], 11; 20[21],4; Prov. 8,19); — insuper חָרוּץ, quod S. Hieronymus fere semper aurum interpretatur (Ps. 67[68], 14; Prov. 8,10. 19; 16,16; Zach. 9,3; aurum primum et purissimum Prov. 3,14); — denique etiam בֶּצֶר aurum rude videtur designare, quod in Vulgata silex (Iob 22,24) et alia derivatione supposita contra hostes tuos (בְּצָרֶיךָ ib. v. 25) exponitur. Ad significandas auri qualitates etiam זָהָב cum variis appositis legitur: ז״ טוֹב aurum optimum (Gen. 2,12), aurum obrizum (2 Par. 3,5), aureus (ib. v. 8); ז״ טָהוֹר a. mundissimum (Ex. 25, 11. 31); ז״ מוּפָז a. fulvum nimis (3 Reg. 10,18); ז״ סְגוֹר a. purissimum (3 Reg. 6,20; 7,49 [purum]. 50; 10,21; 2 Par. 4,20. 22; 9,20), pro quo etiam סָגוֹר sine addito adhibetur (Iob 28,15 *Vulg.* aurum obrizum); ז״ שָׁהוֹם a. purissimum (3 Reg. 10,16), a. probatum (ib. v. 17), aureus (2 Par. 9,15 s.). Denique etiam ex locis, unde praecipue afferebatur, cognomen accepit (v. infra). Graece autem fere ubique χρυσός et χρυσίον appellatur.

2. *Origo.* In S. Scriptura quinque regiones auro celebres laudantur: Hevilath (חֲוִילָה Gen. 2,12 etc.), Ophaz (אוּפָז Ier. 10,9; Dan 10,5 *Vulg.* obri-

zum), Ophir (אוֹפִיר 3 Reg. 9,28 etc.; Σουφείρ Eccli. 7,18 [*Vulg.* om.]), Parwaim (פַּרְוַיִם 2 Par. 3,7[6] *Vulg.* probatissimum), Saba (שְׁבָא 3 Reg. 10,1 ss. etc.; Ps. 71[72],15 *Vulg.* Arabiae). Ex his Ophaz prorsus videtur ignotum, nec desunt qui eius loco vel Ophir vel מוּפָז, ut 3 Reg. 10,18 (v. supra) legendum censeant; Parwaim autem probabiliter in regione Ophir situm supponitur, cum auctor librorum Paralipomenon idem aurum quod antea *aurum Ophir* vocaverat (1 Par. 29,4), mox nomine *auri Parwaim* (2 Par. 3,6) videtur intellegere; idque confirmatur ex eo quod in regione arabica, ubi satis probabiliter Ophir Scripturae supponitur fuisse, etiam *Sāq el-Farwain* invenitur (*Ed. Glaser,* Skizze 2,347 s.; cf. *A. Sprenger,* Alte Geogr. Arab. 54 s.). Manent igitur regiones Hevilath, Ophir, Saba, ex quibus Saba certe, aliae duae satis probabiliter in Arabia sitae erant (v. artic. spec.). Atque revera in regione arabica plurima fuisse auri metalla, tum ex monumentis antiquis, tum ex testimonio Arabum, tum ex investigationibus recentiorum omnino constat (*Glaser* l. c. 347-54). — Praeter Arabiam autem praesertim Aegyptus superior et Aethiopia antiquis auri copiam praebebat.

3. *Usus.* Iam tempore Abrahae aurum magnam possessionis partem constituebat (Gen. 13,2 etc.) atque ad varios ornatus, inaures et armillas (ib. 24,22), sicut etiam apud Aegyptios et alias gentes, ad torques (ib. 41,42), vasa (Ex. 3,22), inaures (Iud. 8,24. 26; cf. Ex. 32,2) aliaque multa inserviebat. Praesertim ad vasa sacra et supellectilem tabernaculi (Ex. 25,11 ss.; 37,1 ss. etc.) et postea in templo salomonico (3 Reg. 6,22 ss.; 7,48 ss. etc.) adhibebatur; similiter ad usum profanum scuta ac vasa et alia ex auro conficiebantur (3 Reg. 10,16 ss.; 2 Par. 9,15 ss. etc). Item in cultu idololatrico, sicut vitulus aureus (Ex. 32,4 ss.), ita et simulacra alia ex auro fiebant (Is. 2,20; 31,7 etc.) vel auro vestiebantur (Is. 40,19 hebr.). Praeterea in commercio pretium rei auro aliisque metallis solvebatur (1 Par. 21, 25), quamquam nummi aurei signati posteriore tantum aetate cudebantur.

Alia v. in art. METALLA. Cf. *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Alterth. IV. 1,48-53; *I. Duns,* Bibl. Nat. Science 1,96 s.; 2,357 s.; *R. Lepsius,* Metalle in d. aeg. Inschr., Philol.-hist. Abhandl. Berl. Akad. 1871, 31-43. 115 s.; *Leunis-Senft,* Synopsis III. 1, p. 308 s.; *Wilkinson-Birch,* Manners and customs 1,154 s.; 2,232-45; *Ad. Erman,* Aegypten 613-20; *M. Bauer,* Lehrb. d. Mineralogie, Berlin u. Leipzig 1886, 255 s.

L. FONCK.

AUSITIS (Αὐσίτις) seu terra Hus v. HUS.

AUSTER v. VENTI.

AVA, AVAH urbs. Avah (עִוָּא, Ἀϊά) enumeratur una cum Babylone, Cutha, Emath, Sepharvaim regionibus, ex quibus Sargon incolas in Samariam transtulit (4 Reg. 17,24). Ava (עִוָּה, Ἀβά) una cum Sepharvaim et Ana legitur in proclamatione Rabsacis legati Sennacherib ad legatos Ezechiae et in epistula Sennacherib ad Ezechiam regem Iuda transmissa (4 Reg. 18,34; 19,13; Is. 37,13). Incolae Avah, qui 4 Reg. 17.31 Hevaei (עִוִּים, Εὐαῖοι) vocantur, sed ab antiquo populo chananaeo Hevaeorum bene distinguendi sunt, in Samariam cultum idolorum suorum Nebahaz et Tharthac introduxerunt (4 Reg. 17,29-31). Ex locis citatis dubium oritur, utrum Avah et Ava sint duae urbes an una. Generatim una eademque esse censetur. Insuper non liquet, utrum haec urbs cum Arphad et Emath in Syria an cum Cutha in Babylonia quaerenda sit. Series enumerationis 4 Reg. 18,34; 19,13; Is. 37,13 Babyloniam suadet, ut plerique (*Vigouroux, Schrader, Rawlinson, Riess* etc.) admittunt. *Rawlinson* suggerit urbem *Hit* (Ἴς apud *Herodot.* 1,179) in ripa Euphratis sitam. In hac suppositione Ava (Avah) eadem esset cum Ahava, quod vide.

Ceterum quoad Ava (4 Reg. 18,34; 19, 13; Is. 37,13) vide, quae iam s. v. ANA adnotavimus : Ana et Ava a quibusdam non nomina urbium, sed nomina divina (stellarum) explicari.

Cf. *Rawlinson,* The five great monarchies 1871, I. p. 21; *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 269. 273. II. 9; *Riess,* Bibl. Geogr. p. 76 (wohl meso-

pot. Stadt oder Distrikt : *Vigour ouv.* a Bible et les déc. mod. *ed.* 6. III. p. 571. 572 573; *Pannier* apud *Vigouroux.* Dict. de la Bible I. 1284. 1285.

AVARITIA (eo modo plerumque redditur בצע *lucrum*, πλεονεξία). Bona terrestria animum hominis sensusque vehementer alliciunt; pecunia autem comparari possunt; insuper amor pecuniae possidendae et augendae facile animos hominum per se iam occupat et captivat. Quare ut ab avaritia caveamus, gravissimis documentis in s. litteris admonemur, inter quae palmare ac fundamentale illud est Domini : non potestis Deo servire et mammonae Matth. 6,24; Luc. 16,13. Unde servire mammonae i. e. avaritia ab apostolo vocatur idololatria, simulacrorum servitus, εἰδωλολατρεία Col. 3,5, et avarus πλεονέκτης vocatur εἰδωλολάτρης Eph. 5,5 et amor pecuniae φιλαργυρία tamquam radix omnium malorum designatur 1 Tim. 6,10 et ratio redditur : nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva quae mergunt homines in interitum et perditionem 1 Tim. 6,9. Qui enim eo morbo laborat, ad omne peccatorum genus, ad omnem iniustitiam et oppressionem pronus ac paratus est, dummodo cupiditatem suam explere posse speret, et quia amans pecuniam, avarus, non satiabitur unquam pecunia (Eccl. 5,9 hebr.), avaritia est causa perpetua scelerum, unde Sapiens ait : avaro nihil est scelestius (Eccli. 10,9). In quod vitium prophetae quoque vehementer invecti sunt Is. 5,8; 56,11; 57,17; Ier. 6,13; 8,10; 22,17; Ez. 33,31; Hab. 2,9. Ipsi filii Samuelis avaritia perversi et abrepti sunt ideoque acceperunt munera et perverterunt iudicium (1 Reg. 8,3); famulus Elisei prophetae, Giezi, avaritiae poenas lepra percussus luit (4 Reg. 5, 26. 27); pecuniae amore Iudas fur effectus est et proditor Domini : quid vultis mihi dare et ego eum tradam (Matth. 26,15; Ioan. 12,4 s.), et inter eos qui regnum Dei non possidebunt apostolus avaros quoque recenset (1 Cor. 6,10). Quare merito postulat psalmista : inclina cor meum in testimonia tua et non in avaritiam (Ps. 118,36) et Dominus clamat : cavete ab omni avaritia Luc. 12, 15; et divitias esse dicit spinas quibus bonum semen suffocetur et sine fructu efficiatur (Matth. 13,22); unde et vae dicit divitibus qui suam consolationem habeant in divitiis (Luc. 6,24), dum pauperes beatos praedicet et paupertatem viam assignet ad perfectionem (Matth. 5,3; 19,21) et animum ab omni sollicitudine esse abstrahendum doceat et unice esse incumbendum, ut thesauros sibi colligant caelestes (Matth. 6,20. 25). — Praecipue iudices iubentur quam maxime sibi cavere ab avaritia, ne muneribus se corrumpi sinant; cf. Ex. 18,21; 23,8; Deut. 16,19; 27,25; Ps. 25,10; Prov. 17,23; Is. 5,23; Mich. 3,11 etc.; qui autem omnem a se amovent avaritiam, debitis laudibus ornantur et praeclara promissa sortiuntur : qui odit munera vivet Prov. 15,27; qui odit avaritiam, longi fient dies eius Prov. 28,16; qui proiicit avaritiam... in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius Is. 33,15. 16. Quare apostolus monet ἀφιλάργυρος ὁ τρόπος, sint mores sine avaritia Hebr. 13,5.

I. KNABENBAUER.

AVEN (אָוֶן *inanitas*, *vanitas* seu *inane*, *vanum*). Haec vox in hebraeo adhibetur de vanitate idolorum et rerum ad idola pertinentium (1 Sam. 15,23) adeoque de ipsis idolis; v. IDOLOLATRIA. Sed quaeritur num forte Aven etiam nomen proprium locorum sit. Tria loca in quaestionem vocantur.

1. Campus idoli (בִּקְעַת־אָוֶן, πεδίον Ἄων) legitur Am. 1,5 in denuntiatione iudicii divini adversus Syros Damasci. Sensum quem *Vulg.* exhibet nomine appellativo, vide apud *Knabenbauer* ad h. l. Nomen appellativum quoque reddunt *Aquila :* inutile, *Symm.* et versio *Quinta :* iniquitas. Nomen proprium praeter LXX et *Theod.* (Ἄων) etiam *Chald.* et *Syrus* exprimunt. Recentiores plerique nomen proprium agnoscendum putant, sed ubinam sit ista vallis *Aven*, pro certo dicere nequeunt. Aliqui eam quaerunt prope Damascum (*I. D. Michaelis* in not. ad Am. 1,5; *Keil* ad h. l.). Plerique

autem vallem Coeles Syriae, hodie *Beqāʿa*, inter utrumque Libanum praeferunt, cuius urbs principalis est *Baʿalbek* seu Heliopolis Graecorum et Romanorum (*Calmet, Rosenmüller, Ewald, Hitzig, Fillion* etc.); cf. *Trochon*, Les petits Prophètes, Paris 1883, p. 143, qui varias sententias refert; *Fillion*, La sainte Bible commentée VI. p. 410.

2. Excelsa idoli (בָּמוֹת אָוֶן, βωμοὶ Ὤν) Os. 10,8 sunt excelsa idolorum prope Bethel, quae 10,5 a vate contemptim vocabatur Bethaven seu domus iniquitatis, non iam Bethel seu domus Dei; est igitur allusio ad Bethaven = Bethel.

3. Aven in textu massorethico Ez. 30, 17 est On urbs Aegypti, ut contextus suadet et versiones confirmant (LXX et *Vulg.* Heliopolis); v. HELIOPOLIS.

AVES. 1. *Nomina.* Aves variis nominibus hebraicis designantur. Generatim volatilia quaecumque, sive aves, sive insecta, vocantur עוֹף, cui respondet gr. πετεινόν, et in *Vulg.* avis, volatile, volucris; saepissime cum שָׁמַיִם « caelum » coniungitur (« aves caeli »), sicut Assyrii similiter *iṣṣur shamee* s. *iṣṣurat shamame* frequenter adhibent. Etiam צִפּוֹר sensu generali omnes volucres, sed praesertim aves minores designat; in *Vulg.* explicatur avis, volucris, passer (ult. Lev. 14, 4-7. 49-53; Ps. 10,2; 83[84], 4; 101[102], 8; 103[104],17; 123[124],7), Graecis plerumque est ὄρνεον. Praeterea כָּנָף, quod proprie *alam* significat, saepius pro alite adhibetur et in *Vulg.* volucris seu volatile exponitur (Gen. 7,14. Ez. 17,23 etc.). Pulli avium appellantur אֶפְרֹחַ (Deut. 22, 6; Iob. 39,30; Ps. 83[84],4; *Vulg.* pulli) et גּוֹזָל (Deut. 32,11 *Vulg.* pulli; Gen. 15,9 *Vulg.* columba). Aliud nomen עַיִט proprie aves rapaces significat, in *Vulg.* autem simpliciter aves seu volucres explicatur, sicut in versione graeca πετεινά et ὄρνεα (Gen. 15,11; Iob 28,7; Is. 18,6; 46,11; Ier. 12,9; Ez. 39,4). Denique *aves altiles,* בְּרִיִּים אֲבִיסִים, dicuntur aves, quae pro mensa regia Salomonis specialiter alebantur (3 Reg. 4.23 hebr. 5, 3); cuiusnam vero speciei istae fuerint, non liquet, neque argumenta suppetunt, ut cum aliis eas anseres apud Aegyptios communissimos, aut cum aliis gallos aut cum aliis alias aves dicamus fuisse.

2. *Species.* Divisionem avium secundum certas notas speciales Scriptura S. non tradit; practicam vero statuit inter aves mundas et immundas distinctionem (Lev. 11,13-19; Deut. 14,11-20. V. ANIMALIA IMMUNDA). Praeterea nomine generali עַיִט aves rapaces a reliquis discernuntur, atque etiam aliquae aves migratoriae specialiter nominantur (Ier. 8,7; cf. Cant. 2,12). De avium vita autem multa ab auctoribus sacris accurate observata et notata invenies, praesertim in comparationibus biblicis : velut de volatu avium celerrimo atque oculorum acie (v. AQUILA), de nido (Num. 24,21; Deut. 22,26; Ps. 83[84]. 4; Prov. 27,8; Is. 10, 14; Matth. 8,20 etc.) curaque tenera pullorum (Ex. 19,4; Deut. 32,11; Is. 31, 5; Matth. 23,37; Luc. 13,34 etc.), de cantu (Ps. 103[104],12; Eccl. 12,4; Cant. 2,12) aliaque plura.

3. *Usus.* Usus praecipuus avium mundarum erat, ut essent in cibum (Deut. 14, 11. 20), ac certo etiam antiquitus, sicut postea, non modo carnes, verum et ova (בֵּיצִים) comedebantur (Luc. 11,12; cf. Deut. 22,6; Is. 10,14; 59,5). Praeterea in sacrificium a Noë quidem aves mundae omnis generis (Gen. 8,20), ab Abrahamo vero turtures et columbae offerebantur (Gen. 15,9 s.). In Lege autem in minoribus tantum sacrificiis offerendae praecipiuntur praesertim turtures et columbae (Lev. 1,14; 5,7-11; 12,6. 8 etc.), sed etiam aliae aves minores (Lev. 14,4-7. 49-53). Similiter apud Aegyptios aves in cibum et in sacrificia adhibitas esse monumenta passim testantur (cf. *R. Lepsius*, Denkm. II. 9. 10. 12 etc.), atque etiam in inscriptionibus cuneiformibus variae aves in cibum et in sacrificia offerendae commemorantur (*Gudea* Inscr. G col. 4,6 ss.; 5,20; 6,1 ss. *Nabuchodonosor* Cyl. Grotef. col. 1,19; 2,29; 3,13 etc.). Ad utrumque vero usum aves a venatoribus vario modo capiebantur, retibus, laqueis, caveis (*Vulg.* decipula. Ier. 5,27); v. AUCEPS, AUCUPIUM. Captae quoque vivae sive propter cantum, sive ob varios pennarum colores ac formae pulchritudinem

ad delectationem servabantur (Iob 40, 24 hebr. 29; Baruch 3,17. Cf. 3 Reg. 10, 22), id quod Aegyptiis quoque (*Lepsius* II. 19. 35. 42. 50. 60 etc.) et Assyriis consuetum erat. — De superstitioso avium in auguriis usu v. DIVINATIO.

4. ***Textus aliqui particulares.*** De aliquibus textibus pauca in particulari notanda sunt. Apud Isaiam 46,11 avis (עַיִט), quam Dominus ab Oriente vocat, quaeque figura est regis Persarum, probabiliter aquilae species intellegenda est, cuius imaginem exercitus Persarum, sicut postea Romanorum aliarumque gentium, in signis suis praeferebant (cf. *Xenoph.* Cyrop. 10,4). — Avis discolor (עַיִט צָבוּעַ), cui dominus apud Ieremiam haereditatem suam, populum scil. electum, comparat, contra quam ceterae aves omnes congregantur ad persequendum (Ier. 12,9), probabiliter non est hyaena, ut volunt *H. B. Tristram* (Nat. hist. of the Bible *ed.* 8 p. 107 s.) aliique, sed species quaedam noctuae, quae et varietate pennarum distinctae sunt, quamque aves minores magno strepitu persequuntur, sicubi interdiu apparuerit (v. NOCTUA). — Volatilia s. volucres caeli, quibus carnem impiorum devorandam se daturum Dominus saepe minatur (עֵיט 1 Reg. 17,44. 46; 3 Reg. 16,4; 21, 24; Ps. 78[79],2; Ier. 7,33; 16,4; 19,7; 34,20; Ez. 29,5; 32,4. — צִפּוֹר כָּל־כָּנָף Ez. 39,17; cf. v. 4, etc.), ex natura rei aves rapaces intellegendae sunt, ex quibus praesertim vultures, ac maxime *Vultur percnopterus* Linné, carne delectantur morticina et magno numero ad quodcumque cadaver congregantur (v. AQUILA, PORPHYRIO). — In libro Iob (5,7), ubi S. Hieronymus vertit « avis (nascitur) ad volatum », textus massorethicus potius de scintillis flammae (בְּנֵי רֶשֶׁף) videtur intellegendus, quae ex igne in altum emicant; sed LXX (νεοσσοὶ γυπός s. γυπῶν) loco רֶשֶׁף videntur נֶשֶׁר legisse; Peshitta quoque de « filiis avis » (בני עיטא) textum exponit, ac pariter Aquila (υἱοὶ πτηνοῦ), Symmachus (τὰ τέκνα τῶν πετεινῶν), Sexta (υἱοὶ πτηνοῦ), Vetus Latina pulli vulturis).

De avibus ap. Aegyptios cf. *I. Rosellini*, Monumenti civili (II.) 1,146-90; *A. Erman*, Aegypten 321-6. 587 s. De avibus ap. Assyrios cf. *W. Houghton* in Proceed. Soc. Bibl. Arch. IV. 1882, 57-60; Transact. Soc. B. A. VIII. 1884, 42-142. Alia v. in art. ANIMALIA.

L. FONCK.

AVIM (הָעִיִּים cum articulo, Αἰεί), urbs tribus Beniamin (Ios. 18,23). Enumeratur inter Bethel (*Beitīn*) et Aphara (*Kh. Tell el-Fāra*) in serie urbium, quae orientem et septemtrionem tribus Beniamin occupant (Ios. 18,21-24). Situs accuratior ignoratur. Aliqui (*Dillmann*) putant Avim corruptionem vel variationem nominis Ai (v. HAI). Fortasse vestigium alicuius familiae Hevaeorum in nomine Avim latet.

AVITH (עֲוִית, Γεθθαίμ, Γεθαίμ), urbs regis idumaei Adad filii Badad (Gen. 36, 35; 1 Par. 1,46; hoc altero loco *Kethib* עֲוִית, *Qeri* cum Gen. 36,35 concordat). A nonnullis aliqua similitudo nominis deprehenditur cum *Djebel el-Ghuweite* seu iugo collium, quod ad orientem maris Mortui inter duos fluvios, ex quibus Arnon coalescit, extenditur scil. inter *Seïl el-Sa'īde* et *Wādi Enkeile* (ita *Knobel*, cuius opinionem *Delitzsch* et *Dillmann* referunt, quin approbent vel reiiciant).

AVOTHIAIR i. e. Havoth Iair v. IAIR 1 et 2.

AXA (עַכְסָה, Ἀσχά), filia Caleb filii Iephone et comitis Iosue, quae Othonieli iudici ob expugnationem Cariath Sepher urbis munitissimae in matrimonium data est (Ios. 15,16-19; Iud. 1,12-15). Cf. OTHONIEL. Fortasse eadem est, qua 1 Par. 2,49 scribitur Achsa filia Caleb filii Hesron, scil. filia sensu latiore (v. CALEB 2).

AXAPH, urbs Aser v. ACHSAPH.

AZA (עַזָּא, Ἀζώ, Ὀζί), princeps cognationis Nathinaeorum, qui duce Zorobabel e captivitate babylonica reverterunt (Esd. 2,49; Neh. 7,51).

AZA (עַזָּה, Γάζη), urbs in termino septemtrionali tribus Ephraim occidentem versus (1 Par. 7,28). Putarunt multi legendum esse עַיָּה, Aiah cum multis ma-

nuscriptis et nonnullis editionibus; sed alia mss. legunt עזה, quam lectionem LXX, Vulgata, Chaldaeus commendant. Versiones autem syriaca et arabica praebent Anath. Unde concludit *I. B. de Rossi :* In tanta ergo codicum dissensione retinendum עזה (Variae Lect. Vet. Test. IV. p. 175).

AZAEL v. HASAEL.

AZAHEL v. ASAEL 4.

AZAL v. BETH EZEL.

AZANIAS (אַזַנְיָה, Ἀζανίας), pater Iosue levitae inter signatores foederis enumerati (Neh. 10,9).

AZANOTTHABOR (אֲזַנּוֹת תָּבוֹר i. e. aures seu extrema Thaboris; Ἀθαεσώρ) legitur in descriptione termini tribus Nephthali (Ios. 19,34). Onom. (*ed. Lag.* 224,88; 95,23) : « Azanoth terminus Neptali. Est autem et nunc vicus ad regionem Diocaesareae pertinens in campestribus ». Unde quaeritur iste vicus inter meridiem et orientem ab urbe Diocaesarea (Sepphoris, *Ṣaffūriye*). Attamen ex ordine descriptionis termini Nephthali, prout eam *F. de Hummelauer* ad h. l. interpretatur, Azanotthabor potius quaerenda est in Galilaea superiore ab Hucuca Iordanem versus i. e. in termino australi tribus Nephthali ; ex voce Thabor nihil contra hanc situs determinationem argui posse facile patet.

AZAREEL (אֲזַרְאֵל) nomen sex virorum, ex quibus tres in *Vulg.* scribuntur Azareel scil. **1.** Vir de posteris Core et socius Davidis in Siceleg fugitivi (1 Par. 12,6; LXX Ὀζριήλ).

2. Levita, filius Heman, princeps undecimae classis musicorum davidicorum (1 Par. 25,18; LXX Ἀζριήλ).

3. Levita et musicus tempore Nehemiae (Neh. 12,35[36]; LXX Ὀζιήλ).

Aliorum nomina in *Vulg.* sunt Azreel (Neh. 11,13), Ezrihel (2 Par. 27,22), Ezrel (Esdr. 10,41); v. AZREEL et EZRIHEL.

AZARIAS (עֲזַרְיָה, עֲזַרְיָהוּ, Ἀζαρίας), nomen valde frequens. Primo recensebimus pontifices eius nominis, postea reliquos ex ordine sacrorum librorum.

1. Filius Sadoc pontificis vel potius filius Achimaas filii Sadoc, praecipuus consiliarius Salomonis (3 Reg. 4,2; 1 Par. 6,9[5,35]). Ad eundem referri videntur, quae per errorem librarii, ut supponere licet, de altero (vide 2) Azaria pontifice ex posteris huius Azariae dicuntur 1 Par. 6,10[5,36] : « ipse est qui sacerdotio functus est in domo, quam aedificavit Salomon in Ierusalem ».

2. Filius Iohanan filii Azariae praecedentis (1 Par. 6,10. 11[5,36. 37]); recensetur inter maiores Esdrae (Esdr. 7,3). Videtur pontifex fuisse tempore Asa regis Iuda, quoniam eius filius Amarias pontifex erat tempore Iosaphat regis (v. AMARIAS 2).

3. Pontifex ille, qui Oziam (seu Azariam) regem Iuda frustra monuit, ne incensum adolere tentaret (2 Par. 26,17. 20).

4. Pontifex de stirpe Sadoc tempore Ezechiae (2 Par. 31,10. 13).

5. Filius Helciae et pater Saraiae ultimi pontificis ante exsilium (1 Par. 6,13. 14[5,39. 40]; recensetur inter maiores Esdrae (Esdr. 7,1).

6. Filius Nathan praepositus duodecim illis praefectis, qui Salomoni regi ac domui eius annonam praebebant (3 Reg. 4,5. 7); utrum eius pater fuerit Nathan propheta (2 Reg. 7,2 s.) an filius David (2 Reg. 5,14), non constat.

7. Rex Iuda, filius Amasiae (4 Reg. 14, 21; 15,1 s.; 1 Par. 3,12); alias vocatur Ozias (vide s. v.).

8. Filius Ethan ex posteris Zara in genealogia Iuda (1 Par. 2,8). Ex sententia *F. de Hummelauer* (Comment. in Num. p. 198. 203) hic Azarias idem est atque Ezra 1 Par. 4,17.

9. Filius Iehu ex posteris Hesron per Ierameel (1 Par. 2,38. 39); enumeratur septimus inter illos tredecim, qui ab Oholai filia Sesan descendunt, quae Ieraa Aegyptio, servo Sesan, nupserat.

10. Levita ex maioribus Heman celeberrimi cantoris (1 Par. 6,36[21]).

11. Filius vel potius ex posteris Helciae, pontifex (נָגִיד) domus Dei in Ierusalem post captivitatem (1 Par. 9,11); idem loco parallelo Neh. 11,11 vocatur Saraia, princeps domus Dei i. e. princeps illius classis sacerdotalis, quae tempore Zorobabel, Ioacim pontificis et Ne-

hemiae prima inter familias sacerdotales recensetur cf. Neh. 10,2 3 ; 12,1. 12 . Videtur idem esse qui vocatur Esdr. 2,2 Saraia, Neh. 7,7 Azarias inter eos, qui cum Zorobabel redierunt.

12. Filius Oded, propheta, qui regem Asa post victoriam de Zara rege Aegypti et Aethiopiae reportatam admonuit, ut in Domino collocaret fiduciam et foedus theocraticum servaret (2 Par. 15,1-8 et v. ASA 1).

13. Duo filii Iosaphat regis (2 Par. 21,3 . Alter in textu hebr. scribitur Azaria, alter Azariahu; quod idem nomen est. Unde aliqui coniiciunt alterutrum nomen corruptum esse (fortasse ex *Amarias*), cum haud probabile sit duos fratres idem nomen habere.

14. 15. Filius Ieroham et filius Obed, duo ex centurionibus, quos Ioiada pontifex socios elegit, ut Athaliam regno privaret (2 Par. 23,1).

16. Filius Iohanan, unus de principibus Ephraim tempore Phacee regis Israel, qui hortante Oded propheta captivos Iudaeos regi Achaz remittendos esse liberos censuerunt (2 Par. 28,12).

17. 18. Inter levitas, qui monente Ezechia rege sanctificati sunt, ut domum Dei expiarent, recensentur Ioel filius Azariae de stirpe Caath et Azarias filius Ialaleel de stirpe Merari (2 Par. 29,12).

19. Levita tempore Ezechiae regis (2 Par. 31,13).

20. Filius Maasiae filii Ananiae, aedificans partem muri Ierusalem contra domum suam (Neh. 3,23. 24).

21. Unus ex levitis, qui, ut Esdras legem Domini praelegeret, silentium faciebant in populo et ipsi quoque praelegebant (Neh. 8,7. 8).

22. Sacerdos inter signatores foederis a Nehemia renovati (Neh. 10,2[3]). Iuxta eum l. c. nominatur Saraias, qui idem censeri potest atque AZARIAS 11, ut supra innuimus.

23. Unus ex principibus Iuda tempore Nehemiae (Neh. 12,33).

24. Azariae nomen sibi attribuit angelus Raphael, cum se comitem Tobiae pro itinere offerret (Tob. 5,18; 6,7; 9,1 et v. ANANIAS 3).

25. Azarias filius Osaiae nominatur inter eos, qui Ieremiam prophetam mendacii accusantes fugam in Aegyptum contra Dei mandatum esse suscipiendam reliquis persuaserunt (Ier. 43,2; sed. v. IEZONIAS 1).

26. Unus ex tribus sociis Danielis (Dan. 1,6 s.; 2,17; 3,25 s.; 1 Mach. 2,59), nomine babylonico vocatus Abdenago (vide s. v.); reliqua vide s. v. ANANIAS 5, quocum eadem vitae conditione usus est.

27. Azarias et Iosephus filius Zachariae, duces populi, cum residuo exercitu a Iuda Machabaeo relicti sunt in Iudaea ad custodiam, qui non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel; cum enim contra mandatum Iudae expeditionem contra Iamniam suscepissent, a Gorgia victi et fugati sunt (1 Mach. 5,18. 56-62).

Nota denique in nonnullis codicibus hebraicis 2 Par. 22,6 mendose legi *Azarias* pro *Ochozias* (cf. 4 Reg. 9,16).

AZARICAM (עַזְרִיקָם, Ἐσρικάμ), unus ex maioribus Semeia levitae post instaurationem Hierosolymis habitantis (Neh. 11,15). Idem appellatur Ezricam 1 Par. 9,14. V. EZRICAM 3.

AZAU (חֲדוֹ, Ἀζαῦ), unus ex octo filiis Nachor fratris Abraham, quos Melcha illi genuit (Gen. 22,22).

AZAZ (עָזָז, Ἀζούζ), filius Samma de tribu Ruben (1 Par. 5,8).

AZAZIAS (עֲזַזְיָהוּ, Ὀζίας), unus ex levitis, qui decimis, primitiis donisque in templo conservandis ex mandato Ezechiae regis praepositi erant (2 Par. 31, 13).

AZBOC (עַזְבּוּק, Ἀζαβούχ), pater Nehemiae cuiusdam hierosolymitani, principis dimidiae partis vici Bethsur, in muris urbis Nehemiae tempore aedificandis occupati (Neh. 3,16).

AZECA (עֲזֵקָה, Ἀζηκά), urbs tribus Iuda in prima provincia Sephelae non procul a Socho sita (Ios. 15,35). Existebat iam antequam Hebraei terram promissam ingrederentur; nam post pugnam ad Gabaon Iosue quinque reges chananaeos persecutus est usque Azeca et Maceda Dominusque misit super eos la-

pides magnos de caelo usque Azeca (Ios. 10,10. 11). Philisthaei cum Saule bellum gerentes castra posuerunt inter Socho et Azeca in finibus Dommim, scil. in collibus, qui valli terebinthi ex una parte adiacent; ex altera parte vallis exercitus Saulis stabat et interfecto per Davidem Goliath gigante Philisthaeos fugavit eorumque castra cepit (1 Reg. 17). Roboam rex Azecam muris instruxit (2 Par. 11,9). Sedecia rege Azeca (*Vulg.* Azecha) copiis Nabuchodonosor resistere conabatur (Ier. 34,7). Post captivitatem denuo a filiis Iuda incolebatur (Neh. 11,30). — Azeca quaeri debet haud procul a Socho et Dommim (rectius Phesdommim). Situs accuratior nondum determinari potuit; coniecturas varias recenset *Heidet* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1303-1305. Maxima cum probabilitate pro Azeca assignari videtur *Tell Zakariye*, inter septemtrionem et occidentem a *Shuweike* (Socho).

Cf. *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, I. 89; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV; *Legendre*, Carte de la Palestine, addito signo?; Mitteil. und Nachr. des Deutschen Pal.-Ver. 1896, p. 26; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 271.

AZER (עֵזֶר, Ἀζούρ), levita, filius Iosue, princeps Maspha, qui in aedificandis muris Ierusalem tempore Nehemiae operam praestitit (Neh. 3,19).

AZGAD (עַזְגָּד, Ἀσγάδ), princeps familiae, quae Zorobabel duce ex captivitate rediit. Numerus filiorum Azgad revertentium Esdr. 2,12 exhibetur 1222, Neh. 7,17 vero 2322. Esdram in secundo itinere hierosolymitano comitati sunt de filiis Azgad centum et decem duce Iohanan (Esdr. 8, 12). Inter signatores foederis per Nehemiam renovati idem nomen legitur (Neh. 10,15).

AZIAM (עַזִּיָּה, Ἀζία), pater Athaiae principis de tribu Iuda post captivitatem Hierosolymis degentis (Neh. 11,3. 4).

AZIZA (עַזִּיזָא, Ὀζιζά) de filiis Zethua, unus ex iis, qui uxores alienigenas in exsilio ductas mandato Esdrae adacti eiecerunt (Esdr. 10,27).

AZMAVETH, AZMOTH (עַזְמָוֶת), nomen proprium virorum.

1. Azmaveth (Ἀσμώθ) de Beromi seu rectius de Bahurim tribus Beniamin, unus de Gibborim David (2 Reg. 23,31); idem vocatur Azmoth Bauramites 1 Par. 11,32 (Ἀζβών, A Ἀζμώθ).

2. Azmoth (Ἀσμώθ, Ἀζμώθ, Γαζμώθ), filius Ioada ex posteris Saul per Ionathan (1 Par. 8,36; 9,42).

3. Azmoth (Ἀσμώθ) Beniaminita, pater Iaziel et Phallet, qui egregii pugnatores et sagittarii Davidi in Siceleg fugitivo se iunxerunt (1 Par. 12,3). Potest hic esse idem ac Azmaveth 1 de Bahurim. Sed forte est nomen urbis, non viri, ita ut Iaziel et Phallet dicantur filii Azmoth urbis.

4. Azmoth (Ἀσμώθ), filius Adiel, praepositus super thesauros David regis (1 Par. 27,25).

AZMAVETH (עַזְמָוֶת, Ἀζμώθ), urbs cuius filii quadraginta duo duce Zorobabel e captivitate redierunt (Esdr. 2,24); enumerata cum Anathoth, Cariathiarim, Cephira, Beroth, Rama, Gabaa sine dubio ad tribum Beniamin pertinebat. Eadem simul cum Geba effertur inter urbes, ex quibus cantores ad dedicationem muri Ierusalem confluxerunt (Neh. 12,29). Ex his duobus locis colligere fas est, Azmaveth fuisse prope Geba (hodie *Djebā'*) et Anathoth (hodie *'Anātā*); inter has duas urbes medius est vicus *Ḥizma*, qui tum situ tum nomine Azmaveth urbi videtur correspondere. Eadem Neh. 7,28 vocatur Bethazmoth (בֵּית־עַזְמָוֶת, Βηθασμώθ).

Cf. *Guérin*, Judée III. p. 74. 75; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 9; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 464.

AZOR (Ἀζώρ) in genealogia Christi Matth. 1,13 : Eliacim genuit Azor.

AZOTI MONS (1 Mach. 9,15), ad quem usque Iudas Mach. dexterum cornu Syrorum persecutus est in pugna apud Laisam, in qua ipse occubuit. Ipsa lectio ἕως Ἀζώτου ὄρους quibusdam criticis valde dubia videtur, cum vix probabile sit pugnam procul a Iudaea in vicinitate Azoti commissam esse.

Aliam rationem dubitandi creat lectio

Flav. Iosephi (Ant. XII. 11,2): μέχρι Ἐζᾶ (Ἀζᾶ) ὄρους. Suspicantur nonnulli lectionem hebraicam fuisse אשדות ההר i. e. usque ad radices montis. — Quodsi lectio Azoti retinenda est, designari videtur collis inter Azotum (*Esdūd*) et oram maritimam, hodie *el-Rās* dictus, uti opinantur *Guérin*, *Liévin de Hamme*, alii. E contra *D. Zanecchia* agnoscit Laisam in *Khirbet Il'asā* inter Bethoron superiorem et inferiorem atque montem Azoti in *Bīr el-Zeit* 2 km a *Djifnā* (Gophna) inter septemtrionem et occidentem.

Cf. *Guérin*, Judée II. 71; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, II. 235; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 501. 502.

AZOTUS אַשְׁדּוֹד: Ἄζωτος), una ex quinque urbibus praecipuis Philisthaeorum (Ios. 13,3), ab Enacitis habitata, quos Israelitae expellere non valuerunt (Ios. 11,22); tribui Iuda assignata est (Ios. 15, 46. 47), sed in potestate Philisthaeorum permansit (Am. 1,8; 3,9; Soph. 2,4; Zach. 9,6). Tempore Heli pontificis Philisthaei arcam foederis captam a Lapide Adiutorii Azotum asportaverunt, quae eo tempore caput pentapoleos fuisse creditur, et in templum Dagon intulerunt (1 Reg. 5,1. 2); erat enim Dagon numen praecipuum Philisthaeorum, quod Gazae et Azoti imprimis colebatur; cf. Iud. 16, 23; 1 Mach. 10,83; 11,4. Sed propter plagas Philisthaeis immissas arca Azoto in Geth, deinde in Accaron translata, denique Israelitis restituta est simul cum anathematibus ad avertendas plagas oblatis (1 Reg. 5,3-6,18). Philisthaeis Azotum eripuit Ozias nonus post Roboam rex Iuda eiusque muris dirutis oppida in finibus Azoti exstruxit (2 Par. 26,6); quamdiu urbs in ditione Iuda permanserit, ignoramus. Ex Is. 20,1 discimus Azotum a Tharthan i. e. duce bellico Sargon regis Assyriorum captam esse; inscriptiones assyriacae idem factum referunt et regem Azoti (*Asdudu*. *Asdudi*), quem Sargon deposuit, nominant *Azuri;* etiam successoribus Sargon (Sennacherib, Asarhaddon, Asurbanipal) Azotii subiecti erant (cf. *Schrader*). Postea vero cum Assyrii a Medis distinerentur, Psammetichus rex Aegypti anno 630 a. Chr. Azotum Assyriis eripuit, postquam per annos 29 eam obsedit, ut Herodotus (2,157) refert: ab hac expugnatione plerique interpretes reliquias Azoti Ier. 25,20 explicant. Textus graecus Iudith 2,28 Azotum inter urbes enumerat, quibus Nabuchodonosor (i. e. Asurbanipal ex opinione satis probabili) Asiam occidentalem debellans terrorem iniecit. Ex tempore, quo Persae in Palaestina regnabant, id unum de Azoto traditur Israelitas cum incolis Azoti matrimonia illegitima contraxisse (Neh. 13,23); ibidem v. 24 lingua azotica seu Philistaeorum opponitur linguae iudaicae i. e. hebraicae istius temporis. Post Macedonum et Ptolemaeorum regna Azotus Seleucidis subiecta erat. Anno 163 a. Chr. Iudas Mach. urbem diripuit et idolorum altaria destruxit (1 Mach. 5,68); anno 143 a. Chr. Ionathas Apollonio Coeles Syriae praefecto apud Azotum devicto urbem et templum Dagon succendit (1 Mach. 10,77-84; 11,4). Alexandro Iannaeo regnante Azotus a Iudaeis tenebatur (*Flav. Ioseph.* Ant. XIII. 15,4); a Pompeio provinciae Syriae attributa (Ant. XIV. 4,4; Bell. iud. I. 7,7) et anno 55 a. Chr. a Gabinio Syriae proconsule instaurata est (Ant. XIV. 5,3; Bell. iud. I. 8,4). Herodes Magnus testamento suo Azotum una cum Iamnia et Phasaëlide Salomae sorori suae legavit (Ant. XVII. 8,1; 11,5). In N. Test. semel tantum urbis fit mentio; Philippus postquam eunuchum Candacis reginae Aethiopum baptizavit, a Spiritu Domini raptus est in Azotum, ut inde pertransiens evangelizaret (Act. 8,40). Illo tempore incolae urbis quoad magnam partem sine dubio erant Iudaei, quare etiam Vespasianus in bello iudaico eam subegit ac praesidia illic collocavit (Bell. iud. IV. 3,2). Saeculis quarto, quinto, sexto p. Chr. episcopi ibi residebant; cf. *B. Gams*, Series episcoporum, 1873, p. 453.

Hodie *Esdūd* est vicus ignobilis, qui 1500-1800 incolas habet, medius fere inter Gaza et Iaffa, a litore maris Mediterranei 5 km distans. Ptolemaeus (V. 16,2) Azotum urbem maritimam esse dicit, Flav. Iosephus modo urbem maritimam (Ant. XIII. 15,4), modo urbem mediterraneam (Ant. XIV. 4,4; Bell. iud. I. 7,7). De finibus seu agris Azoti sermo

est 1 Mach. 4,15; 14,34; 16,10; verum quousque fines Azoti se extenderint, ex his locis non liquet. Unius horae spatio ab *Esdūd* inter septemtrionem et occidentem inveniuntur ruinae urbis maritimae *Minet Esdūd*.

Cf. *Reland*, Palaestina p. 606-609; *Ritter*, Erdkunde XVI. 94-100; *Raumer*, Palaestina *ed.* 4, p. 174; *Guérin*, Judée II. 70-78; *Tobler*, Dritte Wanderung 1859, p. 26-32; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 409 s. 421 s. et vide *Conder and Kitchener*, Large Map, sheet XVI, Reduced Map, sheet 13; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1696, p. 88. 89; *E. Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, II. p. 96-97. *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. p. 120; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, II. 233 s.; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 306 s.; *Schrader*, Keilinschriftliche Bibliothek II. 64-67. 90. 94. 148. 240; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 150.

AZREEL (עַזְרִיאֵל, Ἐσδριήλ), pater vel unus ex maioribus Amassai sacerdotis Hierosolymis post instaurationem habitantis (Neh. 11,13). Fortasse idem atque Adiel 2 (1 Par. 9,12).

AZUBA (עֲזוּבָה). **1**. Uxor Caleb filii Hesron (1 Par. 2,18. 19; Γαζουβά).

2. Uxor Asa regis Iuda et mater Iosaphat (3 Reg. 22,42; 2 Par. 20,31; Ἀζουβά).

AZUR (עַזּוּר). **1**. Princeps, qui cum Nehemia foedus signavit (Neh. 10,17 [18]; Ἀζούρ).

2. Pater Hananiae pseudoprophetae Gabaonitae (Ier. 28,1 [35, 1]; Ἀζώρ).

3. Pater Iezoniae principis populi tempore Ezechielis (Ezech. 11,1; עַזֻּר, Ἔζερ).

AZYMA (מַצּוֹת, ἄζυμα) panes cocti absque fermento. Dominus praecepit Israelitis, ut die decima quarta mensis primi vespere immolaretur agnus per familias et ut nocte illa ederent carnes assas igni et azymos panes, « septem diebus azyma comedetis » (Ex. 12,6 s.). Ita antequam Israelitae ex Aegypto egrederentur, institutum est festum agni paschalis et festum azymorum. Sanguine agni iussi erant linere postes et superliminaria domorum, quo sanguine ab angelo exterminatore redditi sunt tuti. In memoriam eius liberationis et egressionis ex Aegypto singulis annis eodem recurrente die agnum paschalem immolare debebant. Cum autem Dominus percussisset omne primogenitum in terra Aegypti nocte illa, urgebant Aegyptii populum exire de terra velociter, dicentes : omnes moriemur; quare filii Israel panes iam non poterant fermentare; « tulit igitur populus conspersam farinam antequam fermentaretur et ligans in palliis posuit super humeros » (Ex. 12,34) et fecerunt panes subcinericios azymos. Ita necessitate coacti azymis vescebantur. In cuius rei memoriam hebdomas illa azymorum instituta est; cf. Ex. 12,17-19; 13,3 s.; 23,15; 34, 18; Num. 9,11; 28,17; Deut. 16,1 s. Praeterea pro sacrificiis quoque omnibus statuebatur : non immolabis super fermento sanguinem victimae meae Ex. 23, 18; 34,25, et omnis oblatio quae offertur Domino absque fermento fiet nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino Lev. 2,11; 6,16. 17; idque pro variis sacrificiis speciali modo in memoriam revocatur; ita occasione consecrationis sacerdotalis Ex. 29,2. 23; Lev. 8,2. 26; item in sacrificiis quae pro completione consecrationis nasiraeorum offerenda erant Num. 6,15. 17. 19; in sacrificiis pro gratiarum actione Lev. 7, 12 etc., in quibus panes quoque fermentati requirebantur, non quidem ut in altari et igne sacrificii cremarentur, sed ut Domino consecrati sacerdoti cederet unus panis, reliqui ad epulas sacrificales adhiberentur (Lev. 7,13 s.; 23,17). Cur in sollemnitate paschali et in sacrificiis panes azymi praescribantur, ratio est ea quam tangit apostolus scribens : expurgate vetus fermentum; festos dies agamus, non in fermento veteri neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis (1 Cor. 5,7.8). Fermentum enim חָמֵץ i. e. acidum, acre, acerbum facili modo transfertur ad significationem symbolicam eam qua Christus quoque monet cavendum esse a fermento pharisaeorum (Matth. 16,6. 12; Marc. 8,15; Luc. 12,1), dum מָצָה proprie dulcedinem, dulcitudinem dicit, proinde ad integritatem, candorem, suavitatem et puritatem mo-

rum facile accommodari potest. — In vita quoque communi si subito panes coquendi erant et ponendi ante hospites, ponebantur azymi, quia tempus ad fermentationem non supererat; ita Gen. 19,2. Quod autem Gedeon Iud. 6,19 panes azymos offert, fortasse non ad hanc rationem referendum erit, sed potius ad notionem puri sacrificii. Notione ad mores impios translata fermentari iam videtur usurpatum Os. 7,4; sensus enim erit : populus permisit sibi ingeri idololatriam et impietatem a prima quasi huius fermenti aspersione usque ad plenam fermentationem qua omnes ordines sint affecti et infecti.

I. KNABENBAUER.

AZZI עזי, Ὀζί nomen septem virorum in textu hebraico, ex quibus *Vulg.* quattuor vocat Ozi, tres Azzi : **1**. Filius Bani, praefectus (*Vulg.* episcopus) levitarum in Ierusalem tempore Nehemiae (Neh. 11,22).

2. Sacerdos tempore Zorobabel, princeps familiae Iodaia in diebus Ioacim pontificis (Neh. 12,19).

3. Levita, qui cum aliis in dedicatione muri Ierusalem Nehemiae astitit (Neh. 12,41 [42]).

B

BAAL et **ASTARTE**. Vox Baal (בַּעַל, Βάαλ) ut nomen appellativum designat herum, dominum, maritum, possessorem etc. Notione domini antiquiore tempore Baal etiam dicebatur apud Israelitas de vero Deo; ita 2 Reg. 5,20 David postquam percussit Philisthaeos dixit : divisit Dominus (יהוה) inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquae; propterea vocatum est nomen loci illius Baal Pharasim. Idem elucet ex nominibus propriis; filius Saul appellatur Esbaal; filius Ionathan filii Saul Meribaal (1 Par. 8,33. 34; 9,39. 40); inter eos qui ad David in Siceleg venerunt etiam nominatur Baalia (1 Par. 12,5), et unus ex filiis David appellatur Baaliada. Verum postmodum nomen hoc quia potissimum idolum significabat, iam non de vero Deo usurpabatur; immo videtur esse prohibitum per Osee prophetam : et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me (populus) Vir meus et non vocabit me ultra Baali (2,16) i. e. Baal meus, dominus meus. Cuius mutationis documentum etiam habetur, quia ille filius David 2 Sam. 5,16 Eliada vocatur et ex Esbaal (אשבעל), quia Baal idolum in contemptum appellabatur בֹּשֶׁת αἰσχύνη, demum factum est Isboseth (2 Sam. 2,8 etc.). Notatu dignum est in libro Par. formam antiquiorem esse servatam.

Baal deus solaris erat apud Chananaeos, Phoenices, Syros, Carthaginienses; vocatur enim בעל חמן Baal chamman a חַמָּה nomine poetico solis i. e. fervidi, et בעל שמים Baalsamem (*Plautus,* Poen. 5,2. 67) vel בעל שמין Baalsamen (*S. Augustinus,* Quaest. in Iud. 16) i. e. Baal caelorum, Baal caelestis. Ita in inscriptionibus; cf. Zeitschr. d. D. Morgenl. Gesellschaft XVIII. 1864, p. 104; et praeprimis Corpus Inscriptionum semiticarum I. 1 p. 30. 183. 416 (Baal coelorum) et frequentissime בעל חמן p. 154. 155. 179. 194. 287. 291-308. 311-442 et in I. 2 p. 2 ss. Eundem in Chanaan cultum quoque produnt oppida בית שֶׁמֶשׁ domus solis vocata cf. Ios. 21,16. Iud. 1,33. Ios. 19,22 et fortasse 2 Reg. 23,5 hebr. Bel solaris explicari debet (לבעל לשמש).

Israelitae ad idololatriam nisu fatali proni cultum quoque Baal frequenter adoptarunt. Iam antequam Palaestinam ingrederentur, per mulieres moabiticas et madianitides seducti sunt ad cultum Beelphegor (בַּעַל פְּעוֹר, Βεελφεγώρ) Num. 25,3. 5, et viginti quattuor millia idololatrarum gladio interfecta sunt Num. 25,9; cf. Deut. 4,3; Ios. 22,17; Ps. 105,28; Os. 9,10; cum Num. 23,28 mons Phogor פְּעוֹר nominetur, Baal Peor videtur esse Baal qui eo in loco praecipue colebatur, uti alias quoque ex loco cognomen accedit idolis, uti Baal-Libanon (Corpus Inscr. sem. I. 1 p. 25. 26); ita quandoque etiam explicant Baalmeon vel Beth Baal Meon (Num. 32,38; Ios. 13,17) et Baalzephon (Beelsephon Ex. 14,2.9; Num. 33,7); simili modo vocabatur apud Graecos Zeus olympius, dodonaeus etc. Alii tamen nomen Beelphegor ipsum cultum obscoenum denotare existimant. Terra palaestinensi occupata mox tribus chananaeas imitati sunt in cultu Baal : fecerunt filii Israel malum in conspectu Domini et servierunt Baalim (Iud. 2,11. 13; 3,7. 8) ideoque traditi sunt in manus Chusan, donec ad Dominum reversi post octo annos liberati sunt per Othoniel (Iud. 3,9 s.). Propter eundem cultum Baal, cuius aram Gedeon destruere iussus est, op-

pressi et vexati sunt a Moabitis; Gedeone mortuo iterum fornicati sunt cum Baalim et assumpserunt sibi Baalberith (Baal foederis, fortasse Baal ut custos foederis in deum; eo nomine Baal colebatur a Sichemitis Iud. 9,4). Iterum postea peccatis veteribus iungentes nova servierunt Baalim, idcirco traditi sunt in manus Philisthiim et filiorum Ammon (Iud. 10,6 ss.). Item Samuel exhortatur populum ut auferant Baalim (1 Reg. 7,3). In regno israelitico cultus Baal maxime propagabatur per Achab, qui Iezabel filiam Ethbaal regis Sidoniorum in uxorem duxerat (3 Reg. 16,31); contra quam idololatriam Elias propheta maxime pugnavit et post tres annos siccitatis miraculo a Domino impetrato id effecit, ut sacerdotes Baal interficerentur et populus clamaret: Iahwe est Deus (3 Reg. 18,39); eo tempore in Israel solummodo septem millia virorum erant, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, et quorum ora eum non adoraverunt osculantes eius statuam (cf. 3 Reg. 19,18). Nihilominus Ochozias filius Achab servire et adorare Baal perrexit (3 Reg. 22,54). Ioram autem frater eius abstulit cippum vel statuam Baal quam Achab pater eius fecerat; Iehu autem insidiis structis in Samaria cultores Baal interfecit et fanum eius destruxit (4 Reg. 10,18 ss.). Verum Israelitas etiam subsequente tempore iterum ad cultum Baal delapsos esse elucet ex Os. 13,1 et 4 Reg. 17,16; utroque loco ruina regni Israel refertur ad hanc idololatriam.

Neque regnum Iuda immune mansit a cultu Baal. Hoc malum invectum est per Athaliam, filiam Achab et Iezabel, uxorem Ioram regis filii Iosaphat (4 Reg. 8,18; 2 Par. 21,6); ipsa enim et filii eius res sacras templi Domini in honorem Baalim converterunt. Sed cum Athalia demum regno et vita esset spoliata, Ioiada sacerdos foedus renovavit inter Dominum et regem Ioas et populum, ingressusque est omnis populus terrae templum Baal et destruxerunt aras eius et imagines eius (צְלָמָיו) contriverunt et Mathan sacerdotem Baal occiderunt coram altari (4 Reg. 11,17. 18; 2 Par. 23,17). Idololatriam iterum instauravit Achaz (2 Par. 28,2; 4 Reg. 16,3. 4). Ezechias quidem eam vigorose repressit, at ultra omnem modum eam fovit Manasses filius eius: erexit aras Baal sicut fecerat Achab rex Israel (4 Reg. 21,3) et omne genus idololatriae et divinationis exercuit. Qui cum mox secutus est Iosias pro virili quidem adnisus est, ut exterminaret cultum illum abominabilem (4 Reg. 23,4 ss. 2 Par. 34,4; Soph. 1,4); verum idololatriam et cultum Baal tam altas egisse radices, ut pii regis conatus non multum efficerent, documenta sunt quae apud Ieremiam prophetam leguntur: prophetae prophetaverunt in Baal; quomodo dicis: post Baalim non ambulavi? vide vias tuas in convalle etc. 2,8. 23; incensum adolebant Baal, secundum numerum viarum Ierusalem aras ponebant Baal, per Baal iurabant; aedificabant excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baal, in domatibus sacrificabant Baal (7,9; 9,13; 11,13. 17; 12,16; 19,5; 32,29 etc.). Intellegi deum caeli vel cultum stellarum patet ex Ier. 8,2; 19,13.

Apud LXX saepe legitur ἡ Βάαλ. Quia cum deo Baal generatim coniungatur et colatur dea Astarte (עַשְׁתֹּרֶת) dea Sidoniorum (3 Reg. 11,5. 33; 4 Reg. 23,13), sicuti in idololatria plerumque deus et dea venerationi proponuntur, aliqui existimarunt ἡ Βάαλ significare hanc dei comitem et sociam. Id quod probabile non est. Nam alibi etiam Astartes mentio et nomen occurrit apud LXX (cf. Iud. 2,13; 10,6; 1 Reg. 7,4; 31,10; 3 Reg. 11,5. 33; 4 Reg. 23,13). Uti iam supra annotatum est quandoque pro Baal ad horrorem idololatriae declarandum usurpabatur בֹּשֶׁת confusio (cf. Os. 9,10; Ier. 3,24; 11,13), αἰσχύνη; unde articulo ἡ indicari videtur non esse pronuntiandum idoli nomen, sed eius loco ad detestationem idoli αἰσχύνη. Neque probabile est quod alii etiam suspicati sunt designari numen androgynum, uti Ἀφρόδιτος, deus Venus.

Haud raro legitur numerus pluralis Baalim, cuius ratio esse videtur quia Baal variis locis variisque nominibus honorabatur. Ita vidimus Baalphegor, Baalberith, et Ochozias rex mittit ad

deum Accaron Baalzebub (4 Reg. 1,2. 3; LXX Βάαλ μυῖα θεός, *Flav. Ioseph.* Ant. IX. 2,1 Ἀκκαρὼν θεὸς μυῖα). Minus probabile est, dici Baalim propter varios cippos vel statuas quibus Baal repraesentabatur et colebatur. Alia quoque sententia proposita est esse Baalim, uti Elohim, pluralem quendam maiestaticum, sicut etiam Astaroth haud raro concipitur v. g. Iud. 2,13 servientes Baal et Astaroth (cf. Zeitschr. d. D. Morgenl. Gesellschaft XXIV. 1870, p. 650).

De deo illo Accaron Baalzebub, Beelzebub 4 Reg. 1,2 ss. v. BEELZEBUB. Praeterea v. BEL.

Simul cum Baal coli solebat Astarte. Ita Iud. 2,13 servientes Baal et Astaroth (LXX ταῖς Ἀστάρταις); item 10,6 servierunt Baalim et Astaroth; 1 Reg. 7,4 abstulerunt Baalim et Astaroth; item cf. 12,10 et 31,10 mentio fit templi Astaroth apud Philisthiim. Aliis in locis cum Baal iungitur Ashera (Asherim, Asheroth) Iud. 6,25 : destrues aram Baal et הָאֲשֵׁרָה quam vocem LXX plerumque ἄλσος, *Vulg.* nemus, lucum reddunt; Iud. 3,7 servierunt Baalim et Asheroth (τοῖς ἄλσεσιν); 4 Reg. 21,3 erexit aras Baal et fecit Ashera (ἄλση, lucos), 4 Reg. 23,4 vasa quae facta fuerant Baal et Ashera; 2 Par. 33,3 Manasses construxit aras Baalim et fecit Asheroth (ἄλση, lucos).

Iam Astaroth esse Astarten, deam Sidoniorum (3 Reg. 11,5 etc.), certum est. Numerus pluralis eodem modo explicandus erit sicuti Baalim et fortasse propter 1 Reg. 31,10 domus Astaroth et Gen. 14,5 Astarothcarnaim et Deut. 1,4 Astaroth pluralis maiestaticus haberi potest hisce locis. In inscriptionibus Phoenicum עשתרת quoque reperitur (Corpus Inscript. semit. I. 1 p. 14. 21. 33. 40. 93 etc.), apud Assyrios et Babylonios Istar. Est autem Astarte dea eiusdem generis atque Venus. Atque dubium vix esse potest quin Ashera nomen sit eiusdem deae. Nam deae esse nomen iam ex eo elucet quia dicitur : servierunt Baalim et Asheroth; dein prophetae Ashera nominantur 3[1] Reg. 15,19 eodem modo sicut prophetae Baal; pariter sermo infertur de vasis eius, de imagine eius (4[2] Reg. 21,7 hebr. פֶּסֶל, de domibus pro Ashera (4[2] Reg. 23,7). Verum saepius Ashera et forma pluralis Asherim, Asheroth non deam, sed symbolum deae vel cippum vel arborem vel imaginem quandam designat; dicitur enim erigere, concidere, comburere Asherim, apud LXX et in Vulgata : succidere lucos, comburere lucos, destruere nemus (cf. Ex. 34,13; Deut. 7,5; 12,3; Iud. 6,25. 28; 3 Reg. 14,15 facere lucos; 16,33 etc.). Dein uti dicitur facere, erigere aras, statuas, cippos, ita eodem versu saepius additur Asherim : fecerunt sibi statuas et lucos in omni colle sublimi et subter omne lignum nemorosum 4 Reg. 17,10 et vide 2 Par. 14,3; 31,1; Ier. 17,2; Is. 17,8; 27,9 etc. Esse autem Aschera nomen deae eiusdem atque Astartem inde coniiciendum erit quod eodem modo et cum Baal et cum symbolis Baal חמנים (cippis; cf. 2 Chron. 34,4; Is. 17,8; 27,9) coniungitur. Ceterum sunt qui id vel negent vel in dubium vocent, sicut pariter ipsius nominis explicatio (recta? erecta? felix? felicitatem dans?) dubia est.

Cf. *Selden*, De diis syris I. 3. 5; II. 1. 2 (ed. 1617); *Movers*, Phoenizier I. 169 ss. 254 ss. 385 ss. 559 ss.; *de Vogüé*, Mélanges d'archéologie orientale 1868, p. 41-76; *P. Scholz*, Goetzendienst und Zauberwesen bei den alten Hebraeern p. 137 ss. 197 ss. 247 ss. 365 ss.; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, III. p. 73-92. 597-601; *idem* in Revue bibl. V. 1896, p. 227-240; *Baethgen*, Beiträge zur semitischen Religionsgeschichte 1888, p. 17-29; *Jensen*, Die Kosmologie der Babylonier 1890, p. 19-24. 84 ss. 117 ss. 135. 227 ss.; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. 161-168; *M.-I. Lagrange*, Études sur les religions sémitiques, Paris 1903, p. 83-99. 119-139.

I. KNABENBAUER.

BAAL (בַּעַל) nomen proprium.

1. Rubenita filius Reia (1 Par. 5,5; Ἰωήλ, A Βάαλ).

2. Beniaminita, quartus filius Iehiel (Abigabaon) proavi Saulis (1 Par. 8,30; 9,36; Βάαλ).

3. Urbs (1 Par. 4,33) v. BAALATH BEER RAMATH.

4. Baal in *Vulg.* 1 Par. 5,23 commate separatur a voce Hermon; sed legendum est Baal Hermon.

BAALA, nomen originis chananaeae cf. *Ba'alaq Gebal*, Corpus inscriptionum semiticarum I. 1, 1881, p. 4-8).

1. Baala (בַּעֲלָה, Βαάλ), urbs tribus Iuda in confinibus Iuda et Beniamin sita hodie *Qaryet el-'Enab*; ab Israelitis vocata est Cariathiarim i. e. urbs silvarum; eius nomen chananaeum erat Baala seu etiam Cariathbaal Ios. 15,9. 10. 60; 18,14). Videtur etiam appellata esse Baala Iuda, ut colligitur ex 2 Reg. 6,2 et 1 Par. 13,6; cf. *F. de Hummelauer* in 2 Reg. 6,2. Ceterum v. CARIATHIARIM.

2. Mons Baala (הַר הַבַּעֲלָה, ὄρια ἐπὶ λίβα, A ὄρος γῆς Βαλά), mons qui ab Accaron (*'Aqir*) Iebneel (*Yebna*) versus se extendit et tribum Iuda inter septemtrionem et occidentem terminat (Ios. 15, 11). Situs accuratior ignoratur. Sunt varii tractus collium, qui e regione Accaron planitiem Philisthaeae secantes paralleli cum ora maritima decurrunt; eorundem collium declivitatem orientalem tangit via, quae a *Ramle* Azotum versus ducit. Mons Baala unus ex illis tractibus collium esse censetur.

3. Urbs in regione australi tribus Iuda sita, sed postea tribui Simeon assignata. Vocatur Ios. 15,29 Baala (בַּעֲלָה, Βαλά, A Βααλά), Ios. 19,3 Bala (בָּלָה, Βωλά, A Βελθωλά). 1 Par. 4,29 Bala (בִּלְהָה Βαλαά). Non est dubium, quin his tribus locis una eademque urbs designetur; enumeratur enim omnibus tribus locis post Hasersual et ante Asem (solum Ios. 15, 29 aliis quibusdam urbibus interpositis). Situs nonnisi vago modo determinari potest quatenus inter urbes simul enumeratas duae tantum sufficienter notae occurrunt scil. Bersabee (*Bir el-Seba'a*) et Molada (*Khirbet el-Milḥ*). Proponitur situs *Khirbet Umm Baghle* (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 261; cf. *Conder and Kitchener*, Large Map, sheet XX; Reduced Map, sheet 13).

BAALAM sive **BALAAM**, ut communius ferunt editiones Vulgatae (בִּלְעָם, Ἰεμβλαάν, A Ἰβλάαμ, B omitt.), urbs in tribu Manasse cisiordanica seu occidentali sita, posteris Caath assignata cum suburbanis suis 1 Par. 6,70 [55]. Loco parallelo Ios. 21,25 legitur Gethremmon; sed est error librarii, qui ultimum nomen proprium (Gethremmon tribus Dan) ex versu praecedenti denuo descripsit; vestigium genuinae lectionis forte adest in LXX Ἰεβαθά (A Βαιθσά). Baalam vulgo eadem esse censetur ac Ieblaam (vide s. v.).

BAALATH (בַּעֲלַת), urbs tribus Dan, a Salomone operibus munita. Appellatur in *Vulg.* Ios. 19,44 Balaath (Γεβεελάν, A Βααλών), 3 Reg. 9,18 Baalath (B omitt., A Βαλάθ), 2 Par. 8,6 Balaath Βαλαάθ, apud *Swete* B Βαλαά, A Βαλαάς); ceterum etiam Ios. 19,44 complures codices legunt Baalath (*C. Vercellone*, Variae lect. Vulg. lat. II. p. 63). In enumeratione urbium daniticarum Ios. 19,44 ponitur inter Gebbethon (Gabathon, hodie *Qibbiye?*) et Iud (*el-Yehūdīye* ad orientem Iaffae); in earum igitur vicinitate quaeritur et a nonnullis agnoscitur *Deir Ballut* in confinibus Dan et Ephraim (*Van de Velde;* cf. *Guérin*). Obiectio quam *Guérin* movet *Deir Ballut* iam extra terminum Dan in finibus Ephraim fuisse, recte urgeri non videtur. Maior autem difficultas ex eo oritur, quod teste Flav. Iosepho (Ant. VIII. 6,1) duae urbes a Salomone munitae Βηθχώρα (Bethoron) et Βελέθ (*ed. Niese*) haud procul a Gazara (*Tell Djezer*) aberant. Si hoc verum supponitur, Baalath multo magis ad meridiem sita erat in confinibus Ephraim, Dan et Beniamin; unde a recentioribus censetur esse *Belain* prope Bethoron inter septemptrionem et occidentem.

Cf. *Van de Velde*, Memoir to accompany the map of the Holy Land 1858, p. 291; *Guérin*, Samarie II. p. 130; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 296; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV. V; *Legendre*, Carte de la Palestine; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 422.

BAALATH BEER RAMATH (Ios. 19,8) et brevius Baal (1 Par. 4,33), urbs tribus Simeon meridiem versus sita. Magna est varietas nominis Ios. 19,8 : *Vulg.* Baalath Beer Ramath contra australem plagam, hebr. בַּעֲלַת בְּאֵר רָמַת נֶגֶב, LXX Βαλὲκ B Βαρέκ) πορευομένων Βαμὲθ κατὰ λίβα. A Βαλθερηθθαμὰθ πορευομένων Ἰαμὲθ κατὰ λίβα, *Syr.* Beath-beth-Rama

quae est in meridie, *Targ. Ionathan* Baghalath Beer-Ramath ad austrum, *Arabs* Baal-bab et Rama australis. Textus hebraicus de una urbe loqui videtur, cuius duo erant nomina scil. *Baalath Beer* (Domina putei) seu *Ramath Negeb* (Rama austri). Fortasse eadem est urbs ac *Ramoth ad meridiem* (רְמוֹת־נֶגֶב, 1 Reg. 30,27). Situs ignoratur; nonnullorum auctorum coniecturas refert *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1324-1326. Sed fortasse textus Ios. 19,8 emendandus est : usque ad Baaloth (= Baloth 15,24) pergentibus (LXX πορευομένων) in Ramoth Negeb (seu Ramoth ad meridiem 1 Reg. 30,27); cf. *F. de Hummelauer* ad Ios. 19,8.

BAʿALBEK, urbs Syriae, apud Graecos et Romanos Heliopolis, in S. Scriptura non nominatur. Sed brevis eius mentio hic facienda est, tum quia eius situs nobis saepius inservit ad situm aliarum urbium indicandum, tum quia variae urbes biblicae apud varios auctores cum Heliopoli (*Baʿalbek*) componi posse videbantur. Sita est in media Coele Syria seu planitie *el-Beqāʿa* inter Libanum et Antilibanum ibi fere ubi aquarum divortium est et *Nahr el-Līṭāni* (Leontes) meridiem versus, *Nahr el-ʿĀṣi* (Orontes) septemtrionem versus defluunt. Huius urbis non fit mentio apud auctores saeculo 3. vel 4. antiquiores. Nomen graecum innuit Deum Solem ibi cultum esse. Aliqui etiam *Baʿalbek* interpretantur urbem Baal; inter Baal et deum Solis facile quidem nexus perspicitur; difficilior est explicatio alterius membri *bek*. Sed plura de his investigare a nostro scopo alienum est. — Urbes biblicae, quae cum *Baʿalbek* eaedem a nonnullis putabantur, sunt Baalath, Baalgad, Baal Hamon, Thebath, Aven (Am. 1,5); sed vide s. vv.

Cf. *Abulfeda*, Tab. Syr. *ed Köhler* p. 103; *Burckhardt*, Reisen in Syrien, *ed. Gesenius*, p. 49 ss.; *Rosenmüller*, Bibl. Altert. I. 1,119; 2,280; *Volney*, Voyage en Égypte et en Syrie 1825, II. p. 111-123; *A. Chauvet* et *E. Isambert*, Syrie, Palestine 1887, p. 610 ss.; *Baedeker-Benzinger*, Palaestina und Syrien *ed.* 5, p. 359 ss; *M. Jullien*, Baʿalbek, Histoire et description, Beyrouth 1895.

BAALBERIT (בַּעַל בְּרִית, i. e. Baal foederis; Βααλδερίθ), idolum, quod tempore Abimelech filii Gedeonis a Sichemitis colebatur (Iud. 8,33 hebr.; 9,4 et cf. 9,46 : בֵּית אֵל בְּרִית, Βαιθηλδερίθ, *Vulg.* fanum dei sui Berith). Cum notione Baal foederis comparari potest Ζεὺς ὅρκιος Graecorum, Deus fidius Latinorum. Baal foederis ab aliis aliter explicatur : Baal qui cum adoratoribus suis foedus pepigit (*Movers, Vigouroux, Lagrange*), Baal, apud quem foedera panguntur vel sacrificia foederum offeruntur (*Nöldeke*), Baal custos confoederationis urbium, quarum caput fuerit Sichem (*Wolf Baudissin*), Baal custos urbium Phoeniciarum, quem Sichemitae, inter quos erant Chanaanitae, coluerint (*P. Scholz*), Baal Beryti urbis (*Bochart, Creuzer*), cui opinioni recte opponitur Stephanus Byz. Berytum explicans urbem puteorum (בְּאֵרוֹת; cf. Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XIII. 1890, p. 145).

Cf. *Movers*, Phoenizier I. p. 171; *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1336; *Nöldeke* in Zeitschr. d. D. Morgenl. Gesellschaft XLII. 1888, 478; *Wolf Baudissin* in Real-Encyclop. für protest. Theol. *ed.* 3, II. p. 334; *P. Scholz*, Goetzendienst und Zauberwesen bei den alten Hebraern 1877, p. 149; *Bochart*, Chanaan II. 17 (ed. Francofurti 1674, p. 859); *Creuzer*, Symbolik und Mythologie *ed.* 2, II. p. 87; *M.-I. Lagrange*, Études sur les religions sémitiques, Paris 1903, p. 84.

BAALGAD (בַּעַל גָּד; Βαλαγάδ, A Βαλγάδ, Ios. 11,17; 12,7; Γαλγάλ Ios. 13, 5), urbs chananaea, terminus maxime septemtrionalis, quem Israelitae post victoriam ad aquas Merom reportatam attigerunt. Locis citatis sita esse dicitur in campo Libani sub monte Hermon. Probabiliter *Bāniyās* (Caesarea Philippi). Vide etiam BAAL HERMON.

BAAL HAMON (בַּעַל הָמוֹן, Βεελαμών, *Vulg.* ea quae habet populos), locus ubi Salomon vineam habuit (Cant. 8,11). Contextus urbem videtur postulare. Communiter censetur eadem esse ac Belma (Iudith 7,3) et Belamon (Iudith 8,3) prope Dothain (*Tell Dōthān*) in mon-

tibus Ephraim; non procul a *Tell Dōthan* inter septemtrionem et orientem invenitur nunc *Bir Bel'ame*. Vide HEBLAAM.

BAALHASOR (בַּעַל חָצוֹר, Βελασώρ, B Βαλασώρ, A Βέλλασώρ), locus ubi Absalom agros et greges possidebat; ibidem Ammonem fratrem suum inter convivium occidi iussit propter incestum cum Thamar sorore commissum (2 Reg. 13,23). Sacer textus dicit Baalhasor fuisse iuxta Ephraim; haec autem Ephraim communiter censetur urbs, quae vocatur Ophera Ios. 18,23, Ephra 1 Reg. 13,17, Ephron 2 Par. 13,19, Aphairema 1 Mach. 11,34 (graece, Ephrem Io. 11,54; nunc *el-Ṭaiyibe* prope *Beitīn* (Bethel); v. APHAIREMA. Iamvero inter septemtrionem et occidentem ab *el-Ṭaiyibe* nunc est mons *Tell 'Asūr* (1011 m.), qui iuremerito Baalhasor existimatur.

Cf. *Guérin*, Samarie I. p. 210; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 298; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV. V; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 177; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 504. 505.

BAAL HERMON (בַּעַל חֶרְמוֹן: Iud. 3,3 Ἀερμών; A Βαλαερμῶ; 1 Par. 5,23 Βὰλ Ἑρμών, B Βαιλείμ, Βααλείμ). Priore loco (Iud. 3,3) Baal Hermon explicite dicitur mons eiusque situs in meridionali regione Libani esse indicatur. Altero loco (1 Par. 5,23) Baal Hermon accuratius inter regionem Basan et montem Hermon ponitur i. e. in extremitate meridionali montis Hermon; utrum hoc loco mons an urbs Baal Hermon indicetur, ex textu non liquet; si mons, Baal Hermon erit pars australis montis Hermon; si urbs, haec sine dubio sita erat in descensu australi montis Hermon. Communiter censent Baal Hermon esse Baalgad: nunc *Bāniyās* (Paneas, Caesarea Philippi). Ad septemtrionem vici *Bāniyās* invenitur caverna, prope quam *Nahr Bāniyās*, unus de tribus Iordanis fontibus, originem ducit. Hanc cavernam deo Pan consecratam fuisse ostendunt inscriptiones, quae ibidem in aediculis ex rupe excavatis adhuc cernuntur; cf. *Guérin*, Galilée II. p. 309-312. Unde dubitari nequit, quin haec caverna sit illud *Panium* (*Pancion*), de quo Flav. Iosephus loquitur Ant. XV. 10,3; Bell. iud. I. 21, 3; III. 10,7. Ab hoc *Panio* locus a Graecis et Romanis vocatus est *Paneas*. Supponendum igitur est cultum Pan in ista regione successisse cultui Baal, qui tempore Hevaeorum et Amorrhaeorum (cf. Onomast. *ed. Lag.* 90,11. 21) ibidem florebat. Mons, qui isti cavernae imminet (*Guérin* l. c. p. 313), est mons Baal Hermon (Iud. 3,3) ipsi iugo montium Hermon iunctus. Planities autem, quae a vico *Bāniyās* meridiem et occidentem versus extenditur, Ios. 11,17 apte designari potuit *planities Libani subter montem Hermon*. — His perpensis Baal Hermon seu Baalgad nequit eadem existimari ac *Hāṣbeyā* ad occidentem montis Hermon in *Wādi el-Teim* sita et multo minus eadem ac *Ba'albek* (Heliopolis) in Coele Syria.

Cf. *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 532-536; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 95. 96. 109 ss.; *F. Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1337. 1339; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 239-240.

BAALI (Os. 2,16[18]) v. BAAL.

BAALIA (בַּעַלְיָה, Βααλιά) Beniaminita, qui Davidi in Siceleg commoranti se iunxit (1 Par. 12,5).

BAALIADA (בַּעַלְיָדָע, Ἐλιαδέ, B Βαλεγδάε, A Βαλλιαδά), unus ex tredecim filiis David, qui Hierosolymis nati sunt (1 Par. 14,7). Idem vocatur 2 Reg. 5,16 Elioda (אֱלִיָּדָע, Ἐλιδαέ) et 1 Par. 3,8 Eliada (אֶלְיָדָע, Ἐλιαδά). Nomen genuinum aliis videtur Eliada fuisse, aliis Baaliada.

BAALIM v. BAAL.

BAALIS (בַּעֲלִיס, Βελεισσά, B Βελεισά, A Βελισά) rex Ammonitarum, qui Ierusalem a Nabuchodonosor destructa Ismael filium Nathaniae misit, ut Godoliam reliquiis Iudaeorum a Nabuchodonosor praefectum occideret (Ier. 40,14). Apud Flav. Iosephum (Ant. X. 9,3) nomen scribitur Βααλείμ (*ed. Dindorf*), Βάαλιμος (*ed. Niese*).

BAALMEON seu Baalmaon, Beelmeon, Bethmaon (בַּעַל מְעוֹן, בֵּית מְעוֹן, בֵּית בַּעַל מְעוֹן; Βεελμεών, Μεελβώθ, Βεελμασσών, οἶκος Μαών et Ez. 25,9 ἐπάνω πηγῆς), urbs in planitie Medeba sita et regno Sehon Amorrhaei regis Hesebon subiecta; a Moyse expugnata, a Rubenitis restituta et tribui Ruben assignata est (Num. 32, 38; Ios. 13,17; 1 Par. 5,8). Posteriore tempore a Moabitis recuperata inter praecipuas eorum urbes reputabatur (Ier. 48,23; Ezech. 25,9); cf. Inscript. Mesa lin. 9 et 30. Ieremias et Ezechiel loc. cit. vastationem et direptionem Baalmeon annuntiant propter odium et inimicitias incolarum in populum Dei. — De situ notat Onomasticon Eusebii et S. Hieronymi (*ed. Lag.* 232,45 et 102,5): « Beelmeon trans Iordanem... est autem vicus usque nunc grandis iuxta Baaru in Arabia, ubi aquas calidas sponte humus effert, cognomento Beelmaus, distans ab Esbus (Hesebon) millibus novem » (Eusebius non habet *iuxta Baaru*, sed πλησίον τοῦ ὄρους τῶν θερμῶν ὑδάτων). Nunc vicus *Tell Ma'īn* ad orientem maris Mortui superioris et meridiem versus ab *Heṣbān* (Hesebon). Quattuor horis a *Ma'īn* iuxta ripam dexteram *Wādi Zerqā Ma'īn* scaturiunt aquae calidae, hodie *Ḥammām el-Zerqā* i. e. *balnea Zerqā* dictae, apud Graecos Callirhoe, apud Flav. Iosephum (Bell. iud. VII. 6,3) Baaras. Praeterea vide BEAN et BEON.

Cf. *Tristram*, The Land of Moab p. 303 ss.; *Survey of East. Pal.* Mem. I. 176 ss.; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896. p. 123. 267; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 100; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 4; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II.132; Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins II. 1879, p. 5 atque etiam VII. 1884, p. 196 ss., ubi aquae Callirhoe potius componuntur cum fontibus calidis *Essarā*, quae dimidia hora ad meridiem *Wādi Zerqā Ma'īn* scaturiunt et rivum in mare Mortuum emittunt.

BAAL PHARASIM, BAALPHARASIM (בַּעַל־פְּרָצִים, Βαὰλ Φαρασίν, Διακοπὴ Φαρασίν), locus ubi David brevi post tertiam unctionem, qua rex totius Israel unctus est, Philisthaeos devicit (2 Reg. 5,20; 1 Par. 14,11). Huic victoriae nomen loci debetur; victoria enim parta David exsultans in verba prorupit: « Divisit (פָּרַץ disrupit) Dominus inimicos meos coram me sicut dividuntur aquae (כְּפֶרֶץ מַיִם instar rupturae aquarum). Propterea vocatum est nomen loci illius Baal Pharasim » (locus rupturarum seu stragium). LXX 2 Reg. 5,20 pro Baalpharasim bis vertunt ἐπάνω διακοπῶν. Ad hunc eventum apta fit allusio Is. 28,21: « Sicut enim in monte divisionum (הַר־פְּרָצִים) stabit Dominus ». His verbis locus quidam editus indicatur. Is quaerendus est alicubi prope vallem Raphaim seu planitiem *el-Buqei'a* inter Ierusalem et Bethlehem; nam ante pugnam cum David commissam Philisthaei in valle Raphaim sese diffuderant 2 Reg. 5,18; 1 Par. 14,9.

Cf. *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, II. 136; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 91.

BAAL SALISA (בַּעַל שָׁלִשָׁה, Βαιθαρισά). Cum Elisaeus propheta in Galgala (*Djildjilia*; v. GALGALA 3) esset, vir quidam de Baalsalisa ei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos et frumentum novum in pera sua attulit, quibus centum discipuli prophetae saturati sunt (4 Reg. 4,42). — Onomasticon (*ed. Lag.* 239,92; 107,11): « Bethsalisa (Βαιθσαρισά)... est autem villa in finibus Diospoleos quindecim ferme ab ea millibus distans contra septemtrionem in regione thamnitica ». His vicus *Kefr Thilth* a Diospoli (Lydda) inter aquilonem et orientem situs satisfacere videtur, ut *Conder* existimat. Melius tamen alii (ut *Riess*, *Marta*) Baal Salisa componunt cum *Khirbet Sirisia*, qui vicus Lyddae propinquior est quam *Kefr Thilth*; ipsum nomen *Sirisia* huic opinioni multum favet, praesertim si lectiones graecae Βαιθαρισά, Βαιθσαρισάθ respiciuntur; distantias autem in Onom. indicatas saepe vel iusto maiores vel minores esse abunde constat. Immerito autem *Conder* duo loca distinguit: Baal Salisa (*Kefr Thilth*) et Bethsarisa in Onomast. Eusebii (*Khirbet Sirisia*). — Insuper v. SALISA.

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *Marta* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1342; *Conder* in *Survey of West. Pal.* Mem. II. 298. 299.

BAALTHAMAR (בַּעַל תָּמָר. Βαὰλ Θαμάρ), locus prope Gabaa Beniamin. Cum undecim tribus Israel propter scelus Gabaonitarum contra Gabaa Beniamin aciem instruxissent et duobus diebus repulsi essent, tertio die prope Baalthamar congregati insidiis circa Gabaa positis Beniaminitas devicerunt (Iud. 20, 33). Tempore Eusebii et S. Hieronymi prope Gabaa erat viculus Βηθθαμάρ, Bethamari (Onomast. *ed. Lag.* 238,75 et 106,23). Vicum hunc a Gabaa aquilonem versus abfuisse *F. de Hummelauer* ex contextu Iud. 20,29-35 eruit; insidiae enim ab occidente et ab austro circa Gabaam dispositae erant; robur exercitus via iam bis infeliciter tentata Gabaam petit, fugam simulat; Beniaminitae Gabaa descendunt, dein in profundum delapsi versus Bethel i. e. septemtrionem versus ascendunt et Baalthamar usque pelliciuntur; tum vero qui fugam simulaverant, resistunt et qui in insidiis latuerant, urbem Gabaa adoriuntur; ingens clades Beniaminitarum sequitur. — *L. Heidet* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1343 situm agnoscit in ruina quadam a Gabaa (*Tell el-Fūl*) inter aquilonem et orientem sita iuxta *Wādi Zamri*, quo nomine antiqua vox Thamar conservari videtur.

BAANA (בַּעֲנָה. Βαανά). **1.** Filius Remmon de Beroth urbe tribus Beniamin. Baana et Rechab frater eius, principes latronum seu duces turmarum, quorum belli gerendi ratio a latrociniis parum aberat, Isboseth filium Saul super stratum dormientem occiderunt eiusque caput ad David in Hebron attulerunt. Rati quidem erant se gratum David regi facturos esse, sed haec spes eos fefellit; iubente rege manibus pedibusque praecisis super piscinam in Hebron suspensi sunt (2 Reg. 4,2.5.6.9).

2. Pater Heled de Netophathi viri fortissimi in exercitu David (2 Reg. 23,29; 1 Par. 11,30).

3. Filius Husi, unus ex duodecim praefectis Salomonis, qui praeerat in Aser et Baloth (3 Reg. 4,16; בַּעֲנָא).

4. Unus de iis, qui cum Zorobabel ex captivitate reduces primo loco enumerantur (Esdr. 2,2; Neh. 7,7). Eiusdem nomen recensetur Neh. 10,27 inter capita populi, a quibus foedus cum Deo renovatum signabatur.

5. Pater Sadoc in aedificandis muris Ierusalem occupati (Neh. 3,4; בַּעֲנָא).

BAASA (בַּעְשָׁא vel בַּעֲשָׁא. Βασσά), tertius rex Israel, conditor secundae dynastiae, filius Ahiae de domo Issachar (3 Reg. 15,27. 33), ex genere haud nobili oriundus, quamobrem Iehu propheta eum de pulvere exaltatum esse dicit (3 Reg. 16,2). Erat dux in exercitu Nadab filii Ieroboam; sed insidias instruens regem, cum Gebbethon urbem Philisthaeorum obsideret, interfecit ac pro eo 24 annis regnavit in Thersa urbe regia omnemque domum Ieroboam percussit (3 Reg. 15,27 ss.). Toto regni sui tempore bella gessit cum Asa rege Iuda et eo usque progressus est, ut Ramam urbem caperet atque muniret, quo regi Iuda omnem aditum ad terram septemtrionalem praecluderet; verum Benadad rex Syriae, qui hucusque foedere cum Israel coniunctus fuerat, donis ab Asa oblatis permotus regem Israel aggressus est eique eripuit urbes septemtrionales Ahion, Dan, Abel Beth Maacha et universam Cenneroth, omnem scilicet terram Nephthali; quo factum est, ut Baasa a Rama discederet (3 Reg. 15,16-22; 15,32; 2 Par. 16,1-6; Ier. 41,9). Idololatriae deditus sicut Ieroboam fecit malum coram Domino (3 Reg. 15,34) et a Iehu propheta edoctus est totam domum suam ob ista peccata exstinctum iri; ipse quidem dignitate regia pollens mortuus est et sepultus in Thersa urbe regia, sed iam in Ela filio eius post duos annos regni completa est ruina a Iehu praenuntiata (3. Reg. 16,1-13; 21,22; 4 Reg. 9,9).

Secundum Vulgatam 3 Reg. 16,7 Baasa occidit eum, hoc est Iehu filium Hanani prophetam; sed in textu hebr. et LXX deest illud additamentum Vulgatae : hoc est Iehu filium Hanani prophetam; sensus est : Baasa occidit eum scilicet Ieroboam vel potius domum eius.

BABEL, BABYLON, BABYLONIA, BABYLONII.

1. *Nomina.* Babel et Babylon he-

braice et chaldaice בָּבֶל et graece Βαβυλών audit, nomine ab appellatione indigena *bāb-ilu* derivato, quae sicut altera *Ka-dingir* proprie *portam Dei* significat; pro hac vero explicatione in Genesi (11,9) etymologia minime falsa a radice hebraica בלל « confundere » substituitur. Vulgata fere semper *Babylon* vertit, *Babel* semel tantum (Gen. l. c.) et *Babylonia* solum pro graeco Βαβυλών (Baruch 1,1. 4; 2,22; 6, 1. 2. 3; 1 Mach. 6,4) et Βαβυλωνία (2 Mach. 8,20). Nomen tum urbem Babylonem, tum regionem Babyloniae, tum regnum babylonicum designat. Urbs ab ipsis Babyloniis variis aliis nominibus appellabatur (*Ka-dingir, Babi-dingir, Tintir, Shu-an-na, Ē* etc.); in S. Scriptura etiam *filia Chaldaeorum* בת כַּשְׂדִּים Is. 47,1) et *Sesach* (שֵׁשַׁךְ Ier. 25,26; 51,41), quod ultimum varie explicarunt (cf. *I. Knabenbauer* in Ier. l. c.; v. SESACH). Regio Babyloniae simpliciter בָּבֶל (1 Par. 9,1; Ps. 136[137],1; Mich. 4,10 etc.; cf. chald. Esdr. 5,12 etc.), vel plenius אֶרֶץ בָּבֶל (Ier. 25,28) atque in textu chaldaico מְדִינַת בָּבֶל *provincia Babylonis* (Esdr. 7,16; Dan. 2,48 s.; 3,1. 12. 30 [*Vulg.* 97], communius vero שִׁנְעָר appellatur (*Vulg.* Sennaar Gen. 14,1. 9; Is. 11,11; Dan. 1,2) vel אֶרֶץ שִׁנְעָר (Gen. 10,10; 11,2; Zach. 5,11), in libris prophetarum autem אֶרֶץ כַּשְׂדִּים *terra Chaldaeorum* (Is. 23,13; Ier. 24,5 etc.) vel כַּשְׂדִּים sine addito (*Vulg.* Chaldaea Ier. 50,10; 51,24. 35; Ez. 11,24; 23, 16; Chaldaei Ez. 16,29). Praeterea a commercio appellative etiam *terra Chanaan* i. e. terra mercatorum vocatur (Ez. 16, 29; 17,4), sicut Babylon *urbs negotiatorum* dicitur (Ez. 17,4; v. infra). In textibus cuneatis plura alia nomina regioni Babyloniae vel partibus eius tribuuntur, ex quibus praesertim Sumer potissimum pro regione australi (v. infra) et Akkad pro regione septemtrionali, atque Karduniias pro parte superiore notanda sunt. Regnum babylonicum similiter בָּבֶל audit, praesertim in titulo regum מֶלֶךְ בָּבֶל; quemadmodum vero alibi idem regnum, quia in locum Assyriorum successit, etiam nomine אַשּׁוּר designatur (4 Reg. 23,29; Ier. 2,18; Thren. 5,6; cf. Iudith 1,5. 10 etc.), ita etiam Cyrus et Artaxerxes, reges Persarum, qui thronum babylonicum occuparunt, titulum « regis Babylonis » habent (Esdr. 5,13; Neh. 13,6). — Incolae autem urbis et provinciae Babyloniae semel אַנְשֵׁי בָבֶל *viri Babylonii* vocantur (4 Reg. 17,30), et in textu chaldaico semel בַּבְלָיֵא (Esdr. 4,9), sicut in graeco Βαβυλώνιοι (Bar. 6,1; Dan. 14,2. 23. 28 *Theod.* [LXX οἱ ἀπὸ τῆς χώρας]); pariter Vulgata *rex Babyloniorum* vertit pro מֶלֶךְ בָּבֶל (4 Reg. 20,12).

Cf. *W. Gesenius*, Thes. ling. hebr. 211 s.; *Frd. Delitzsch*, Paradies 212-6; *Eb. Schrader*, Keilinschr. und Alt. Test. *ed.* 2,118-20. 127-9; *F. Hommel*, Semiten I. 238-40; *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. 319 s. 337 s.

2. *Descriptio.* Babylonia sensu stricto ea fere regio est, quae hodie *Irāk-Arabi* audit, circa inferiorem partem fluminum Euphratis et Tigridis fere inter gradum 30. et 34. latitudinis septemtrionalis sita. Limites naturales ex una tantum parte australi sinu Persico determinantur, atque ne hic quidem iidem semper fuere, cum aquae maris quotannis magis (c. 22 metris) a terra recedant. Versus occidentem Babylonia desertum arabicum et syriacum tangit; in parte septemtrionali confinis est Mesopotamiae et Assyriae; in latere autem orientali superius quidem paulo ultra Tigridem usque ad radices montis Zagri excessit, inferius vero Tigride terminabatur. Tota provincia magna erat et est planities, montibus et collibus carens; quare apte primi accolae « *campum* in terra Sennaar » invenisse narrantur (Gen. 11,2 בִּקְעָה). Planities haec duobus illis magnis fluviis Euphrate et Tigride alluitur, qui hodie communi ostio *Shatt el-ʿArab* dicto in mare descendunt, antiquitus autem separata ostia traduntur habuisse. Quae narrante Plinio (VI. 27,130) ideo in unum convenerunt, quod « longo tempore Euphraten praeclusere Orcheni et accolae agros rigantes, nec nisi per Tigrim defertur in mare »; at praeter

Orchenos etiam ipse Euphrates, magnam terrae ac luti copiam undis suis afferens, paulatim sibi ostium videtur praeclusisse, sicut eadem de causa aquas sinus Persici etiam nunc quotannis recedere facit. Alii fluvii in ipsa Babylonia vix inveniuntur; ea quae in S. Scriptura nominantur *flumina Babylonis* (Ps. 136 [137],1) potius canales arte facti dicendi sunt, uti Chobar (כְּבָר Ez. 1,1 etc.) et Ahava (Esdr. 8,15. 21. 31), vel in Mesopotamia in Euphratem influunt, ut Habor (חָבוֹר 4 Reg. 17,6; 18,11; 1 Par. 5,26 et fortasse Hala 4 Reg. 18,11 *Vulg.*).

Urbes praecipuae in libris sacris commemoratae sunt Babylon, Arach (Erech, *Warka*), Achad (Akkad, Agade), Chalanne fortasse = Nippur?), Cutha (fortasse *Tell Ibrahim*), Ur (Uru, *el-Mughair*). Aliae potius ad Mesopotamiam (Ana, Ava, Gozan, Haran, Reseph) vel Assyriam (Thalassar) vel Syriam (Sepharvaim) videntur pertinuisse. Ex monumentis antiquis praeterea celebres sunt Sippar (*Abu Habba*), Nippur (*Niffer*), Eridu (*Abu Shahrain*), Upi (Opis, prope *Mandjur Beled*), Sirgulla (*Tello*), aliae. De urbibus biblicis v. spec. artic.

Urbs Babylon ex utraque parte Euphratis eo in loco sita erat, ubi hodie pagus *Hille* exstat. Muro duplici vel triplici latissimo (Ier. 51,13. 58) et altissimo circumdata erat, qui secundum descriptionem Herodoti (1,178 ss.) 50 cubitos largus et 200 cubitos altus quadrum magnum formabat, cuius singula latera in muro exteriore longitudinem 120 stadiorum, in interiore 90 stadiorum habebant; unde ambitus totius civitatis 480 stadiorum erat. Origo urbis in S. Scriptura ad primam generis humani post diluvium aetatem refertur (Gen. 11,1-9), atque etiam ex monumentis cuneiformibus eam antiquissimam fuisse apparet. Illud etiam, quod textus sacer notat, coctis lateribus bitumine iunctis muros aedificatos esse, ex ruinis quae usque nunc manent, manifestum est. — Celebris erat templis antiquissimis, ex quibus maxime duo laudantur, *E-sagila*, Belo Merodach dedicatum, in orientali Euphratis ripa et *E-zida*, deo Nebo sacrum, in occidentali fluvii parte, quod Nabuchodonosor se reparasse atque perfecisse in inscriptione in *Birs Nimrūd* inventa refert; reliquiae harum aedium probabiliter in ruinis *Bābil* (E-sagila) et *Birs Nimrūd* (E-zida) supersunt, licet alii ruinas *Bābil* aliter explicent (v. infra). Templa autem illa, uti reliqua pleraque apud Babylonios, pluribus gradibus, ut plurimum septem, forma pyramidali assurgebant, uti in *Birs Nimrūd* etiam nunc apparet. Unde revera turres sacrae antiquissimae sunt, et opinio illa magnam habet probabilitatem, quae reliquias *turris babylonicae* (Gen. 11,4) in ruinis alterutrius templi, probabilius in *Birs Nimrūd*, servatas esse censet. Quae quidem « turris Nimrud » in ripa occidentali sita est, in parte urbis olim Borsippa (*Barsip*) dicta, et septem gradus habebat diis septem planetarum sacros, scil. incipiendo ab inferiore Adar-Saturno, Istar-Veneri, Merodach-Iovi, Nebo-Mercurio, Nergal-Marti, Sin-Lunae, Shamash-Soli, septemque coloribus picta erat, scil. eodem ordine nigro, albo, luteo, caeruleo, coccineo, argenteo, aureo. Eae quae hodie parent ruinae altitudinem 72 fere metrorum attingunt.

Notanda tamen etiam est opinio Iudaeorum a LXX interpretibus expressa, qui in textu Isaiae 10,8 haec verba regi Assur supponunt : Οὐκ ἔλαβον τὴν χώραν τὴν ἐπάνω Βαβυλῶνος καὶ Χαλαννή, οὗ ὁ πυργὸς ᾠκοδομήθη (cod. BNAQ etc.); si Chalanne (Gen. 10,10) cum traditione quadam hebraica esse Nippur (*Niffer*) supponamus, secundum opinionem hanc ibi turris babylonica aedificata esse dicenda foret, ubi nuper expeditio americana, ducibus *I. P. Peters* et *H. V. Hilprecht* suscepta, antiquissimum Beli templum effodit; consequenter tunc mentio urbis Babel immerito in textum Gen. 11,9 irrepsisse censenda foret. Quod tamen ex unico illo textu LXX interpretum non satis solide probari patet. Cf. *Fr. Hommel* apud *J. Hastings*, Dict. of the Bible I. 213 a.

Praeter duo illa aliaque plura templa in urbe Babylon etiam palatia magna regum celebrantur, praesertim a Nabuchodonosor exstructa, quorum reliquiae hodie praesertim in arce *el-Qasr* dicta supersunt. Insuper celebres erant apud antiquos horti pensiles a Semiramide

E. Guillot, del. sc. - Paris

P. LETHIELLEUX, Éditeur - Paris.

dicti, quos *I. Oppert* in ruinis *Amran ibn Ali*, alii cum *H. Rassam*, *F. Delitzsch* etc. potius in ruina *Bābil* dicta exstitisse censent. — Ex ipsis autem urbis ruinis gloria atque opes veteris Babylonis, tota antiquitate celebres, satis elucent, propter quas merito a propheta dicebatur «gloriosa in regnis, inclyta superbia Chaldaeorum» (Is. 13,19), habitans super aquas multas (Euphratem scil. et canales eius), locuples in thesauris (Ier. 51,13; v. infra). — Ruinae istae Babylonis et reliquarum antiquae Babyloniae urbium nostra aetate magna ex parte perquisitae sunt. Postquam iam saeculis praecedentibus plures missionarii et viatores, praecipue *Emmanuel de S. Alberto* O. Carm. (c. 1700), *C. Niebuhr* (1765), *I. de Beauchamp* (1785), ruinas illas visitarunt et ex parte descripserunt, hoc nostro saeculo praeeuntibus *Cl. I. Rich*, *Ker Porter* aliisque potissimum opera et studio Anglorum *H. Rawlinson*, *W. K. Loftus*, *I. E. Taylor* (1849-55) et Gallorum *F. Fresnel*, *F. Thomas*, *Iul. Oppert* (1851-54), postea *Hormuzd Rassam* Syri (1879-82) multi antiquitatis thesauri, praesertim in situ Babylonis atque Ur et Erech, reperti sunt. Praeterea *E. de Sarzec* ruinas urbis Sirgulla (*Tello*) (1875-80), universitas pennsylvaniensis americana ducibus *I. P. Peters* et *H. V. Hilprecht* thesauros Nippur (*Niffer*) (inde ab a. 1888), expeditio turcica duce *V. Scheil* urbem Sippar (*Abu Habba*), societas germanica (Deutsche Orient-Gesellschaft) magnam partem urbis Babylon, alii alios situs perscrutati sunt.

Cf. *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. I. 2, 1-90; *C. I. Rich*, Narrative of a journey to the site of Babylon in 1811, London 1839; *C. Ritter*, Erdkunde XI. 682-1074; *W. K. Loftus*, Travels and Researches in Chaldaea and Susiana, London 1857. *I. Oppert*, Expéd. scientif. en Mésopotamie, 3 voll., Paris 1859-63; *I. Brüll*, Herodots babylon. Nachrichten I. II. Leipzig 1879-85; *Frd. Delitzsch*, Paradies 39-41. 169-243; *id.* Babylon, Leipzig 1901; *Eb. Schrader*, Keilinschr. und Alt. Test. *ed.* 2, 121-7; *E. de Sarzec*, Découvertes en Chaldée, *ed. L. Heuzey*, Paris 1884 ss.; *Fr. Hommel*, Gesch. Bab. u. Ass., Berlin 1885-89, 58-134. 180-236; *C. P. Tiele*, E-sagila u. E-zida in Ztschr. f. Assyr. II. 1887, 179-90; *Ed. Glaser*, Skizze der Gesch. u. Geogr. Arabiens II. Berlin 1890. 320-2; *Fr. Kaulen*, Assyr. u. Babyl. *ed.* 4, Freiburg 1891, 5-17. 72-111; *H. V. Hilprecht*, The Bab. Exped. of the Univ. of Pennsylvania Ser. A, vol. I. Pars I. et II. Philadelphia 1893-97; *id.* in Recent Research in Bible Lands, ib. 1897, 45-93; *id.* Die babylon. Ausgrabungen im Bel-Tempel zu Nippur, Leipzig 1903; *I. P. Peters*, Nippur or explorations and adventures on the Euphrates I. II., New-York 1897; *C. Bezold*, Ninive und Babylon *ed.* 2, Bielefeld 1903, p. 3-21.— Alia v. infra et in art. ASSYRIA.

3. *Conditiones naturales.* Conditiones Babyloniae naturales similes sunt iis, quae in inferiore Assyriae parte habentur; at cum Babylonia montibus careat, multo vehementioribus solis aestibus torretur. Lapidibus pariter caret, sed terram lateribus aptissimam multosque bituminis puteos habet, quod optime caementi loco adhibetur. Fertilitas autem soli, quod totum fere alluvio constat, vel maior est, quam in Assyria, dummodo aquae in fluviis abundantes canalibus ad hortos et agros irrigandos distribuantur. Quamvis enim uterque fluvius, Euphrates et Tigris, etiam naturaliter quotannis regionem inundet, et praesertim antequam aggeribus contineretur, totam planitiem maris instar operiret (*Herod.* 1,184), aqua tamen neque ad omnes agros perveniebat, neque pro toto anni tempore sufficiebat. Canalibus autem per totam provinciam ductis tanta soli fertilitas erat, ut frumentum in agris sexagesimum et centesimum, immo si Herodoto fides habeatur, ducentesimum et trecentesimum fructum attulerit (*Herod.* 1,193; cf *Plin.* XVIII. 18,170 etc.). Arbores autem vix gignit praeter palmas (*Herod.* ib.; *Xenoph.* Cyrop. 7,5. 11 etc.) et tamarices ac populos euphraticas (עֲרָבִים Ps. 136 [137],2 etc. *Vulg.* salices), in quibus Iudaei in exsilio suspendebant organa sua; ficus vero ac vineae et oleae aliaeque arbores non nisi in hortis cultae inveniebantur; similiter schinus et prinus in pomario Susannae a duobus senioribus indicatae (Dan. 13,54. 58) aliunde in hortum illum translatae illicque cultae esse poterant, neque necessario pro arboribus indigenis sumendae sunt (v. artic. spec.). Animalia eadem

ferequae in Assyria occurrebant, exceptis ibicibus ursisque et aliis montium incolis (v. ASSYRIA). Equos veteres Babylonii « asinos orientis » vel « asinos montium » appellabant, eo quod probabiliter eos ex regione montium orientalium acceperant.

Cf. *G. Rawlinson*, Five great Monarchies *ed.* 4, London 1879, I. 33-49; *G. P. E. Berthelet*, Sur quelques metaux et minéraux provenant de l'ant. Chaldée, in Comptes rendus Acad. Inscript. XIV. 1887, 472-81; Rev. archéol. 1887 I. 10-7; *P. Jensen* u. *H. Zimmern*, Namen u. Zeichen für Hausthiere bei Gudea, in Ztschr. f. Assyr. III. 1888, 198-210; *Br. Meissner*, Babylon. Pflanzennamen ib. VI. 1891, 289-98; *Th. G. Pinches*, Names of Plants and things made therefrom in Bab., in Proceed. Soc. Bibl. Arch. XIV. 1894, 308-11. — Alia v. in art. ASSYRIA.

4. *Incolae*. Nemrod, de Chus filio Cham genitus, in libro Geneseos principium regni sui dicitur habuisse in Babylon et Arach, et Achad et Chalanne in terra Sennaar (Gen. 10,10). Primi igitur Babylonii iuxta S. Scripturam non Semitis, sed Cushitis seu Chamitis adnumerandi sunt. Atque id quidem ex monumentis satis manifeste apparet, quae incolas primitivos minime Semitas fuisse clare ostendunt. Multi enim textus antiquissimi non in lingua semitica, sed ea quam dicunt sumerica conscripti sunt, atque etiam characteres cuneiformes ad voces huius linguae non semiticae exprimendas primitus inventi apparent. Quinam vero fuerint isti Sumerii, parum constat; plerique eos Turaniis affines fuisse atque ex Asia centrali in planitiem Sennaar descendisse censent. Atque etiam hoc verbis S. Scripturae satis consentaneum videtur, cum primos incolas profectos « de oriente » campum in terra Sennaar invenisse referant (Gen. 11,2; cf. *F. de Hummelauer* in h. l.). — At praeter istos etiam Semitas iam remotissimis temporibus in Babyloniam venisse, ex textibus cuneiformibus vetustissimis semitica lingua scriptis recte concluditur. Qui paulatim primis illis Sumeriis praevaluere, et permixti cum ipsis totius provinciae dominium adepti sunt; sed praeter scripturae characteres etiam plurimam cultus et humanitatis atque religionis partem a populo devicto acceperunt. Posteriore aetate tertia quaedam natio paulatim cum incolis Babyloniae videtur permixta esse, Chaldaei scilicet, qui primitus in regione australi secus mare sedes suas habebant, inde vero identidem in Babyloniam irruperunt, donec ibi firmas cum reliquis sedes partemque magnam potestatis acquirerent. Unde factum est, ut Babylonii omnes in libris prophetarum saepe Chaldaei appellarentur (v. supra), et cum advenae isti prae ceteris studiis astronomicis incumberent, etiam classis quaedam sapientium astrologorum nomine Chaldaeorum designabatur (Dan. 2,2. 4; v. infra).

Babylonii in S. Scriptura imprimis agri culturam exercuisse perhibentur (Ier. 50,16), id quod indoli regionis omnino conveniens erat. At vel magis celebrantur ab antiquis ob eximiam texendi artem, potissimum quia « colores diversos picturae intexere Babylon maxime celebravit et nomen imposuit » (*Plin.* VIII. 48, 196); quae quidem texturae elegantes et tenues Romae antiquitus tanto in pretio erant, ut Catonis tempore triclinaria babylonica « sestertium octingentis millibus venisse » dicantur (ib.). Unde intellegimus, cur pallium illud « coccineum valde bonum », quod in textu hebraeo « pallium de Senaar » (אַדֶּרֶת שִׁנְעָר) appellatur, tantam pulchritudine sua vim in Achan habuerit, ut eum ad furtum de anathemate Iericho pelliceret (Ios. 7,21). Atque etiam multis saeculis postea panni babylonici varie picti in mercatu tyrio specialiter commemorantur (Ez. 27,24), et in ipsis imaginibus Chaldaeorum filii Babylonis accincti balteis renes et tiaris tinctis cooperti describuntur (ib. 23,14 s.). — Praeterea sicut Assyrii, ita vel magis Babylonii a commercio laudantur; Babylon enim totius Asiae emporium erat, quo terra marique (Is. 43,14) merces ac mercatores ex India et aliis dissitis regionibus confluebant, omnes argentum et aurum quaerentes (Is. 13,14. 17). Quare merito « urbs negotiatorum » (Ez. 17,4) et terra eorum « terra Chanaan » i. e. terra

mercatorum vocatur (Ez. 16,29; 17,4; cf. *I. Knabenbauer* in h. l.), et inter eos qui mercatum tyrium frequentabant, etiam Babylonii cum mercibus suis, palliis hyacinthinis et acu varie pictis tapetisque versicoloribus nominantur (Ez. 27,23 s.); nam Assur hoc loco, ut saepius alias (v. ASSYRIA n. 1), potissimum de Babyloniis accipiendum esse tum ex tempore vaticinii post eversum Assyriorum regnum, tum ex mercibus propositis indicatur, licet fortasse etiam Assyrii devicti cum mercibus victorum ad nundinas tyrias venisse intellegi possent. — Commercio illo florentissimo magnaque totius provinciae fertilitate ac bellis feliciter gestis opes atque divitiae incolarum in immensum crevere (Ier. 50,37; 51,13). At simul, ut fere fit, mores perversissimi, superbia magna atque libido irrefrenata, invaluerunt; qui praesertim cultu idololatrico turpissimo in dies magis corrumpebantur, maxime cum lege publica, quam Herodotus iure αἴσχιστον τῶν νόμων appellat (1,199), mulieres in honorem deae Istar ad turpitudinem adigerentur (Bar. 6,42 s.). Prophetae saepius superbiam magnam Babyloniorum (Is. 13,11; 14,11-14; 47,7 s.; Ier. 50, 24. 29. 31 s.; 51,1 *Vulg.* etc.) et crudelitatem atque scelera eorum (Is. 13,9. 11; 47,6; Hab. 1,6. 10; 2,5 s. etc.) vituperant, meritoque Ieremias Babylonem montem pestiferum vocat, qui corrumpit universam terram (51,25; cf. *I. Knabenbauer* in h. l.); unde et typus factus est illius meretricis magnae, quae corrupit terram in prostitutione sua, materque fornicationum et abominationum terrae exstitit (Apoc. 17,5; 19,2; cf. 14, 8; 16,19; 18,2. 10. 21; 1 Petr. 5,13). Magna illa morum depravatio etiam ex monumentis ac textibus antiquis manifesta est, in quibus v. gr. cultus Astartes cum scortis suis funestisque fructibus, uti in mytho de Izdubar-Nimrod, satis aperte describitur; pariter crudelitas et superbia babylonica ex iisdem monumentis apparet.

Quoad religionem babylonicam iis quae de assyriaca notavimus (v. ASSYRIA n. 4) pauca addenda sunt. Templa maxima saepe formam pyramidalem habuisse pluribusque gradibus in honorem septem planetarum exstructa fuisse iam superius diximus. Cultui divino collegium sacerdotum praeerat, quod in templo Bel babylonico septuaginta ministris sacris, exceptis uxoribus et parvulis constabat (Dan. 14,7 ss.). Oblationes autem quotidianae in honorem Bel dicuntur fuisse « similae artabae duodecim et oves quadraginta vinique amphorae sex » (ib. v. 2), quemadmodum v. gr. etiam Nabuchodonosor similia dona quotidiana « in mensam Marduk et Zarpanit dominorum suorum » se obtulisse refert (Cyl. Grotef. Col. 1,16-28). Etiam serpentes in cultu idololatrico apud Babylonios magno in honore fuisse (Dan. 14,22 ss.), ex monumentis et textibus cuneiformibus clare apparet (v. DRACO).

Praeter libros in art. ASSYRIA notatos cf. *P. Haupt,* Die sumer. Familiengesetze, Leipzig 1879; *Fr. Hommel,* Gesch. Bab. u. Ass. 237-68; *id.* Der bab. Urspr. d. aeg. Kultur, München 1892, 1-45; *id.* in Transact. of the IX. internat. Congr. of Orient. vol. II., London 1893, 218-44; *H. Zimmern,* Bab. Busspsalmen, Leipzig 1885; *id.* Beitr. z. Kenntnis d. bab. Religion I. (Assyriol. Biblioth. XII.), ib. 1896; *A. H. Sayce,* Religion : Lectures on its origin and growth as illustr. by the relig. of the anc. Babylonians (Hibbert Lectures 1887), *ed.* 4, London 1897; *P. Jensen,* Die Kosmologie d. Babylonier, Strassburg 1890; *F. E. Peiser,* Skizze d. bab. Gesellsch. (Mitt. d. vorderas. Ges. 1896, 3), Berlin 1896; *Ed. Stucken,* Astralmythen d. Hebr., Babyl. u. Aegypter I., Leipzig 1896; *C. Bezold,* Ninive und Babylon *ed.* 2, 101-17.

5. *Lingua, litterae, artes.* Sicut incolae terrae Sennaar, ad duas classes pertinebant, Sumerios atque Semitas, ita etiam linguas duas in Babylonia oportet distinguere, alteram sumericam, semiticam alteram. Iis quae in art. ASSYRIA de hac re notavimus, aliqua de litteris babylonicis addenda sunt. Maxima iam reperta est copia textuum cuneiformium, in quibus saltem fragmenta plurima litteraturae chaldaicae nobis conservata sunt. Numerus autem textuum ita in dies augetur, ut difficile quis vel brevem omnium conspectum dederit. Neque ad illustrandos S. Scripturae libros hic pluribus de variis textuum classibus agendum est. Magis ad libros sacros spectant textus religiosi et mythologici,

qui historiam creationis et diluvii, acta herois Nemrod, variasque deorum fabulas forma poetica narrant, multas etiam deorum invocationes hymnosque et psalmos poenitentiales continent. Magnus praeterea numerus textuum magicorum repertus est, quibus incantationes variae formulaeque superstitiosae ad curandos morbos aliaque plura exhibentur. Quibuscum saepe coniunctae apparent observationes astrologicae ex studio caeli siderumque desumptae. Ex ingenti talium textuum copia bene verba illa prophetiae Danielis declarantur, quae magnum sapientium babylonicorum numerum commemorant ac quinque saltem varios eorum ordines distinguunt : ariolos הרטמים, magos אשפים, maleficos מכשפים, Chaldaeos כשדים, aruspices גזרין (Dan. 2,2. 27 etc.; cf. *I. Knabenbauer* in h. l.); unde simul apparet, nomen Chaldaeorum iam auctori libri Danielis sensum appellativum habuisse et classem aliquam sapientium astrologiae deditam designasse (Dan. 2,2. 4), qui usus postea etiam apud scriptores graecos et latinos obtinuit. — Somnia quoque et explicationes eorum magno apud Babylonios in honore fuisse (Dan. 2; 4) ex iisdem textibus cuneiformibus apparet (cf. epos de Izdubar-Nimrod etc.). — At simul cum istis superstitionibus astrologicis Babylonii etiam serium caeli siderumque studium colebant magnamque veri nominis scientiam rerum caelestium acquisierunt. Apparente solis cursu verisque lunae et planetarum motionibus exacte observatis anni partes seriesque temporum accurate determinabant, atque etiam eclipses solis et lunae aliaque facta astronomica diligenter investigabant. Ea qua in hisce investigationibus indigebant scientia mathematica magnopere excellebant, ac mirandum in modum iam triginta saeculis ante Christum, ac probabilius etiam prius, mensuras omnes accurato systemate ordinaverant. In his et aliis ad sapientiam Babyloniorum pertinentibus litteris, in omni « verbo sapientiae et intellectus », Daniel et socii eius instructi leguntur, quibus Deus « scientiam et disciplinam in omni libro et sapientia » concessit (Dan. 1,4. 17. 20).

Cum scientiis antiquitus etiam artes diligenter a Babyloniis colebantur; licet enim posteriore tempore satis neglectae apparent, tamen reliquiae in ruinis urbium antiquissimarum Nippur et Sirgulla inventae manifeste probant, quarto et tertio millennio ante Christum artes apud Babylonios magnopere floruisse; statuae variaeque sculpturae et vasa pulcherrime ornata aliaque multa id clare ostendunt. Musicam pariter minime esse neglectam, magnum psalterium dodecachordum musicique varii in monumento ex aetate Gudeae (c. a. 2800 a. Chr.) repraesentati indicant (v. figuram ap. *Hommel*, Gesch. Bab. p. 243).

Praeter auctores in art. ASSYRIA notatos cf. *Fr. Lenormant*, La magie chez les Chaldéens, Paris 1874; *id.* La divination et la science des présages chez les Chaldéens, ib. 1875; *Fr. Hommel*, Die semit. Völker u. Sprachen I., Leipzig 1883; *id.* Die Astronomie d. alten Chaldäer, in Ausland 1891, 221 ss.; 1892,59 ss.; *Fr. Reber*, Ueber altchald. Kunst, in Ztschr. f. Assyr. I. 1886, 128-75. 289-303; II. 1887, 1-41; *A. Jeremias*, Die Höllenfahrt d. Istar, Leipzig 1887; *id.* Izdubar-Nimrod, ib. 1891; *C. F. Lehmann*, Ueber altbab. Maass u. Gewicht, in Verhandl. d. Ges. f. Anthrop. 1889, 245-328; cf. ib. 630-48, et saepius ibid. annis seqq.; *id.* Das altbab. Maass- u. Gewichtssystem, in Actes du VIII. Congr. intern. des Orient., Leide 1893, Sect. sémit. b, 165-249; *I. Epping* et *I. N. Strassmaier*, Astronomisches aus Babylon (Stimmen aus M. Laach, Ergänzgsheft 44), Freiburg 1889 (cf. *P. Jensen* in Ztschr. f. Assyr. V. 1890, 121-33); *iid.* Neue babyl. Planetentafeln, in Ztschr. f. Ass. V. 1890.341-66; VI. 1891, 89-102. 217-44; *F. X. Kugler*, Die Babylonische Mondrechnung, Freiburg im Breisgau 1900; *idem*, Zur Erklärung der babyl. Mondtafeln, in Zeitschr. für Assyr. XV. 1900, 178-209; *idem*, Astronomische Masse der Chaldaeer, ib. 383-392; *A. Aurès*, Traité de métrologie assyr., Paris 1891; *A. Laurent*, La magie et la divination chez les Chaldéo-Assyr., Paris 1894; *K. L. Tallqvist*, Die assyr. Beschwoerungserie Maqlu I. II, Leipzig 1895; *L. W. King*, Babylonian magic and sorcery, London 1896; *C. Bezold*, Ninive und Babylon *ed.* 2, 83-138; *H. Zimmern* in *E. Schrader*, Die Keilinschriften und das Alte Test. *ed.* 3, Berlin 1903, 343-654.

6. *Historia.* Fontibus in historia assyriaca notatis pro historia babylonica addenda sunt monumenta quae ipsam Babyloniam spectant, textusque varii de actibus regum aliisque Babyloniae rebus agentes. De chronologia etiam hic variae discutiuntur quaestiones quas pluribus hic exponere longum est. Ex ultimis excavationibus in ruinis Nippur aliarumque urbium factis videtur constare, initia historiae babylonicae ad quinque millia et plures annos ante Christum ascendere. Unum totius provinciae regnum autem tunc nondum exsistebat, sed variae urbes (Akkad [Agade], Kish, Lagas, Ur, Erech, Larsa etc.) atque principes sumerii et semitae variaeque dynastiae de principatu inter se dimicabant. Celebris inter principes illos veteres Babyloniae septemtrionalis erat *Sargon* (*Sargani-shar-ali*), rex Akkad, filiusque eius *Naram-Sin,* quem rex Nabonidus (555-538 a. Chr.) 3200 annis ante se regnasse refert (Cyl. Abū Habba Col. 2,57 s. — *Lehmann* corrigendum censet 2200 annis). In regione vero australi pluribus saeculis postea *Gudea*, princeps sacerdotalis (seu *patesi*) in urbe Sirgulla (c. a. 2800 a. Chr.), totam fere provinciam suo sceptro subiecit, atque etiam in Syriam et Arabiam suas expeditiones extendit, unde se cedros de monte Amano et lapides durissimos de montibus terrae occidentalis retulisse gloriatur (Inscr. B, col. 5,28 ss.; col. 6,3 ss. etc.).

Postea in urbe Babylon dynastia magna et potentissima exstitit, cuius principes in primo catalogo regum babylonicorum (A) enumerantur. Cum iuxta Berosum et Kallisthenem 1920 annis ante Seleucidarum aeram (312 a. Chr.) dynastia illa prima initium dicatur habuisse, primus eius rex probabiliter c. a. 2232 a. Chr. thronum ascendit; 102 annis post dynastiae initium, sexto in eadem dynastia loco, regnum suscepit *Hammurabi,* qui ex catalogo citato 43 annis regnavit (c. 2130-2087 a. Chr.). Postquam Elamitas, Babyloniae australi et regioni occidentali dominantes, devicit, totius Babyloniae septemtrionalis et meridionalis, atque etiam Syriae et Palaestinae (regionis *Martu*), imperio potitus est magnumque regnum babylonicum fundavit. Communiter et satis probabiliter idem dicitur esse atque « *Amraphel,* rex Sennaar », qui cum Chodorlahomor, rege Elamitarum, Arioch (Eriaku), rege Ellasar (Larsa; *Vulg.* Ponti), Thadal rege gentium (Goiim, *Guti*?), dominantibus adhuc Elamitis, bellum contra reges palaestinenses suscepisse legitur (Gen. 14,1 ss.; v. spec. artic. de istis regibus). Hac igitur aetate (c. a. 2100 a. Chr.) Abraham de Ur Chaldaeorum ac postea de Haran in Mesopotamia iussu Dei egressus in terram Chanaan transmigravit.

Primae dynastiae, quae c. 286 annos (c. 2232-1946) regnasse exhibetur, plures aliae successerunt, a quibus varia fortuna cum finitimis nationibus dimicatum est. Sub tertia dynastia, quae Kassitarum dicitur et amplius 500 annis regnum tenuit, reges babylonii cum Aegyptiis affinitate coniuncti sunt atque frequens cum ipsis commercium habuerunt (Tabulae *Tell el-ʿAmarna*). Periculum maximum ex parte Assyriorum regno babylonico imminebat, cui saepius ad tempus succubuit (v. ASSYRIA). At postremo Babylonii, capta atque deleta Ninive (a. 607) victores exstitere, donec ipsi regno Persarum locum cedere coacti sunt (v. CHALDAEI). Metropolis Babylon « inclyta superbia Chaldaeorum » (Is. 13,19) regnante *Nabonido* (555-538 a. Chr.) a Cyro Persarum rege anno 538 a. Chr. capta, et filius regis Baltassar (*Bel-shar-uṣur*) interfectus est, rege ipso in exsilium misso (v. BALTASSAR 2). Cyrus urbi pepercit, quae tamen saepius rebellis a Dario iterum capta atque ex parte deleta est, destructis praesertim moenibus latissimis atque fortissimis (cf. Ier. 51,58). Iterum a Xerxe vastata ac praesertim thesauris templi Bel privata (cf. Ier. 51, 44), postea sub Alexandro Magno per breve tempus ad novam gloriam surrexit, cum Macedo ipsam in caput regni sui vastissimi eligeret. At mortuo post breve tempus Alexandro, urbs iterum rebellis a Seleuco Nicatore denuo capta atque destructa est; qui nova haud procul urbe Seleucia condita plenam veteris Babylonis ruinam, saepius a prophetis praedictam, paulatim adduxit (Is. 13;

14,4-27; 46,1 s.; Ier. 50; 51; Dan. 5 etc.).

Cf. *G. Smith*, History of Babylon, *ed. A. H. Sayce*, London 1877; *A. I. Delattre*, Les Chaldeens jusqu'à la formation de l'empire de Nabuchodonosor, Louvain 1877 (ed. nova ib. 1889); *G. Rawlinson*, The five great monarchies of the ancient eastern world, *ed.* 4,3 voll., London 1879 (Chaldaei 1°, Babylonii 3° loco); *Eb. Schrader*, Keilinschr. Bibliothek III. IV. V, Berlin 1890-96; *C. F. Lehmann*, Samassumukin, König v. Bab., Leipzig 1892; *id.* Zwei Hauptprobleme d. altor. Chronol., ib. 1898; *Fr. Hommel* in N. Kirchl. Ztschr. VII. 1896, 565-80 (= Expos. Times VIII. 103-9); *L. W. King*, The letters and inscriptions of Hammurabi King of Babylon I., London 1898; *H. Winckler* in *E. Schrader*, Die Keilinschr. und das Alte Test. *ed.* 3,9-153; *I. Nikel*, Genesis und Keilschriftforschung, Freiburg i. B. 1903. — Alia v. in art. ASSYRIA.

L. FONCK.

BABYLONICA TURRIS v. BABYLON 2.

BACA (עֵמֶק הַבָּכָא, ἡ κοιλὰς τοῦ κλαυθμῶνος, *Vulg.* Vallis lacrymarum), vallis per quam Israelitas ad montem Sion ascendentes Psalmista in spiritu contemplatur Ps. 83[84],7. Dubium est utrum Baca sit nomen proprium an commune. Omnes antiquae versiones LXX, Vulgata, Syrus, Chaldaeus, Arabs nomen commune reddiderunt, cui notio planctus et lacrymarum insit. *Gesenius* (Thesaurus p. 205) interpretatur nomen proprium vallis quamcunque ob rationem vocatae *vallis fletus* a radice inusitata בכא i. q. בכה *flevit;* certam quandam vallem significari contendit propter articulum nomini recto praefixum. Idem auctor l. c. addit: « Contra statuere possis vallem nostram proprie ab arboribus *Baca* dictis nomen habuisse et nihilominus h. l. primariae *flendi* significationi allusum esse »; provocat ad formam pluralem בָּכָאִים quae 2 Sam. 5,23. 24 et 1 Chron. 14,13. 14 significat arborem quandam a lacrymando dictam, arab. *baka*, balsamiferae similem, fructu tamen maiore et rotundiore foliisque longioribus dignoscendam, ex quibus resectis *lacryma alba*, calida et acris destillat; hebraei interpretes בָּכָאִים reddunt *iuniperos*, Vulgata *pyros*, recentiores aliqui *moros*. — Sed quidquid est de his combinationibus, vallis Baca in Palaestina non innotuit. Coniecturae de ista valle determinanda non deficiunt. *Grove-Wilson* et *A. S. Aglen* mentionem faciunt vallis in regione montis Sinai ab *I. L. Burckhardt* repertae, cui nomen *Wādi el-Bekā*; *E. Renan* vallem lacrymarum agnoscit in *'Ain el-Harāmīye* inter Sichem et Ierusalem, ultima peregrinantium statione, antequam urbem Ierusalem a septentrione attingerent; *A. S. Aglen* insuper addit vallem Achor vel vallem Raphaim cum valle lacrymarum, si lubet, componendam.

Cf. *I. L. Burckhardt*, Reisen in Syrien, Palaestina etc. *ed. Gesenius* II. p. 977 et cf. 1081; *Grove-Wilson* apud *Smith-Fuller*, Dict. of the Bible I. 1, p. 333 a; *E. Renan*, Vie de Jésus, 1863, p. 69; *A. S. Aglen* apud *Hastings*, Dict. of the Bible I, p. 230 b. — De contextu Ps. 83[84],7 cf. *Fillion*, La Sainte Bible 1892, IV. p. 259. 260; *H. Lesêtre*, La Sainte Bible, le livre des Psaumes, 1883, p. 401; *I. A. van Steenkiste*, Liber Psalmorum 1886, II. p. 746-747.

BACBACAR (בַּקְבַּקָּר, Βακβακάρ), levita de stirpe Asaph, incola Ierusalem post instaurationem (1 Par. 9,15). In Vulgata dicitur carpentarius; in textu hebraico autem non legitur חָרָשׁ i. e. faber, sculptor, sed חֶרֶשׁ i. e. opus artificiosum, fabrile; probabilius vero חָרָשׁ est nomen proprium (LXX Ἀρής in Vulgata omissum.

BACBUC (בַּקְבּוּק, Βακβούκ), Nathinaeus, cuius filii duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,51; Neh. 7,53). Idem nomen hebraicum legitur forma pleniore Neh. 11,17; 12,9. 25 (*Vulg.* Becbecia; vide s. v.).

BACCHIDES (Βακχίδης), dux Syrorum tempore Antiochi IV. Epiphanis et Demetrii I. Soteris. Eo fere tempore, quo Iudas Machabaeus Nicanorem et Gorgiam ab Epiphane missos a. 166/165 a. Chr. devicit (1 Mach. 3,42-4,25; 2 Mach. 8,12 ss.), alter Syrorum exercitus, quem Timotheus et Bacchides ducebant, a Iudaeis deletus est (2 Mach. 8,30). Demetrius I. (162-150 a. Chr.) Bacchidem in

Iudaeam misit, ut Alcimum pontificem fidelibus Iudaeis invitis obtruderet; mandatum vi et dolo exsecutus Bacchides ad regem rediit praesidio Syrorum ad Alcimi defensionem relicto (1 Mach. 7,5-20). Sed iam intra annum, cum Nicanor, alter dux Demetrii I., duobus proeliis a Iuda superatus periisset (a. 161 a. Chr.), Bacchides iterum in Iudaeam missus victoriam apud Laisam de Iuda Machabaeo, qui ipse in proelio occisus est, reportavit primo mense a. 152 aer. Seleuc. seu mense Aprili a. 161 a. Chr. (1 Mach. 9,1-18). Per duos fere annos Bacchides in Iudaea moratus simul cum Alcimo, pontifice perfido, Iudaeos oppressit et dum Ionathas novus dux Iudaeorum trans Iordanem recedere coactus est, varias urbes munivit, obsides Iudaeorum in arce hierosolymitana inclusit et Alcimo mortuo in Syriam rediit anno 160 vel 159 a. Chr. (1 Mach. 9,23-57). Cum Ionathas paulatim vires factionis machabaicae restitueret, Bacchides a. 158 a. Chr. tertio a Demetrio I. in Iudaeam missus est; sed cum nihil contra Ionathan valeret, pace composita Iudaeam reliquit nunquam reversurus (1 Mach. 9,58-73). Multa mala Bacchides Iudaeis intulit dolo et crudelitate; virtutis autem bellicae hoc unum edidit facinus haud praeclarum, quod cum 20000 peditum et 2000 equitum Iudam Machabaeum cui nonnisi 800 viri fideles remanserant, proelio unius diei (9,13) superavit.

BACCHUS v. LIBER.

BACENOR (Βακήνωρ), dux equitum in exercitu Iudae Mach. (2 Mach. 12,35).

BACULUS v. VIRGA.

BADACER (בִּדְקַר Βαδεκάρ), dux quidam nobilior Iehu regis Israel (4 Reg. 9, 25); Iehu ei imperavit, ut corpus Ioram filii Achab in agrum Naboth Iezraelitae proiiceret.

BADAD (בְּדַד, Βαράδ) pater Adad regis cuiusdam Idumaeae (Gen. 36,35; 1 Par. 1,46).

BADAIAS (בְּדַיָּה, Βαδαία), unus de filiis Bani, qui iubente Esdra uxores alienigenas contra legem ductas dimiserunt (Esdr. 10,35).

BADAN (בְּדָן). **1.** Vir, quem Samuel 1 Reg. 12,11 in sermone ad populum habito heroem celebrat; enumeratur inter Ierobaal (Gedeon) et Iephthe. Cum in libro Iudicum Badan iudex non inveniatur, interpretes varia opinati sunt; aliis Badan est Abdon (Iud. 12,13) propter similitudinem nominis, aliis Iair Galaadites (Iud. 10,3), quem 1 Par. 7,17 Badan appellari supponunt, aliis denique Samson Danita, cui cognomen Be-Dan seu Ben-Dan i. e. filius Dan inditum esse coniiciunt (*Kimchi*). — Nostro tempore plerique pro *Badan* legunt *Barac* cum versionibus LXX, syriaca, arabica. Praeterea omissio nominis Barac satis mira videri deberet, postquam 1 Reg. 12,9 nomen Sisara, quem Barac insigni clade affecit, cum emphasi elatum est. Insuper Barac simul cum Gedeon, Samson, Iephthe inter heroas illustrissimos habetur; cf. Hebr. 11, 32. Difficultas chronologica, quod Barac post Gedeon nominatur, non est ullius momenti; nam ordo nominum in toto contextu non est chronologicus neque servatur proportio in enumerandis victis et victoribus.

Cf. *F. de Hummelauer* ad 1 Reg. 12,11; *Patis* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1381.

2. Filius Ulam filii Galaad de stirpe Manasse (1 Par. 7,17; Βαδάμ, A Βαδάν).

BAGATHA (בִּגְתָא, Βαραξί), unus de septem eunuchis in palatio Assueri (Esth. 1,10).

BAGATHA (Esth. 12,1) v. BAGATHAN.

BAGATHAN (בִּגְתָן Esth. 2,21 בִּגְתָנָא Esth. 6,2; א Βαγαθάν, B et A omitt.; sed in prologo libri graeci legitur in v. 12 Γαβαθά, *Vulg.* 12,1 Bagatha). Duo eunuchi, Bagathan et Thares, qui erant ianitores in primo limine palatii Assueri (LXX ἀρχισωματοφύλακες, praefecti custodum corporis seu cohortis regiae) in caedem regis conspiraverunt, sed a Mardochaeo reginae Esther denuntiati et iubente rege in patibulo suspensi sunt (Esth. 2,21; 6,2; 12,1); v. MARDOCHAEUS.

BAHEM 1 Mach. 13,37 legitur pro

graeco βάϊον, quod ramum palmarum videtur significare (cf. I Mach. 13,51 ; v. PALMA.

BAHURIM בַּחוּרִים, בָּחוּרִים : Βαουρίμ, Βαρακίμ, vicus ad orientem Ierusalem. Cum Michol filia Saul et uxor Phalliel ab Abner de Gallim Hebronem ad David reduceretur, Phalliel plorans uxorem secutus est Bahurim usque; inde autem iubente Abner domum rediit, forte quia Bahurim in confinibus Beniamin et Iuda sita erat; saltem indicium aliquod pro situ determinando hic deprehenditur (2 Reg. 3,16). Ex Bahurim progressus est Semei, vir de cognatione domus Saul; dum David fugiens de monte olivarum Iordanem versus in valle descendit, Semei per latus montis (hebr.) regem secutus lapidibus iactis et verbis contumeliosis vexavit (2 Reg. 16,5-13; cf. 19,16 et 3 Reg. 2,8). Semei erat Beniaminita : alterum indicium pro territorio Beniamin. In eadem fuga David regis Ionathas et Achimaas nuntii fideles a Ierusalem ad regem profugum mittuntur et ut speculatores insectantes effugerent, *de via deflectentes* vicum Bahurim ingrediuntur atque in puteo se abscondunt (2 Reg. 17, 18). Cf. *Flav. Ioseph.* Ant. VII. 9,7 : ἐκτραπέντες τῆς ὁδοῦ. — Ex dictis colligunt plerique Bahurim fuisse vicum beniaminiticum et probabilius tribui Iuda conterminum; cf. *F. de Hummelauer* in 2 Reg. 3,16. Ad situm accuratius determinandum hypothesin, quae ceteris multo probabilior est, proposuit *I. P. van Kasteren* in Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XIII. 1890, 101 ss. scil. Bahurim esse vel *Khirbet Buqei'a Dhūn* vel *Khirbet el-Zambi*, quae sunt duae ruinae in *Wādi el-Rawābi* secus viam romanam Ierusalem inter et Iericho; atque altera quidem ruina *el-Zambi* magis commendari videtur eo, quod a via remotior est; cf. Flav. Ios. supra. *Van Kasteren* loc. cit. a discussione de situ Bahurim excludit *Abū dīs* (*Schubert, Guérin, Liévin de Hamme*) et *el-Murassas* (*Marti*), quod non sint in territorio Beniamin. Uberius disputat de *Khirbet 'Almīṭ*, quam Rabbi *I. Schwarz* et *Conder* cum Bahurim componunt; difficile explicatur, cur David fugiens et duo illi nuntii festinantes viae breviori orientali per *Wādi el-Rawābi* praeluderint longiorem per fauces *Wādi Fūra*, quae nimium aquilonem versus deflectit. Favet quidem hypothesi *Khirbet 'Almīṭ* Targum Ionathan, qui 2 Reg. 3,16 Almuth, 16,5 Almath, 17,18 Allemath legit; unde Bahurim eadem videri potest ac Almon Ios. 21,18 et Almath 1 Par. 6,60 [65]. Sed error apud Ionathan eo magis admitti potest, quod et Bahurim et Alemeth verti possunt *iuventus* saltem cum aliqua specie veri; ceterum apud *Fürst*, Lex. hebr. Bahurim vertitur locus demissus (*Tiefgrund*), Alemeth = Almon locus occultus (*Schlupfwinkel*).

Praeter Semei de Bahurim oriundus erat Azmaveth de Beromi (2 Reg. 23,31) seu Azmoth Bauramites (1 Par. 11,32).

Cf. *I. P. van Kasteren* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1384-1386 et praeterea generatim *G. H. Schubert*, Reise in das Morgenland III. 70; *I. Schwarz*, Das heilige Land 1852. p. 98. 99; *Robinson*, Palaestina II. 312; *T. Tobler*, Topographie von Ierusalem II. 767; *Guérin*, Samarie I. 160 ss.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte, 1897, II. 313; *Schick-Marti* in Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins III. 1880, p. 8 ss.; *Conder* in *Survey of West. Pal.* Mem. III. 351; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, I. 457, qui hypothesin *Abū Dīs* reiicit et Bahurim in descensu orientali montis olivarum infra Bethaniam quaerendum esse dicit, sed certum locum non determinat.

BAICTILAITH planities (τὸ πεδίον Βαικτιλαίθ) legitur in textu graeco Iudith 2,21. Holofernes ex Assyria profectus, ut rebelles in Asia occidentali comprimeret, post iter trium dierum in planitiem Baictilaith pervenit et inde progressus iuxta montem Ange ad septemtrionem Ciliciae castra posuit (cf. *Vulg.* 2,12). Mons Ange est mons Argaeus Graecorum in Cappadocia, hodie *Erdjūs* (vide ANGE). Unde Baictilaith inter hunc montem et Assyriam quaerendus est. A nonnullis (v. g. *Riess*) censetur esse Bactaialla, Bacatailli (Βακταιαλλή, Βακαταίλλοι) Ptolemaei (V. 15. 16 [*ed. Müller-Fischer* 14, 12]) in Syria Cassiotide seu Bacataiali Tabulae Peutinger. (Segm. X. 4) inter Antiochiam Syriae et Laodiceam urbem maritimam (*Lādiqīye*). Maiore autem cum probabilitate ab aliis (*Calmet, Vigou-*

roux, Legendre) praefertur planities Bagdania, Βαγαδανία Strabonis (II. 1,15; XII. 2,10) inter montes Argaeum et Taurum in Cappadocia.

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *Calmet* ad Iudith 2,21; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, IV. p. 113. 114; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1538.

BALA nomen personarum.

1. Bala (בִּלְהָה, Βαλλά), ancilla Rachel (Gen. 29,29) et concubina Iacob, cui peperit Dan et Nephthali (Gen. 30,3-8; 35, 25; 37,2; 46,25; 1 Par. 7,13). Cum Iacob in Chanaan habitaret, Ruben primogenitus Iacob cum Bala incestum commisit (Gen. 35,22), qua de re Iacob moribundus verba maledictionis in Ruben pronuntiat (Gen. 49,4).

2. Bala (בֶּלַע, Βαλέκ), filius Azaz Rubenita, incola Aroer Arnonis (1 Par. 5,8).

BALA nomen duarum urbium.

1. Bala (בֶּלַע, Βαλάκ), urbs in litore maris Mortui sita, postea Segor appellata (Gen. 14,2); v. SEGOR.

2. Bala (בָּלָה, Βωλά), urbs tribus Iuda, postea Simeonitis tradita (Ios. 19,3). Eadem est ac Baala 3.

BALAAM (בִּלְעָם, Βαλαάμ), filius Beor, qui habitavit in Phethor ad Euphraten (Num. 22,5 hebr. LXX; quod Vulgata habet : super flumen terrae filiorum Ammon, mendum est interpretis; hebr. et LXX : ad flumen terrae filiorum populi sui; et qualis haec regio sit, declaratur Deut. 23,5 אֲרַם נַהֲרַיִם, LXX ἐκ τῆς Μεσοποταμίας). Ad eum misit Balac rex Moab (cf. s. v. BALAC) nuntios, ut veniret et malediceret Israelitis, a quibus sibi Balac timuit. Fama itaque innotuit benedictionem et maledictionem Balaam esse efficacem. Veniunt ad eum seniores Moab et Madian cum pretio divinationis. Ille vero consulto Domino prohibetur proficisci cum eo idque nuntiis sincere declarat. Balac autem secundo alios nuntios mittit multo plures et nobiliores cum promissis magnificis : honorabo te summopere et quidquid mihi dixeris faciam. Balaam iterum Dominum consulit, qui permittit ei ut eat cum nuntiis, verum ei iniungit ut id solum faciat quod ipsi praecepturus sit. Balaam vero itinere suscepto statuit desiderio Balac satisfacere captus avaritia. Id omnino sequitur ex Num. 22,32, ubi angelus dicit : perversa est via tua mihique contraria; id quoque sequitur ex Deut. 23,5 et Ios. 24,9, ex quibus locis patet voluisse Balaam populo maledicere; idem colligitur ex 2 Petr. 2,15. 16, Balaam amasse mercedem iniquitatis et eo in itinere manifestam esse viri improbitatem et vesaniam. Idcirco Num. 22,22 hebr. : et exarsit ira Dei, cum ille esset in itinere. Recte igitur habet Targum : ad maledicendum, uti patet ex Deut. 23,5 et Ios. 24,9; quare perperam alii de duabus narrationibus inepte iunctis eo loco loquuntur. Ei se opponit angelus Domini; Balaam mentis improbitate impeditus angelum non advertit; habuit correptionem improbitatis subiugale mutum animal, quod voce loquens prohibuit prophetae vesaniam (2 Petr. 2,16); scil. ut S. Augustinus dicit, Deus quod illi placuit ex asina sonare fecit (in heptateuch. 4,50 qu.). Ei iterum iniungitur ab angelo : cave ne aliud quam praecepero tibi loquaris (Num. 22,35). Atque id quidem Balaam fideliter praestitit. Ter enim rogatus a Balac ut maledideret, amplissimas benedictiones in populum Dei pronuntiavit (Num. 23,1-24, 11) et ultra vaticinatus est de temporibus futuris, de stella oriente ex Iacob, de sorte Moabitarum, Amalecitarum, Cinaeorum, Assyriorum, Hebraeorum.

In illis benedictionibus quas Deo iubente dederat, simul enuntiantur causae et conditiones benedictionum : populus solus habitat et inter gentes non reputatur (Num. 23,9); non est idolum in Iacob nec videtur simulacrum in Israel (Num. 23,21 ss.). Intellexit itaque Balaam qua ratione auferri possit benedictio Dei a populo. Quare tandem cessit desiderio Balac ei suggerens, ut Israelitas per filias moabiticas et madianiticas induceret ad cultum turpissimum Beelphegor et ad fornicationem (Num. 31,16). Quo pessimo consilio multi Israelitarum peccarunt in Deum et iusta ultione occisa sunt viginti quattuor millia hominum (Num. 25,1-18); at Phinees filius Eleazari zelo suo avertit iram Dei a populo. In pugna qua contra

Madianitas dimicatum est etiam Balaam interfectus est gladio; unde patet eum non solum regi Moabitarum pessimum dedisse consilium, verum etiam in exercitu Madianitarum consiliis, incantationibus, armis damnum voluisse inferre populo Dei (Num. 31, 8; Ios. 13,22).

Ex hisce etiam de moribus et indole Balaam erit iudicium ferendum. Quaerunt enim fuerittne propheta Domini an ariolus. Cum Balac rex Moabitarum idololatra eum ad se vocet ut populo cultori veri Dei maledicat et cum ab eius maledictione exspectet efficaciam, certe dicendum erit Balaam notum fuisse non ut prophetam Dei sed ut ariolum. Huic concordat quod Ios. 13,22 הַקּוֹסֵם vocatur: קסם autem dicitur de falsis prophetis (Deut 18,10. 14; 4 Reg. 17,17; Mich. 3,6. 7. 11), de divinatoribus, de auguribus Philisthaeorum, de muliere necyomanteam faciente (cf. 1 Sam. 6,2; 28,8). Eius divinandi artem etiam S. Gregorius Nyssenus vocat οἰωνιστικήν eumque dicit daemonum ope potentem et censet Deum per asinam ei locutum esse quia brutorum animalium sonis cooperante diabolo augurare soleret (de vita Moysis, *M.* 44, 325. 421). Utut haec vere dici videntur, tamen ei simul veri Dei notionem non defuisse, ipsa narratione proditur. Cum enim a legatis regis Balac invitaretur, respondit: manete hic nocte et respondebo quidquid mihi dixerit Dominus (Num. 22,8. 19) et se paratum exibet voci Dei obsequi: ite in terram vestram quia prohibuit me Dominus venire vobiscum (v. 13) et postea solum proficiscitur venia a Deo accepta (v. 20). Verum pariter certum est eum in ipso itinere animo mutato pravam gessisse voluntatem (v. 32) et cum esset apud Balac pro virili conatum esse ut eius desiderio obsequens populo Dei malediceret. Id elucet tum ex repetito conatu quem suadente Balac fecit, tum etiam clarius ex Deut. 23,5: noluit Dominus Deus tuus audire Balaam vertitque maledictionem eius in benedictionem tuam eo quod te diligeret; cf. Ios. 24,9 et Neh. 13,2. Dein pessima eius voluntas manifestatur consilio quod dedit regi ad perniciem populi inferendam (Num. 31,16), quare merito in Novo Testamento 2 Petr. 2,15. 16, Iudae v. 11, Apoc. 2,14 tamquam homo scelestus traducitur. Poenas perfidiae suae luit, quia simul cum iis quos iuvare volebat interiit (Num. 31,8; Ios. 13,22). Proinde divinitus impeditus est ne malediceret et divinitus coactus, ut benediceret, uti S. Gregorius Nyssenus et plerique recte concipiunt. Eo autem qui apud Moabitas et Madianitas tanta fruebatur auctoritate usus est Dominus, ut gentibus illis suam manifestaret potentiam qua omnes praestigiorum artes prosternerentur et ut eisdem testaretur a se populum Israel esse electum et protectum neque ullam potestatem humanam quidquam efficere posse contra suam voluntatem, verum fore ut omnia regna concidant, Dei vero regnum stet inconcussum (Num. 23,21; 24,8 s. 24).

Perperam excogitata est a recentioribus quibusdam triplex de Balaam traditio: antiqua, qua tamquam ariolus et malus describatur, recentior, qua ut eius vaticinium cederet in gloriam Israel propheta verus ac bonus exhibeatur, tertia qua utraque traditio coniungatur (inserta parte illa Num. 22,22-35). Ratio praecipue affertur, quia Num. 31,8. 16; Ios. 13,22 Balaam solum vituperatur, in qua re alia et antiqua habeatur traditio. Verum num omnia singulis in locis dici et scribi debent?

BALAAM (בִּלְעָם, Ἰεμβλάαν), urbs tribus Manasse cisiordanicae filiis Caath tradita (1 Par. 6,70[55]). Desideratur in elencho urbium Manasse Ios. 17,11; sed vix dubium est, quin ibidem eius locum teneat Ieblaam (יִבְלְעָם, LXX omitt.); v. IEBLAAM. Item desideratur Ios. 21,25, ubi eius loco Gethremmon filiis Caath tradita esse legitur; v. GETHREMMON.

BALAAN (בִּלְהָן, Βαλαάμ), princeps Horraeus, filius Eser filii Seir, habitans in monte Seir, antequam Esau montem Seir occuparet (Gen. 36,27; 1 Par. 1,42).

BALAATH, urbs tribus Dan v. BAALATH.

BALAC (בָּלָק, Βαλάκ), rex Moab tempore quo filii Israel duce Moyse ad terram palaestinensem occupandam iter instituerunt. Postquam regem Amor-

rhaeorum, Sehon, vicerunt, Israelitae occuparunt terram eius ab Arnon usque Ieboc, quae regio antea ab Amorrhaeis ditioni Moabitarum erat erepta; tunc etiam Og rex Basan ab Israelitis est devictus (Num. 21,21-35). Hisce Israelitarum victoriis Balac perterritus suam ditionem quam Amorrhaei non occuparant ne perderet cavere voluit. Sed cum videret armis Israelitas superari non posse, quippe qui duos reges adeo potentes, Sehon et Og, devicissent, statuit ad subsidia potentiora confugere ut se a periculo quod sibi imminere putabat liberaret. Misit itaque ad Balaam ariolum, ut veniret ac malediceret populo; « novi enim quod benedictus sit cui benedixeris et maledictus in quem maledicta congesseris » (Num. 22,6). Secunda demum legatione eaque nobiliore missa acquievit Balaam. At a Domino prohibitus populo non maledixit, sed benedixit, et frustra Balac conabatur eum inducere ad maledictionem in populum Dei enuntiandam; « nam ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo » (Num. 23,20). Deus itaque maledictionem quam Balac populo infligere voluit convertit in benedictionem, cuius beneficii saepius in s. litteris mentio ingeritur; cf. Ios. 24,9. 10; Iud. 11, 25; Mich. 6,5. Verum nihilominus Balac id effecit apud Balaam, ut doceretur quomodo posset scandalum mittere in populum Dei (Apoc. 2,14). Vide s. v. BALAAM.

BALADAN v. MERODACH BALADAN.

BALAN (בִּלְהָן, Βαλαάν), filius Iadihel ex posteris Beniamin, pater septem filiorum, qui familias praepotentes procrearunt (1 Par. 7,10).

BALANAN (בַּעַל חָנָן). **1.** Filius Achobor, septimus regum Edom, antequam regem haberent filii Israel (Gen. 36,38. 39 LXX Βαλλενών; 1 Par. 1,49.50 LXX Βαλαεννώρ).

2. Praefectus, a Davide super oliveta et ficeta, quae erant in campestribus (in Sephela), positus (1 Par. 27,28). Cognominatur Gederites (vide s. v.).

BALDAD (בִּלְדַד, Βαλδάδ), Suhites, unus ex tribus amicis Iob, ortus ex regione שׁוּחַ. Cum eo nomine vocetur unus ex filiis Cethurae, qui cum ceteris concubinarum filiis ab Abraham patre « ad orientalem plagam » separatus est (Gen. 25,6), ibi haec regio, ceterum ignota, quaerenda erit. Fortasse cogitare licet de regione Σαχχαία cuius meminit Ptolemaeus (V. 15,26 [14,20]) in orientali parte Batanaeae, quae regio a patria Iob non adeo distat. Ab assyriologis commemoratur regio Suhu, quam *Delitzsch* (Paradies p. 298) ab ostio fluminis *Belikh* ad ostium fluminis *Khabur* extendi censet. In disceptatione illa de causa morbi gravissimi Iob Baldad ter loquitur (cap. 8.18. 25). Uti alii, Baldad quoque non alias agnoscit castigationes Dei nisi ad scelera punienda inflictas; quare in verbis Iob qui se a graviore culpa immunem declaravit accusationem iustitiae divinae deprehendit. Animum Iob eo quoque laedit quod filios eius propter scelera iuste esse punitos affirmat, ipsum vero ut impium merito esse perculsum; at si pietatem instauraverit ei superesse spem felicitatis. Etiam vehementius in Iobum invehitur oratione secunda (cap. 18), in qua miseriam et maledictionem omnis generis quae in impium devolvatur ita describit, ut sortem Iob se adumbrare haud dissimulet et ullam de Iob spem se fovere iam neget. In tertia demum oratione, postquam Iob adeo explicite demonstravit, impios saepe grassari impune, opprimi bonos, quid opponat iam non habet, sed repetit quae de divina maiestate iam antea dicta erant et neminem coram Deo a peccato esse immunem contendit. Sed hac ipsa brevi ad superiora responsione satis ostendit et doctrinam amicorum Iob de una malorum causa iam non posse defendi neque ullam tamen repertam esse responsionem, cur Iob, vir probus, adeo affligatur. Baldad quoque audit reprehensionem Dei « quoniam non estis locuti rectum coram me »; debet cum aliis duobus sacrificium offerre et a Iob petere, ut Iob pro se intercedat ad Deum » ut vobis non imputetur stultitia » (Iob 42,7-9).

BALE v. BELA.

BALOTH (בְּעָלוֹת). **1.** Urbs in australi plaga tribus Iuda sita (Ios. 15,24; Βαλμαειάν). Est ignota.

2. Urbs vel regio, quae cum Aser enumeratur ut pars praefecturae salomonicae a Baana filio Husi administratae 3 Reg. 4,16. *Relandus* (Palaestina II. 617 putat באשר יבעלות vertendum esse : in Aser et in Aloth. Versiones graeca (καὶ ἐν Βααλώθ), latina, syriaca repetunt praepositionem : et in Baloth. Res dubia est. Verum si ב non praefixum est, sed ad ipsum nomen trahitur, Baloth utpote nomini regionis Aser sine nova praepositione coordinatum erit nomen regionis cuiusdam. Ceterum determinari nequit, quaenam sit illa regio vel urbs.

BALSAMUM. — **1.** *Hebraicum* פֹּךְ. Balsamum in Vulgata dicitur imprimis hebr. פֹּךְ, quod Israelitae cum tritico, melle, oleo, resina in nundinis Tyriorum proposuisse referuntur (Ez. 27,17). Vox hebraica est ἅπαξ λεγόμενον, pro quo tres codices apud *de Rossi* פגג legunt i. e. *grossuli* (cf. Cant. 2,13), atque significationem affinem scil. fici delicatae etiam pro פגה = פֵּגָה aliqui proponunt *P. Schegg*, Bibl. Arch. p. 191); LXX κασίας, seu forte μύρων καὶ κασίας eius loco habent; Peshitta דוחנא i. e. milium (seu *Panicum miliaceum* Linnei, nomine per accidens hebraico simili) reddit; signa hebraica non intellecta retinent Aquila (φενέγ), Symmachus (φανάγ), Theodotion (φενέν, fortasse φενέγ *Field*); Targum Ionathan קוליא explicat i. e. vel. « adeps frumenti » (*Levy*, Chald. Wörterb.), vel = κολία seu bellaria ex melle, τὰ ἐκ μέλιτος τρωγάλια (cum Hesychio *Sam Bochartus* Geogr. S. p. 346; *O. Celsius*, Hierobot. I. 73; *W. Gesenius*, Thes. 1108), vel etiam « olus agreste » (*Kimchi* ap. *Celsium* l. c.). De variis veterum explicationibus cf. *Cornel. a Lap.* in Ez. l. c. et *I. Knabenbauer* in h. l. Cum Vulgata *balsamum* interpretantur *Ioseph ben Gorion* (4,22) aliique ap. *Celsium* (l. c.) qui ipse « satis verosimilem » dicit aliorum rabbinorum opinionem, Pannag regionem Iudaeae tritici feracem explicantium. Alii, similitudine vocis seducti, Phoeniciam hanc regionem supponunt (*Iunius* et *Tremellius*), ex qua tamen vix, ut notat *M. Hiller* (Hierophyt. II. 51) Israelitae Tyriis in ipsa Phoenicia habitantibus triticum attulisse dicerentur. Ipse *Hillerus*, sicut antea iam *I. H. Ursinus* (Arboreti biblici Continuatio p. 99), פֹּךְ esse πάναξ seu πάνακες, scil. herbam « omnia sanantem » asserit (l. c. p. 50-53); opinionem hanc, quam *Gesenius* (l. c.) immerito tamquam ridiculam exploserat, eminentissimus Card. *Haynald*, rei herbariae sacrae studiosissimus, tamquam ceteris probabiliorem defendit (De plantis biblicis gummiferis, Kolozsvárt 1879, p. 39-41), de succo resinoso herbae *Opopanax orientale* Boissieri (*E. Boissier*, Flora orientalis II. 1059) eam explicando. Loco פגג potius דוגג i. e. ceram legendum esse *Cornill* aliique coniciunt. In re undequaque dubia ignorantiam nostram fateamur.

2. *Graecum* ἀσπάλαθος. Balsamum legitur praeterea pro gr. ἀσπάλαθος in praeconio Sapientiae (Eccli. 24,20 gr. 15 ὡς κιννάμωμον καὶ ἀσπάλαθος ἀρωμάτων δέδωκα ὀσμήν cod. NBA etc.; sed ed. complut. και ως παλαθος [ως παλαθη]). Peshitta (*ed. Lagarde*) cum cinnamomo coniungit עטרא דבסמא, quod alibi (Ex. 25,6; 30,7 etc.) hebr. קְטֹרֶת סַמִּים respondet. Quaenam revera lectio hebraica fuerit, ex reliquiis textus hucusque repertis non elucet. Certe de aspalatho, frutice spinoso odorifero auctores graeci et latini haud raro loquuntur (*Plato*, De republ. 10,616; *Theophr.* Hist. pl. IX. 7,3; De odorib. 25. 33; *Dioscur.* Mat. med. 1,19. 24; *Plin.* XII. 24,110; XXIV. 13, 111, etc.). In aromatibus aegyptiacis quoque sub nomine *djābi* et *djalma* usitatissima fuisse dicitur (*V. Loret*, Flore pharaonique *ed.* 2, p. 55). Sed quaenam planta eo nomine designetur, non satis constat. Aliis est *Aspalathus cretica* Linné, minime odorifera (= *Anthyllis Hermanniae* L., *E. Boissier*, Flora orient. II. 156), aliis *Genista acanthoclada* De Candolle, non magis aromatica (*Boissier* ib. 39. — *C. Fraas*, Synopsis plantar. florae class., München 1845, p. 49), aliis *Convolvulus scoparius* Linné, frutex insularum canariensium qui lignum et oleum rhodium praebet (*Leunis-Frank*,

Synopsis *ed.* 3, II. 2 p. 577. — *Loret* l. c.), aliis denique species aloes vel balsami vel aliud (cf. *C. Sprengel*, Comment. in Diosc. 1,19; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 290; *F. Vigouroux*, Diction. de la Bible I. 1111-6). Mentione digna videtur correctio textus, quam proposuit *F. C. Movers* (Phoenicier III. 1 p. 226. not. 83 a), qui ex versione Vulgata et lectione complutensi pro ἀσπάλαθος legendum censet ὡς πάλσαμον (cf. chald. פלסמון, פורסמא, אפורסמא *Löw* l. c. n. 53).

3. *Eccli. 24,21.* In eodem textu Siracidae iuxta versionem Vulgatam ultimo loco inter *novem* aromata iterum commemoratur balsamum idque non mixtum » (24,21). Textus graecus (v. 15 b), qui *septem* tantum aromata enumerat, nihil simile habet; Peshitta vero ultimum ex *octo* aromatibus משחא טבא celebrat, cui alibi (4 Reg. 20,13; cf. Eccl. 7,2) hebr. שֶׁמֶן הַטּוֹב i. e. proprie *oleum bonum* respondet. Considerata hac lectione syriaca simul cum expressione Vulgatae, quae in Ecclesiastico est ipsa vetus latina, in textu primigenio pro כְּשֶׁמֶן הַטּוֹב forte legendum foret בְּשֹׂם טָהוֹר, nisi potius ipsum « oleum bonum » cum expositoribus iudaeis, quibus assentitur *F. C. Movers* (l. c. p. 227 not. 85), balsamum velis interpretari.

4. *Hebr.*. בָּשָׂם, בֹּשֶׂם et בֹּשֶׂם. Praeter textum Ecclesiastici citatum balsamum ter in Cantico videtur commemorari, ubi Vulgata cum LXX et Peshitta aliisque generalius *aromata* vertit. « Veni in hortum meum, ait sponsus, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis » (5,1 עִם־בָּשָׂמִי), i. e. probabiliter colligendo guttas balsami in horto crescentis; similiter *areolae aromatum* in horto regio, de quibus loquitur sponsa (5,13; 6,2 עֲרוּגוֹת הַבֹּשֶׂם), fruticibus balsamiferis videntur consitae fuisse. Eodem etiam sensu fortasse aromata (בְּשָׂמִים) reginae Sabae praesertim de praeclaro balsamo arabico explicanda erunt (3 Reg. 10,10; 2 Par. 9,9). Licet enim בָּשָׂם et בֹּשֶׂם, sicut aram. בשמא, plerumque sensu generaliore aroma significet, in lingua arabica *bashām* plantam specialem balsamiferam designat, eundemque sensum plerique hebraico בֹּשֶׂם, ac conformiter contextui etiam voci בֹּשֶׂם in locis citatis tribuunt. Praeterea probabilitate sua non caret expositio eorum qui ex vetusta traditione de celeberrima plantatione balsami prope Engaddi (v. infra) textus citatos Cantici (cf. 1,14) interpretantur. Si quis autem, nullatenus balsamum in istis textus sacri verbis admittere voluerit, nihilominus propter textum Siracidae locum illi in Scriptura concedat. Praeterea etiam nomine מֹר, quod communiter *myrrha* explicatur, balsamum intellegendum esse *G. Schweinfurth* censet (Berichte d. pharmac. Gesellsch. III. 1893, 223 s.; v. MYRRHA).

Cf. *S. Hieron.* De situ et nominib. loc. hebr. *ed. P. de Lagarde*, Onom. sacra, 119, 12 ss.; *Magister Thietmar* 12, 4. *ed. I. C. M. Laurent* p. 34; *Burchardus de monte Sion* 7,53, *ed. Laurent* p. 61; *Adrichomius*, Theatr. Terrae S., Juda n. 116 p. 47; *Fr. Quaresmius*, Elucid. Terrae S. VI. 3,10, ed. Venet. 1881, II. 521 a; cf. 467 b; *C. Ritter*, Erdkunde XV. 1, 648; *Movers*, l. c. p. 229, not. 100, al.

5. *Planta balsamifera.* Planta illa balsamifera multis veterum scriptorum praeconiis tamquam insigne Iudaeae ac speciatim regionis hierichuntinae decus celebratur (*Theophr.* Hist. pl. IX. 6,1 ss.; *Diod. Sic.* 2,48; 19,98; *Strabo* XVI. 2,41, *ed. Cas.* 763; *Dioscur.* Mat. med. 1,18; *Plin.* XII. 25, 111-123; XVI. 32,135; *Flav. Ios.* Ant. VIII. 6,6; XIV. 4,1; XV. 4,2; Bell. iud. I. 6,6; IV. 8,3; *Plutarch.* Vita Anton. c.36; *Tacit.* Hist. 5,6; *Iustin.* XXXVI. 3,1; *Pausan.* IX. 28,2 al.). At immerito aliqui « uni terrarum Iudaeae concessum » balsamum contendunt (*Plin.*, *Iustin.*, ll. cc.; *Flav. Ios* Ant. XV. 4,2); iam enim *Strabo* (l. c.) etiam in Arabia, quam Sabaei inhabitant, et *Dioscurides* (l. c.) in Aegypto balsamum nasci recte asserunt, et Flav. Iosephus reginam Sabae primum balsami surculum ex patria sua Salomoni attulisse refert (Ant. VIII. 6, 6). In Iudaea autem praeterquam in hortis regiis hierichuntinis, qui post tempora Hadriani magna ex parte defecisse

videntur *Movers* l. c. not. 101; sed cf. *Salin*. Collect. rer. mem. *ed. Th. Mommsen* p. 171 ss.; *Ven. Beda*, De Terra S., *ed. Tobler-Molinier*, Itin. hierosol. I. 225), etiam prope Scythopolim *Aristid.* Or. *ed. Dindorf* 2, 470 ac vel magis prope Engaddi et Segor iuxta mare Mortuum balsamum colebatur (*Diod. Sic.* 2,48; *Flav. Ios.* Ant. IX. 1,2; *Euseb.* De nominib. loc., *ed. Lagarde* Onom. S. 231,13 ss.; *S. Hieron.* De situ et nom. loc. hebr., ib. 100,23 ss. 119,12 ss.; *id.* Quaest. hebr. in Gen., *ed. Lagarde* p. 23,10; *id.* Peregr. Paulae 12,1, *ed. Tobler-Molinier*, Itin. hieros. I. 1,33), ibique usque ad medium aevum permansit (*Marino Sanuto*, Secreta fid. cath. III. 14,5 in *Bongars*, Gesta Dei 2, 251); inde fortasse balsamum collectum erat quod *S. Willibaldus*, eystettensis Episcopus, Hierosolymis emit, et quo egregie, ex relatione sanctimonialis heydenheimensis, publicanos tyrios fefellit (Hodoeporicon c. 28, ed. *Tobler-Molinier*, Itin. hieros. I. 2,271). Postea frutex ille pretiosissimus ex Palaestina omnino videtur disparuisse neque iterum ibi repertus esse; balsamum enim, quod *I. L. Burckhardt* prope Tiberiadem nasci ex relatione aliorum narravit (Reise in Syrien, Weimar 1824, II. 564 s.), non planta illa celeberrima, sed alia similis erat, probabiliter *Momordica balsamina* Linnei (*Movers* l. c. p. 231 not. 110; *L. Haynald*, op. cit. p. 26). In Aegypto vero, quo plantam a Cleopatra ex Palaestina translatam aiunt *Burchardus de monte Sion*, *Adrichomius*, *Quaresmius* (ll. cc.), hortus balsami prope *Matarieh* haud procul ab Heliopoli situs etiam diutius permansit, a peregrinis saepe visitatus (*S. Silvia*, Peregr. *ed. F. Gamurrini*, *ed.* 2, p. 20; *Iac. de Vitriaco* in *Bongars*, Gesta Dei I. 1128; *Mag. Thietmar*, *Burchardus de m. Sion* ll. cc.; *Marino Sanuto* in *Bongars* o. c. II. 260; *Basilius* Rossus in Itin. russes *ed. B. de Khitrowo*, Genève 1889, p. 250; *Breydenbach*, *Ludolfus de Suthem*, *Frescobaldi*, *Felix Fabri* aliique. Cf. *Movers* l. c. not. 110; *W. Heyd*, Gesch. d. Levantehandels 2,567), scriptoribus quoque arabicis notus (cf. *C. Sprengel*, Comment. in Dioscur. 1,18, et a Christianis religiose cultus, qui ex traditione iam in Evangeliis apocryphis narrata originem eius ad divinum infantem reducebant Evang. infantiae arab. c. 24, *ed. C. Tischendorf*, Evang. apocr., *ed.* 2, Lipsiae 1876, p. 193; *Adrichomius* l. c. *Quaresmius* o. c. VIII. 2,8, ed. Venet. II. 714 s. etc.). Antiquisque quoque Aegyptiis balsamum notum acceptissimumque erat *Fr. Woenig*, Die Pflanzen im alt. Aeg., p. 361 s.; *A. Erman*, Aegypten 316; *Ch. E. Moldenke*, Die in altaeg. Texten erw. Bäume, p. 147-149; *V. Loret*, Flore pharaonique *ed.* 2, p. 96 s.), pariterque Babyloniis atque Assyriis illud innotuisse textus cuneiformes testantur (*Nabuchodonosor* I, Inscr. 1, col. 1,56).

6. At neque in Palaestina, nec in Aegypto, nec in Mesopotamia, sed in Arabia meridionali et in opposito Africae orientalis litore arbuscula balsamifera indigena erat. Est enim ea quae Arabibus hodiernis *beshām* (vel nomine fortassis corrupto *abu shām* « pater fragrantiae » i. e. odorifera scil. arbor), Africanis in lingua *Bedja majōk* vel *ajokt*, in lingua *Somal dasseno* et *hagradd* audit, nomine autem scientifico nunc *Commiphora opobalsamum* Engler vocatur (= Amyris gileadensis Linné, = Amyris opobalsamum Forskal, = Balsamodendron opobalsamum Kunth etc.). Arbor haec, seu potius frutex, ex ordine *Burseracearum*, altitudinem 5-6 metrorum attingit atque inde ab infimis partibus plurimis ramis atque ramusculis diffunditur; tempore hiemali, cum foliis caret, nostrae betulae (*Birke*, *bouleau*) fruticosae satis similis describitur. In tota regione litorali circa mare Rubrum infra circulum solstitialem sita, usque ad altitudinem 600 metrorum supra mare, atque in regione *Somali* usque ad 1600 metra frequenter invenitur. Huius arboris solius succus resinosus verum balsamum (βαλσαμέλαιον, ὀποβάλσαμον) praebet, quod a mercatoribus arabibus *balessān* vocatur. Succus ille in extremis ramusculis exsudat, et vix eo quo scriptores antiqui dicunt modo fruticibus acuto lapide vel cultro incisis haberi potest; obtinetur autem probabiliter etiam ex decoctis cortice et lignis (ξυλοβάλσαμον) ac fructibus (καρποβάλσαμον) quamquam etiam rami et fructus in com-

mercio veneant. Odor balsami, orientalibus gratissimus ac tot laudibus celebratus, resinae terebinthinae abietum odori satis similis est; vel magis autem virtus medicinalis balsami celebris erat. Cum satis rarum magnique pretii antiquitus extiterit, haud ultimum in commercio palaestinensi locum obtinebat (*Movers* l. c. 226-32), ita ut per exaggerationem magnas gentis iudaicae opes ex vectigalibus opobalsami derivarent (*Justin.* l. c.). Nil igitur mirum quod iam antiquitus ab avidis mercatoribus succis resinisque vilioribus permixtum atque adulteratum venibat, uti etiam hodie moris est (*Theophr.* Hist. pl. IX. 6,2; *Dioscur.* Mat. med. 1,18; *Plin.* XII. 25,119 etc.). Quare merito de Sapientia divina legimus : « quasi balsamum *non mixtum* odor meus » (Eccli. l. c.).

De balsamo quod dicunt *gileadensi* (צָרִי) v. RESINA.

Cf. *Abdallatif,* Relation de l'Égypte 1,2, *ed. S. de Sacy,* p. 20-2. 86-94; *B. Albertus M.*, De Vegetabilib. VI. 1,8, *ed. C. Jessen* p. 354-8; *Pierre Belon* du Mans, Observations 2,39, Paris 1588, p. 246-9; *Nic. Monardus,* Simplic. medicamentor. hist. *ed. C. Clusius*, Antverpiae 1593, 326-9; *Prosp. Alpinus*, De Balsamo dialog., Venetiis 1591 (ib. 1592; Patavii 1639 etc.; etiam in *Bl. Ugolini* Thesaurus 11,677-726); *J. Pona,* Del vero balsamo degli antichi, Venetia 1623; *B. et M. Campi,* Parere sopra il balsamo, Lucca 1639; *id.* Risposta, ib. 1640; *id.* Dilucidazione e confirmazione, Pisa 1641; *B. Baldus,* Opobalsami orientalis propugnationes, Romae 1640, ib. 1656); *P. Castelli,* Opobalsamum examinatum etc., Venetiis 1640; *id.* Opob. triumphans, ib. 1640; *I. G. Volckamer*, Opobals. orient. examen, Norimbergae 1644; *I. Vesling*, Opobals. veteribus cogniti vindiciae, Patavii 1644; *G. K. Kirchmaier*, De Corallio, Balsamo et Saccharo, Wittebergae 1661; *I. H. Ursinus,* Arboreti bibl. Contin., Norimbergae 1699, p. 231-4. 258-70; *I. H. Slevogt,* Balsamum verum, Jenae 1705; *id.* De Opobals., ib. 1717; *A. Vater*, Balsami de Mecca natura et usus, Wittenbergae 1720; *M. Hiller,* Hierophyt. I. 419-24; *Chr. Winneken,* Beschreibg. d. wahren Opobalsambaumes, Kopenhagen 1745; *Fr. Hasselquist*, Reise nach Palaest., Rostock 1762, 564-9; *C. Linné-W. Le Moyne*, Opobals. declaratum, Upsala 1764; *I. D. Michaelis*, Supplem. ad lex. hebr. 2142-8; *E. F. Th. Reche*, De Amyridis speciebus officinalib., Halae 1801; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1, 146-51; *C. Ritter,* Erdkunde 12,799. 804. 908; 13,143; *H. O. Lenz*, Botanik d. a. Griech. u. Römer, Gotha 1859, 212 s. 667-9; *P. Cultrera*, Flora bibl. 357-60; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, *ed.* 8, 336-8; *L. Haynald*, op. cit. 23-7; *E. Boissier*, Flora orient. II. 2; *W. Heyd*, Gesch. d. Levantehandels II. Stuttgart 1879, 566-72; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 53; *R. Sigismund*, Aromata, Leipzig 1884, 13-7; *G. Schweinfurth* in Berichte d. pharmac. Gesellsch. III. 1893, 218-32. 237-52; *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam, III. 4,251-6.

L. FONCK.

BALTASSAR. **1.** Baltassar (בַּלְטְשַׁאצַּר, Βαλτάσαρ) nomen, quod Danieli a praeposito eunuchorum in aula Nabuchodonosor regis Babylonis impositum est (Dan. 1,7; 2,26; 4,5 ss.; 5,12; 10,1). Cum 4,5 dicatur Danieli id nomen impositum esse secundum nomen regis, explicandum videtur : *Belit-sar-usur* i. e. Belit regem protege (*Strassmaier* apud *Knabenbauer*); Belit seu Bilat nomen est uxoris Bel. Aliis praeplacet explicatio : *balatsu-usur* compendiose pro *Bel-balatsu-usur* i. e. Bel, vitam eius protege (*Frd. Delitzsch, Oppert, Schrader, Vigouroux, Pannier*). Adnotat *Knabenbauer* ad Dan. 1,7 : « Utrocunque modo explicaveris, falso infert *Meinhold* (Das Buch Daniel 1889) ad 4,5 vocis explicatione ibi proposita ostendi tempus post ruinam regni babylonici scriptoremque linguae babylonicae ignarum ».

Cf. *Knabenbauer* ad Dan. 1.7 et 4,5; *Frd. Delitzsch* apud *S. Baer*, Libri Dan. Ezrae et Neh. 1882 p. IX. X; *Oppert,* Documents juridiques de l'Assyrie et de la Chaldée 1877, p. 282; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. II. p. 125; *Vigouroux*, La Bible et les découv. mod. *ed.* 6, IV. p. 277. 278; *Pannier* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1419.

2. Baltassar (בֵּלְשַׁאצַּר, Βαλτάσαρ), ultimus rex Babylonis, qui instructo convivio vasa aurea et argentea, quae Nabuchodonosor asportaverat, afferri iussit et inscriptione in pariete apparente territus Danielem, ut eam legeret et explicaret, advocavit eademque nocte interfectus est (Dan. 5,1-30; 7,1; 8,1). Cum a veteribus traditum esset Babylo-

nem a Cyro captam esse regnante Nabonido, qui Cyro obviam profectus et proelio victus fugae se dederit ac postea Carmaniam sub Cyro administraverit (cf. *Berosi* Chaldaeorum Hist. quae supersunt, *ed. Richter* 1825, p. 68. 69), variae coniecturae de rege Baltassar libri Danielis factae sunt scil. eum esse eundem ac Nabonidum (*Flav. Ios.* Ant. X. 11,2) vel Labosordach filium Neriglissoris vel Evilmerodach filium Nabuchodonosor vel fratrem Evilmerodach vel filium Evilmerodach; neque defuerunt, qui exsistentiam Baltassar regis ac proin auctoritatem historicam libri Danielis impugnarent (*Hitzig*, Daniel p. 72-78; *Kuenen*, Histoire critique de l'Ancien Test. II. 556 ss.). Sed ex inscriptionibus cuneiformibus (Nabonidi et Cyri) discimus Nabonido fuisse filium nomine *Bilsar-usur* (i. e. Bel regem protege), quem rex vocat primogenitum suum, qui tempore belli cum Medis exercitui praeerat, apud quem primores regni versabantur, qui patre Nabonido in Borsippam fugiente urbem Babylonem defendebat. Inde merito concluditur *Bilsar-usur* seu Baltassar in regni quasi consortium fuisse assumptum a patre Nabonido (cf. *Rawlinson*, *Maspero*, *Ménant*, *Oppert*, *Lenormant*, *Brunengo*, *Tiele*, *Schrader*, *Vigouroux*, *Delattre*, *Knabenbauer*).

Inde quoque apparet, cur Baltassar rex Danielem tertium in regno suo principem fecerit (Dan. 5,16. 29) scil. post duos reges patrem Nabonidum seque filium.

Superest difficultas solvenda, quonam sensu Baltassar filius Nabonidi dicatur Dan. 5,2 ss. filius Nabuchodonosor. Advertendum est sicut in s. litteris ita in monumentis assyriacis quandoque regem quendam antecessorem dici patrem regis successoris v. g. Iehu vocari filium Omri, cum tamen solum fuerit successor regum ex domo Omri, eodemque modo Merodach Baladan vocari filium Iakin (alia exempla affert *Schrader*, Keilinschriften und Geschichtsforschung p. 207). Quae appellatio eo facilius explicatur, si Nabonidus pater habuit uxorem unam ex filiabus Nabuchodonosor; pro qua opinione non desunt quaedam indicia. Cum Neriglissor e vita excederet, eius filiolus Labosordach (Laborosoarchod) per novem menses regnavit, quo per coniurationem sublato Nabonidus a reliquis coniuratis rex declaratus est (*Berosi* Chald. Hist. l. c.; cf. *Flav. Ios.* Ant. X. 11,2). Iamvero uti Darius I. narrat in inscriptione, cui a *Behistun* nomen est, bis in Babylonia rebellio est excitata a duobus, qui affirmaverint : ego sum Nabuchodonosor filius Nabonidi (cf. *Spiegel*, Die altpersischen Keilinschriften p. 10. 28). Cum itaque isti eo nomine regnum usurpare conarentur, certum videtur Nabonido fuisse filium nomine Nabuchodonosor. Ex his autem valde probabile fit Nabonidi uxorem fuisse unam ex filiabus Nabuchodonosor; tali enim coniugio supposito commode explicatur, cur coniurati eum prae aliis regem esse voluerint, et cur ipse filio nomen Nabuchodonosor imposuerit. Quodsi Baltassar erat filius ex filia regis Nabuchodonosor natus, facile explicatur, cur ab illustri progenie dictus sit filius Nabuchodonosor.

Cf. *Cuneif. Inscript. of West. Asia* I. pl. 68, col. 2; V. pl. 35 et 64; *Rawlinson*, The five great monarchies 1871, III. p. 70 ss. et *Rawlinson*, Herodotus I. p. 432; *Maspero*, Histoire ancienne des peuples de l'Orient *ed.* 3, p. 519; *Ménant*, Babylone et la Chaldée p. 258; *Oppert*, Le peuple et la langue des Mèdes p. 168; *Lenormant*, Manuel d'histoire ancienne des peuples de l'Orient II. p. 27. 242; *Brunengo*, L'impero di Babilonia e di Ninive II. 378. 384; *Tiele*, Babylonisch-assyrische Geschichte p. 464; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. II. 130-132; *Vigouroux*, La Bible et les découv. mod. *ed.* 6, IV. p. 351 ss.; *Delattre*, Salomon, Assurbanipal, Balthassar, 1883, p. 7; *Knabenbauer*, Comm. in Dan. p. 156 ss.

Ex recentioribus contendit *I. Fabre d'Envieu* (Le livre du prophète Daniel 1888, p. 358-409) Baltassar esse Evilmerodach, filium Nabuchodonosor qui ei in regno successit. Quae tamen opinio sustineri nequit. Nam eum quoque nomine Baltassar appellatum fuisse nequit ostendi. Teste Beroso Evilmerodach solum per duos annos regnavit, Daniel autem anno tertio regni Baltassar visionem se habuisse refert 8,1 (quod Berosi testimonium et canone Ptolemaei confirmatur et inscriptionibus ex primo et

altero anno eius repertis; cf. *Strassmaier*, Die babylonischen Inschriften im Museum zu Liverpool p. 5. 19; *Tiele* l. c. p. 424. 464). Dein Daniel incognitus est regi Baltassar, qui de eo solum *audivit;* post Evilmerodach nemo ex gente Medorum regnum suscepit neque post Evilmerodach regnum Babylonis datum est regno medo-persico (Dan. 5,28). Cf. *Knabenbauer* l. c. p. 159.

3. Baltassar (Βαλτάσαρ) vocatur quoque Baruch 1,11. 12 filius Nabuchodonosor, pro quo uti etiam pro patre eius ut preces funderent hierosolymitani, exsules babylonici monebant, dum pecuniam et vasa templi quae Sedecias facienda curaverat et librum Baruch mitterent in urbem Ierusalem. Habuisse Nabuchodonosor filium Baltassar nomine aliunde quidem ostendi nequit; ex modo quo Bar. 1,11 de eo sermo fit, primogenitus fuisse videtur. Eum post aliquot annos obiisse inde coniicitur, quod Evilmerodach Nabuchodonosor patri successit. Contendit *De Moor* (Revue des questions historiques, avril 1894) Bar. 1,2 pro anno quinto esse legendum anno quadragesimo quinto et proinde Baltassar esse eundem de quo Dan. 5,1 i. e. filium Nabonidi. Verum tum dici nequit v. 11 : orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, nisi hic quoque mendum scribarum statuere volueris. Ceterum rationes allatas pro anno quadragesimo quinto esse satis inefficaces, vide s. v. BARUCH.

BAMOTH v. EXCELSA.

BAMOTH (בְּמוֹת, Βαμώθ), statio Israelitarum in itinere anni quadragesimi (Num. 21, 19. 20); videtur nomen abbreviatum esse ex Bamothbaal.

BAMOTHBAAL (בָּמוֹת בַּעַל, Βαμὼν Βάλ), urbs Moab tribui Ruben a Moyse assignata (Ios. 13,17). Eadem censetur esse Bamoth statio Israelitarum in itinere anni quadragesimi (Num. 21,19.20). Praeterea Num. 22,41 secundum textum hebraicum idem videtur esse locus, ex quo Balaam tentoria Israel intuebatur; attamen LXX (ἐπὶ τὴν στήλην τοῦ Βάλ) et Vulgata (ad excelsa Baal) nomen proprium non exprimunt. In inscriptione Mesa lin. 27 Beth Bamoth a Mesa rege ex ruinis restituta esse legitur; eam esse Bamothbaal nonnulli coniiciunt (*Himpel*, *Legendre*). In situ determinando nondum conveniunt interpretes. Ordo quo urbes Ruben Ios. 13,17 enumerantur, est : Hesebon, Dibon, Bamothbaal, Baalmaon. Onomasticon Eusebii et S. Hieronymi : Bamoth civitas Amorraeorum trans Iordanem in Arnone (*ed. Lag.* 231,33; 101, 22). Hisce adducti aliqui quaesierunt Bamothbaal ad septemtrionem urbis Dibon apud *Wādi el-Wa'le*, qui a septemtrione in Arnonem (*Wādi el-Mōdjib*) influit (*Irby and Mangles, Ritter*, *Riess* et cf. *Trochon*). Verum quia inde planities Moab videri non potest, alii ponunt Bamothbaal multo magis septemtrionem versus scil. in *Djebel 'Aṭṭārūs* ad meridiem *Wādi Zerqā Ma'īn* (ita *Keil*). Alii denique praeferunt *el-Maslūbiye* vicum ad meridiem *Wādi Djedid* non procul a monte Nebo (*Survey of East. Pal.*, *Conder*, *Legendre*). Hic situs eo etiam commendatur, quod Bamothbaal est quarta statio in itinere Israelitarum ab Arnone superiore (*Wādi Enkeile*) aquilonem versus; interiacent stationes Beer, Matthana, Nahaliel.

Cf. *Himpel* in Tübinger Quartalschrift LII. 1870, p. 627; *Legendre*, Carte de la Palestine; *idem* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1423-1424; *Irby and Mangles*, Travels p. 461 ss.; *Ritter*, Erdkunde XV. p. 1201; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 5 : non procul a Dibon; *Trochon*, Les Nombres 1887, p. 121; *Keil* ad Num. 21,19; *Conder*, Heth and Moab 1889, p. 144. 145; *Pal. Expl. Fund*, Quart. Stat. 1882 p. 85-89; *Survey of East. Pal.* Mem. I. 176.

BANA (בַּעֲנָא, Βανά, A Βανά, B Βακχά), filius Ahilud, unus ex duodecim praefectis Salomonis, qui per singulos menses domui regis singuli necessaria ministrabant; praeerat regionibus Thanac, Mageddo, Bethsan (3 Reg. 4,12).

BANAA (1 Par. 8,37 : בְּנָעָה, Βανά; 1 Par. 9,43 : בַּנָּעָא, Βανά, A Βανά), filius Mosa, pater Rapha, ex posteris Saul. Litera prima in aliquibus mss. hebraicis est כ pro ב, item in versione syriaca et arabica.

BANAIA, BANAIAS (בְּנָיָה, בְּנָיָהוּ, Βαναία, Βαναίας), nomen decem virorum in Vulgata. In textu hebraico duo alii

eiusdem nominis exstant, qui in Vulgata appellantur Banea (Esdr. 10,25) et Baneas (Esdr. 10,35); v. BANEA, BANEAS.

1. Filius Ioiadae sacerdotis (forte eiusdem, qui 1 Par. 12,27 princeps de stirpe Aaron appellatur), oriundus de Cabseel in finibus Iuda ad meridiem sita, a David rege dux cohortis praetorianae Cerethi et Phelethi constitutus, insuper dux turmae viginti quattuor millium virorum, quae erat tertia ex duodecim divisionibus, quarum singulae per singulos menses regi ministrabant. Iis duobus muneribus eodem tempore insignitus erat atque haec videtur ratio, cur Amizadab filius eius turmae tertiae vices patris gerens praefuerit. Tria de eius fortitudine facinora narrantur. Ipse duos leones Moab i. e. probabilius duos heroas Moab (*Syr.* gigantes, *Chald.* magnates) percussit; cf. *F. de Hummelauer* in 2 Reg. 23,20. Idem in cisternam audacter descendit, in quam diebus nivis leo ceciderat eumque interfecit. Ipse quoque (forte in aliquo bello cum Philisthaeis gesto) sola virga armatus aggressus est Aegyptium virum quinque cubitorum, qui habebat lanceam ut liciatorium texentium eumque ipsius lancea vi extorsa interfecit. Merito igitur gloriosus erat inter Shalishim, locum simul cum Abisai occupans in secundo heroum ternario. Cf. 2 Reg. 8,18; 23,20-23; 1 Par. 11,22-25; 27, 5. 6. Putant sat multi interpretes eum Davidi a secretis fuisse, quia David fecit eum sibi auricularium a secreto (2 Reg. 23,23; 1 Par. 11,25); sed secundum alios (v. g. *F. de Hummelauer*) potius intellegitur praepositus cohortis praetorianae (Cerethi et Phelethi). — Banaias in summum gradum amicitiae regis acceptus est. Adonias cum coniurationem de throno sibi arripiendo pararet, ne tentamen quidem fecit, ut Banaiam in suas partes pertraheret (3 Reg. 1,8. 10). Auditis Adoniae consiliis David Banaiam cum cohorte praetoriana Gihonem misit, quo securius ibidem Salomon a Sadoc pontifice et Nathan propheta in regem ungeretur (3 Reg. 1,32-38. 44). Salomon rex denique Banaia usus est, ut Adoniam, Ioab, Semei supplicio puniret eumque loco Ioab toti suo exercitui praefecit (3 Reg. 2,23-46).

2. Unus ex Gibborim Davidis, oriundus de Pharathon tribus Ephraim, dux undecimae turmae viginti quattuor millium virorum, quae mense undecimo regi ministrabat (2 Reg. 23,30; 1 Par. 11,31; 27,14).

3. Unus ex tredecim principibus cognationum Simeon, qui in diebus Ezechiae regis Iuda propter nimiam familiarum multiplicationem pascua terrae Gador occuparunt Chananaeis expulsis (1 Par. 4,36).

4. Unus ex quattuordecim levitis, cantoribus secundi ordinis a David rege pro translatione arcae electis (1 Par. 15,18. 20; 16,5).

5. Sacerdos tempore Davidis, unus ex septem, qui tubis coram arca clangebant, cum de domo Obededom Hierosolyma transferretur (1 Par. 15,24; 16,6).

6. Levita ex genere Asaph, avus Iahaziel tempore Iosaphat prophetantis (2 Par. 20,14).

7. Unus ex levitis, qui decimis, primitiis donisque in templo conservandis ex mandato Ezechiae regis praepositi erant (2 Par. 31,13).

8. Unus ex posteris Phalath Moab, mandato Esdrae adactus, ut uxorem alienigenam in exsilio ductam eiiceret (Esdr. 10,30).

9. Unus ex posteris Nebo, mandato Esdra adactus, ut uxorem alienigenam in exsilio ductam eiiceret (Esdr. 10,43).

10. Pater Pheltiae principis populi tempore Ezechielis (Ezech. 11,1. 13).

BANE (et) **BARACH** (בְּנֵי־בָרָק i. e. *filii Barach;* Βαναιβαχάτ, A Βανηβαράχ), urbs tribus Dan (Ios. 19,45). Textus massorethicus et pleraeque versiones unum nomen compositum exprimunt. Vulgata duas urbes distinctas supponit vertendo : Bane et Barach; item Onomast. Eusebii et S. Hieronymi : « Bane in tribu Dan. Barac in tribu Dan; usque hodie prope Azotum Bareca viculus appellatur » (*ed. Lag.* 236,48; 237,49; 105,24-26). Ceterum unius urbis nomen esse confirmatur etiam ex forma assyriaca *Banaaibarqa,* quam exhibet prisma hexagonum Sennacherib col. II. lin. 66 in Museo britannico asservatum. Ex eodem documento insuper discimus

tempore Ezechiae regis Iuda Bane-Barach urbem a Sennacherib captam et direptam esse. — Eusebium secutus *Guérin* (Judée II. p. 68-70) putabat Bane-Barach esse vicum hodiernum *Barqā* prope Azotum. Sed vix dubium est, quin *Ibn Ibrāq* 7 km ad orientem urbis Ioppe melius quadret cum enumeratione urbium Ios. 19,41-46 et in prismate hexagono Sennacherib tradita.

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 5; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1428; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 251; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV. V; *A. Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 82; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 196; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, I. 91; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 160. 282.

BANEA, BANEAS (בָּנָיָה, Βαναία) Cf. BANAIA, BANAIAS. — Banea de posteris Pharos (Esdr. 10,25) et Baneas de posteris Bani (Esdr. 10,35) mandato Esdrae obsecundantes dimiserunt uxores alienigenas, quas in exsilio duxerant.

BANI (בָּנִי) nomen quinque virorum in Vulgata; in textu hebraico exstant alii eiusdem nominis, quos Vulgata Benni (Neh. 3,17), Boni (1 Par. 6.46[31]; Neh. 11,15), Bonni (vide s. v.) appellat.

1. Princeps familiae, cuius filii 642 cum Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,10; Βανουί). Loco parallelo Neh. 7,15 vocatur Bannui (בַּנּוּי, Βανουί) et filii eius leguntur 648 pro 642. Enumeratur inter principes populi, qui cum Nehemia foedus renovatum signarunt (Neh. 10,14 [15]; LXX υἱοί cum primo nomine versus sequentis). Plures de filiis eius inventi sunt inter eos, qui in exsilio uxores alienigenas duxerant (Esdr. 10,29; Βανουί). Mirum est, quod Esdr. 10,34 iterum alii filii Bani (Βανί) eiusdem criminis rei enumerantur; vix dubium est, quin mendum sit in textu hebraico (10,34).

2. Bani de filiis Bani (Esdr. 10,38; LXX υἱοί cum nomine sequenti).

3. Levita tempore Esdrae (Neh. 8,7; 9,4 et probabiliter etiam 10,13[14]. LXX duobus ultimis locis υἱοί, primo loco Βαναίας).

4. Levita (Neh. 9,4. LXX υἱοί).

5. Pater Azzi principis levitarum, qui Babylone reduces Hierosolymis habitabant (Neh. 11,23; Βανί).

BANINU (בָּנִינוּ, Βανουαί), levita, signator foederis (Neh. 10,13[14]). LXX scribunt υἱοὶ Βανουαί pro duobus nominibus Bani et Baninu.

BANNUI (Neh. 7,15) v. BANI 1.

BANRAMITES i. e. oriundus de BAHURIM (vide s. v.).

BAPTISMA, BAPTISMUS (βάπτισμα, βαπτισμός), proprie immersio, dein lavatio, lustratio. Iudaeis lavationes variis in conditionibus praescriptae erant, ut acquirerent munditiem illam legalem ac leviticam, quae populum Dei sanctum deceret (cf. Lev. 15,5 ss.); tali lotione Aaron et filii eius ad sacerdotium praeparabantur (Ex. 29,4), eadem pontifex erat lustrandus antequam die expiationis ingrederetur sanctum sanctorum (Lev. 16,4); eam obire debebat sanatus a lepra (Lev. 14,8) etc. Inde facillime fluit translatus loquendi modus : lavamini, mundi estote, auferte malum (Is. 1,16), lava a malitia cor tuum (Ier. 4,14); amplius lava me ab iniquitate mea (Ps. 50,4); effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris (Ez. 36,25). Quae ea ratione in Vetere Testamento praeparata erant, in Novo ad perfectionem adducta sunt. Ex aliqua parte id iam cernitur in baptismo Ioannis, qui cum singulari ratione Baptista vocetur et ab evangelistis et a Iosepho (Ant. XVIII. 5. 2), ritum baptismi novum induxisse censendus est. Quae novitas quattuor rebus declaratur : immergebantur ab ipso Ioanne, « baptizabantur ab eo in Iordane » (Matth. 3, 6), dum alias lotiones in se quisque et per se faceret; iste baptismus non adhibebatur ad immunditiem quandam legalem amovendam, sed erat baptismus poenitentiae in remissionem peccatorum (Marc. 1,4; Act. 19,4); quare ad hunc ritum subeundum movebantur dolore de peccatis eumque dolorem ipso ritu profitebantur; unde tali baptismo revera animi praeparabantur ad remissionem peccatorum accipiendam; dein ritui adiuncta erat confessio peccatorum et

administrabatur, ut crederent in Messiam venturum (Act. 19,4). Inde quoque eluet baptismo Ioannis suam constare rationem propriam, etsi eo tempore iam exstitisset baptismus proselytorum (de qua re disceptatur). Distinguitur autem a baptismo Christi, quod discrimen ipse Ioannes declaravit : ego quidem baptizo vos in aqua, ipse autem (Christus) baptizabit vos in Spiritu sancto et igni (Matth. 3,11) i. e. baptismus Christi est verum sacramentum, quo fit regeneratio hominis in filium adoptivum Dei per gratiam sanctificantem et inhabitationem Spiritus sancti. Hunc baptismum Christus ad ingressum in regnum Dei necessarium declaravit (Ioan. 3,5) et post resurrectionem qua forma esset dandus instituit (Matth. 28,19); unde baptismus in Christum, in nomine Iesu Christi (Act. 2,38; 8,16; 10, 48; 19,5; Rom. 6,3; Gal. 3,27) a baptismo Ioannis secernitur. Baptismi Christi vis et efficacia, uti a Ioanne Baptista et ipso Christo exposita est (Matth. 3,11; Ioan. 3,5), ita ab apostolo declaratur, dum dicit in eo veterem hominem mori, ex qua morte ad novam vitam exsurgat quae in intima cum Christo coniunctione et complantatione consistat, ita ut baptizatus sit filius Dei in Christo et Christum induerit (cf. Rom. 6,3 ss. Gal. 3,26. 27) et dum baptismum vocat lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti (Tit. 3,5; cf. Petr. 3,21); propter quam cum Christo complantationem apostolus baptizatos esse in Christo saepe significat.

Mentio fit pharisaeos varias lustrationes et baptismata observasse Marc. 7, 4 : a foro (redeuntes) nisi baptizentur non comedunt et alia multa sunt quae tradita sunt illis servare, baptismata calicum et urceorum et aeramentorum et lectorum i. e. omnia haec aqua eluebant vel aspersione aquae (ita lectos triclinares) vel immersione (uti calices et vasa). Cum itaque et lege mosaica et traditione scribarum variae lavationes vel baptismata praescriberentur Iudaeis, maxime intererat, ut Christifideles de discrimine bene edocerentur, quod intercedat inter illa baptismata et baptismum Christi; quare apostolus inter prima doctrinae christianae elementa etiam recenset baptismatum doctrinas (Hebr. 6,2).

De baptismo ὑπὲρ τῶν νεκρῶν cf. *Cornely*, Comment. in 1 Cor. p. 482 484.

1. KNABENBAUER.

BARA (בֶּרַע, Βαλλά) rex Sodomorum (Gen. 14,2), qui ut alii reges eiusdem regionis postquam per annos duodecim subiectus erat regi Elamitarum Chodorlahomor, contra eum rebellavit; verum ipse cum sociis regibus devictus est et fugit; multi autem captivi cum praeda multa abducti sunt a victoribus. Quibus cum Abraham cum suis irruens nocte omnem substantiam et captivos eripuisset, ei obviam venit rex Sodomorum et dixit : da mihi animas (captivos mihi cede), cetera tolle tibi; at Abraham a rege idololatra accipere quidquam noluit (Gen. 14,10-23).

BARA (בַּעֲרָא, ἡ Βααδά), una ex uxoribus Saharaim Beniaminitae, quam dimisit (1 Par. 8,8) simul cum altera Husim; dein Saharaim duxit uxorem Hodes quae ei septem filios peperit in regione Moab. Eiusdem textus emendationem et interpretationem novam vide apud *F. de Hummelauer*, Comm. in Num. p. 187.

BARABBAS (Βαραββᾶς). Nomen hoc בר אבא etiam apud Talmudicos est frequens; ita Samuel Barabba, Nathan Barabba etc., unde aliud nomen adiungi solet, sicut etiam Matth. 27,17 aliqui testes legunt Iesum Barabbam. Verum ex testimonio S. Hieronymi : « iste in evangelio quod scribitur iuxta Hebraeos *filius magistri eorum* interpretatur » nomen potius referendum erit ad בר רבן; sed testes graeci semper praebent βαραββᾶς; duo codices Vulgatae Barrabban.

Est nomen latronis ex historia passionis noti, quem simul cum Iesu Pilatus populo proposuit, ut alterutrum turbae sibi liberatum dari peterent ex consuetudine tempore paschali. Illi autem petebant contra spem et exspectationem Pilati « eum qui propter homicidium et seditionem missus erat in carcerem », ut ait S. Lucas non sine acri accusatione Iudaeorum (23,25; cf. Matth. 27,16 ss. Marc. 15,7 ss. Ioan. 18,40). Consuetudinem illam aliqui a Romanis ex more romano introductam censent, ut Iudaei

iugum romanum minus aegre ferrent (*Origenes, Beda, Friedlieb, Schegg* alii), vero maiore cum probabilitate ex vetere Iudaeorum consuetudine, quam Romani prudenter retinuerint (*Jansenius, Maldonatus, Arnoldi, Schanz, Fillion, Patrizi, Knabenbauer* ad Matth. 27,16); etenim iste mos refertur ad liberationem ex Aegypto commemorandam et Pilatus dicit Iudaeis : est autem consuetudo vobis etc. (Ioan. 18,39). Praeter evangelistas nullus scriptor eius consuetudinis mentionem facit.

BARAC (בָּרָק, Βαράκ), filius Abinoem de Cedes in tribu Nephthali oriundus (Iud. 4,6-22; 5,1. 12. 15). Eo tempore, quo regnum Asor, quod Iosue rege Iabin occiso subegerat (Ios. 11,10. 11), regnante altero Iabin refloruit, Barac a Debbora mandatum divinum accepit, ut cum decem millibus pugnatorum de tribubus Zabulon et Nephthali montem Thabor occuparet et Asoritas debellaret. Barac initio exigua fide videtur aliquatenus peccasse; etenim cum se mandato exsequendo imparem reputaret, Debboram comitem poposcit verbis, quae conditionem obedientiae praestandae involvunt : « Si venis mecum, vadam; si nolueris venire mecum, non pergam ». In poenam diffidentiae a Debbora edocetur, victoriae gloriam principalem non sibi, sed mulieri cuidam reputatum iri. Praedictionem probavit eventus. A Debbora confortatus magno animo rem aggressus est; impetu nocturno de monte Thabor descendens castra Asoritarum prope torrentem Cison posita perturbavit et ingenti clade affecit. Sisara autem dux Asoritarum ex clade aufugiens per manus Iahel uxoris Haber Cinaei interemptus est. Ex ore huius mulieris, cui victoriae summa obtigit, Barac Sisaram persequens audivit illud : « Veni et ostendam tibi virum, quem quaeris ». Haec erat poena tardae fidei. Tarditatem autem longe superavit magnanimitas. Unde fides Barac ab Apostolo Hebr. 11,32 celebratur. Inter liberatores populi 1 Reg. 12,11 celebratur Badan, quod nomen probabilius emendandum est Barac; v. BADAN 1. Addit *F. de Hummelauer* (Comment. in ll. Iudicum et Ruth p. 93. 94) cum *Bonfrerio* et *Calmet*, simul cum Debbora Barac iudicis dignitatem habuisse, licet id in Scriptura non ita expresse habeatur, simul saltem tempore, in diversis tamen tribubus.

BARACH v. BANE-BARACH.

BARACHA (בְּרָכָה, Βερχία), Beniaminita, qui Saule relicto sese Davidi in Siceleg adiunxit (1 Par. 12,3).

BARACHEL (בַּרְכַּאֵל, Βαραχιήλ), pater Eliu Buzitis (Iob 32,2. 6).

BARACHIA, BARACHIAS (בְּרַכְיָה, בְּרַכְיָהוּ et Is. 8,2 יְבֶרֶכְיָהוּ, Βαραχία, Βαραχίας).

1. Unus de filiis Zorobabel (1 Par. 3,20).

2. Levita, pater Asaph praefecti cantorum davidicorum (1 Par. 6,39[24]; 15, 17).

3. Levita ex genere Elcana habitans in Netopha tribus Iuda (1 Par. 9,16).

4. Levita, unus ex quattuor ianitoribus arcae, cum ex domo Obededom Hierosolyma transferretur; duo praecedebant arcam, quorum alter Barachias, duo sequebantur; ipsorum erat custodire, ne quis ad arcam accederet (1 Par. 15,23).

5. Filius Mosollamoth, unus de principibus Ephraim tempore Phacee regis Israel (2 Par. 28,12), qui monente Oded propheta Iudaeos captivos libertate donatos Achaz regi remiserunt (28,12-15).

6. Filius Mesezebel et pater Mosollam in aedificandis muris Ierusalem occupati (Neh. 3,4. 30; 6,18).

7. Pater Zachariae cuiusdam ab Isaia in testem fidelem adhibiti (Is. 8,2).

8. Pater Zachariae prophetae (Zach. 1,1. 7).

9. Pater Zachariae occisi inter templum et altare (Matth. 23,35). Communiter hic Barachias censetur esse Ioiada pontifex; v. IOIADA 4 et ZACHARIAS 34.

BARAD (בֶּרֶד, Βαράδ) locus ad meridiem Palaestinae situs haud procul a Cades; dicitur enim Gen. 16,14 *Puteus Viventis et videntis me,* ubi angelus Domini apparuit Agar, esse inter Cades et Barad. Cades communiter agnoscitur *ʿAin Qadīs*. Inter septemtrionem et occidentem ab *ʿAin Qadīs* non multum

abest 'Ain *Muweile*, qui fons est fortasse ille puteus (vide s. v. VIVENTIS et VIDENTIS). Ex his situs Barad aliquo modo coniici potest.

BARAIA בְּרָאיָה, Βαραΐα, unus de novem filiis Semei et de principibus cognationum Beniamin, qui Hierosolymis habitarunt (1 Par. 8,21).

BARASA (Βόσσορα), urbs munita Galaad, in qua Iudaei a gentibus vi opprimebantur (1 Mach. 5,26). Adest magna probabilitas eam non differre a Bosor, quae 5,28 a Iuda Machabaeo expugnata esse legitur (vide BOSOR 3). Iuremerito Barasa agnoscitur esse *Bosra* in *Hauran*, Bostra Graecorum et Romanorum, inde ab anno 106 p. Chr. a Romanis *Nova Traiana Bostra* appellata; eo enim anno Arabia ad Petram spectans (ἡ Ἀραβία ἡ πρὸς τῇ Πέτρᾳ provincia romana facta est, cuius duae urbes praecipuae, Petra in parte meridionali et Bostra in parte septentrionali, ab eo tempore novam aeram provincialem inchoarunt. Ex inscriptionibus apparet Bostram ante illud tempus regibus Nabataeis paruisse; sed tempore, de quo 1 Mach. 5,26 agitur, nondum Nabataeis subiecta erat (v. NABAIOTH). Apud geographos arabicos Bosra urbs praefecturae Hauran antiquissima describitur : constructa saxo nigro, habens arcem firmissimae substructionis aedificatam ad instar arcis damascenae, distans quasi quattuor mansiones Damasco.

Cf. *Abulfeda*, Tab. Syr., *ed. Köhler* p. 99; *Seetzen*, Reisen, *ed Kruse*, I. 67-73; *Burckhardt*, Reisen in Syrien, *ed. Gesenius*, 364 ss. 527; *Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 251; *E. Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes *ed.* 3, I. 743. 744; *De Vogüé*, Syrie centrale, Architecture civile et relig. 40. 63 ss., Planches 5. 22-23, Inscr. sémit. 103.

BARBA reputabatur decus et ornamentum viri; quare moris erat barbam nutrire, bene disponere, ungere. Inde explicatur Ps. 132,1. 2 : ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum, sicut unguentum quod descendit in barbam, barbam Aaron. Cum barba in tanta esset aestimatione, in signum amoris et reverentiae osculum quoque barbae imprimebatur, cuius rei exemplum (utique simulatum ac perfidum) praebet Ioab barbam Amasae dextera tenens quasi osculans eam (2 Sam. 20,9 hebr.). Quare maximum censebatur opprobrium, cum Hanon rex Ammonitarum legatis David dimidiam partem barbae abscindendam curaret; David eis mandavit ut manerent in urbe Iericho « donec crescat barba vestra et tunc revertimini » i. e. barba rasa non decuisset eos publice ingredi. Praeterea iniuriam legatis illatam David bello Ammonitis illato ultus est (2 Reg. 10,4 ss.). In luctu ornatus deponitur; quare in signum luctus barba neglegitur (ita Miphiboseth intonsa barba, i. e. haud bene culta, obviam it Davidi 2 Reg. 19,24), raditur (Is. 15,2; Ier. 41,5); Ier. 48,37 : *omnis barba rasa erit*, annuntiatur tamquam signum maximae calamitatis ingruentis et Is. 7,20 : in illa die radet Dominus in novacula conducta etc. praedicitur opprobrium et luctus et miseria. Pariter in signum luctus et moeroris Esdras evellit capillos capitis et barbae, et Ezechiel abscissione barbae ruinam urbis et populi eiectionem praefigurare iubetur (5,1). Cum David se fingere vellet amentem, inter alia « defluebant salivae eius in barbam » (1 Reg. 21,13) et ut propheta demonstret deos ab ipsis suis sacerdotibus contemni, narrat sacerdotes eorum in templis sedere habentes barbam rasam (Bar. 6,30). Leprosus qui a lepra mundatus erat, debuit radere capillos et barbam. Ceterum severe Israelitis interdicebatur more idololatrarum (Arabum?) extremum barbae abscindere (Lev. 13,29; 14,9; 19,27 hebr.; 21,5 hebr.) i. e. barbam in eandem cum iis formam effingere; quae forma intellegatur, dubium est.

BARBARUS vocabatur apud Graecos et Romanos homo alienigena quivis, graecae ac latinae linguae et eruditionis ignarus. Ea notione etiam apostolus dicit : Graecis et barbaris debitor sum i. e. omnibus gentibus; dein dicitur vox de iis quibus politior ingeniorum morumque disciplina deerat; ita Col. 3,11. Incolae quoque Melitae insulae appellantur barbari; erant enim Melitenses originis linguaeque punicae atque eos solum ita

vocari ob originem linguamque peregrinam patet, quia Act. 28,1 narratur : barbari vero praestabant non modicam humanitatem nobis. Eodemque sensu de eo qui lingua utitur peregrina apostolus scribit : si ergo nesciero virtutem vocis ero cui loquor barbarus, et qui loquitur mihi barbarus (1 Cor. 13,11). Qua notione etiam adhibetur Ps. 113,1 : in exitu Israel de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro (לֹעֵז explicant loqui lingua peregrina; in dialecto syriaca ea voce praecipue aegyptiace loqui designatur). Iudaei hellenistae βαρβάρους vocabant inimicos Iudaeorum (cf. Ez. 21,31; 2 Mach. 2,22; 10,4).

BARED (בֶּרֶד, Βαράδ), filius Suthala filii Ephraim (1 Par. 7,20). Vide etiam BECHER.

BARIA, BERIA (בְּרִיעָה, Βεριά, Βαριά). **1**. Baria (Βεριά), quartus filius Aser (1 Par. 7,30. 31); idem in Vulgata Gen. 46,17 Beria, Num. 26,44 Brie scribitur, apud LXX utroque loco Βαριά.

2. Beria (Βεριά), filius Ephraim eo tempore natus, quo Ephraim lugebat filios suos occisos a viris Geth; unde nominatus est Beria, eo quod in malis, בְּרִעָה domus eius ortus esset (1 Par. 7,23). De isto eventu v. EPHRAIM 1.

3. Baria (Βεριά), princeps cognationis beniaminiticae; ipse et Sama erant principes cognationum Beniamin, quae habitatores Geth (Gethaeos, Philisthaeos) ex urbe Aialon in confinibus Dan et Beniamin expulerunt atque ibidem sedes fixerunt (1 Par. 8,13). Eiusdem Baria filii recensentur inter eos, qui tamquam capita familiarum et principes in Ierusalem habitarunt (8,16. 28).

4. Baria (Βεριά), quartus filius Semei levitae de stirpe Gerson (1 Par. 23,10); cum ipse eiusque frater Iaus non haberent filios multos, in unam familiam computati sunt (23,11).

5. Baria (בְּרִיחַ, Βερρί), filius Semeiae ex posteris David (1 Par. 3,22).

BARIESU (Βαριησοῦς), i. e. filius Iesu (בַּר יֵשׁוּעַ), Iudaeus, pseudopropheta, magus, unus ex praestigiatoribus, qui tunc temporis frequentes erant per totum imperium romanum (cf. *Horat.* Od. I. 11,2; *Cicero,* De divin. 2,42-47; *Iuvenalis* 6,562; 10,93; 14,248). Ipse sibi nomen arabicum Elymas i. e. sapiens, magus imposuit, et versabatur apud Sergium Paulum proconsulem Act. 13,7 ss. Cum Paulus et Barnabas coram proconsule verbum Dei annuntiarent, Elymas quaerebat proconsulem a fide avertere. Paulus autem plenus Spiritu sancto eum reprehendit quod non desineret subvertere vias Domini rectas eique poenam caecitatis annuntiat; « et confestim cecidit in eum caligo et tenebrae et circuiens quaerebat qui ei manum daret ». Proconsul autem fidem amplexus est.

BAR IONA (Matth. 16,17) i. e. filius Iona (Ioan. 1,42) appellatur Simon Petrus a Iesu, vel simpliciter Simon Ioannis (Σίμων Ἰωάννου) uti Ioan. 21,15 ss.; unde simul patet Bar Iona nullatenus esse explicandum cum multis : filius columbae, sed Iona esse formam apocopatam pro Ioanne et nomen patris Petri nihil habere commune neque cum columba neque cum Ionae prophetae nomine. Et revera יוֹחָנָן (nomen usitatum Ioannes) redditur apud LXX Ἰωνά et Ἰωανάν (v. JOHANAN). Ceterum vide s. v. PETRUS.

BARNABAS (Βαρνάβας). Nomen eius erat Ioseph, ab apostolis cognominatus est Barnabas i. e. υἱὸς παρακλήσεως, בר נבואה filius prophetiae quatenus prophetia secundum apostolum inservit ad aedificationem et exhortationem et consolationem (οἰκοδομὴν καὶ παράκλησιν καὶ παραμυθίαν λαλεῖ, 1 Cor. 14,3). Quare nullo modo opus est pro נבואה quae vox ad παράκλησιν non apta sit, cum *Klostermann* et *Felten* ad explicandum nomen Barnabae accersere vocem aramaicam נוּחָא, ex qua quomodo Bar *nabas* oriatur non adeo facile fluit. Erat levites, genere Cyprius (eius consobrinus erat Marcus, ὁ ἀνεψιὸς Βαρνάβα Col. 4,10) qui cum haberet agrum vendidit eum et posuit pretium ante pedes apostolorum (Act. 4,36.37). Ipse Paulum, cui discipuli hierosolymitani se iungere verebantur, cum primo in urbem venisset duxit ad Petrum et Iacobum fratrem Domini et narravit eius conversionem et

praedicationem Damasci valide factam (Act. 9,26; cf. Gal. 1,18. 19). Cum Antiochiae magnus numerus credentium conversus esset ad Dominum, ab ecclesia hierosolymitana Barnabas Antiochiam missus est; ibi se praestitit virum plenum Spiritu sancto et fide et multos ad fidem duxit et socium laborum Saulum accersens profectus est Tarsum et cum eo revertens Antiochiam per annum ibi commoratus simul cum eo docuit turbam multam (Act. 11,21-26). Tempore famis sub Claudio Antiocheni miserunt eleemosynas ad seniores in Ierusalem per manus Barnabae et Sauli (v. 30). Reversi Antiochiam Barnabas et Saulus a Spiritu sancto ad maius opus apostolicum seliguntur et missi a Spiritu sancto abierunt Seleuciam et inde navigarunt Cyprum, inde venerunt Pergen Pamphyliae, Antiochiam Pisidiae; inde persecutione et odio Iudaeorum eiecti Iconium perrexerunt, inde in civitates Lycaoniae; Lystris cum claudus a Paulo esset sanatus, incolae deos ad se descendisse clamantes Barnabam Iovem, Paulum utpote ducem verbi Mercurium vocaverunt; inde Derben profecti sunt. Reversi Antiochiam strenue tuiti sunt libertatem gentilium quam quidam Iudaei circumcisionem esse necessariam ad salutem docentes tollere studebant. Ad quam quaestionem removendam missi sunt ab Antiochenis ad apostolos (Petrum, Ioannem, Iacobum, Gal. 2,9) et presbyteros in Ierusalem (Act. 13,1-15,34), ubi narrabant quid iam in gentibus effectum esset. Apostoli autem dexteras dederunt Paulo et Barnabae societatis et ipsi ab urbe reversi Antiochiae iterum praedicabant (cf. Gal. 2, 9 ss.). Cum autem Paulus volens visitare fratres, quos in primo itinere apostolico Christo lucratus erat, nollet secum assumere cum Barnaba Marcum quoque, Barnabas ab eo discessit et cum Marco profectus est Cyprum. Verum postea Barnabas iterum se Paulo apostolo adiunxit et eandem cum eo rationem praedicandi tenuit, uti elucet ex 1 Cor. 9,6; scil. non usi sunt iure quod habebant ad victum a Christianis postulandum, sed suam gloriam in eo ponebant ut evangelium sine sumptu ponerent et labore manuum victum sibi compararent.

Plura in s. litteris de Barnaba non referuntur. Cetera quae de eo aliunde habentur, sicut etiam de epistula Barnabae vide apud *Braunsberger*, Der Apostel Barnabas, et *Fessler* Patrol. I. p. 181; *Funk*, Patres apost. I. p. 1; *Nirschl*, Patrologie I. p. 51; *Cornely*, Introd. I. *ed.* 2, p. 233; *O. Bardenhewer*, Gesch. d. altkirchl. Literatur I. 86-98. Quae variis traditionibus ei attribuuntur, refert *Lipsius*, Die apokryphen Apostelgeschichten II. 2, p. 270-320.

BARSABAS (Βαρσαβᾶς) i. e. probabilissime filius Sabae.

1. Ioseph Barsabas, qui cognominatus est Iustus (Ἰούστος), cum ageretur de apostolo in locum Iudae proditoris eligendo, simul cum Matthia ad electionem propositus est ab apostolis. Erat itaque ex viris « qui nobiscum sunt congregati omni tempore quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus » (Act. 1,21-23). Quare haud immerito cum Eusebio (Hist. eccl. 1,12) censeri potest eum fuisse unum ex 70 discipulis. Praeter nomen suum hebraeum habuit alterum romanum (uti Ioannes Marcus); nam cum graece quoque dicatur Ἰούστος, nomen non videtur esse appellativum (δίκαιος), sed cognomen proprium. Electio vero sorte committebatur Deo et sors cecidit super Matthiam. Perperam opinati sunt aliqui eum esse Barnabam Cyprium, id quod praeter discrimen nominis etiam eo refellitur modo quo de Barnaba Act. 4,36 mentio fit.

2. Iudas Barsabas, propheta in Ierusalem, qui inter viros primos in fratribus connumeratur, quem apostoli et seniores cum Paulo et Barnaba et Sila ex urbe Antiochiam miserunt, ut Christianis decretum in concilio apostolorum constitutum deferret; eius quoque mentio fit in ipsa illa apostolorum ad fratres epistula. Quam egregie munere sibi demandato functus sit, testatur sacer autor : Iudas autem et Silas, et ipsi cum essent prophetae, verbo plurimo consolati sunt fratres et confirmaverunt (Act. 15, 22-32). Propter idem cognomen non defuerunt qui putarent eum esse fratrem Barsabae Ioseph Iusti.

BARSAITH (ברזות *Kethib*, ברזות *Qeri;* Βερθαίθ) legitur in genealogia Aser : Melchiel est pater Barsaith (1 Par. 7,31); est vel nomen mulieris vel nomen urbis.

BARTHOLOMAEUS (Βαρθολομαῖος i. e. בַּר תָּלְמַי filius Tolmai), apostolus, qui in catalogo apostolorum enumeratur cum Philippo (Matth. 10,3; Marc. 3,18; Luc. 6,14), in Act. 1,13 autem cum Matthaeo, ubique in altero quaternione. Valde probabile est et a plerisque hodie assumitur eum esse Nathanael, de quo Ioan. 1,45 ss. et qui Ioan. 21,2 medius inter apostolos nominatur. Nathanael a Philippo inventus et ad Iesum adductus est. Cum itaque in catalogo apostolorum iungi soleant Philippus et Bartholomaeus, sicut iunguntur qui priores a Christo vocati sunt (Petrus, Andreas, filii Zebedaei), plurimum probabilitatis ei sententiae accedit. Quae variis traditionibus de eo referuntur, vide apud *Lipsius*. Scribit Eusebius (Hist. eccl. 5,10) : Pantaenus ad Indos usque penetrasse dicitur ibique evangelium Matthaei apud quosdam Christi notitia imbutos reperisse, quibus scil. Bartholomaeus unus ex apostolis praedicasset et evangelium Matthaei hebraicis litteris conscriptum reliquisset. Id quod post Eusebium S. Hieronymus, Rufinus, Eucherius lugdunensis aliique narrant. Praeterea v. NATHANAEL.

Cf. *Knabenbauer*, Comment. in Matth. I. p. 374; *Lipsius*, Die apokryphen Apostelgeschichten II. 2 p. 54-108.

BARTIMAEUS (Βαρτίμαιος) filius Timaei, caecus prope Iericho, qui a Iesu sanatus est (Marc. 10,46-52). In Targum ad Esth. 3,8 nomen טימי vel טימאי reperitur; quare ad nomen explicandum minime cum aliquibus recurrendum est ad nomen graecum (ex Platone notum); multo minus propter טמא (immundus fuit) assentiendum est opinioni a *Volkmar* propositae nomen esse symbolicum totaque narratione solum illustrari, filium quoque immundi i. e. gentilem gratia Christi lumine fidei donari. Si id evangelista voluisset, debuisset, ut cetera mittam, saltem nomen explicare! In libro interpretationis hebr. nominum notat S. Hieronymus : Barsemia filius caecus, quod et ipsum corrupte quidam Bartimaeum legunt (cf. Onom. *ed. Lag.* 66,11).

Longam de nomine disquisitionem videsis apud *Nestle*, Marginalien und Materialien 1893, p. 83 ss., qui tamen ad certam quaestionis solutionem minime pervenit. Praeterea cf. *Lightfoot*, Horae hebr. ad Marc. 10,46 (Opp. 1699, II. p. 450); *Buxtorf*, Lex. chald. talm. rabb. col. 1494 s. v. סמי caecus.

BARUCH (בָּרוּךְ benedictus, Βαρούχ).

1. Filius Neriae, socius Ieremiae eiusque in scribendis oraculis amanuensis (Ier. 32,12 ss. 36,4 ss.) et ipse quoque propheta, uti ex libello eius nomine inscripto patet. Cum Ieremias carcere teneretur clausus, misit Baruch ut de volumine quod ex ore Ieremiae scripserat legeret populo in templo die ieiunii (Ier. 36,5 ss.). Quod cum nuntiatum esset principibus, ad se advocarunt Baruch, ut sibi quoque legeret quae populo legerat. At cum audirent minas illas audaces quibus Ieremias omnem spem regis se subducendi iugo Chaldaeorum reprehendit obstupuerunt et Baruch quidem suadent, ut se abscondat ita ut nemo sciat ubi sit, ne scil. irae et vindictae regis ad quem librum asportant exponatur. Rex tribus pagellis lectis librum scidit et combussit et Baruch comprehendi iussit; Deus vero eum protexit ne in regis manus incideret. In locum libri combusti Ieremias omnes sermones iterum dictavit amanuensi suo et insuper addidit sermones multo plures quam antea fuerant (Ier. 36,16-32). Baruch a Ieremia magni fuisse aestimatum idque communiter innotuisse elucet ex eo quod aliqui viri nobiles Ieremiam accusant, eum incitari a Baruch et ea vaticinari quae Baruch suggerat (Ier. 43,3). Ex qua accusatione simul patet Baruch quoque odio illorum et persecutionibus fuisse obnoxium; unde mirum non est eum gemere : vae misero mihi quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo; laboravi in gemitu meo et requiem non inveni. Eum nomine Domini solatur Ieremias eo modo qui ipsi quoque Ieremiae propositus est (12,7 ss.) et insuper ei promittitur vitam eius ab insidiis iri servatum

(Ier. 43,1-5). Coactus est Baruch quoque cum Ieremia urbe a Chaldaeis capta) descendere in Aegyptum (Ier. 43,6). Porro post aliquot annos (anno quinto ab urbe expugnata) Baruch in Babylonia legit librum suum coram Iechonia rege Iuda et nobilibus et populo qui ibi in exsilio degebant (de libro ipso vide *Cornely*, Introd. II. 2 p. 416 ss.; *Knabenbauer*, Comment. in Dan. Lam. Bar. p. 443). Contendit *de Moor* (Revue des questions historiques, avril 1894) annum quintum Bar. 1,2 esse mendum scribarum pro anno *quadragesimo* quinto; putat scil. Iechoniam semper in carcere esse conclusum usque ad annum 37. transmigrationis eius, atque id explicite affirmari a Ieremia. Sed Ieremias solum narrat eum illo anno ab Evilmerodach eductum esse e carcere; id quod sane non impedit quominus aditus ad regem sit permissus, ita ut ei quoque Baruch librum legere posset. Neque ex 3,10 sequitur eos iam longissimo tempore fuisse in exsilio; nam inveterare, παλαιοῦσθαι (qua voce LXX saepe reddunt בִּרָה) adhibetur notione tabescendi (cf. *Knabenbauer* l. c. p. 478) neque 4,25 : « cito videbis perditionem eius » ita potest urgeri, ut haec verba non potuerint dici a propheta nisi anno 543 anno scil. quinto ante expugnationem Babylonis (cf. *Knabenbauer* p. 494 ss.).

2. Levita quidam (Neh. 3,20).

3. Sacerdos inter signatores foederis (Neh. 10,6).

4. Incola Ierusalem post captivitatem ex posteris Phares (Neh. 11,5).

BASAIA (בַּעֲשַׂיָה, Βασαία), levita de stirpe Gerson, ex maioribus Asaph (1 Par. 6,40 [25]).

BASAN (בָּשָׁן plerumque cum articulo הַבָּשָׁן, Βασάν, ἡ Βασάν, ὁ Βασάν, ἡ Βασανῖτις et Is. 33,9 ἡ Γαλιλαία i. e. forte Gaulanitis), pars septemtrionalis terrae transiordanicae, regnum Og Amorrhaei. Nomen Basan mollitiem et pinguedinem soli indicat, sicuti etiam nomen arabicum *Bathanīye*.

Limites Basan in S. Scriptura indicantur : a meridie urbes Edrai et Salecha et dimidia pars Galaad, quae inter fluvios Iaboc et *Yarmūk* sita ad regnum quidem Og, non tamen ad terram Basan pertinebat; a septemtrione mons Hermon cum finibus Gessuri et Machati, qui in vicinitate montis Hermon fuisse censentur (Deut. 3,3. 10. 13; Ios. 12,4. 5; 13,11. 12. 31; 1 Par. 5,23).

Terminus igitur septemtrionalis erat planities Damasci et mons Hermon, occidentalis Iordanis, meridionalis fluvius *Yarmūk* (Hieromax, *Sherī'atel-Menādire*), *Djebel el-Zumie*, desertum Hamad; ad orientem terra Basan complectebatur montana Auran (montem Alsadamum seu *Djebel Ḥaurān*). Urbes Basan principaliores in S. Scriptura nominantur Astaroth (*Tell 'Ashtara* vel forte *Tell el-Ash'arī*), Edrai (*Der'āt*), Salecha (*Salkhad*), Golan seu Gaulon (*Sahem el-Djōlān*). — Tempore antiquissimo Basan habitabatur a Raphaim seu stirpe gigantum, quos Chodorlahomor apud Astarothcarnaim devicit (Gen. 14,5). Og rex Basan, qui ipse erat de stirpe gigantum, ab Israelitis in pugna apud Edrai devictus et interemtus est (Num. 21,33-35; Deut. 1,4; 3,1 ss.; 4,47; 29,7; Ios. 9,10; Neh. 9,22; Ps. 134[135],11; 135[136],20). Omnis terra Basan dimidiae tribui Manasse in hereditatem cessit (Num. 32, 33; Deut. 3,13; Ios. 13,29-31; 17,1. 5; 22,7); Gaulon urbs refugii et Astaroth levitis filiis Gerson traditae sunt (Ios. 21,27; 1 Par. 6,71). Tempore Salomonis Basan una cum Galaad et terra Sehon regis Amorrhaei erat praefectura duodecima a Gaber filio Uri administrata (3 Reg. 4,19). Ultimo denique loco libri sacri historici referunt, Iehu in Israel regnante terram Basan ab Hazael rege Syriae vastatam esse (4 Reg. 10,32. 33). — Quoad Basan Havoth Iair Deut. 3,14 v. IAIR 1.

Aetate graeco-romana quattuor partes Basan distinguuntur : Gaulanitis (*Djōlān*) seu regio occidentalis ad lacus Genesareth et *Hūle* sita, Auranitis (*Ḥaurān*) seu regio montana orientalis cum planitie *el-Nuqra* inter *Djōlān* et *Djebel Ḥaurān* patente, Trachonitis (*Ledjā*) inter septemtrionem et occidentem a *Djebel Ḥaurān* se extendens Damascum versus, Batanaea, de cuius situ auctores non conveniunt. Flavius Iosephus (Ant. IV.

7,4; IX. 8,1) nomine Batanaeae totam Basan comprehendere videtur; alibi (Ant. XVII. 2,1; Bell. iud. I. 20,4) Batanaeam ab aliis partibus discernit eamque Trachonitidi confinem esse dicit. *Porter* (Five years in Damascus 1855, II. p. 52-54. 264-267) Batanaeae assignat regionem *Arḍ el-Bathanīye* ad orientem Trachonitidis (*Ledjā*) et ad septentrionem *Djebel Ḥaurān;* ita multi alii praesertim nomine totius regionis et nomine urbis *el-Buteina* adducti. Contradicit *Wetzstein*, Reisebericht über Hauran 1860, p. 82-86. Unde alii Batanaeam in media terra Basan collocant inter Gaulanitidem ab occidente, Trachonitidem ab oriente, Auranitidem a meridie. Praeter has quattuor partes regio Argob urbibus munitis celebris in ipsa S. Scriptura nominatur; haec sine dubio Trachonitidem (*Ledjā*) et fortasse etiam alias quasdam partes Basan complectebatur; v. ARGOB. — Reliqua de historia Basan ex Flavio Iosepho breviter indicamus. Ab Augusto imperatore Batanaea, Trachonitis, Auranitis Herodi Magno traditae sunt (Bell. iud. I. 20,4; Ant. XV. 10,1; cf. XVII. 2,1. 2); postea eaedem provinciae ad tetrarchiam Philippi spectabant (Ant. XVII. 11,4; Bell. iud. II. 6,3; cf. Luc. 3,1). Agrippa II. tria millia equitum, qui Auranitae, Batanaei, Trachonitae erant, Hierosolyma misit, ut seditionem contra Romanos exortam opprimeret (Bell. iud. II. 17,4).

Fertilitas Basan describitur Deut. 32, 14. Querceta Basan, pascua opima pecudumque ubertas celebrantur Ps. 21[22], 13; Is. 2,13; 33,9; Ier. 50,19; Ez. 27,6; 39,18; Am. 4,1; Mich. 7,14; Nah. 1,4; Zach. 11,2. Montes Basan, qui imprimis basanite constant et frequenter ignes eructant, a Psalmista eliguntur ut symbola hostium Israel potentissimorum, qui montem Sion despiciunt (Ps. 67[68], 16). In montanis Basan leones habitant (Deut. 33,22) et si hostes Israel ibidem se absconderint, Dominus ex latibulis eos excitabit (Ps. 67[68],23). — Vulgata Basan interdum voce *pinguis* vertit, hinc tauri pingues, mons pinguis, vaccae pingues (Ps. 21,13; 67,16; Ez. 39,18; Am. 4,1).

Cf. *Reland*, Palaestina p. 200 ss. 342; *I. G. Wetzstein* apud *Fr. Delitzsch*, Iob, Leipzig 1876, Anhang p. 557, nota 1; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, p. 545. 549-553. 575 ss.; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 79. 83. 84. 117. 118; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1486-1490; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 723 ss.

BASCAMA (ἡ Βασκαμά, *Flav. Ios.* Ant. XIII. 6,6 Βασκά), urbs in Galaad, ubi Ionathas Machabaeus a Tryphone occisus est (1 Mach. 13,23). Simon Mach. ossa Ionathae fratris inde accessita apud Modin sepelivit (13,25). Vulgata 13,22 legit quidem : « Erat autem nix multa valde et non venit in Galaaditim » ; sed lacunam supplet textus graecus : οὐκ ἦλθε διὰ τὴν χιόνα scil. Hierosolyma, quo tendebat Tryphon, καὶ ἀπῆρε καὶ ἦλθεν εἰς τὴν Γαλαασδίτιν. — *Furrer* in Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XII. 1889, p. 151 censet Bascama esse *Tell Bāzūk* in *Djōlān*, collem inter *Wādi Djoramāya* et *Wādi Bāzūk* paulo supra locum, ubi in unum coniunguntur. Huic opinioni favent et nomen et situs collis *Bāzūk*. Cf. descriptionem in Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins IX. 1886, p. 353 et rationes hunc situm suadentes in Zeitschr. für kath. Theologie XVIII. 1894, p. 756. 757.

BASCATH (בְּצַקַת; Βασηδώθ), urbs tribus Iuda in secunda provincia Sephelae inter Lachis et Eglon enumerata (Ios. 15,39), patria Ididae matris Iosiae regis (4 Reg. 22,1; *Vulg.* Besecath). *Flav. Ioseph.* Ant. X. 4,1 : Βοσκέθ (*ed. Niese*), Onomast. Euseb. (*ed. Lag.* 235,13) Βασκώθ. Situs accuratior ignoratur, sed propter Ios. 15,39 in vicinitate Lachis (*Tell el-Hesī* prope *Umm Lāqis*) et Eglon (*Khirbet ʿAdjlān*) esse supponitur.

BASEMATH (בָּשְׂמַת; Βασεμάθ).

1. Filia Elon Hethaei, secunda uxor Esau, mater Eliphaz (Gen. 26,34). Eadem Gen. 36,2. 4. 10. 12. 16 appellatur *Ada*.

2. Filia Ismael, tertia uxor Esau, mater Rahuel (Gen. 28,9; 36,3. 4). Nota Gen. 28,9 eam appellari Maheleth. — De diversitate nominum v. *F. de Hummelauer* in Gen. 36,3.

3. Filia Salomonis, uxor Achimaas praefecti, qui in Nephthali praeerat (3 Reg. 4,15; Βασεμμάθ).

BASILISCUS. In Ps. 90[91],13 Vulgata cum LXX vertit « super aspidem et

basiliscum ambulabis », ubi textus hebraicus habet עַל שַׁחַל יִדְרֹךְ i. e. super leonem et aspidem; v. SERPENS.

BATHUEL (בְּתוּאֵל, Βαθουήλ), filius Nachor et Melchae, pater Laban et Rebeccae uxoris Isaac (Gen. 22,23; 24,15 ss.; 25,20; 28,2. 5). Putant aliqui Gen. 24,15 ss. recenseri Bathuel aliquem Labani fratrem minorem, non patrem Labani et Rebeccae; cf. *F. de Hummelauer*, Comment. in Gen. p. 448.

BATHUEL (1 Par. 4,30), urbs v. BETHUL.

BAURAMITES v. BAHURIM.

BAVAI (בָּוַי, Βενεί), filius Enadad, princeps dimidiae partis Ceilae, qui partem muri Ierusalem aedificavit (Neh. 3, 18).

BAZATHA (בַּזְתָּא, Βαζάν), secundus ex septem eunuchis Assueri (Esth. 1,10).

BAZIOTHIA (בַּזִּיוֹתְיָה) cum Hasersual et Bersabee inter urbes meridionales tribus Iuda enumeratur (Ios. 15,28). Verum LXX vertunt καὶ αἱ κῶμαι αὐτῶν, legerunt igitur בְּנוֹתֶיהָ, *filiae eius*. Haec lectio videtur praeferenda, praesertim si confertur Neh. 11,27: et in Hasersual et in Bersabee et in filiabus eius.

BDELLIUM (בְּדֹלַח) bis in Scriptura occurrit, cum in terra Hevilath inveniri dicatur (Gen. 2,12), et manna quoad aspectum (*Vulg.* colorem) cum ipso comparetur (Num. 11,7).

1. Ex versionibus antiquis LXX lapidem pretiosum intellegunt, in priore loco ἄνθραξ, in altero κρύσταλλος; similiter Vetus latina in Genesi *carbunculus* vertit. Onkelos et Targ. Hieros. vocem hebraicam retinent (בדלחא et בדילחא), idemque de Peshitta et de textu samaritano videtur dicendum, licet editiones (*Walton* et *Lee*) ברולחא et ברלח exhibeant. Versio quoque samaritana in libro Numerorum בדלח legit, sed in Gen. פנקלה (i. e. fortasse פַּקֻלָּה gossypium, ut explicat *Winer*) habet. Aquila, Symmachus, Theodotion (*Field* utrobique : οἱ λοιποί) βδέλλιον vertunt, ut S. Hieronymus, pariterque Flavius Iosephus (Ant. III. 1,6) manna « τῇ τῶν ἀρωμάτων βδέλλῃ » simile fuisse refert.

2. Cum neque ex ipsis Scripturae verbis neque ex testimonio antiquorum satis pateat, quid sit בדלח, hinc diu « inter dubia substitit coniecturis eruditorum tamquam nebulis involuta, ut nusquam fere appareat, in cunctis licet naturae regnis anxie fuerit quaesita » (*O. Celsius*, Hierobot. I. 324 s.). Ex regno enim minerali proposuerunt carbunculum (LXX in Gen., Vet. lat.), beryllum (Vers. persica, *Wahl*, *Hartmann*), crystallum (LXX in Num., *Rashi*, *Rabbi Salomon*, *Elias*, *Pomarius*, *Reland*), achaten, adamantem, lapidem Lazuli etc. Sed omnes lapidum pretiosorum species excluduntur a sacro textu, qui determinationem lapidis (אֶבֶן) in Gen. ante vocem sequentem הַשֹּׁהַם, non vero ante בדלח habet; eadem autem voce in libro Num. aliam rem designari nulla ratione probatur. Ex regno vero animali margaritas in medium protulerunt plures versiones arabicae, Graec. ven., *Kimchi*, *R. Beniamin* aliique Rabbini (cf. Targ. 1 Par. 1, 23), item *Huetius*, *Bochartus* (Hieroz. II. 674-680, *ed. Rosenmüller* III. 592-600), *Gesenius* (Thes. s. v.), alii. At improprie tunc Scriptura *in terra* Hevilath בדלח inveniri diceret; praeterea nominis similitudo alteram potius opinionem commendat.

3. Praestat igitur in regno vegetali בדלח quaerere et cum S. Hieronymo ac versionibus citatis multisque recentioribus *bdellium* in utroque loco intellegere. Nomine hoc a veteribus designatur aromatica arboris indicae et arabicae resina (*Dioscur.* Mat. med. 1,80; *Plin.* XII. 9,35, al.), quae in Bactriana erat laudatissima atque etiam in Media et Babylonia inveniebatur (*Plin.* l. c.). Varia eius nomina (βδέλλιον, βδέλλη, μάδελκον, βόλχον [al. βλοχον, leg. βδόλχον], bdellium, brochon, malacham, maldacon), quamvis corrupta, affinitate sua cum בדלח opinionem hanc satis probabilem reddunt. Neque obstat quod bdellium aroma male inter aurum et gemmas commemorari dicunt; nam etiam alibi aromata in aerario regio cum auro atque argento servantur (4 Reg. 20,13; Is. 39,2). Cum manna

quoque quoad externam speciem, sive colorem sive potius luciditatem bene comparari potuit resina illa, sine dubio Israelitis vel ex commercio cum Aegyptiis vel ex arboribus ipsis satis nota.

Opinionem hanc defendunt *I. H. Ursinus* (Arboreti bibl. contin. 202-6); *O. Celsius* aliique quos ipse citat auctores priores, *Salmasius*, *Hopkinsonus*, *Cappellus*, *Rivetus* etc. l. c. 324-327); ex recentioribus *P. Cultrera* (Flora bibl., Palermo 1861, p. 239-242), *Frd. Delitzsch* (Paradies p. 16 s. 101 « valde probabile »); *P. Schegg* (Bibl. Arch. p. 159); *Fr. de Hummelauer* (in Gen. 2,12), *Gesenius-Buhl* (Handwb. *ed.* 13. s. v.) al.

4. Arbor autem bdellium ferens recentioribus est *Commiphora Roxburghiana* (Stocks) Engler (= Balsamodendron Roxburghii Stocks, = Balsamodendron Mukul Hooker fil. = Commiphora Mukul Engler) ex ordine *Burseracearum*, arbuscula 4-6 pedalis, quae in rupestribus calidis Belutschiae invenitur, et cuius aream geographicam Scinde, Indiam boreali-occidentalem et probabiliter Arabiam dicunt (*Boissier*). Vulgo *gukl* vel *mukl* audit, quo nomine Syri et Arabes bdellium designant. Assyriacum *budilkhi* i. e. hastile, quod aliqui cum hebr. בְּדֹלַח composuere, probabiliter ad lignum alterius arboris refertur, cum frutex 4-6 pedalis vix ad hastas apta inveniatur. — Alia species bdellii, in S. Scriptura vix significata, est resina arboris senegambicae *Balsamodendron africanum* Arnold. Ea autem, quam post *E. Kämpfer* plures recentiores (*Cultrera*, *Schegg* ll. cc., al.) tamquam arborem bdelliferam proponunt palma aegyptiaca *Hyphaene thebaica* Delile (vulgo *dum* dicta) bdellium aut aliam resinam similem non videtur praebere.

Cf. *E. Kämpfer*, Amoenitates exoticae, Lemgoviae 1712, p. 668; *C. S. Sonnini*, Voyage dans la Haute et Basse Égypte, Paris a. 7. (= 1799), 3, 116 s.; *Chr. Lassen*, Ind. Alterthumskunde I. *ed.* 2,339; *E. Boissier*, Flora orient. II. 3; *L. Haynald*, De plantis biblicis gummiferis, Kolozsvart 1879, p. 23; *Leunis-Frank*, Synopsis II. 2, *ed.* 3, p. 354 s.; *Fr. Hommel*, Gesch. Bab. u. Assyr. 328 n. 2. 613 n. 1; *id.* Aufs. u. Abhandl. p. 4; *Ed. Glaser*, Skizze d. Gesch. u. Geogr. Arab. 2,364-7; *Engler-Prantl*, Die natürl. Pflanzenfam. III. 4,256.

L. FONCK.

BEAN (Βαιάν) 1 Mach. 5,4 « et recordatus est (Iudas) malitiam filiorum Bean qui erant populo in laqueum et in scandalum, insidiantes ei in via ». Hos Iudas debellavit conclusos turribus in quas sese receperant eosque incensis turribus delevit. Eos aggressus est postquam debellavit filios Esau in Idumaea et ab iis transivit ad filios Ammon (1 Mach. 5,3-6). Cum omnino assumi possit in 1 Mach. 5,4 expeditiones Iudae enumerari ex ordine, filii Bean habitabant in regione quae inter Idumaeos et Ammonitas interiacet ad orientem maris Mortui. *Hitzig* eos esse Themanitas opinatus est i. e. Arabes edomitas (cf. Zeitschr. der Deutschen Morgenl. Gesellschaft XII. 1858, p. 323; alia sententia proponitur XXV. 1871, p. 565). Nota denique apud LXX Num. 32,3 legi Βαιάν pro Beon (בְּעֹן), quae communiter agnoscitur urbs Baalmeon; unde filii Bean forte sunt incolae Baalmeon.

BEATITUDO (μακαρισμός). Quatenus haec vox in Vulgata legitur, notionem induit praedicationis beatitatis. Ita Rom. 4,6 David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus : beati quorum remissae sunt iniquitates, i. e. eum praedicat beatum. Item ibi v. 9 beatitudo ergo haec in circumcisione tantum manet? i. e. num ista praedicatio beatitatis solum valet pro circumcisis? Item Gal. 4,15 ubi est ergo beatitudo vestra? i. e. antea vos beatos praedicastis, ubi est nunc haec vestrae felicitatis praedicatio? Quod in Vulgata habetur Gen. 30,13 dixitque Lia : hoc pro beatitudine mea, effertur graece : μακαρία ἐγώ; cum enim Zelpha secundo peperisset, Lia se felicem praedicat idque sibi feliciter evenisse annuntiat (inde nomen filii Aser).

Octo illae praedicationes in initio sermonis montani : beati pauperes, beati mites, etc. etiam beatitudines dici solent. Et cum sermo ille habitus sit, cum Iesus ascendisset in montem (Matth. 5,1), ille mons appellari quoque solet *mons beatitudinum*. Quo nomine ex traditione an-

tiqua designatur ille cui hodie nomen est *Qarn Ḥaṭṭîn* (cornua Hattin), spectans inter occasum brumalem et meridiem ab ostio Iordanis in lacum Genesareth. Inter duas montis summitates vel cornua quae 400 passibus inter se distant extenditur campus, fortasse locus ille campestris de quo Luc. 6,17 sermo est. Ceterum S. Hieronymus nihil certi de hoc monte comperit: scribit enim ad Matth. 5,1: putamus esse vel Thabor vel quemlibet alium excelsum montem in Galilaea.

De *Qarn Ḥaṭṭîn* vide *Robinson*, Palaestina III. p. 483 ss.; *Ritter*, Erdkunde XV. 1 p. 297. 328. 387; *Guérin*, Galilée I. 193 ss.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, III. 173; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 27-29; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 660-662.

BEBAI (בֵּבַי, Βαβάί, Βαβί, Βαβεί, Βηβί, Βηβαί), princeps familiae, cuius filii duce Zorobabel ex captivitate redierunt 623 (Esdr. 2,11) vel 628 (Neh. 7,16). Duce Esdra de filiis Bebai Zacharias cum 28 viris rediit (Esdr. 8,11). Quattuor de filiis Bebai uxores alienigenas mandante Esdra dimiserunt (Esdr. 10,28). Idem nomen legitur inter signatores foederis (Neh. 10,15[16]).

BEBAI (Βηβαί), nomen loci vel regionis (Iudith 15,4 LXX Cod. A; Cod. B et *Vulg.* omitt.). Regio Bebai est ignota. Coniicit *O. Wolff* (Das Buch Iudith, Leipzig 1861, p. 182) Bebai esse Beth Arbel (Os. 10,14), Arbela (1 Mach. 9,2) seu *Irbid* in Galilaea. Est mera coniectura; ceterum etiam adverte, Beth Arbel probabilius differre ab Arbela et trans Iordanem sitam esse.

BECBECIA (בַּקְבֻּקְיָה, LXX BA omitt.). **1.** Levita tempore Zorobabel (Neh. 11,17; 12,9).

2. Levita, custos portarum et vestibulorum in Ierusalem (Neh. 12,25).

BECHER (בֶּכֶר, LXX omitt.), filius Ephraim, a quo familia Becheritarum (Num. 26,35). Sunt qui putent Becher eundem esse atque Bered, *Vulg.* Bared 1 Par. 7,20 (*I. A. Selbie* apud *Hastings*, Dict. of the Bible s. v. Becher). Attamen Bared est filius Suthala, filii Ephraim, dum Becher Num. 26,35 cum Suthala velut filius Ephraim coordinatur.

BECHOR (בְּכֹר; Βοχόρ, Βαχόρ) enumeratur secundus filius Beniamin Gen. 46,21; 1 Par. 7,6; eius novem filii recensentur 1 Par. 7,8. Sed nomen Bechor desideratur in enumeratione cognationum Beniamin Num. 26,38 s. et in genealogia Beniamin 1 Par. 8,1. Ex eo quod 1 Par. 8,1 legitur: « Beniamin genuit Bale primogenitum suum (בְּכוֹרוֹ), Asbel secundum » etc., nonnulli coniiciunt etiam Gen. 46,21 et 1 Par. 7,6 pro *Bechor* legendum esse *primogenitus Levesque* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1536), alii e contra opinantur 1 Par. 8,1 non *primogenitum*, sed *Bechor* legendum esse (*I. A. Selbie* apud *Hastings*, Dict. of the Bible I. 262).

BECHORATH (בְּכוֹרַת, Βαχόρ), unus ex maioribus Cis patris Saul (1 Reg. 9,1).

BEELMEON v. BAALMEON.

BEELPHEGOR (Num. 25,3.5; Deut. 4,3; Ios. 22,17; Ps. 105[106],28; Os. 9,10) seu idolum Phogor (Num. 25,18; 31,16) vide s. v. BAAL et cf. PHOGOR 1.

BEELSEPHON (בַּעַל צְפוֹן, Βεελσεπφῶν), urbs aegyptiaca. Postquam Israelitae egressi de Aegypto et profecti de Socoth castrametati sunt in Etham (in extremis finibus solitudinis), iussi sunt a Domino reverti et castrametari e regione Phihahiroth, inter Magdalum et mare Rubrum (Suph), contra Beelsephon (Ex. 14,2. 9 et similiter Num. 33,7: venerunt contra Phihahiroth, quae respicit Beelsephon); deinde profecti de Phihahiroth transierunt per medium mare in solitudinem (cf. Ex. 14,9 ss. Num. 33, 8). Utrum castra dicantur fuisse inter Magdalum et mare Suph simulque e regione Phihahiroth an potius e regione Phihahiroth, quae est (*Vulg.*) inter Magdalum et mare Suph, non satis liquet. Beelsephon certe erat e regione Phihahiroth nec procul ab eo loco, ubi Israelitae mare transierunt; quaeri debet in pago Socoth (*Thuku*) prope lacum *Tîmsāḥ* iuxta Phihahiroth (vide s. v.), quae cum aliqua probabilitate in *Pikeheret* agnoscitur.

Vox צפן nomen divinitatis cuiusdam

esse censetur. Reperitur in nominibus propriis v. g. בד צפן; cf. Corpus Inscr. semit. I. 1 (1881), p. 127. 128. 227. 306. 342 (num. 108. 165. 207. 265). In inscriptionibus assyriacis commemoratur iuxta Antilibanum mons *Ba'il-ṣapuna* seu *Ba'li-ṣapuna*, fortasse Hermon; cf. Zeitschr. für Assyriologie X. 1895, p. 365. 366; *W. Max Müller*, Asien und Europa nach altägyptischen Denkmälern 1893, p. 315. — Cum צפון ab aliquibus explicaretur de deo Typhone Graecorum (*Gesenius*, Thesaurus linguae hebr. et chald. p. 225 b), quaesita est urbs, quae Typhonis sedes putabatur v. g. Heroopolis (v. PHITHOM). — Alii melius interpretati sunt Beelsephon dominum septemtrionis (*Dillmann* ad Ex. 14,2; *Brugsch*). Insuper vero *Brugsch* (Dict. géogr. de l'Ancienne Égypte p. 916-918) mentionem facit Amon Ra vocari dominum urbis regionis septemtrionis, dominum urbis septemtrionis, quae appellatio congruat notioni בעל צפון, dominus septemtrionis eandemque dictionem scil. *Bali-zapuna* esse quoque a *Goodwin* in scriptura hieroglyphica repertam; eam autem urbem septemtrionis esse Diospolin in Delta aegyptiaco (cf. l. c. p. 289. 1199). Verum quantopere a vero aberraverit *Brugsch*, qui Israelitas non per mare Rubrum, sed iuxta mare Mediterraneum transeuntes supponit (cf. imprimis eiusdem L'Exode et les monuments égyptiens), egregie ostendit *F. Vigouroux* (La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, II. p. 370-382; cf. p. 412 ubi Beelsephon *Djebel 'Atāqa* ad occidentem maris Rubri septemtrionalis ponitur).

BEELTEEM (בְּעֵל טְעֵם, Βαλτάμ), titulus, qui datur Reum magistratui regio Artaxerxis regis in Samaria (Esdr. 4,8. 9. 17 et in Vulgata etiam 23). Vox טְעֵם significat decretum; unde Beelteem est dominus decreti, vir decreti. Designari videtur praefectus minoris cuiusdam partis provinciae. Cf. *E. Meyer*, Entstehung des Judenthums 1896, p. 33-34.

BEELZEBUB (בַּעַל זְבוּב i. e. Baal muscae; Βάαλ μυῖαν) est nomen idoli Baal (vide s. v.), quod Philisthaei Accarone colebant et Ochozias rex Israel de morbo suo consulere satagebat (4 Reg. 1,2.3. 6.16). Appellatur Baal muscae seu dominus muscarum tamquam deus muscarum averruncus, sicuti apud Graecos Ζεὺς Ἀπόμυιος et apud Romanos Myiagrus deus. In Novo Testamento Christus a Iudaeis accusatur, quod Beelzebub habeat et in Beelzebub principe daemoniorum eiiciat daemonia (Matth. 10,25; 12, 24.27; Marc. 3,22; Luc. 11,15.18.19). Facile patet appellationem *domini muscarum* apud Iudaeos in risum et contemptum abiisse et ad principem daemoniorum designandum adhibitam esse.

In graecis et in aliquibus latinis codicibus Novi Test. legitur Βεελζεβούλ (Βεεζεβούλ), Beelzebul (Belzebul, Beizebul, Velzebul, Belzebud, Belzebu etc.). De explicatione formae Beelzebul varia proponuntur. Uti iam *Buxtorf* (Lex. chald. talm. rabb. s. v. col. 334) et *Lightfoot* (ad Matth. 12,24), ita recentiorum haud pauci recurrunt ad זֶבֶל stercus, זִבּוּל stercoratio (*Buxtorf* l. c. col. 641), quae voces talmudicae etiam ad sacrificia idolis facta transferebantur; Talmudicis enim זֶבֶל stercorationem facere idem erat atque idolo sacrificare (cf. *Levy*, Neuhebr. und chald. Woerterbuch I. 509. 510). Unde Beelzebul explicatur dominus stercoris. Sed animadvertendum est formam *zebul* neque ad *zebel* satis congruere (exspectaretur enim Beelzabel, sicut Iezabel) neque ad *zibbul*, ut facile patet. — Alii praeferunt זְבוּל habitatio et explicant Beelzebub dominum habitationis seu domicilii scil. dominum inferni vel generatim regionis daemonum; quam opinionem eo quoque confirmant, quod Christus se vocet οἰκοδεσπότην, בַּעַל הַבַּיִת, herum domesticum et ea de causa a Iudaeis appellatus sit dominus habitationis, i. e. nomine satanae. Verum manifestum est eo nomine nihil significari, quo proprie diabolus designetur, nisi forte dixeris cum *Holzammer* (Kirchen-Lexicon *ed.* 2 s. v. Baal) Iudaeos deum Accaron more Phoenicum etiam vocasse Beelzebul, dominum domicilii scil. caelestis, deum supremum et hoc nomen principi daemonum indi-

disse. — Aliter rem concipit *Neubauer* (Studia biblica, Oxford, The dialects in Palestine, p. 39) דבור esse formam dialecti pro דבור *apis* (hebr. דְּבוֹרָה), cultum fuisse in aliquibus locis Beelzebub, deum muscarum, in aliis Beelzebul, deum apium; in qua explicatione nomen idoli ad daemonem transfertur contemptus causa. — Alii denique maxima cum probabilitate opinantur Beelzebul esse idem quod Beelzebub, simili scilicet mutationis forma, qua Beliar dicitur pro Belial, Bâb el-Mandel pro Bâb el-Mandeb (cf. *Wolf Baudissin* in Realencycl. für prot. Theol. *ed.* 3, II, 516).

BEER (בְּאֵר), statio Israelitarum in itinere, cum terram Moab circumeuntes in fines Amorrhaeorum progrederentur (Num. 21,16-18). In Vulgata et LXX nomen appellativum : puteus, τὸ φρέαρ legitur. Praecedens statio fuerat contra Arnonem (21,13) i. e. ad meridiem Arnonis superioris seu *Wâdi Enkeile* in deserto. Textus hebraicus 21,16 pergit : וּמִשָּׁם בְּאֵרָה *et inde in Beer* scil. profecti sunt; erat itaque Beer aquilonem versus a *Wâdi Enkeile* in deserto vel saltem ad marginem deserti. Explicite quoque haec statio in deserto collocatur 21,13 : *et ex deserto* (וּמִמִּדְבָּר) *in Matthana*, scil. profecti sunt; sed notandum est LXX h. l. habere ἀπὸ φρέατος ac proin legisse וּמִבְּאֵר *et a Beer*, quam lectionem nonnulli praeferendam censent (*Houbigant, I. D. Michaelis, Ewald, Kuenen*). — Nomen accepit a puteo, quem Israelitae ibi foderunt; deest in catalogo stationum Num. 33; ceteroquin ignota est. Communiter hic puteus idem esse censetur ac Beer Elim.

BEERA (בְּאֵרָה, Βηρά), princeps in tribu Ruben, quem Theglathphalasar captivum abduxit (1 Par. 5,6).

BEER ELIM (בְּאֵר אֵלִים; *Vulg.* puteus Elim; LXX τοῦ φρέατος τοῦ Αἰλείμ) i. e. puteus fortium vel terebinthorum (Is. 15,8) erat in parte septemtrionali regionis Moab et a vate opponitur vico Gallim in parte meridionali Moab : circuivit clamor terminum Moab, usque ad Gallim ululatus eius et usque ad puteum Elim clamor eius. Quod si Beer Elim est ille puteus, a quo statio Beer nomen accepit, situs s. v. BEER iam indicatus est.

BEERI (בְּאֵרִי). **1.** Pater Iudith uxoris Esau Hethaeus, in LXX Βεώχ appellatus (Gen. 26,34); sed h. l. Beeri videtur esse cognomen Anae (vide s. v. ANA 2).

2. Pater Osee prophetae, in LXX Βηρεί (Os. 1,1).

BEGOAI, BEGUAI (בִּגְוַי; Βαγοαί, Βαγουέ, Βαγουΐα, Βαγοί), princeps familiae, cuius filii 2056 (Esdr. 2, 2.14) vel 2067 (Neh. 7,7.19) duce Zorobabel ex captivitate redierunt; duce Esdra de eadem familia redierunt Uthai et Zachur cum 70 viris (Esdr. 8,14; *Vulg.* Begui). Idem nomen legitur inter signatores foederis (Neh. 10,16 [17]).

BEGUI v. BEGOAI.

BEHEMOTH. 1. *Nomen.* Behemoth, בְּהֵמוֹת, secundum formam nominis hebraicam proprie *animalia* significat; in libro autem Iob (40, 10-19, hebr. 15-24) de singulari animali permagno tamquam pluralis excellentiae adhibetur, LXX θηρία, Chaldaeus item בעירוא, Peshitta et Vulgata *behemoth*, Saadias *rhinocerontem* appellant. Nomen a pluribus post *Iablonsky* (Opera 1,52) tamquam forma ex aegyptiaco *p-ehe-mau* (seu *mout*) i. e. *bos aquae* in hebraeum translata exponitur.

Sunt qui vocem *behemoth* etiam in aliis textibus hoc eodem sensu de animali singulari interpretentur. Cum aliqua probabilitate haec expositio pro Is. 30,6 proponitur, ubi propheta sub titulo *onus iumentorum austri* (בְּהֵמוֹת נֶגֶב) Aegyptum increpat, cuius figuram esse hippopotamum, sicut alibi crocodilum, supponunt.

2. *Variae opiniones.* Omissis pluribus aliis opinionibus, interpretes antiquiores plerique (*Calvinus, Vatablus, Junius et Tremellius, Drusius, Grotius, Estius, Calmet, Gusset, Pfeffer, Schultens, I.D.Michaelis*, al.) *elephantum* intellexere, sicut alteram bestiam *Leviathan*, de qua textus sacer in versibus sequentibus, *balaenam* interpretati sunt, « hanc aquatilium, illum terrestrium animalium maxi-

mum » (*Sam. Bochart,* Hieroz. II. 754, *ed. Rosenm.* III. 705). At merito recentiores post *Bochartum* (l. c. 754-769, *ed. Rosenm.* III. 705-736), ad unum fere omnes Leviathan *crocodilum*, behemoth vero *hippopotamum* interpretantur (*Hippopotamus amphibius* Linné, ord. Artiodactyla non ruminantia) (cf. 4 Esdr. 6,47-51). Sententiam hanc prae ceteris probabiliorem iure admittunt auctores; nam et orationis contextus et omnis descriptio animal hoc amphibium, maximum et robustissimum indicat, et ipsa nominis behemoth origo a pluribus admissa isti bestiae optime convenit. *Bos* enim *aquae* hippopotamus multo aptius appellaretur quam « equus fluminis », atque etiam Aethiopes eodem nomine coptico-aegyptiaco *Bechē* « bovem » beluam hanc appellant, quam Arabes etiam « porcum aquae » nominant (*Fr. Hommel*, Namen der Säugethiere, Leipzig 1879, 358. 372. 381).

3. *Hippopotamus in Aegypto*. Ingens illud animal antiquitus quidem in Nilo frequens erat (*Herod.* 2,71; *Aristot.* Hist. anim. 2,4 al. 7; *Plin.* VIII. 25,95 al.), atque a regibus aegyptiis saepe venatu capiebatur, uti haud raro in antiquis picturis sepulcralibus repraesentatur (*R. Lepsius*, Denkmäler II. 77. 130; cf. 106. Ergänz. Bd. 12). Ex frequenti autem venatione numerus hippopotamorum in Aegypto adeo minuebatur, ut *Ammianus Marcellinus* sua aetate eos iam non in Aegypto, sed in meridionalibus tantum Blemmyum regionibus inveniri asserat (22,15). Nihilominus *Abdallatif* aliique scriptores posteriores etiam in ipsa Aegypto beluam hanc superstitem referunt. Nostra vero aetate non nisi in fluviis atque lacubus Africae meridionalis usque ad Abyssiniam et Senegambiam frequens invenitur.

Contra identificationem cum hippopotamo arguunt, quod illud « stringit caudam suam quasi cedrum » (Iob 40,12) minus apte de hippopotamo dicatur, et quod venatio huius animalis, quam poeta sacer quasi impossibilem describit, Aegyptiis omnino consueta erat (*Chabas*, *Cheyne*). Sed verba illa de cauda non tam de eximio robore huius membri videntur explicanda cuius longitudo in hippopotamo vix dimidiam metri partem attingit, quam de facilitate et agilitate nervorum in movendo omnes corporis partes, quae in tanta ac tam vasta corporis mole utique specialem meretur attentionem. Venatio autem in verbis textus sacri non impossibilis, sed valde difficilis describitur, atque hoc vel ex ipsis venationis figuris apud Aegyptios apparet.

Praeter auctores citatos et interpretes libri Iob (v. praesertim *Cornel. a Lap.*, *I. Knabenbauer*, *K. Budde*) cf. *Abdallatif*, Relation de l'Égypte, *ed. S. de Sacy*, p. 143-5. 165 s.; *J. J. Scheuchzer*, Physica sacra III. 546-54 et tab. 532; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2, 230-8; *H. O. Lenz*, Zool. d. alten Griechen u. Römer 184 s.; *F. Lewysohn*, Zool. d. Talmuds p. 355; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, *ed.* 8,50-4; *F. Chabas*, Études sur l'antiqu. hist., Paris 1873, 401 s.; *Frd. Delitzsch*, Assyr. Thiernamen p. 56-8; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 126-31; III. 295-7; *I. G. Wood*, Bible Animals 318-30; *P. Cultrera*, Fauna bibl. 219-23; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1, *ed.* 3, p. 238 s.; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere I. 1, 580-3; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 *Pechuel-Loesche*, III. 537-52; *A. Erman*, Aegypten 327 s.; *O. Keller*, Thiere d. klass. Alterth., Innsbruck 1887, 202-10. 413-5; *T. K. Cheyne* in Expositor Ser. V. vol. VI. 1897, II. 27-35; *G. Loreta*, La Zoologia nella Bibbia, Torino 1901, 311-20.

L. FONCK.

BEL (בֵּל, Βῆλ, Βῆλος, assyr. *Belu*, *Bilu*). In inscriptionibus cuneiformibus duo numina distinguuntur. Bel, qui post El (*Ilu*) in prima deorum triade recensetur et nominatur: excelsus, pater deorum, creator, dominus regionum, idolum est Assyriis ac Babyloniis commune. Bel alter, qui *Belu*, filius *Belu*, nominatur, apparet in S. Scriptura tamquam numen praecipuum Babyloniorum. Nam urbe Babel expugnata dicitur : confractus est Bel, confusus est Bel; visitabo super Bel (Is. 46,1; Ier. 50,2; 51,44); praeterea v. Bar. 6,40 et Dan. 14,2 ss. Apud Babylonios quoque diis esse parata lectisternia Herodotus (1,183) et Diodorus Siculus (2,9) narrant, idque etiam ex monumentis et inscriptionibus constat. Nomen בֵּל contractum esse ex בַּעַל et eiusdem ac Baal significationis plerumque censent. Apud Babylonios Bel confunditur cum *Marduk* (Merodach); numen quoque solare dicitur quamquam ei etiam

sidus Iovis attribuitur cf. *Schrader*, *Scholz*, *Wolf Baudissin*. Ab Herodoto (1,181 ss. et Diodoro Siculo (2,9) appellatur Ζεύς, a Plinio XXXVII. 10,149. 160) sacratissimus Assyriorum deus, sanctissimus deorum.

Cf. *Knabenbauer*, Comm. in Dan. p. 345; *E. Schrader*, Baal und Bel, in Studien und Kritiken 1874, p. 336; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 463; *P. Scholz*, Goetzendienst und Zauberwesen bei den alten Hebraeern 1877, p. 365 ss.; *Wolf Baudissin* in Realencycl. für protest. Theologie *ed.* 3 II. p. 324. 338 ss.; *M.-I. Lagrange*, Études sur les religions sémitiques, Paris 1903, p. 94-96.

BELA (בֶּלַע). **1.** Filius Beor, rex Edom (Gen. 36,32. 33). Idem in Vulgata 1 Par. 1,43. 44 vocatur Bale. LXX Βαλάκ.

2. Filius primogenitus Beniamin, a quo familia Belaitarum (Gen. 46,21; Num. 26,38. 40). Idem in Vulgata 1 Par. 7,6. 7; 8,1. 3 vocatur Bale. LXX Gen. 46, 21 Βαλά, alias Βαλέ.

BELAMON (LXX Iudith 8,3) v. BELMA, BAAL HAMON, IEBLAAM.

BELGA (בִלְגָה). **1.** Princeps decimae quintae classis sacerdotum ex viginti quattuor a Davide designatis, ut ministerio in templo per vices fungerentur (1 Par. 24,14; Βελγά).

2. Princeps classis sacerdotalis, qui cum Zorobabel ex captivitate rediit (Neh. 12,5; A Βαλγάς, B omitt.). Eiusdem familiae Belgae princeps in diebus Ioacim pontificis erat Sammua (Neh. 12,18; Βαλγάς).

BELGAI (בִלְגַי, Βελγαί) sacerdos inter signatores foederis (Neh. 10,8); videtur idem nomen esse ac Belga 2.

BELIAL (בְלִיָּעַל, quam vocem compositam censent ex בלי et יעל i. e. nonutilitas) reperitur in Vulgata quasi nomen proprium satanae; ita filii Belial dicuntur qui ad idololatriam incitant Deut. 13,13, qui vitiis carnis indulgent Iud. 19, 22; generatim impii 1 Reg. 1,16; 2,12; rebelles 1 Reg. 10,27; et generatim de nequitia, malitia, iniquitate (cf. 1 Reg. 25,17; 2 Reg. 16,7; 20,1; 22,5; 3 Reg. 21,10; 2 Par. 13,7; Nah. 1,15). In textu hebr. nomen illud est appellativum et ita a LXX et multis in locis etiam in Vulgata vertitur; ita exprimitur voce παράνομος Deut. 13,13; Iud. 19,22; 2 Reg. 16,7; 20,1; 23,6; Ps. 40,9; 100,3; Iob. 34,18; 2 Par. 13,7; ἀνομία 2 Reg. 22,5; ἀνόμημα Deut. 15,9; λοιμός 1 Reg. 1,16; 2,12; 10, 27; 25,17; πονηρός 1 Reg. 30,22; ἀσεβεῖς Iud. 20,13; ἐναντία Nah. 1,11. In Vulgata iniquus 1 Reg. 30,22; iniquitas Ps. 17, 5; praevaricatores 2 Reg. 23,6; impius Deut. 15,9; iniustus Ps. 100,3; apostata Iob 34,18 etc.

In Novo Testamento legitur 2 Cor. 6, 15 : quae conventio Christi ad Belial, vel uti codices optimi graeci et multi latini et versiones syr. copt. arm. aeth. habent *Beliar;* verum etiam Beliar esse idem quod Belial (pronuntiatione solum l littera in r mutata) generatim tenent. Hoc itaque loco Belial (iniquitas, perditor) tamquam nomen proprium apparet eius qui quasi caput et princeps est iniquitatis (cf. *Cornely*, Comm. in 2 Cor. p. 189). Alii Beliar explicant ortum ex בל יער dominus silvae, quo nomine daemon vocetur quia in desertis soleat degere (cf. Is. 13,21; Matth. 12,43); sed hoc est longe petitum. Uti itaque אַבַדּוֹן perditio nomen evasit in Apoc. proprium regis angeli abyssi, cui nomen hebraice Abaddon (Apoc. 9,11), ita idem factum de Belial.

BELLUM. Israelitae iussi erant a Domino ita terram palaestinensem occupare, ut veteres eius incolas horrendorum scelerum reos interficerent; ingrediuntur itaque terram tamquam vindices flagitiorum a Deo missi; porro illos etiam idcirco delere iubentur : ne forte doceant vos facere cunctas abominationes quas ipsi operati sunt diis suis et peccetis in Dominum Deum vestrum (Deut. 20,18; Sap. 12,3 s.). Quare bellum internecionis quod Iordane transito gesserunt et ad quod Deus opem suam peculiarem promisit ea ratione iudicari debet; illae enim nationes propter impietates suas deletae sunt (Deut. 9,3-5). Promisit Deus : scies ergo quod Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis devorans atque consumens, qui conterat eos et deleat atque disperdat

ante faciem tuam velociter (Deut. 9,3), cuius promissionis beneficium consecuti sunt quamdiu mandatis Dei erant dicto audientes; at trangressione commissa percussi sunt ab hostibus (Ios. 7,5 ss.); facta expiatione victores exstiterunt (Ios. 8,1 ss.). Nam hanc legem Deus statuerat : si audieris vocem Domini Dei tui, dabit Dominus inimicos tuos corruentes in conspectu tuo; quodsi audire nolueris, tradet te corruentem ante hostes tuos (Deut. 28,1. 7.25; 32,30), cuius quasi commentarius est praeprimis liber Iudicum. Nam quotiescumque foedere inito cum gentibus idololatria earum quas non deleverant inquinati sunt, tradidit eos Deus in servitutem Chusan, regis Mesopotamiae, Eglon regis Moab, Iabin regis Chanaan, Madianitarum, Philisthiim, Ammonitarum; verum simul ac resipuerint et abiectis idolis ad Dei legem servandam redierint clamantes ad Dominum, iis misit liberatores et faustissimis proeliis hostes potentes fugarunt. Haec itaque erat lex belli theocratica, conformis Dei circa populum providentiae. Quae lex tempore quoque Samuelis et regum effectu suo minime carebat. Inde quoque factum est, ut antequam bellum susciperetur, exquireretur Dei voluntas (cf. Iud. 20,27; 1 Reg. 23,2; 28,6; 30,8; 3 Reg. 22,7; 4 Reg. 19,2; 2 Par. 18,4) et omnis victoriae spes in Dei ope collocaretur : in nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere quae irruit super nos; sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te (2 Par. 20,12).

Ab anno vigesimo et supra quivis Israelita arma capere debebat et ad bellandum procedere (cf. Num. 26,2; 2 Par. 25,5); sed quamdiu militiae manserit adscriptus, non statuitur, nisi forte putaveris eandem pro iis legem valuisse quae levitis pro suo ministerio data est, scil. usque ad annum vitae quinquagesimum (cf. *Flav. Ios.* Ant. III. 12,4); levitae a lege militiae eximebantur (cf. Num. 2,33; 4,3). Convocabantur autem nuntiis missis in omnem regionem (Iud. 6,35; 19,29) et etiam poena proposita renuentibus (1 Reg. 11,7); vel signum dabatur buccina, vexillis in locis conspicuis erectis (cf. Iud. 3,27; Is. 5,26; 13,2; 18,3; Ier. 4,5; 51,27; Ez. 7,14 etc.). Sed eximebatur a militia, qui aedificavit domum novam et non dedicavit eam, qui plantavit vineam et necdum fecit eam communem, qui despondit uxorem et non accepit eam; hi domum reverti poterant (Deut. 20,5-8); pariter remittendus erat homo formidolosus et corde pavido, ne scil. pavere faciat corda fratrum suorum; id quod Iudas quoque Machabaeus secundum legem monere non omisit (1 Mach. 3,56; cf. Iud. 7,3). Multitudo ita collecta dividebatur in turmas hominum mille, centum, quinquaginta, quibus turmis singulis praeerant duces (duces super mille, centum, quinquaginta, uti elucet ex hebr. Num. 31, 14. 48; 1 Sam. 8,12; 2 (4) Reg. 1,9; 11, 15); sed aderant quoque duces qui multo maiorem multitudinem regebant (1 Par. 27,11; 2 Par. 17,14); toti vero exercitui praepositus erat summus dux militiae, princeps exercitus, שַׂר הַחַיִל (2 Reg. 24,2; 3 Reg. 15,20; 4 Reg. 9,5; Neh. 2,9), שַׂר צָבָא (Iud. 4,2; 1 Reg. 14,50; 2 Reg. 10,16; 19,14; 3 Reg. 1,19). Mentio quoque fit scribarum, qui ducibus additi sunt, qui itaque viros bellatores in tabulas relatos habebant eosque per cognationes et familias legebant et conscribebant (cf. 4 Reg. 25,19 hebr.; Ier. 52,25; 2 Par. 26,11).

Ex singulis tribubus pro rei necessitate seligebantur milites; ita quando contra Madianitas pugnandum erat, praecepit Moyses : armate ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Madianitis, mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel, qui mittantur ad bellum (Num. 31,3. 4).

Conducebantur etiam ex aliis gentibus pugnatores; ita David habebat legiones ex alienigenis (Cerethi et Phelethi et Gethaei 2 Reg. 15,18) et Amasias rex Iuda mercede conduxit de Israel centum millia robustorum centum talentis argenti (2 Par. 25,6). — Ordines exercitus, qui Num. 31,14. 48 et 1 Reg. 8,12 etc. recensentur, eodem modo reperiuntur tempore Iudae Mach. 1 Mach. 3,55; constituit enim χιλιάρχους καὶ ἑκατοντάρχους

καὶ πεντακοντάρχους et insuper δεκάρχους. Stipendiorum mentio explicita fit tempore Machabaeorum (1 Mach. 14,32; cf. 3,28).

De victu fortasse quisque sibi ipse providere debuit (cf. 1 Reg. 17,17. 18); verum alia quoque ratione quandoque prospectum est; ita Iud. 20,10 : decem viri eligantur e centum ex omnibus tribubus Israel et centum de mille et mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria; vel amici vicini obtulerunt necessaria (2 Reg. 17,27. 28).

Ex tempore regum mos invaluit, ut regibus semper milites praesto essent, etsi bellum non gereretur; ita iam Saul sibi elegit tria millia de Israel (1 Reg. 13,2) et David praeter legiones ad sui custodiam ita rem militarem disposuit, ut singulis mensibus 24 millia militum sub certis ducibus obirent militiam (1 Par. 27,1-15). Etiam Salomon continuo viros bellatores sibi praesto esse volebat (3 Reg. 9,22), item Asa (2 Par. 14,8), Iosaphat (2 Par. 17,13) etc.; cf. 4 Reg. 11,4; 2 Par. 26,11. Antequam proelium committeretur, quandoque sacrificium offerebatur (1 Reg. 7,9; 13,9); lege mosaica praescribitur, ut sacerdos aciem adhortetur ad fiduciam in Deum habendam (Deut. 20,2-4). Aliquando etiam arcam foederis Domini in castra portarunt, quo magis divinam haberent protectionem (cf. 1 Reg. 4,3). Ut ad pugnam procederent, exercitus saepius dividebatur in tres partes; ita Gedeon Iud. 7,16. 20, Saul 1 Reg. 11,11, David 2 Reg. 18,2 fecisse refertur. Antiquissimo tempore exercitus Israelitarum solis peditibus constabat (Num. 11,21; 1 Reg. 4,10; 15,4). Chananaei autem utebantur ferreis curribus (Ios. 17,16), curribus falcatis (Iud. 1,19; 4,3.13), pariter Philisthiim (1 Reg. 13,5), Syri (3 Reg. 22,31) et eorum exercitus etiam equites habebant (2 Reg. 1,6; 10,18); unde Israelitae quoque simili modo sibi providere cogebantur. Ingentem equorum numerum habuit Salomon (3 Reg. 4,26), item curruum (3 Reg. 10,26; cf. 9,19). Ex eo tempore equites in exercitu iudaico nunquam deerant; immo prophetae nimium eorum numerum reprehendunt : repleta est terra equis et innumerabiles quadrigae eius (Is. 2,7; cf. Mich. 5,10). Eodem modo graviter exprobrant prophetae, si quando populus Dei ut sibi consuleret foedera inibat cum alienigenis et ab iis auxilium exspectabat et expetebat. Qui agendi modus omnino contrarius erat legi theocraticae neque periculo idololatriae carebat; cf. Is. 28,15; 30,1; 31,1; Ier. 2,18; Ez. 17,15.

Congredi autem solebant ad dimicandum tubis clangentibus et magna cum vociferatione (cf. Num. 10,9; Ios. 6,10; 1 Reg. 17,52; 2 Par. 13,15; Ier. 4,19; 6,1). Dolis uti atque insidias ponere iam olim in usu erat; vide Ios. 8,12; Iud. 7,16; 20,36; 1 Reg. 20,5; item adhibere exploratores Ios. 2,1; 6,25; 7,2; Iud. 18, 2; 2 Reg. 10,3. Propter rationem proeliandi qua vir virum percutere ac vincere debebat fortitudo viri et robur maximi aestimabatur, quare eiusmodi laudes pugnatoribus, regibus et militibus tribuuntur (Ios. 1,14; 6,2; 8,3; 10,2 etc.). Quando persecutio hostium erat sistenda vel a certamine recedendum, buccina clangebatur (2 Reg. 2,28; 18,16). Clade accepta fugiebat unusquisque in tabernaculum suum aut se speluncis et cavernis abscondebant (1 Reg. 4,10; 2 Reg. 18,17; 19,8; 4 Reg. 8,21; 1 Reg. 13,6). Victoria vero celebrabatur canticis, choris (Iud. 5,1; 1 Reg. 18,6; Iudith 16,1), distributione praedae cum maxima laetitia (Is. 9,5 laetabuntur, sicut exsultant victores capta praeda, quando dividunt spolia; cf. Iud. 5,30; Ps. 118,162). Caesis Madianitis fertur lex, ut praeda ex aequo dividatur inter eos qui pugnaverunt et reliquam multitudinem; et ut pars quaedam separetur Domino (Num. 31,27); similiter constituit David, ut aequa esset pars descendentis ad proelium et remanentis ad sarcinas; et factum est hoc ex die illa et deinceps constitutum et praefinitum et quasi lex in Israel 1 Reg. 30,24. 25. Etiam pauperibus, orphanis, viduis pars quaedam spoliorum quandoque tribuebatur (cf. 2 Mach. 8,28. 30). Donaria pro domo Domini reponebantur (Ios. 6,19. 24); David gladium Goliath tamquam anathema in sanctuario collocavit aliaque spolia Domino sacrabat (1 Reg. 21,9; 2 Reg. 8,11; 4 Reg. 11,10), qui mos etiam aliarum gentium

erat (cf. 1 Reg. 5,2; 31,8). De mulieribus bello captis lege statuitur, ut benigne habeantur (Deut. 21,11-13); captivi poterant in conditionem servorum redigi; saepe autem occidebantur (cf. Num. 31, 26 ss.; Deut. 20,13; Iud. 7,25; 2 Reg. 12, 31 et ad ulciscendas graviores iniurias etiam modo crudeliore). Varia crudelitatis genera quandoque referuntur; ita Eliseus dicit de Hazael rege Syriae : scio quae facturus sis filiis Israel : parvulos eorum elides, praegnantes divides (4 Reg. 8,12); Menahem quoque interfecit omnes praegnantes et scidit eas (4 Reg. 15,16); eandem abominationem commiserunt Ammonitae in Galaaditas (Am. 1,13; cf. Os. 10,14; 14,1; Nah. 3,10; 2 Mach. 5,13). Qui in pugna ceciderant sepeliebantur (3 Reg. 11,15); sepultura enim carere, ita ut carnes hostium relinquerentur avibus et bestiis, maxima censebatur ignominia (1 Reg. 17,44) et ultio divinitus inflicta (3 Reg. 14,11; 16,4; 21,24; Ier. 7,33). De viris praeclaris et fortissimis qui in proelio occisi erant luctus agebatur ab omnibus; ita praecepit David de Abner 2 Reg. 3,31; cum iis autem arma quoque esse sepulta, vix ex Ez. 32,27 colligi poterit. Reduces a proelio et sepultura occisorum, ex legis mandato lustrandi et expiandi erant (cf. Num. 31,19 et 19,16 ss.). Praemia quoque pro praeclaris facinoribus proponebantur (1 Reg. 17,25; 18,17; 2 Reg. 18, 11). Quamvis Iudaei quoque non sine crudelitate bella gesserint, tamen ratione habita iuris bellici et consuetudinis aliarum gentium, reges eorum ab alienigenis clementes erga victos habebantur; ita loquuntur servi ad Benadad regem Syriae : ecce, audivimus quod reges domus Israel clementes sint; ponamus itaque saccos in lumbis nostris et funiculos in capitibus nostris et egrediamur ad regem Israel; forsitan salvabit animas nostras (3 Reg. 20,31). Et revera quae atrociora infligebantur, vel iure talionis (Iud. 1,6. 7) vel ob insignem ignominiam populo illatam infligebantur (2 Reg. 10,4; 12,31; 1 Par. 20,3; sed notandum de hoc supplicio, uti intellegi solet, dubia esse mota aliasque explicationes propositas; iam Syrus de solis compedibus et catenis mentionem facit; 2 Par. 25,12).

Numerus bellatorum plerumque sat magnus perhibetur Num. 1,21 s. 2,32; 26,1 ss. Iud. 20,2.17; 1 Reg. 11,8 : 300000 filiorum Israel et 30000 virorum Iuda; 15,4 : 200000 peditum et 10000 virorum Iuda; 2 Reg. 24,9 : dedit ergo Ioab numerum descriptionis populi regi (David) et inventa sunt de Israel 800000 virorum fortium, qui educerent gladium et de Iuda 500000 pugnatorum; 1 Par. 21,5; 2 Par. 13,3; 14,8; 17,14-18; 26,13. Verum etiam constat numeros minime incorruptos esse servatos (cf. v. g. 2 Reg. 24,9 et 1 Par. 21,5 : numerus Israel 1100000 virorum educentium gladium, de Iuda autem 470000 bellatorum). De numeris in libro Numerorum auctis et exaggeratis agit *F. de Hummelauer* Comm. in Num. p. 220-230.

Sub imperio Romanorum res militaris more romano administrabatur, ut per se patet et nominibus quoque satis indicatur (cf. Matth. 8,2; Ioan. 18,3; Act. 10,1; 21,31 etc.).

BELMA (Βελθέμ), urbs prope Bethuliam (Iudith 7,3). Eadem est quae 4,4 Βελμέν et 8,3 Βελαμών vocatur (Vulgata his duobus locis nomen omittit). Qua ratione textus graecus 7,3 huius urbis situm determinet, vide s. v. BETHULIA et CHELMON. — Belma seu Belamon eadem esse censetur quae Ieblaam (vide s. v.), scil. *Bīr Bel'ame* 2 km a *Djenīn* (Engannim) meridiem versus.

BELSAM, BELSAN (בִּלְשָׁן, Βαλασάν, Βαλσάν), princeps, qui cum Zorobabel ex captivitate rediit (Esdr. 2,2; Neh. 7,7).

BEN (בֵּן), levita tempore Davidis (1 Par. 15,18; LXX omitt.); eius nomen deest 15,20 in enumeratione eorundem nominum. Textus videtur esse corruptus.

BENABINADAB (בֶּן־אֲבִינָדָב, LXX υἱὸς Ἀμιναδάβ), unus ex duodecim praefectis a Salomone super omnem Israel constitutis, qui omnem Nephath Dor (vide s. v. DOR) administrabat et matrimonio iunctus erat cum Tapheth filia Salomonis (3 Reg. 4,11).

BENADAD (בֶּן־הֲדַד, υἱὸς Ἀδέρ) nomen est trium regum Damasci.

Benadad I. foedere iunctus erat cum Baasa rege Israel; sed argento et auro misso ab Asa rege Iuda recessit ab eo foedere et regi Israel magnam cladem intulit (3 Reg. 15,18-20; 2 Par. 16,1-5).

Benadad II., filius prioris, cui in regno successit, bellum Achab regi intulit, sed clade accepta fugit. Altera clade anno sequenti apud Aphec exercitus eius prostratus est; ipse fugiens ingressus est civitatem et se in cubiculo quodam abscondit (*Flav. Ios.* Ant. VIII. 14,4 : εἰς ὑπόγειον οἶκον ἐκρύβη). Achab autem eum benigne excepit, immo se ei foedere iunxit (3 Reg. 20,1-34). Promiserat Benadad se redditurum civitates, quas pater suus regi Israel abstulisset; neque tamen reddidit Ramoth Galaad; quare post tres annos bellum contra Benadad II. ab Achab simul cum Iosaphat rege Iuda instauratum est; eo in proelio Achab occubuit (3 Reg. 22,1-38; 2 Par. 18). Syri autem contra Ioram regem Israel bellum instaurarunt, at infelici exitu; cum enim Benadad II. Samariam obsideret et in urbe iam magna fames facta esset, Dominus sonitum audiri fecit in castris Syriae curruum et equorum et exercitus plurimi, ita ut Syri relictis omnibus praecipiti fuga se proriperent (4 Reg. 6, 8-8,15).

Benadad III., filius Hazael, qui post Benadad II. regnaverat, ter proelio victus est a Ioas rege Israel et omnes civitates reddere coactus est, quas Hazael Ioachaz regi, patri Ioas regis, iure belli cripuerat (4 Reg. 13,22-25).

Cum igitur plures reges Damasci eo nomine vocarentur, Benadad etiam generatim ponitur pro rege Damasci (cf. Ier. 49,27; Am. 1,4). Aliqui nomen legi volunt Benhadar, quoniam LXX praebent υἱὸς Ἄδερ (cf. *Schrader*, Keilinschriften und Geschichtsforschung p. 357; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. 191).

BEN AMMI v. AMMON 1.

BENDECAR (בֶּן־דֶּקֶר, υἱὸς Δάκαρ), unus ex duodecim praefectis salomonicis (3 Reg. 4,9), praepositus in Macces, Salebim, Bethsames, Elon et Bethanan sed v. BETHANAN et ELON 3.

BENEDICO, BENEDICTIO notione generali dicit alicui fausta apprecari, eum reddere felicem, aliquo afficere beneficio, vel etiam laudibus celebrare, vel si de rebus usurpatur aliquid precibus consecrare, ut reddatur salutare. Dei bonorum omnium largitoris cumprimis est benedicere i. e. efficaci ratione beneficia conferre ea quibus res et homines ad bonum ab ipso intentum dirigantur et promoveantur. Ita Deus animalibus dicitur benedixisse dum ad ea loquens perhibetur : crescite et multiplicamini et replete aquas maris avesque multiplicentur super terram; ita hominibus : crescite et multiplicamini et replete terram et subiicite eam etc. (Gen. 1,22. 28; 5,2; 9,1); pariter diei septimo benedixit, dum eum sanctum esse habendum et religiose observandum constituit (Gen. 2,3). Et cum singulari Dei gratia Abraham patriarcha populi electi constitueretur, ei peculiari ratione benedictio Dei confertur : faciam te in gentem magnam et benedicam tibi et magnificabo nomen tuum erisque benedictus; benedicam benedicentibus tibi, atque in te benedicentur universae cognationes terrae (Gen. 12,2.3) quam benedictionem ipsi et Isaac et Iacob haud semel asseruit (Gen. 17, 16; 18,18; 22,17; 25,11; 26,3.24 etc.). Quae benedictio cum in omnes gentes debeat redundare beneficium denotat spirituale, quia manifestum est Abraham peregrinum inter populos opibus et potentia florentes iis non posse afferre divitias; esse autem benedictionem illam salutem messianam colligitur tum ex oraculis praeviis (Gen. 3,15; 9,26), tum ex subsequentibus (cf. Ps. 71,17; Is. 9,7; 19,24; Mich. 5,7 etc.) tum ex doctrina Novi Testamenti (cf. Rom. 4,13; Gal. 3, 8.9). Sed in temporalibus quoque Deus Abraham et stirpi eius benedixit et propter eam aliis etiam beneficia contulit (cf. Gen. 17,20; 24,1.35; 26,12; 30,27; 39,5 etc.). Multiplicem benedictionem Deus cultoribus suis promittit : servietisque Domino Deo vestro, ut benedicam panibus tuis et aquis (Ex. 23,25; cf. Deut. 7,13; 14,24) et qui praecepta eius

audierit, erit benedictus in civitate, in agro, benedictus erit fructus ventris eius et terrae et iumentorum, benedicta horrea etc. (Deut. 28,2 ss.); inter cultores suos ponet Deus tabernaculum suum eosque potenter proteget (Lev. 26,11.12; Deut. 30,3). Quare haec Dei benedictio toties a piis pro se et populo efflagitatur (Gen. 32,26; 49,25; Deut. 26,15; 2 Reg. 7,29; Ps. 27,9; 28,11; 64,12; 66,2; 133, 3; Ier. 31,23 etc.). Cuius benedictionis ut quis sit particeps, Deo obedientiam exhibeat virtutemque ac misericordiam colat necesse est (Ps. 5,13; 127,4; Ier. 17,24 ss.; Prov. 3,33; 10,6; 22,9, Eccli. 1,19; 7,36; 11,24; 32,18 etc.).

Porro illorum quoque est benedicere qui auctoritate a Deo donata in alios praediti sunt. Quare in ordine naturali parentes filiis, reges subditis suis benedicunt; benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta (Eccli. 3,11); David benedixit populo (2 Reg. 6,18), item Salomon (3 Reg. 8,14). Cumprimis autem eorum est benedicere qui speciali quodam munere ad regnum Dei inducendum vel stabiliendum ornati sunt. Inde Abraham, Isaac, Iacob, Moyses sollemni modo benedicunt; inde Melchisedech rex et sacerdos benedicit; inde sacerdotis qui est mediator inter Deum et hominęs quam maxime est aliis benedicere; quare ii singulari modo iubentur forma praescripta populo benedicere: loquere Aaron et filiis eius : sic benedicetis filiis Israel et dicetis eis : benedicat tibi Dominus et custodiat te; ostendat Dominus faciem suam tibi et misereatur tui; convertat Dominus vultum suum ad te et det tibi pacem (Num. 6,23-26). Omnium denique est aliis bona et fausta apprecari in salutationibus vel si amicis valedicitur (cf. 4 Reg. 10,15); eo quoque sensu iubemur benedicere iis qui nos odio habent nobisque maledicunt (Luc. 6,28; Rom. 12, 14). Unde benedictus ille dicitur qui est felix, fortunatus, qui Dei gratiam est expertus et beneficiis divinis ornatus; et quia talis merito laudatur et celebratur, benedictus etiam dicitur is qui laudibus celebratur. Quare intellegitur idem dici posse de Deo. Homo scil. Deo benedicit, dum Deo summo bono gratulatur de bonitate immensa, dum ei omnem gloriam, cultum, adorationem, obsequium exhiberi exoptat, dum Deum laudat, honorat. Quare Deus toties dicitur benedictus, qui scil. agnoscitur fons omnium bonorum, de cuius immensa ac infinita beatitudine homo congaudet et quem toto cordis affectu celebrat (cf. Gen. 14,20; 24,27; Ruth 4,14; 1 Reg. 25,32.39; 2 Reg. 22,47; 3 Reg. 8,56; 1 Par. 16,36; 2 Par. 2,12; Tob. 13,23; Iudith 13,24 etc. etc.); unde, sicut exemplis allatis patet, Deus praeprimis in actione gratiarum nomine benedicti salutatur. Modum praeclarum benedicendi Deum omnesque creaturas ad eius laudes provocandi et adhibendi nobis tradunt tres illi in fornace ardenti (Dan. 3,15 ss.) et aliqui psalmi (120,30; 148-150).

Dein ipsum quoque beneficium quod alicui confertur, benedictio appellatur. Ita v. g. Axa petens a Caleb terram irriguam ait : da mihi benedictionem (Ios. 15,19); item donum vel munus (Gen. 33, 11; 49,25; 1 Reg. 25,27; 30,26; 4 Reg. 5,15) vel aliquid boni (Is. 65,8); quare ea quoque res qua emolumentum obvenit benedicta dicitur (Sap. 14,7) et alicui rei benedicere idem est atque precari a Deo ut rem illam reddat salutarem et illa dona hominibus largiatur quae benedicens ab ipso efflagitat. Christus pani, piscibus benedicit et hac sua benedictione efficaci fit, ut paucis panibus et piscibus plura millia hominum saturentur.

I. KNABENBAUER.

BENEDICTIONIS VALLIS (עֵמֶק בְּרָכָה, ὁ αὐλὼν τῆς εὐλογίας, Κοιλὰς εὐλογίας) prope desertum Ieruel, quod est pars quaedam deserti Iuda inter Engaddi et Thecue (2 Par. 20,26). Ammonitae, Moabitae, Edomitae regi Iosaphat bellum illaturi ab inferiore termino maris Mortui iuxta litus occidentale usque ad Engaddi progressi sunt (20,2); ab Engaddi per clivum nomine Sis (הַצִּיץ) a litore deflectentes in desertum Ieruel ascenderunt, ut inde per desertum Thecuae Ierusalem peterent (20,20). Providentia divina factum est, ut ipsi hostes Iuda mutua caede inter se saevirent; cum igitur Iosaphat pervenisset usque ad speculam in extremo

deserto Thecuae sitam (20,24), ex qua conspectus in desertum Ieruel patebat, vidit omnem late regionem cadaveribus plenam. Ingenti praeda facta Iudaei die quarto congregati sunt in valle Benedictionis, quae hoc nomine insignita est, quoniam ibi Domino benedixerunt (20, 26); inde cum laetitia magna Hierosolyma reverterunt. — Iter hostium Iuda idem erat, quo hodie quoque Arabes regionem infestantes utuntur : scil. per angustias inter mare Mortuum inferius et montana Iuda, deinde ab Engaddi per fauces saltus in regionem montanam, quam *Wādi Ḥaṣāṣā* paulo supra Engaddi ad mare Mortuum tendens intersecat. In hodierno nomine *Ḥaṣāṣā* fortasse latent clivus vel rectius saltus arduus Sis (LXX Ἀσάε) et Asasonthamar, quod erat nomen primigenium pro Engaddi. Vallis Benedictionis cum magna probabilitate agnoscitur regio circa vicum *Bereikūt*, qui 5 km ad occidentem Thecuae situs est prope viam, quae Hebrone Hierosolyma ducit (*Van de Velde*, *Robinson*, *Legendre*, *Buhl*).

Alii vero (*Guérin*, *Zanecchia*, *Séjourné* et cf. *Reland*) praeferunt vicum *Benī Naʿīm* ad orientem Hebron situm, ab indigenis hodie quoque *Kefr Bereik* appellatum, a S. Epiphanio (*Migne* 47,678) dictum Καφαρβαριχά in Eleutheropolis et Hierosolymorum finibus 3 mil. pass. ab Hebrone. De eodem vico loquitur S. Hieronymus in Peregrinatione S. Paulae : « Altero die orto iam sole stetit (Paula) in supercilio Caphar Barucha i. e. villae Benedictionis; quem ad locum Abraham Dominum prosecutus est (cf. Gen. 18,16. 22; 19,27.28). Unde latam despiciens solitudinem ac terram quondam Sodomae et Gomorrhae, Adamae et Seboim, contemplata est hortum balsami et vineas in Engaddi ».

Cf. pro priore opinione *Van de Velde*, Memoir, 1858, p. 292; *Robinson*, Palaestina II. 415. 416 et Neuere bibl. Forsch. p. 360; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1583. 1584; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 311; *Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 97.

Pro altera opinione cf. *Reland*, Palaestina I. 356. II. 685; *Guérin*, Judée III. 154-157; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 209-211; *P. M. Séjourné* in Revue bibl. IV. 1895, p. 256; Peregrinatio S. Paulae 12, apud *Tobler et Molinier*, Itinera hieros. I. p. 35.

De utroque vico cf. Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins II. 1879, p. 144. 145.

BENEIAACAN (בְּנֵי יַעֲקָן i. e. filii Iacan, Βαναία), statio Israelitarum (Num. 33,31. 32), quae Deut. 10,6 appellatur Beroth filiorum Iacan (בְּאֵרֹת בְּנֵי יַעֲקָן, Βηρὼθ υἱῶν Ἰακίμ); unde patet intellegendos esse *puteos* alicuius tribus Iacan. Haec autem tribus fortasse nomen traxit a Iacan Horraeo, qui Gen. 36,27 scribitur Acan (עֲקָן, Ἰουκάμ) et 1 Par. 1,42 Iacan (יַעֲקָן, Ἀκάν). Situs aliquo modo coniici potest ex ordine stationum Num. 33,30-35 : Moseroth, Beneiaacan, mons Gadgad, Ietebatha, Hebrona, Asiongaber et etiam ex ordine nonnihil inverso Deut. 10,6. 7 : Beroth filiorum Iacan, Mosera, Gadgad, Ietebatha. De contradictione apparente horum locorum vide s. v. MOSERA, MOSEROTH. Hic notare sufficit Beneiaacan haud procul a monte Hor et statione Mosera, ubi Aaron mortuus est, quaerendam esse, fortasse in ipsa valle *el-ʿAraba* inter mare Mortuum et sinum Aelaniticum. Idem suadetur ex iis, quae Eusebius et S. Hieronymus tradunt, quamvis erronea admisceantur : « Beroth filiorum Iacim; locus in deserto, quo obiit Aaron; et ostenditur usque hodie in decimo lapide urbis Petrae in montis vertice » (Onom. *ed Lag.* 233,61; 102,21).

BENENNOM, vallis (2 Par. 33,6) v. ENNOM.

BENGABER (בֶּן־גֶּבֶר, υἱὸς Ναβήρ), unus ex duodecim praefectis, quos Salomon super Israel constituit; ad eius ditionem pertinebant Ramoth Galaad et omnis regio Argob, in qua sexaginta civitates magnas, muratas serisque aereis instructas habebat (3 Reg. 4,13).

BENHAIL (בֶּן־חַיִל i. e. filius roboris; unde intellegitur versio LXX : τοὺς υἱοὺς τῶν δυνατῶν), unus ex nobilibus (principibus), quos Iosaphat rex misit, ut simul cum levitis cunctas urbes Iuda circuirent et librum legis Domini secum habentes populum erudirent (2 Par. 17,7).

BENHESED (בֶּן־חֶסֶד, υἱὸς Ἐσδί), unus ex duodecim praefectis a Salomone super omnem Israel constitutis; ipse residebat in Aruboth, ad eius praefecturam pertinebant Socho et omnis terra Epher (3 Reg. 4,10).

BENHUR (בֶּן־חוּר, Βεὲν υἱὸς Ὤρ) nominatur primo loco inter duodecim praefectos a Salomone constitutos; eius praefectura erat mons Ephraim (3 Reg. 4,8). Apud Flavium Iosephum (Ant. VIII. 2,3) vocatur Οὔρης.

BENIAMIN (בִּנְיָמִין, Βενιαμίν, Βενιαμείν). **1.** Filius Iacob Patriarchae minimus natu, de Rachel genitus, inter duodecim filios Iacob solus in Palaestina natus. Rachel eum genuit prope Ephratam (Bethlehem) in via, quae a Bethel Ephratam ducit et ex doloribus partus moribunda eum appellavit Benoni (בֶּן־אוֹנִי) i. e. doloris mei, ut Vulgata addit. Iacob autem mutato nomine eum vocavit Beniamin (Gen. 35,16-18), quam vocem Vulgata recte explicat *filium dexterae*, hinc filium felicitatis, siquidem pars dextera est omen felicitatis (Zeitschr. der Deutsch. Morgenl. Gesellschaft XXI. p. 601-604; *Gesenius*, Thesaurus p. 219. 599). In Codice Samaritano ubique legitur Beniamim, בִּנְיָמִים, *filius dierum*, quo ad provectam aetatem, qua Iacob filium duodecimum genuit, alluderetur; hoc interpretamentum secuti sunt *Philo*, *Abenesra*, *Clericus*, aliique pauci. Iacob filium suum minimum in terra palaestinensi natum prae reliquis undecim diligebat, praesertim amisso Ioseph; similiter Ioseph ex eadem matre Rachel genitus singulari erga Beniamin amore affectus erat (Gen. 42,4. 36; 43,13 ss.; 45,12. 14). Haec sunt, quae de ipso Beniamin S. Scriptura tradit. Genealogia filiorum Beniamin traditur Gen. 46,21; Num. 26, 38-40; 1 Par. 7,6 ss.; 8,1 ss. De genealogia 1 Par. 8,1 ss. v. *F. de Hummelauer,* Comm. in Num. p. 184-188.

2. Beniamin tribus Israel. Termini Beniamin Ios. 18,12-20 describuntur. Septemtrionem territorii Beniamin terminat tribus Ephraim, occidentem tribus Dan, meridiem tribus Iuda, orientem Iordanis inferior. Beniamin erat minima tribus Israel (1 Reg. 9,21) i. e. una ex minoribus; sed notat Flavius Iosephus (Ant. V. 1,22) sortem Beniaminitarum fuisse angustissimam propter soli bonitatem, cum et planitiem Ierichuntinam et Hierosolymitarum urbem acceperint. Accedunt aliae rationes topographicae, quibus Beniamin prae ceteris tribubus eminebat. Maiorem partem territorii montana implent, minorem planities. Pro re militari erant maximi momenti permulta loca editiora natura egregie munita ut Rama (*locus editus*), Gabaa (*locus editus et rotundus*), Maspha (*observatorium*) etc. Bethoron occidentem versus dominabatur planitiei Philisthaeae et aditum in montana Beniamin praecludebat. Iericho media inter montana et Iordanem erat quasi ianua tribus Beniamin et Palaestinae meridionalis, qua effracta aditus occidentem versus patebat. Inter vias maxime principalis est ea, quae Hierosolymis recta septemtrionem versus in Samariam et Galilaeam ducebat. Ab hac via principali quattuor viae occidentem versus discedunt in urbem maritimam Ioppen convergentes, tres orientem versus in planitiem Ierichuntinam convergentes; ex his celeberrima est via inter Iericho et Ierusalem (Luc. 10,30), mediam elegit Iosue contra Hai et Bethel progressurus (Ios. 7 et 8), tertia termino Beniamin septemtrionali fere adiacens iuxta terminum meridionalem Ephraim decurrebat. Quaenam fuerint Beniaminitarum praerogativae in rebus politicis et religiosis, satis manifestant huius tribus urbes praecipuae : Bethel, Nobe, Galgala, Masphath, Ramatha, Iericho et imprimis Ierusalem. Recensentur urbes Beniamin Ios. 18,21-28 in duas distributae provincias, quae fere dividuntur linea diagonali ab extremo austro et oriente ad extremum aquilonem et occidentem ducta. De summa urbium 12 + 14 (LXX 13) cf. *F. de Hummelauer* ad Ios. 18,24. 28. Urbes sacerdotales quattuor recensentur Ios. 21,17.18 : Gabaon, Gabae, Anathoth, Almon.

Historia Beniamin usque ad occupationem terrae promissae est simplicissima. Princeps tribus anno secundo egressionis ex Aegypto erat Abidan fi-

lius Gedeonis (Num. 1,11). Apud montem Sinai de Beniamin numerabantur 35 400 viri qui arma ferre poterant (1,36. 37), postea in campestribus Moab 45 600 viri bello apti (26,41). In castris Beniamin cum Ephraim et Manasse ad occidentalem plagam tabernaculi erat (2,18-23); cf. ordinem itineris 10,24. Oblationes Abidan principis Beniamin in dedicationem altaris Num. 7,60-65 recensentur. Inter duodecim exploratores a Moyse in terram Chanaan missos erat de tribu Beniamin Phalti filius Raphu (13, 10), inter viros ad terram promissam sorte dividendam electos Elidad filius Chaselon (Num. 34,21). Post ingressum in terram promissam Beniamin cum Simeon, Levi, Iuda, Issachar, Ioseph (Ephraim et Manasse) benedictionem in monte Garizim pronuntiavit (Ios. 8,33. 34), ut Moyses mandaverat (Deut. 27,12). — Maiores partes egit Beniamin aetate Iudicum. Beniaminitae Chananaeos et Iebusaeos non exterminarunt (Iud. 1,21); propter haec et alia peccata urbem palmarum captam viderunt ab Eglon rege Moab, qui 18 annis filios Israel in servitute detinebat (Iud. 3,13. 14); ad Dominum conversi per Aod Beniaminitam a servitute liberati sunt (3,15-30). Monitis Debborae et Barac, ut cum Zabulon et Nephthali contra regem Asor pugnaret, Beniamin obsecundavit (5,14). In idololatriam relapsi Beniaminitae ab Ammonitis affligebantur (10,9), donec a Iephte liberati sunt. Ab hostibus externis liberata tribus Beniamin paene a reliquis tribubus Israel exterminata est propter nefandum scelus Gabaitarum; sexcenti autem illi Beniaminitae, qui ex clade superstites erant, uxores acceperunt 400 virgines Iabes Galaad et 200 virgines in festis Siluntinis vi abreptas atque hoc modo tribum conservarunt (Iud. 19-21). Brevi tribus revalescebat. Cum Heli in Silo pontifex esset, nuntius de clade Israelitarum et de arca a Philisthaeis capta ei allatus est per militem Beniaminitam (1 Reg. 4,12). Ad fastigium honoris et potestatis tribus Beniamin evecta est eo, quod populo Israel primum regem dedit Saul filium Cis (1 Reg. 10,21). Pugnae post mortem Saulis secutae ostendunt Beniaminitas non facili negotio tribui Iuda primatum cessisse; septem annos et sex menses regnavit David in Hebron, antequam ab universo Israel rex agnosceretur; per duos annos Isboseth filius Saulis Beniaminitas et tribus septemtrionales in suas partes trahebat, donec a duobus Beniaminitis sicariis interfectus est; inter quinquennium subsequens omnes tribus septemtrionales paulatim ad partes Davidis transierunt (2 Reg. 2,8-5,5; cf. 1 Par. 12,29). Vestigium tamen inimicitiarum inter Beniamin et Iuda iterum deprehenditur in historia Semei Davidi regi maledicentis (2 Reg. 16,5-13) et Seba rebellionem moventis (2 Reg. 20,1-22). Post scissionem regnorum Iuda et Israel Roboam filius Salomonis congregavit tribum Iuda et Beniamin, ut regnum Israel sibi subiiceret, sed a Deo monitus bello destitit (3 Reg. 12,21; 2 Par. 11,1). Unionem hanc tribuum Iuda et Beniamin haud dubie multum confirmabat urbs Ierusalem utpote sedes regia et simul intra fines Beniamin sita. Urbem Bethel autem Ieroboam tribui Beniamin eripuit ibique vitulum aureum posuit, quo terminum meridionalem regni Israel designaret (3 Reg. 12,29). Multas alias urbes Beniamin Roboam muris operibusque munivit et in eis principes ciborumque horrea constituit (2 Par. 11,10. 11). Foedus inter Iuda et Beniamin sollemniter consecratum est Hierosolymis anno decimo quinto Asa regis Iuda (2 Par. 15,9. 10). Ab hoc tempore historia Beniamin cum historia regni Iuda coalescit. Nihilominus etiam post exsilium filii Beniamin a filiis Iuda distinguuntur (Esdr. 1,5), speciatim recensentur (Esdr. 2 et Neh. 7) et sedes suas antiquas denuo occupant (Neh. 11, 31-35). De stirpe Beniamin erant Mardochaeus et Esther (Esth. 2,5; 11,2), Simon praepositus templi, qui tempore Oniae III. pontificis thesauros templi Syris prodidit (2 Mach. 3,4) et omnium Beniaminitarum praeclarissimus Paulus apostolus (Phil. 3,5). Praeterea v. Ez. 48,22-24; Os. 5,8; Abd. 19; Apoc. 7,8.

Indoles tribus Beniamin erat bellicosissima. Describuntur Beniaminitae tendentes arcum et utraque manu fundis saxa iacientes et dirigentes sagittas (1 Par. 12,2; cf. 1 Reg. 20,20. 36; 2 Reg. 1, 22; 1 Par. 8,40; 2 Par. 17,17); speciatim

laudantur 700 viri fortissimi ita sinistra ut dextera praeliantes et sic fundis lapides iacientes, ut ictu lapidis in neutram partem deflexo etiam capillum percutere possent (Iud. 20,16). Clypeum gladiumque Saulis et sagittam Ionathae, amborum velocitatem aquilinam et fortitudinem leoninam celebrat David plangens (2 Reg. 1,21-23). Hanc indolem tribus optime delineavit Iacob in prophetia Gen. 49,27 : « Beniamin lupus rapax; mane comedet praedam et vespere dividet spolia », quam prophetiam interpretatur *F. de Hummelauer :* « Beniamin semper erit audax, turbulentus, saepe praeda pascetur, quandoque ut lupus utique retundetur ». Moyses autem moriturus tribui Beniamin protectionem Domini singularem praedicit Deut. 33,12 : « Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo; quasi in thalamo tota die morabitur et inter humeros illius requiescet ».

3. Beniamin, filius Balan ex tribu Beniamin, bellator fortissimus et numerosae cognationis princeps (1 Par. 7,10).

4. Beniamin (2 Par. 31,15) v. MIAMIN 4.

5. Beniamin, unus ex filiis Herem, recensetur inter eos, qui uxores alienigenas duxerant et ex mandato Esdrae dimiserunt (Esdr. 10,32).

6. Beniamin recensetur inter eos, qui partem muri Ierusalem contra domum suam aedificaverunt (Neh. 3,23).

7. Beniamin nomen trium portarum. Prima est porta urbis Ierusalem septentrionem versus respiciens (Ier. 37,12; 38,7; Zach. 14,10); omittitur in enumeratione portarum Neh. 3; unde aliqui interpretes opinantur portam veterem (Neh. 3,6) seu antiquam (12,38[29]) esse eandem ac portam Beniamin. Secunda erat porta templi (Ier. 20,2; 38,7. 14); hanc Neh. 12,38[39] appellat portam custodiae; de eadem fortasse loquitur Ez. 8,3. 5. 16; 9,2. Tertia est porta urbis sanctae ab Ezechiele (48,32) idealiter descriptae, ad plagam orientalem respiciens inter portas Ioseph et Dan.

BENIAMINITA (בֶּן־יְמִינִי vel cum articulo בֶּן־הַיְמִינִי; υἱὸς Ἰεμιναίου) in Vulgata plerumque est : filius Iemini; sed 2 Reg. 20,1 Iemineus, Esth. 2,6 de stirpe Iemini, hebr. utroque loco אִישׁ יְמִינִי.

BENNI (בֶּנִי, Βανί), pater Rehum levitae tempore Nehemiae (Neh. 3,17).

BENNO in Vulgata 1 Par. 24,26 est levita, filius Oziau; sed hebr. בְּנוֹ potius est nomen commune. Textus corruptione laborat.

BENNOI, BENNUI (בנוי, Βανουί, Βανί) nomen proprium virorum.

1. Bennoi (Βαναΐα) pater Noadaia levitae tempore Esdrae (Esdr. 8,33).

2. Bennui, unus de filiis Phahath Moab, qui uxores alienigenas ex mandato Esdrae repudiarunt (Esdr. 10,30).

3. Bennui, unus de filiis Bani, qui uxores alienigenas ex mandato Esdrae repudiarunt (Esdr. 10,38).

4. Bennui (Βανί), levita, filius Henadad, cum Zorobabel Babylone rediit (Neh. 12,8), partem moeniorum Ierusalem aedificavit (3,24), inter signatores foederis recensetur (10,9).

5. Vide BANNUI et BANI 1.

BENONI Gen. 35,18 v. BENIAMIN 1.

BENZOHETH (בֶּן־זֹהֶת, υἱοὶ Ζωάθ) legitur in genealogia Iuda 1 Par. 4,20 : Filii Iesi Zoheth et Benzoheth. Sed fortasse Benzoheth vertendum est : filius Zoheth.

BEON (בְּעֹן, Βαιάν) Num. 32,3 est eadem urbs ac Baalmeon (cf. Num, 32,38); v. BAALMEON et BEAN.

BEOR (בְּעוֹר, Βηώρ). **1**. Pater Bela regis Edom (Gen. 36,32; 1 Par. 1,43).

2. Pater Balaam arioli (Num. 22,5; 24, 3. 15; 31,8; Deut. 24,4; Ios. 13,22; 24,9 [Σεπφώρ]; Mich. 6,5). Etiam 2 Petr. 2,15 in codice Vaticano et aliquibus versionibus legitur Βεώρ, dum in plerisque habetur Βαλαὰμ τοῦ Βοσόρ (*Vulg*. Balaam ex Bosor).

BERA (בֵּאֵרָה i. e. בְּאֵר cum He locali; Βαιήρ), urbs ad quam Ioatham filius Gedeon ob metum Abimelech fratris sui confugit (Iud. 9,21), postquam in monte Garizim parabolam de arboribus regem quaerentibus contra Abimelech Sichimitis proposuit. Eusebius et S. Hieronymus

(Onom. *ed. Lag.* 238,73 et 106,20) dicunt vicum Bera 8 mil. pass. ab Eleutheropoli (*Beit Djibrīn*) septemtrionem versus distare; is est vicus *el-Bīre* prope *'Ain Shems* (Bethsames) nec procul a *Wādi Surar* (cf. *Robinson*, Pal. II. 347). Notat *F. de Hummelauer* in Iud. 9,21 : « Plures loci *Beer* i. e. *putei* nomen fortasse habebant, uti plures nomen *Rama* vel *Gabaa* i. e. collis. Sane eum selegit locum Ioatham, ubi et ab Abimelech degeret securus et quae Sichimis agerentur, facili ope disceret ». — Sunt aliqui, qui Bera cum altero vico *el-Bīre* (v. BEROTH 1) in tribu Beniamin prope Bethel componant.

BERA (בֵּרָא, Βηρά), undecimus filiorum Supha filii Helem de stirpe Aser (1 Par. 7,37).

BERCOS (בַּרְקוֹס, Βαρκός, Βαρκουέ), Nathinaeus, cuius filii duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,53; Neh. 7,55).

BEREA (Βερέα), urbs haud procul a Ierusalem sita, ad quam Bacchides mense primo anni 152 aer. Seleuc. (mense Aprili anni 161 a. Chr.) castra posuit, ut cum Iuda Machabaeo, qui in Laisa castra posuerat, confligeret (1 Mach. 9,4). Pro Berea aliqui codices praebent Βεηρζάθ, Βεηρθάζ (cf. *Keil* et *Grimm* ad h. l.), *Syrus* Birath, *Flav. Ioseph.* Ant. XII. 11,1 Ζηθῶ (*ed. Niese* in textu, sed in nota etiam Βηρζηθῶ, Βαρζηθώ, Βιρζηθώ, Βηρζηθοῖ). Situs Bereae eatenus determinatus est, quatenus Laisa agnoscitur in *Khirbet Il'asū* inter Bethoron superiorem et inferiorem. Nonnulli (ut *G. A. Smith*) Beream eandem esse volunt ac Beroth tribus Beniamin seu *el-Bīre* 15 km a Ierusalem septemtrionem versus. Consentit *D. Zanecçhia*, in quantum Beream cum Beroth componit, sed utramque agnoscit in *Khirbet el-Biar* 8 km a Ierusalem ad radices collis *el-Djīb* (Gabaon). Alii (*Furrer*, *Schürer*) praeferunt *Bīr el-Zeit* prope Gophna inter septemtrionem et occidentem.

Cf. *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV. V; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 501. 502; *Furrer* apud *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes etc., *ed.* 3, I. p. 222. — De textu Flav. Iosephi cf. Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XIX. 1896, p. 225.

BERENICE, cuius nomen in S. Scriptura non legitur, est illa filia regis austri, de qua Dan. 11,6; erat filia Ptolemaei II. Philadelphi et uxor Antiochi II. Theos (vide s. v. PTOLEMAEUS et ANTIOCHUS 1). De altera Berenice, quae in Vulgata scribitur Bernice, vide sub ea voce.

BERI (בֵּרִי, Βαρί), quartus filius Supha de tribu Aser (1 Par. 7,36).

BERIA v. BARIA 1 et 2.

BERITH (Iud. 9,46), nomen idoli Baalberit (v. s. v.).

BERNICE (Βερνίκη), filia regis Herodis Agrippae I., soror regis Herodis Agrippae II. (Act. 25,13. 23; 26,30). Primo nupsit patruo suo, Herodi, quo defuncto per aliquod tempus apud fratrem Agrippam commorata est; dein nupsit Polemoni regi Ciliciae quem tamen mox reliquit ad fratrem suum rediens. De eius vita iam antea mala percrebruerat fama (*Flav. Ios.* Ant. XX. 7,5). Cum Festus esset designatus procurator Iudaeae, Agrippa et Bernice descenderunt Caesaream ad eum salutandum; ea occasione usus Festus consuluit Agrippam de causa quae a Iudaeis contra Paulum acta erat et cum Agrippa ipsum Paulum audire cuperet, Paulus adductus est altera die ad eum et Bernicem quae cum multa ambitione (μετὰ πολλῆς φαντασίας) venerat. Ibi coram Festo, Agrippa, Bernice aliisque Paulus rationem reddidit longiore oratione de se, de sua vita et praedicatione accusationibus Iudaeorum refutatis; cf. Act. 25,13-26,30. Cum Paulus finem loquendi fecisset, iudicatum est ab omnibus eum nihil morte aut vinculis dignum fecisse. — Tempore belli iudaici Bernice iterum mala fama celebris facta est tamquam concubina Titi (cf. *Tacitus*, Hist. 2,2), cui Titus ob insignem eius amorem etiam nuptias pollicitus ferebatur (cf. *Suetonius*, Tit. 7). Ipsa autem omnia, ac si esset uxor, gerebat; sed Titus cum intellegeret populum romanum id moleste ferre eam re-

pudiavit (*Dio Cassius* 66,15). Magnificentia munerum ipsi seni Vespasiano erat grata (*Tacitus*, Hist. 2,81); nihilominus Titus eam dimisit, ut Suetonius ait, invitus invitam. Malae eius apud Romanos famae testis quoque est Iuvenalis qui eam vocat incestam (Sat. 6,157).

BERODACH v. MERODACH BALADAN.

BEROEA (Βέροια). **1.** Urbs Syriae (*Plin.* V. 23,82; *Strabo* XVI. 2,7), inter Antiochiam et Hierapolin sita (*Ptol.* V, 15,13 [*ed. Müller-Fischer* 14,10]; cf. Tab. Peutinger. Segm. X. 5), ubi Menelaus sacerdos impius iubente Antiocho V. Eupatore in turrim cinerum deiectus periit (2 Mach. 13,4; Vulgata nomen omittit). Seleucus I. Nicator urbem condidit vel potius instauravit eique nomen Beroeae urbis macedonicae indidit (*Steph. Byz.* s. v.). Censetur eadem esse atque Aleppo; cf. Notitia Dignitatum, *ed. Boecking* I. p. 400 : « Beroea in Syria, quae Chalybon, Aleppo dici solet ». Unde concludere fas est nomen urbis antiquum fuisse Chaleb idque contra nomen graecum praevaluisse; idem in multis aliis nominibus urbium accidisse cernitur v. g. *ʿAkkā* (Accho, Ptolemais), *Beisān* (Bethsan Scythopolis).

2. Urbs in Emathia regione Macedoniae sita, in quam S. Paulus cum Sila in secundo itinere suo Thessalonica relicta se contulit (Act. 17,10). Iudaei Beroeenses describuntur nobiliores eorum, qui erant Thessalonicae et ibidem seditionem contra Paulum excitaverant i. e. generosiores, ingenio, indole, animi sensibus praestantiores, melius ad evangelium audiendum comparati (*Behlen, Patrizi, Felten*), unde etiam cum omni aviditate verbum Dei susceperunt et Scripturas scrutabantur, ut veritate cognita religionem christianam profiterentur (Act. 17,11). Multi ex Iudaeis et gentilium non pauci crediderunt (17,12); ex quo colligitur Paulum Beroeae aliquanto diutius quam Thessalonicae versatum esse. Cum autem Iudaei Thessalonicenses Beroeam venissent novas turbas excitaturi, Paulus cum suis comitibus ad litus maris (probabiliter ad portum, cui nomen Dium) se contulit, sed itinere terrestri Athenas properavit Sila et Timotheo interim Beroeae relictis (17, 13-15). — Beroeensis erat Sopater ille, qui Paulum Corintho in Asiam minorem ex tertio itinere redeuntem comitatus est (20,4); qui si idem est ac Sopater (Sosipater) cognatus Pauli Rom. 16,21 commemoratus, ex Iudaeis fuisse censendus est. — Beroea hodie est *Verria*, turc. *Karaferia*. Cicero (in Pis. 36) Beroeam vocat oppidum devium atque haec fortasse est ratio, cur S. Paulus a Thessalonica discedere coactus non Pellam viciniorem, sed Beroeam remotiorem petierit. Tabula Peutingeriana Segm. VIII. 1. 2 Beroeam ponit 30 mil. pass. a Pella, Pellam 27 mil. pass. a Thessalonice.

Cf. *Plin.* IV, 10,33; *Liv.* 45,29. 30; *Strabo* VII. Fragmenta 22; *Le Quien*, Oriens christ. II. 70 ss.; *Cousinéry*, Voyage dans la Macédoine I, 57 ss.; *Leake*, Northern Greece III. 290.

BEROTH, nomen trium locorum.

1. Beroth (בְּאֵרוֹת i. e. putei, cisternae; Βηρώτ, Βηρώθ, Βεηρωθά), una ex quattuor illis urbibus, quarum incolae simulatione longi itineris Iosue et principes Israel deceperunt, ut iuramento horum principum interposito salvarentur, sed perpetuo famulatu caedendi ligna et comportandi aquas adstringebantur (Ios. 9, 17). Postea tribui Beniamin attributa est (18,25). Tempore autem davidico Beroth, quam Iosue incolis chananaeis perenniter concesserat, etiam incolas habebat ex Beniamin prognatos scil. duos illos sicarios Baana et Rechab, qui Isboseth filium Saul occiderunt (2 Reg. 4,2 : siquidem et Beroth reputata est in Beniamin); notat *F. de Hummelauer* in h. l. illo tempore quo Saul iniuriam 2 Reg. 21,1 Gabaonitis intulerit, Beniaminitas aliquos in Beroth commigrasse et agris Berothitarum ditatos esse. Praeter Baana et Rechab eorumque patrem Remmon Berothitas etiam Naharai armiger Ioab erat Berothites (2 Reg. 23,37; 1 Par. 11, 39). Babylone redierunt filii Cariathiarim, Cephira et Beroth 743 numero (Esdr. 2,25; Neh. 7,29). Onomasticon S. Hieronymi (*ed. Lag.* 103,12) : « Beeroth sub colle Gabaon (ὑπὸ τὴν Γαβαών apud Euse-

bium l. c. 233,83); ostenditur hodieque villa ab Aelia pergentibus Neapolim i. e. Sichem, sed apud Eusebium Νικόπολιν i. e. *'Amwās'* in septimo lapide ». His congruere videtur vicus hodiernus *el-Bīre* 15 km a Ierusalem septemtrionem versus distans in via, quae ducit Neapolim (Sichem). Illud ὑπὸ τὴν Γαβαών, ut Relandus (Palaestina p. 619) notat, ex collatione aliorum locorum Eusebii et S. Hieronymi vertendum est: vicus ad Gabaon ut metropolim pertinens; Gabaon (*el-Djīb*) a Beroth (*el-Bīre*) 6-7 km abest. Errat autem Relandus in eo, quod Beroth inter Ierusalem et Nicopolin quaerendam esse existimat; vix dubium esse potest, quin lectio S. Hieronymi *Neapolim* praeferenda sit. Insuper notandum est distantiam inter *el-Bīre* et Ierusalem esse paulo maiorem quam 7 mil. pass. (Onom.); hoc tamen seriam difficultatem contra *el-Bīre* parere non potest.

Vicus *el-Bīre* est statio peregrinorum Hierosolymis Sichem versus proficiscentium. Unde fundamento non caret traditio christiana hunc esse locum, ubi Maria et Ioseph post iter diei puerum Iesum in comitatu quaesierint (Luc. 2,44); iter diei non necessario maiorem distantiam requirit, sed etiam significat iter primo die confectum.

Eundem situm *el-Bīre* pro Beroth iam a. 1333 assignaverat Isaac Chelo; v. *Carmoly*, Itinéraires de la Terre Sainte 1847, p. 249. Praeterea cf. *Robinson*, Palaestina II. p. 346-348; *Guérin*, Judée III. 7-13; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 8. 9 et cf. 88. 89; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 173; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, III. 14; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1621-1625; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 5; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV. V, qui *el-Bīre* cum Beroth et etiam cum Berea 1 Mach. 9,4 componit. Ab hac opinione communi recedit *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 354-356, qui Beroth (et Beream 1 Mach. 9,4) agnoscere mavult in *Khirbet el-Biar* 8 km a Ierusalem septemtrionem versus ad radices collis *el-Djib* (Gabaon) i. e. sub colle Gabaon, ut Onom. postulat, nisi explicatio Relandi supra data admittitur. *L. Heidet* autem in Revue bibl. III. 1894, p. 321-356 componere mavult *el-Bire* cum Maspha Beniamin et *el-Djīb* (= Gabaon ex opinione communi) cum Beroth.

2. Beroth (בְּרֹתִי, urbs Adarezer regis Soba nominata cum Bete, ex quibus civitatibus David aes multum Hierosolyma abstulit (2 Reg. 8,8). Loco parallelo 1 Par. 18,8 pro Beroth legitur Chun (כּוּן). LXX utroque loco nomen urbis Beroth, Chun omittunt et vertunt ἐκ τῶν ἐκλεκτῶν πόλεων legentes fortasse בחרותי (*Vercellone*). Inde sequi videtur Beroth et Chun esse eandem urbem. Attamen duo oppida hodierna in Coele Syria istorum nominum antiquorum vestigia conservant: *Breitān* a meridie Heliopoleos (*Ba'albek*) nec procul ab *el-Taiyibe* (Bete, vide s. v.) et *Kuna* seu Conna Romanorum (Itiner. Antonini et Notitia Dignitatum) iuxta Wādi *Yafūfe* sita. Unde *Furrer* pro certo affirmat Beroth 2 Reg. 8,8 esse *Breitān*, Chun 1 Par. 18,8 esse *Kuna*; idem auctor censet l. c. Beroth non differre a Berotha Ez. 47,16; vide infra.

Cf. Itiner. Antonini Aug. 199, *ed. Parthey et Pinder*, p. 90; Notitia Dignitatum, *ed. Boecking*, I. 382; *Furrer* in Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins VIII. 1885, p. 34.

3. Beroth filiorum Iacan (Deut. 10,6) v. BENEIAACAN.

BEROTHA (בֵּרוֹתָה; apud LXX nomen ob corruptionem textus erui nequit), urbs quae cum Emath et Sabarim in termino septemtrionali terrae sanctae definiendo enumeratur (Ez. 47,16). Aliquibus eadem est ac Beroth urbs regni Soba (2 Reg. 8,8); vide BEROTH 2. Alii v. g. *Ewald* (Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3, III. p. 207) putant Berotham Ezechielis esse Berytum (*Beirūt*). Verum, ut *I. P. van Kasteren* defendit, terminus septemtrionalis terrae sanctae infra Libanum et Hermonem maiorem quaerendus est et Berotha in vico *Barish* ad orientem Tyri agnosci potest (Revue bibl. IV. 1895, p. 30).

BERSA (בִּרְשַׁע, Βαρσά), rex Gomorrhae, qui cum aliis quattuor regibus foederatis in valle Silvestri a Chodorlahomor devictus est (Gen. 14,2).

BERSABEE (בְּאֵר שֶׁבַע i. e. puteus iuramenti; LXX φρέαρ ὅρκου seu ὁρκισμοῦ, τὸ φρέαρ τοῦ ὅρκου seu ὁρκισμοῦ in Gen. et Am. 5,5; Βηρσαβεέ in Ios. et libris iunio-

ribus; Vulgata Gen. 21,32; 46,1.5: puteus iuramenti, alias Bersabee), locus Palaestinae antiquissimus et maxime meridianus, unde notissima illa formula: a Dan usque Bersabee, a Bersabee usque Dan.

De origine nominis duplex narratio biblica consulenda est. Abraham ipse puteum foderat et iuxta illum foedus pepigit cum Abimelech rege Gerarae, quod mutuo iuramento confirmatum est; insuper Abraham, ut foedus ratum faceret, regi Abimelech septem agnas obtulit in testimonium, quod ipse puteum fodisset (Gen. 21,31); ad quem locum adnotat *F. de Hummelauer*: « שבע *iurare* utique a שבע *septem*, numero sacro, derivatur. Tamen textus evidenter edicit, putei nomen proxime a *iurandi* verbo (LXX φρέαρ ὅρκισμοῦ) derivari, non a *septem agnis* (*Ps. Ion.*, *Targ. Hier.*) ». Altera narratio priori non absimilis, attamen rebus ac personis diversa legitur Gen. 26,26-33; foedere inter Isaac et alterum Abimelech (sed vide s. v.) percusso servi Isaac venerunt annunciantes ei de puteo quem foderant, unde patriarcha appellavit eum שִׁבְעָה (LXX ὅρκος, *Vulg.* Abundantia) et nomen urbi impositum est Bersabee. Vulgata supponit lectionem שֹׂבְעָה *abundantia* i. e. puteus abundans, sed recte animadvertit *F. de Hummelauer*: « Sane secundum contextum et 21,31 praeferendus sensus ὅρκος (LXX). Ceterum eadem vox et iuramentum exprimebat et numerum septenarium, qui, quod sacer esset, omne genus excellentiae et abundantiae repraesentabat. Ergo etiam illa interpretatio *abundantia* vera censeri potest, sed punctatio (*Hier.*) falsa ». Eandem interpretationem tradunt Flavius Iosephus (Ant. I. 12,1) et Onom. (*ed. Lag.* 104,3; cf. 234,4). Nomen hodiernum est *Bīr el-Seba'a* i. e. puteus leonis vel puteus septem; notandum est nomina antiqua saepe non in suo valore etymologico, sed in mera consonantia vocis conservata esse v. g. Bethlehem i. e. domus panis, hodie *Beit Laḥm* i. e. domus carnis.

Ad historiam Bersabee praeter locos citatos referuntur Gen. 21,14. 32. 33; 22, 19; 26,23; 28,10; 46,1-5 ex quibus colligitur Abraham, Isaac et Iacob patriarchas ibidem iterato tentoria sua fixisse. Post occupationem terrae promissae urbibus Iuda maxime meridianis accensetur (Ios. 15,28), postea autem Simeonitis tribuitur (Ios. 19,2; 1 Par. 4,28). Illo igitur tempore iuxta puteum vel potius puteos iam urbs adfuisse censenda est, cuius exstructionem nulli certo tempori adscribere possumus. Etsi haec urbs non fuerit omnium maxime meridiana, tamen propter situm historice et etiam geographice celeberrimum, qui iter in Aegyptum facientibus puteos abundantes praebebat, abhinc in notissimam illam formulam transit: a Dan usque Bersabee (Iud. 20, 1; 1 Reg. 3,20; 2 Reg. 3,10; 17,11; 24, 2. 15; 3 Reg. 4,25) vel: a Bersabee usque Dan (1 Par. 21,2; 2 Par. 30,5); cf. 2 Reg. 24,7. Eodem modo post regnorum scissionem termini regni Iuda indicantur: de Gabaa usque Bersabee (4 Reg. 23,8; v. GABAA 1) et: de Bersabee usque ad montem Ephraim (2 Par. 19,4); denique etiam regiones, quas filii Iuda post captivitatem occupabant, a Bersabee usque ad vallem Ennom extendebantur (Neh. 11,27. 30). — Samuel senex duos filios Ioel et Abia iudices in Bersabee constituit (1 Reg. 8,1. 2), forte quia plures in illa regione dissita erant difficultates (alias rationes vide expositas apud *F. de Hummelauer* ad h. l.). Elias fugiens a facie Iezabel venit in Bersabee Iuda et inde servum suum dimittens solus in desertum perrexit (3 Reg. 19,3). De Bersabee oriunda erat Sebia mater Ioas regis Iuda (4 Reg. 12,1; 2 Par. 24,1). Dignitas autem antiqua et sacra huius loci id apud populum superstitiosum effecit, ut cultu superstitioso ornaretur (Am. 5,5; 8,14), quod etiam aliis urbibus patriarcharum mora et pietate consecratis (v. g. Bethel) accidit.

Tempore Eusebii et S. Hieronymi (Onom. *ed. Lag.* 234,100; 103,32) erat vicus grandis 20 mil. pass. a Hebron austrum versus, romanorum militum praesidio munitus. In Notitia Dignitatum (*ed. Boecking* I. p. 79) recensentur sub dispositione viri spectabilis Ducis Palaestinae primo loco Equites Dalmatae Illyriciani Berosabae. Postmodum *Birosabon* erat sedes episcopalis ad provinciam Palaestinae tertiae pertinens (*Reland*,

Palaestina p. 218. Hodie ad septemtrionem *Wâdi el-Seba'a* duo putei inveniuntur aqua purissima abundantes et lapidibus modicae dimensionis constructi; alter peripheriam 12 m, alter 300 passibus distans minorem circuitum habet; in utroque superficies aquae circa 12-15 m infra solum est; a superficie aquae usque ad fundum putei circa 5 m addere oportet. Praeter duos puteos bene conservatos, qui vestigia magnae antiquitatis prae se ferunt, aquilonem versus exstant ruinae plurimae domorum ac platearum funditus disiectarum. Alii quoque putei in vicinia quondam aderant, qui hodie obruti sunt.

Cf. *Robinson*, Palaestina I. 337 ss.; *Ritter*, Erdkunde XIV. 105-107 et saepius; *Guérin*, Judée II. 277 ss.; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 392. 394 et Special Papers p. 33; *Palmer*, Wüstenwanderung p. 298 ss.; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 106; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 70. 87. 88. 183; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, II. 146 ss.; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1629-1634; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 253-255.

BERYLLUS in Vulgata respondet hebraico יַשְׁפֵּה, qui inter duodecim gemmas rationalis ultimum locum in quarto ordine tenet (Ex. 28,20; 39,13) atque etiam cum divitiis Tyriorum enumeratur (Ez. 28,13). Idem beryllus, gr. βήρυλλος, dicitur octavum fundamentum civitatis caelestis in Apocalypsi (21,20). LXX interpretes in Ex. 28,20 βηρύλλιον paenultimo loco ponunt pro hebr. שֹׁהַם, et ultimum יַשְׁפֵּה, ὀνύχινον explicant. Ex aliis locis aliisque versionibus nihil ad determinandam speciem huius gemmae videtur haberi. — Iam vero יַשְׁפֵּה ex affinitate nominis a multis recentioribus *jaspis* exponitur, ac licet assonantia nominis fortuita esse possit, tamen praesertim in rebus naturalibus, ubi alia non suppetunt, bonum saepe indicium verae explicationis praebet. — Beryllus vero, qui certe in loco Apocalypseos, ac fortasse etiam aliquo gemmarum Veteris Testamenti nomine hebraico designatur, « eandem aut certe similem » cum smaragdis naturam habet, ut bene ex opinione multorum retulit *Plinius* XXXVII. 5,76; etiam nunc « India eos gignit »; sed iam non ita « raro alibi repertos »; — « probatissimi ex iis sunt, qui viriditatem maris puri imitantur, proximi qui vocantur chrysoberulli » (ib.). Propter colorem maris quem imitantur, etiam nomen *Aquae marinae* acceperunt, ac berylli simpliciter a gemmariis iam lapilli flavescentis coloris vocantur. — Etiam nunc inter gemmas pretiosas locum retinent, quamquam inferiorem inter illas gradum habent.

De aliis v. LAPIDES PRETIOSI. — Cf. *S. Epiphan.*, De 12 gemmis n. 11; *Fr. Rueus*, De gemmis 2,8; *J. Braun*, Vestit. Sacerd. Hebr. II. 18 n. 593; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1,42 s.; *I. I. Bellermann*, Die Urim u. Thummim, Berlin 1824, 64-8; *K. E. Kluge*, Handb. d. Edelsteinkunde, Leipzig 1860, 309 s. 318-23; *Leunis-Senft*, Synopsis III. 1 p. 660-3; *Naumann-Zirkel*, Elem. d. Mineralogie *ed.* 13, p. 710 s.; *M. Bauer*, Lehrb. d. Mineralogie, Berlin u. Leipzig 1886, p. 426 s.; *idem*, Edelsteinkunde, Leipzig 1896 p. 346-368 et Tafel XII.

L. FONCK.

BERZELLAI (בַּרְזִלַּי, Βερζελλί).

1. Galaadites de Rogelim, vir valde dives; is Davidi, qui fugiens filium rebellem Absalom venerat Manaim (Mahanaim), et comitibus eius obtulit, quae necessaria erant, maxima cum liberalitate (2 Reg. 17,27-29; 19,31. 32). David cum victor rediret, invitavit Berzellai, ut secum in Ierusalem veniret; is autem, utpote iam octogenarius, favorem non accepit pro se, sed regem rogavit, ut Chamaam filium suum sibi comitem adiungeret (2 Reg. 19,33-41). Et David moriturus Salomoni commendavit, ut filiis Berzellai redderet gratiam (3 Reg. 2,7). Nomen Berzellai servatum est; nam sacerdos quidam uxorem duxit de filiabus Berzellai Galaaditis et vocatus est nomine Berzellai; eius autem posteri ex exsilio reduces, cum scripturam genealogiae suae non invenirent, de sacerdotio eiecti sunt (Esdr. 2,61. 62; Neh. 7,63. 64).

2. Berzellai, pater Hadrielis, qui fuit de Molathi i. e. de Abelmehula (2 Reg. 21,8); v. HADRIEL.

BESAI (בֵּצַי, Βασσοῦ, Βεσεί, Βησί), princeps familiae, cuius filii duce Zorobabel ex captivitate redierunt 323 (Esdr. 2,17) vel 324 (Neh. 7,23). Idem nomen legitur inter signatores foederis (Neh. 10,18).

BESAI (בֵּסַי, Βασί, Βησί), Nathinaeus, cuius filii duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,49; Neh. 7,52). In Vulgata Esdr. 2,49 scribitur Besee.

BESECATH urbs v. BASCATH.

BESEE (Esdr. 2,49) idem est ac Besai (Neh. 7,52).

BESELAM (בִּשְׁלָם, LXX ἐν εἰρήνῃ), adversarius Iudaeorum, unus ex iis, qui ex Samaria ad Artaxerxen regem Persarum epistulam dandam curarunt, ne Iudaei urbem aedificarent (Esdr. 4,7).

BESELEEL (בְּצַלְאֵל, Βεσελεήλ). **1.** Filius Uri filii Hur de tribu Iuda, quem Dominus elegit et intelligentia sapientiaque implevit ad excogitandum, quidquid fabrefieri potest ex auro, argento, aere, marmore, gemmis, diversitate lignorum, qui simul cum Ooliab instrumenta sacra et sacram tabernaculi cultusque sacrificalis supellectilem confecit (Ex. 31,1-11; 35,30 s.; 36,1; 37,1-38, 23; 1 Par. 2,20; 2 Par. 1,5). Beseleel est principalis artifex, sed cum illo operariis praeerat Ooliab. « Depingunt haec apud Hebraeos aevum, quo artifices essent aliqui, sed non multi, simile iis medii aevi temporibus, quibus prudens faber erat rarus atque magus fere a vulgo habebatur » (*F. de Hummelauer* ad Ex. 41,1). De coniectura, quam facit *F. de Hummelauer* (Comm. in Numeros 1899, p. 190) Uri et Beseleel fuisse alienigenas, aetate iam provectiores ad Hebraeorum sacra transiisse et familiae Hur esse adscriptos, vide s. v. CALEB 2.

2. Unus de filiis Phahath Moab, qui uxores alienigenas mandante Esdra repudiarunt (Esdr. 10,30).

BESLUTH (בַּצְלוּת), **BESLOTH** (בַּצְלוּת), Nathinaeus, cuius filii duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,52; Neh. 7,54; LXX Βασαλώθ).

BESODIA (בְּסוֹדְיָה, Βασωδία), pater Mosollam tempore Nehemiae (Neh. 3,6).

BESOR torrens (נַחַל הַבְּשׂוֹר, ὁ χειμάῤῥους [τοῦ] Βοσόρ), apud quem David cum 600 viris Amalecitas persequens ducentos reliquit, qui prae lassitudine torrentem transire non poterant (1 Reg. 30,9. 10. 21). *Gesenius* etymon interpretatur rivum aquae frigidae a radice arabica *basara* i. e. frigidus fuit (Thesaurus p. 249). Ex contextu colligitur hunc torrentem fuisse a Siceleg meridiem versus; inde enim David Amalecitas domum revertentes insecutus est. Iamvero Siceleg ab aliis putatur *ʿAslūdj* in *Wādī ʿAslūdj* 20 km a meridie Bersabee, ab aliis *Khirbet Zuheilīqa* 6 km a septemtrione *Wādi el-Sherīʿa,* ab aliis denique etiam magis septemtrionem versus *Tell el-Heṣī* inter Gazam et Eleutheropolim. Quodsi Siceleg agnoscitur *Khirbet Zuheilīqa,* Besor merito agnoscitur *Wādi el-Sherīʿa,* quae vallis in *Wādi Ghazze* desinit.

Cf. *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1641; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 5; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 88.

BESSUR v. BETHSUR.

BESTIAE in Vulgata semel ponitur pro hebr. צִיִּים (Is. 13,21), quod fortasse feles feras vel alia animalia deserti significat; v. FELIS FERA.

BETANE (Βετάνη), urbs in textu graeco Iudith 1.9 post Ierusalem et ante Chellus, Cades ac torrentem Aegypti enumerata. Cum enumeratio a septemtrione meridiem versus procedat, Betane ad meridiem Ierusalem quaeritur. Videtur esse vicus Bethennim (Βηθθανίν), qui secundum Onomast. s. v. Ain (*ed. Lag.* 92,22 et 220,96) 4 mil. pass. a Hebron et 2 mil. pass. a terebintho Abraham distabat. Fortasse Betane eadem est ac Bethanoth (Ios. 15,59), hodie *Khirbet Beit ʿEnūn* prope Hebron aquilonem versus (v. BETHANOTH).

BETE (בֶּטַח, Μετεθάκ), urbs Adarezer regis Soba nominata cum Beroth, ex quibus civitatibus David aes multum in Ierusalem abstulit (2 Reg. 8,8). In loco

parallelo 1 Par. 16,8 pro Bete legitur Thebath (טִבְחַת, Ματαθέθ) et additur Salomonem ex isto aere fecisse mare aeneum, columnas et vasa aenea. Lectio 1 Par. 18,8 videtur esse praeferenda et 2 Reg. 8,8 מִכִּבְטָה corruptum pro מִטִּבְחַת, ut suadent LXX et Syrus (*Tebach*). Apud Flavium Iosephum (Ant. VII. 5,3) urbs vocatur Βατταία. *Riess* Bibel-Atlas) cum aliis eius situm assignat ad meridiem Heliopoleos *Ba'albek*, ubi nunc est vicus *el-Ṭaiyibe;* sed hoc nomen vix aliquid commune habet cum nomine antiquo. Certi nihil statui potest nisi urbem in regno Soba nec procul a Soba fuisse. Aliqui cum *Ewald* (Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3, III. p. 207) monent inter filios Nachor fratris Abraham Gen. 22,24 nominari Tabee (טֶבַח), unde inferunt Tebach nomen tribus aramaicae fuisse; sed ne hoc quidem ad situm urbis nostrae Tebach accuratius determinandum aliquid confert.

BETEN (בֶּטֶן, Βαιθόκ), urbs tribus Aser (Ios. 19,25). Eusebius (Onomast. *ed. Lag.* 236,40) dicit vicum appellari Bethbeten et situm esse octo mil. pass. a Ptolemaide contra orientem. Hodie vicus *el-Bane,* quamquam non 8, sed circa 13 mil. pass. a Ptolemaide (*'Akkā*) orientem versus distans.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. I. 153; *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. VI; *Legendre,* Carte de la Palestine; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 695.

BETH (בַּיִת, status constr. בֵּית) in lingua hebraica proprie est *domus,* speciatim tentorium, palatium, arx regia, aedes, templum, sepulcrum, habitaculum, mansio, receptaculum (v. Lexica hebr.). Frequentissime praefigitur nominibus propriis oppidorum et locorum, modo inseparabiliter (Bethlehem, Bethel etc.), modo ita ut omitti possit (Beth Baalmeon et solum Baalmeon). Nominibus cum Beth compositis, quae secundum scriptionem Vulgatae infra ordine alphabetico recensentur, etiam illa inserimus, quae in Vulgata speciem nominis proprii non habent.

BETHABARA v. BETHANIA TRANS IORDANEM.

BETHACAD (בֵּית עֵקֶד, Βαιθακάθ, A Βαιθακαδ, *Vulg.* camera pastorum) erat prope cisternam, apud quam Iehu a Iezrael in Samariam pergens quadraginta duos fratres Ochoziae regis Iuda necari iussit (4 Reg. 10,12-14). Nomen proprium praeter LXX exprimunt Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 239, 96; 107,17) describentes vicum in magno campo (Esdrelon) situm 15 mil. pass. a Legione (*Ledjdjūn*). Hodie vicus *Beit Qād* inter *Djenin* (Engannim) et montem Gelboe.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. II. 83; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. VI; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 6; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 587. 588; attamen *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 204 dubium de hoc situ movet, quippe qui nimium orientem versus abesse videatur.

BETHACHARAM, BETHACAREM (בֵּית־הַכֶּרֶם i. e. domus vineae, Βηθαχχαρίμ, Βαιθαχαρμά) urbs in tribu Iuda (Neh. 3,14; Ier. 6,1). S. Hieronymus in Ier. 6,1 (*Migne* 24,721) notat : « Thecuam viculum esse in monte situm et duodecim millibus ab Hierosolymis separatum quotidie oculis cernimus. Inter hos alius vicus est, qui lingua Syra et Hebraica Bethacharma nominatur et ipse in monte positus ». Unde *Pococke* hanc urbem sitam fuisse coniicit in Monte Francorum inter Thecua et Bethlehem, qui hodie vocatur *Djebel el-Fureidis* seu mons hortuli paradisiaci; is in fastigio suo conservat ruinas Herodion castelli magnificentissimi ab Herode Magno exstructi et in descensu occidentali ruinas urbis Herodiae (cf. *Flav. Ios.* Ant. XIV. 13,9; XV. 9,4; Bell. iud. I. 13,8; 21,10). Verum quidem est neque a Iosepho Herodiam ad Bethacarem referri neque a S. Hieronymo Bethacarem ad Herodiam. Unde nonnulli hunc situm pro Bethacarem assignare dubitant (*Robinson, Guérin, Buhl*), alii tamen eum defendunt (*C. Schick*).

Cf. *R. Pococke,* Beschreibung des Morgenlandes, Erlangen 1771, II. p. 62; *Robinson,* Palaestina II. p. 397; *Guérin,* Judée

III. p. 131; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 157; *C. Schick* in Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins III, 1880, p. 92.

BETHANAN (בֵּית־חָנָן, Βηθανάν), urbs in praefectura salonitonica a Bendecar administrata (3 Reg. 4,9). Enumeratur cum Bethsames urbe danitica eiusdem praefecturae, unde et ipsa in tribu Dan vel saltem in eius confinibus quaeritur. *Riess* suggerit *Khirbet Hanune* 8 km ad orientem *Neballat; Conder, Legendre, Zanecchia* praeferunt *Beit ʿAnūn* ad occidentem *Nebī Samwīl*. Ceterum mss. hebraica quoad maiorem partem iungunt Beth-Hanan cum Elon ita, ut legendum sit Elon-Beth-Hanan. *Keil* i. l. de unica urbe sermonem esse putat, alii de duabus. Inter Elon et Bethanan LXX inserunt ἕως, Vulgata *et* (v. ELON).

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 6; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 16; *Legendre*, Carte de la Palestine; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 381. 382.

BETHANATH (בֵּית עֲנָת; Βαιθαμέ, Βαιθανάχ), urbs Nephthali munita (Ios. 19,38), ex qua Chananaei non sunt expulsi (Iud. 1,33). Apud Eusebium (Onom. *ed. Lag.* 236,45) dicitur esse Batanaea 15 mil. pass. a Caesarea distans et lavacris salubribus celebris. Pro Caesarea hoc loco legendum esse *Diocaesarea* (Sepphoris) notavit *Relandus* addens rationem : nam ceteroquin quomodo in Nephthali esse possit non capio (Palaetina p. 629). Alibi Eusebius s. v. Ἀνείρ tribus Aser (l. c. 224,71) de eadem Batanaea loquitur eamque 15 mil. pass. a Caesarea orientem versus in monte ponit. Sed enumeratio urbium Ios. 19,38 potius partem septemtrionalem Nephthali respicit. Misso igitur Eusebio recentiores plerique Bethanath agnoscunt in vico *ʿAināta* seu *ʿAinīta*, qui vicus in montanis Nephthali situs est 9 km a Cedes occidentem versus.

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 6; *Guérin*, Galilée II. 374; *Legendre*, Carte de la Palestine; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. p. 716; sed contradicit *Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 232. Praeterea v. *F. de Hummelauer* ad Ios. 19, 38.

BETHANIA (Βηθανία; apud Talmudicos legitur Beth-hene i. e. domus dactylorum, qui vicus idem videtur esse cum Bethania nostra; cf. *Lightfoot*, Centuria chorogr. Matthaeo praemissa cap. 41), vicus ab Hierosolymis quasi stadiis quindecim distans (Io. 11,18), ubi erat castellum Lazari eiusque sororum Marthae et Mariae atque domus Simonis leprosi (Io. 11,1; 12,1; Matth. 26,6; Marc. 14,3). Ibidem Iesus Lazarum mortuum suscitat (Io. 11,17-44). A Bethania Iesus duos discipulos praemisit, qui pullum asinae pro sollemni in urbem ingressu adducerent (Marc. 11,1; Luc. 19,29); illuc die palmarum vespere rediit (Marc. 11, 11). Postridie a Bethania in urbem rediens ficulneae arefactae maledixit (Matth. 21,17-19; Marc. 11,12). In caelum ascensurus discipulos suos eduxit foras in Bethaniam (Luc. 24,50; graece ἕως εἰς vel secundum aliam lectionem ἕως πρὸς Βηθανίαν) i. e. Bethaniam versus usque in montem Oliveti (cf. Act. 1,12); aliis quoque modis illos duos textus Luc. 24, 50 et Act. 1,12 conciliari posse indicat *Guérin* (Jérusalem p. 343) supponens Iesum ab urbe Bethaniam usque progressum esse cum discipulis suis et inde in montem Oliveti rediisse vel etiam territorium seu fines Bethaniae a summo monte Oliveti initium habuisse, ita ut totus descensus orientalis iam nomine Bethaniae designari potuerit.

Ut ex locis citatis colligitur, Bethania iuxta viam inter Iericho et Ierusalem sita erat et ab urbe quidem 15 fere stadia distabat; quaerenda est in descensu orientali montis Oliveti, siquidem mons Oliveti ab urbe iter sabbaticum (Act. 1,12) seu 8 fere stadia aberat. Addit S. Hieronymus : « Bethania villa in secundo ab Aelia miliario in latere montis Oliveti, ubi Salvator Lazarum suscitavit, cuius et monumentum ecclesia nunc ibidem exstructa demonstrat » (Onom. *ed. Lag.* 108,3).

Cummuniter agnoscitur esse hodiernus viculus *el-ʿAzarīye*, quod nomen a Lazaro depromptum (quasi Lazarium) inde a saeculo quarto usurpatur (Peregrinatio S. Silviae apud *P. Geyer*, Itin. hier. p. 82). Ostenditur ibidem crypta, quae sepulcrum Lazari esse creditur; etiam

domui Simonis leprosi a traditione situs assignatur. Dubium non est, quin viculus *el-'Azarîye* circa ipsum supulcrum Lazari ortus sit. Sunt tamen, qui putent sepulcrum Lazari a Bethania ipsa seu domo Lazari abfuisse et hanc domum inter vicum *el-'Azarîye* et verticem montis Oliveti quaerendam esse; immo *D. Zanecchia* Bethaniam seu domum Lazari in descensu orientali iuxta verticem montis haud procul a Bethphage et loco ascensionis Domini collocat. Omnibus igitur consideratis Bethaniae nomen cum *Guérin* l. c. non ad solam domum Lazari restringendum videtur, sed potius de territorio seu finibus Bethaniae supra indicatis accipiendum.

Cf. *Guérin*, Samarie I. 163-181; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 15 ss.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, II. 315 ss.; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, I. 445 ss.

BETHANIA TRANS IORDANEM (Βηθανία πέραν τοῦ Ἰορδάνου), ubi erat Ioannes baptizans (Io. 1,28). Textus receptus pro Bethania legit Βηθαβαρά. Sed antiquissima mss. (Cod. B et A) certant pro Bethania, quae lectio in textum restituta est a *Lachmann, Tischendorf, Westcott-Hort, Gebhardt.* S. Hieronymus in Vulgata : Bethania. Variae rationes lectionem Bethabara commendant. Primum quidem minus veri simile est nomen Bethaniae notissimum mutatum esse a librariis in aliud minus notum, facilius autem mutatio Bethabara in Bethaniam explicatur. Accedit Onom. Eusebii : Βηθαβαρά et S. Hieronymi : Bethabara (*ed. Lag.* 240,12 et 108,6). Denique Origenes in Io. 1,28 (*M.* 14,270) notat : « Quod in omnibus fere exemplaribus ponatur : Haec in Bethania facta sunt, non ignoramus... Sed persuasi sumus non *Bethania,* sed *Bethabara* esse legendum, cum ad loca pervenissemus, ut Iesu discipulorumque eius ac prophetarum vestigia inspiceremus. Bethania namque, ut ipse inquit evangelista, patria Lazari et Mariae et Marthae 15 stadiis a Hierosolymis distat, qua Iordanes fluvius lato computo abest stadiis circiter 80 supra 100, sed neque locus est circa Iordanem, qui nomen commune habeat cum Bethania. Dicunt autem ostendi circa tumulos Iordanis Bethabara, ubi historiae dicunt Ioannem baptizasse ». Addi potest etymologia nominis Bethabara : domus transitus, germanice *Furthausen*, quo nomine vadum aliquod celebrius apte designari poterat.

Ex altera vero parte, cum Bethania teste Origene in omnibus fere exemplaribus ponatur, lectio Bethabara videri potest tentata quaedam emendatio, quae post Origenem et propter eius auctoritatem inducta est *Knabenbauer* ad Io. 1,28).

Alia fertur opinio, quam *Riess,* Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 6 defendit et *Knabenbauer* l. c. haud spernendam vocat : Bethaniam esse hebr. בֵּית עָן ad quandam formam graecam redactum, quo idem significetur, quod apud Flav. Iosephum et Graecos dicitur αὐλών, κοιλάς scil. vallis depressa Iordanis seu planities in utraque fluminis parte, apud Synopticos ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου, hodie *el-Ghôr* dicta (cf. Gen. 13,10; 2 Par. 4,17).

Ex aliorum denique coniectura Bethania est בֵּית אֲנִיָּה i. e. domus navis, quo nomine locus ad ripam Iordanis apte indicatur, ubi erant naviculae seu rates ad traiiciendum.

Quaecunque demum lectio eligitur, situs loci ex eo determinatur, quod omnis Iudaea et Ierosolymitae universi et omnis regio circa Iordanem (ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου) ad Ioannem exibant (Matth. 3,5; Marc. 1,5); via autem principalis a Ierusalem versus Iordanem ducit in planitiem Iericho. Unde traditio christiana, quae ad priorem partem saeculi quarti p. Chr. ascendit, hanc Bethaniam trans Iordanem e regione Iericho collocavit.

In regione transiordanica contra Iericho paulo remotior a Iordane invenitur *Tell Nimrîn* seu Bethnemra (vide s. v.), quae a nonnullis pro Bethania trans Iordanem seu Bethabara habetur (v. g. *Grove-Wilson* apud *Smith-Fuller,* Dict. of the Bible I. 1, p. 416).

L. Heidet apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible I. 1649 pro Bethabara assignat cameras saxo conseptas, quae 7 km ab ostio Iordanis iuxta ripam orientalem cernuntur, quibus ab occidente Iordanis

e regione oppositum est monasterium S. Ioannis (*Deïr Mār Yuḥanna*), quod a Graecis appellatur ὁ Πρόδρομος seu Praecursor, a Muhamedanis *Qasr el-Yehūdi* seu castellum Iudaeorum. Cf. de hoc castello *Guérin,* Samarie I. 111-116; *Baedeker-Benzinger,* Palaestina und Syrien *ed.* 5, p. 153. Voce Bethabara non vicum quendam, sed vadum Iordanis in eadem fere regione designari censet *C. Mommert,* Aenon und Bethania, Leipzig 1903, p. 30-56.

In tabula autem geographica Madabae reperta ponitur Bethabara ad occidentem Iordanis ibi fere, ubi nunc est monasterium S. Ioannis; cf. Revue bibl. VI. 1897, p. 171 : « On comprend l'importance de ce renseignement ».

Nimium a vero aberrat *Conder* (*Survey of West. Pal.* Mem. II. 89), qui opinatur Bethabara esse *Makhādet ʿAbāra* vadum Iordanis praecipuum prope Bethsan; locus, ubi Ioannes erat baptizans, non tam longe a Iudaea et Ierusalem septemtrionem versus aberat, ut ex Evangeliis colligitur.

BETHANITAE (Iud. 1,33), incolae Bethanath (vide s. v.).

BETHANOTH (בֵּית עֲנוֹת, Βαιθανάμ), urbs tribus Iuda in quarta provincia montis, enumerata inter Mareth et Eltecon (Ios. 12,59). Fortasse eadem est ac Betane (vide s. v.). Nunc *Khirbet Beit ʿEnūn* hora et dimidia a Hebron aquilonem versus distans nec procul a Halhul et Bessur (Bethsur), quae Ios. 15,58 occurrunt.

Cf. *Guérin,* Judée III. 151 ss.; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 311. 351; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 218.

BETHARABA, BETH ARABA (בֵּית הָעֲרָבָה), urbs in confinibus Iuda et Beniamin (Ios. 15,6; Βαιθάραβα), quae Ios. 15,61 (Θαραβαάμ) tribui Iuda, Ios. 18, 22 (Βαιθαβαρά) tribui Beniamin attribuitur. Ex locis citatis etiam colligitur eam non procul a Beth Hagla fuisse versus montana, quae ex planitie Ierichuntina ascendunt. Situs determinari nequit. *Riess* (Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 6) distinguit Betharaba in confinibus Beniamin et Iuda Ios. 15,6 a Betharaba in deserto Iuda Ios. 15,61 (quae apud Talmudicos Birath Araba, Birath Malka audit). Vide etiam ABIALBON.

BETHARAN (בֵּית הָרָן), urbs Amorrhaeorum a filiis Gad reaedificata (Num. 32,36, Βαιθαράν) et tribui Gad assignata (Ios. 13,27; Ὀθαργαί, A Βηθαράμ). S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 103,16; cf. 234,87 textum Eusebii breviorem et mancum) : « Betharam civitas tribus Gad iuxta Iordanem, quae a Syris (παρὰ Ἀσσυρίοις) dicitur Bethramtha (Βηθραμφθά) et ab Herode in honorem Augusti Libias cognominata est ». Secundum Flavium Iosephum (Ant. XVIII. 2,1; Bell. iud. II. 9,1) Herodes Antipas tetrarchiam suam occupans Betharamphtha urbem moenibus cinxit et Iuliadem ab uxore imperatoris appellavit. Eadem sine dubio est Betharamathus (Bell. iud. II. 4, 2), ubi Herodes Magnus palatium habuit, quod Herode M. mortuo a seditiosis combustum est; loco parallelo Ant. XVII. 10,6 legitur nomen corruptum ἐν Ἀμμάθοις (*ed. Niese*). Nomine Iuliadis urbs praeterea insignitur Bell. iud. IV. 7,6; 8,2. Verum Livias (Λιβιάς) Ant. XIV. 1,4 non urbs nostra, sed potius Lemba Ant. XIII. 15,4 intellegenda est. Iosephus igitur constanter nomine Iuliadis utitur. Nomen Liviadis apud alios (*Euseb.* Onom., *Euseb.* Chron., *Plin., Ptolem.* etc.) praevalet. Cum Livia uxor Augusti nonnisi testamento Augusti in gentem Iuliam assumpta et novo nomine Iulia appellata sit (*Tacit.* Annal. 1,8), urbs sine dubio primitus Livias et mortuo Augusto Iulias vocabatur; nomen antiquius autem simul cum novo perseverabat (sicut v. g. nomen Caesareae Philippi, quae postea Neronias). — Situm urbis bene describit *Theodosius,* De terra sancta 19 : Civitas Liviada trans Iordanem, distat a Iericho milliaribus 12... ibi aquae calidae sunt (saeculo 6.). Eusebius (Onom. *ed. Lag.* 213,48 et 216,6) addit eam fuisse in via, quae a Iericho versus Hesebon ducit. Nunc *Beit Harran* prope *Tell el-Rāme* (*Riess,* Bibel-Atlas *ed.* 3). Sed *Heidet* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible s. v. negat nomen *Beit Harran* ibi inveniri et Betharan cum ipso *Tell el-Rāme* componere mavult.

BETH ARBEL (בית ארבאל) legitur Os. 10,14 : Omnes munitiones tuae vastabuntur sicut vastavit Shalman Beth Arbel in die belli (hebr.). Propheta certe loquitur de eventu recenter facto, omnibus noto. Quis sit Shalman, dubitatur; nomen poni pro Salmanassar plane est improbabile. Aliquid lucis afferri videtur inscriptionibus cuneiformibus. Fit enim in rebus a Theglathphalasar gestis mentio regis Moabitarum, cui nomen Salamanu, qui regi solvit tributum. Unde satis certum videtur commemorari a propheta eum regem Moabitarum. Beth Arbel vix erit eadem atque Arbela Galilaeae (1 Mach. 9,2 et v. ARBELA), sed potius Arbela trans Iordanem in finibus Pellae, ἐν ὁρίοις Πέλλης (*Euseb.* Onom. *ed. Lag.* 214,73), fortasse hodiernum *Irbid* inter *Der'at* (Edrai) et ruinas *Fāḥil* (Pellam).

Cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscript. and Old Test. II. p. 140; *Knabenbauer*, Comm. in Proph. min. I. p. 139.

BETHAVEN (בית אֶוֶן) i. e. domus vanitatis, domus idolorum; Βαιθήλ Ios. 7,2; Βαιθών Ios. 18,12; Βαιθωρών 1 Reg. 13,5; Βαμώθ 1 Reg. 14,23), oppidum tribus Beniamin ad orientem urbis Bethel situm prope Hai et Machmas (loc. cit.). Unde desertum Bethaven (Ios. 18,12) agnoscitur in montanis, quae a *Djebel Qarantal* (Quarantania) occidentem versus se extendunt. Oppidi Bethaven nullum vestigium repertum est. Nomen Bethaven Os. 4,15; 5,8; 10,5 contemptim urbi Bethel inditur, quae propter idolorum cultum iam non domus Dei, sed domus iniquitatis, domus idolorum a vate dicitur; est igitur illa nominis Bethel transformatio, qua etiam Amos (5,5) ad cultum idolorum traducendum usus est. — Desertum Bethaven est illa quoque solitudo, per quam 600 Beniaminitae ex clade tribus suae superstites a Gabaa Beniamin ad petram Remmon pergebant (Iud. 20,45. 47 et v. REMMON 3).

BETHAZMOTH urbs tribus Beniamin v. AZMAVETH.

BETH BAALMEON v. BAALMEON.

BETHBERA (בית בָּרָה) probabiliter pro בֵּית עֲבָרָה i. e. domus transitus; Βαιθηρά), locus ad meridiem Bethsan. Gedeon postquam Madianitas in planitie Iezrael devicit, nuntios in omnem montem Ephraim misit dicens : Descendite in occursum Madian et occupate aquas usque Bethbera atque Iordanem; clamavitque omnis Ephraim et praeoccupavit aquas atque Iordanem usque Bethbera (Iud. 7,24). *F. de Hummelauer* in h. l. dicit Bethbera « locum ignotum, quem tamen licet supponere haud longe abfuisse a Iordanis in mare Mortuum ingressu : is enim erat tractus fluminis, qui suapte natura Ephraimitis defendendus obtingebat ». Videtur itaque Bethbera vadum aliquod praecipuum Iordanis infra Bethsan fuisse. Sed est etiam 5 km a *Beisān* (Bethsan) inter septentrionem et orientem vadum *'Abāra*, quod recentiores cum Bethbera componunt. Cf. Revue bibl. IV. 1895, p. 506. 507; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 594.

Recentius *M.-I. Lagrange* (Le livre des Juges, Paris 1903 p. 141) componit Bethbera cum Bethabara, quae in tabula geographica Madabae reperta collocatur ad ripam dexteram Iordanis prope Iericho (vide s. v. BETHANIA TRANS IORDANEM in fine); idem auctor l. c. vocem Bethbera, quae apud LXX, Syrum, Vulgatam pronuntiationem *bera* vel *bira*, non *bara* praebet, cum S. Hieronymo (Onom. sacra *ed. Lag.* 106,12) interpretatur : domus aquae sive putei (באר).

BETHBERAI (בֵּית בְּרָאי : οἶκος Βαρουσεωρίμ, apud *Swete*, B οἶκος Βρακουμσεωρειμ, per fusionem cum nomine sequenti Saarim; A discernit Βαρουμ et σεωρειμ), urbs tribus Simeon (1 Par. 4,31). Eadem videtur ac Lebaoth Ios. 15, 32 et Bethlebaoth Ios. 19,6; forte Berai ex Lebaoth per corruptionem textus hebraici ortum est (v. BETHLEBAOTH). Bethberai censetur esse hodiernus vicus *Birein* inter *'Ain Qadīs* (Cadesbarne) et *Khalasa* (Elusa), 33 km ab Elusa (*Riess,* Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 6).

BETHBESSEN (Βαιθδασί), vicus in

deserto, qui a Ionatha et Simone ducibus Machabaeorum munitus et a Simone, quem Ionathas ibi reliquit, efficaciter contra Bacchidem defensus est (1 Mach. 9,62. 64); ex eo quod Ionathas et Simon diruta huius vici exstruxisse dicuntur, colligitur eum iam antea munitum fuisse. Flavius Iosephus (Ant. XIII. 1,5) vicum vocat Bethalaga, quo nomine Beth Hagla (nunc *Qasr Hadjle*) prope Iericho innui videtur.

BETHCHAR (בֵּית כָּר, Βαιθχόρ), locus non procul a Maspha Beniamin versus Philisthaeam septemtrionalem situs, quousque Israelitae post victoriam ad Lapidem Adiutorii reportatam Philisthaeos persecuti sunt (1 Reg. 7,10). Loquendi modus *subter Bethchar* indicat locum editiorem viae imminentem Targum Ion. legit Beth sharon, Syrus Beth iashan. Hanc ultimam lectionem secutus *Wellhausen* intellegi putat Iesana 2 Par. 13.19; eidem lectioni adhaerens *Houbigant* suggerit Sen 1 Reg. 7,12; *F. de Hummelauer* (Comm. in libros Sam. p. 89) coniicit attentis consonantibus, quas diversae lectiones offerunt, fuisse primitus in textu בית חרון, Bethoron. *Flav. Ioseph.* Ant. VI. 2,2 interpretatur μέχρι Κορραίων vel secundum aliam lectionem Βεθχώρου (*ed. Niese*). Varii situs ab auctoribus variis propositi sunt, sed sine sufficienti probabilitate.

BETHDAGON (בֵּית דָּגוֹן, בֵּית דָּגֹן i. e. domus Dagon). **1.** Urbs in campestribus Iuda, in secunda provincia Sephelae enumerata (Ios. 15,41; Βαγαδιήλ, A Βηθδαγών). Eandem agnoscunt Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.*, 235,14; 104,14) in vico grandi Capherdago inter Diospolim (*el-Ludd*) et Iamniam (*Yebna*). Prisma hexagonum Sennacherib col. II. lin. 65, 66 memorat *Bit Daganna* una cum Ioppe et Banebarach. A plerisque Bethdagon censetur esse vicus *Beit Dedjan* inter Lyddam (Diospolim) et Ioppen (ita *Schrader, Riess, Guérin, Liévin de Hamme, Zanecchia*), ab aliis autem *Tell Dadjun* 3 km inter meridiem et occidentem a *Beit Dedjan* (ita *Clermont-Ganneau, G. A. Smith*). Sed obstat primo, quod *Beit Dedjan* et *Tell Dadjun* sunt inter Lyddam et Ioppen, non inter Lyddam et Iamniam, ut Onomasticon postulat; et secundo, quod Bethdagon magis meridiem versus quaerenda videtur, utpote in secunda provincia Sephelae enumerata.

Cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. 155. 281; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *Guérin*, Judée I. 30 s.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, I. 131; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, I. 91; *Clermont-Ganneau* in Pal. Expl. Fund, Quart. Stat. 1874, p. 279 et 1882, p. 21. 22; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV. V.

2. Urbs tribus Aser prope fines Zabulon (Ios. 19,27; Βαιθεγενέθ, A Βηθδαγών). Onom. Eusebii et S. Hieronymi (*ed. Lag.* 236,42; 105,16) memorat Bethdagon locum, in quo duae tribus Zabulon et Issachar habent confinia. Cum aliqua probabilitate putatur esse *Tell Dauk* inter meridiem et orientem ab Accho.

Cf. *Legendre*, Carte de la Palestine; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. VI; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 696.

3. Bethdagon idolum (Βηθδαγὼν τὸ εἴδωλεῖον) 1 Mach. 10,83 est templum Dagon, quod erat Azoti (cf. 1 Reg. 5,2. 5; 1 Par. 10,10) et a Ionatha Mach. igni succensum est cum omnibus, qui in illud fugerant.

BETH EDEN v. EDEN 3.

BETHEL (בֵּית אֵל i. e. domus Dei; LXX plerumque Βαιθήλ, sed Gen. 28,19 οἶκος θεοῦ, 31,13 τόπος θεοῦ, 35,1 ὁ τόπος Βαιθήλ, Ios. 18,22 Βησανά, Os. 10,15 οἶκος τοῦ Ἰσραήλ, 12,4 ὁ οἶκος Ὤν, Am. 5,6 ὁ οἶκος Ἰσραήλ; *Vulg.* interdum : domus Dei Gen. 35,7; Iud. 20,18. 26; 21,2), urbs antiqua chananaea (Ios. 8,17). Eius nomen primitivum fuerat Luza לוּז, Λουζά, semel corruptum ex praecedente hebr. אוּלם « tamen » Οὐλαμλούζ (Gen. 28,19; 35,6; Ios. 18,13; Iud. 1,23). Abram bis ad orientem Bethel tabernaculum suum tetendit et locum sanctificavit erecto altari ac nomine Domini invocato (Gen. 12,8; 3,3 quibus locis nomen Bethel per an-

licipationem usurpatur). Bis quoque Iacob urbem Domino consecravit eique novum nomen Bethel imposuit (Gen. 28, 19; 35,1. 6. 7. 15) et ipse Deus patriarcham alloquitur Gen. 31,13 : Ego sum Deus Bethel seu ut Chaldaeus explicat : qui tibi apparuit in Bethel. Locum universim Iacob appellavit Bethel, locum altaris 35,7 El Bethel i. e. Deus Bethel, quo scil. nomine divino Deus ad illud altare invocandus esset. Prope Bethel Iacob Deboram nutricem Rebeccae sepelivit subter Quercum fletus (35,8). In divisione terrae promissae tribui Beniamin attributa est (Ios. 18,22); sed in confinibus Beniamin et Ephraim sita (Ios. 16,1. 2; 18,3) et a filiis Ioseph (Ephraim et Manasse) expugnata (Iud. 1,22-26) de facto penes tribum Ephraim erat. Aetate iudicum Debbora prophetis filios Israel iudicabat sub palma, quae eius nomine vocabatur, inter Bethel et Rama (Iud. 4,5); de gravissimis rebus Israelitae Dominum consuluerunt in Bethel (Iud. 20,18. 26; 21,2; *Vulg.* his locis : *domus Dei* et insuper addit 20,18; 21,2 falsum epexegema : in Silo); in Bethel arca foederis erat ad tempus (20,27). Samuel quotannis Israel in Bethel iudicabat, sicut in Galgala et Masphath (1 Reg. 7,16); oblationes ad Deum in Bethel ferebant tres illi viri, quibus Saul obviam factus est ad quercum Thabor (1 Reg. 10,3). Ieroboam rex Israel in Bethel vitulum aureum fecit, sacerdotes excelsorum constituit (3 Reg. 12,29 ss. 13,1 ss.). Versus finem regni Ieroboam Bethel ab Abia rege Iuda occupata est (2 Par. 13,19), sed brevi post a Baasa rege Israel recuperata, qui Ramam usque progressus regno Iuda omnem aditum ad regnum Israel praecludere studebat (3 Reg. 15,17; 2 Par. 16,1). Regnante Achab Hiel de Bethel urbem Iericho munimentis firmare aggressus est, sed iuxta imprecationem Iosue graves huius facinoris poenas luit (3 Reg. 16,34). Elias ante assumptionem suam de Galgalis in Bethel descendit, ubi schola prophetarum florebat (4 Reg. 2,2.3). Pueri illi quadraginta duo, qui ob irrisionem Elisei a duobus ursis lacerati sunt, erant de Bethel (4 Reg. 2,23. 24). Iehu, qui cultum Baal de Israel delevit, tamen vitulum aureum in Bethel intactum conservavit (4 Reg. 10,29). Unde vaticinia Amos 3,14; 4,4; 5,5. 6; 7,10. 13) et Osee (10,15; cf. 12,4) frequenter praevaricationes Bethel perstringunt vel ad eas alludunt; cf. Ier. 48,13 et s. v. BETH-AVEN. Destructo regno Israel sacerdos ille israeliticus, quem rex Assyriae ex captivitate remisit, in Bethel habitavit ut colonos legitima Dei terrae doceret (4 Reg. 17,28); sed ex eius institutionibus tanta cultuum confusio exorta est, ut unaquaeque gens deum suum fabricaret (17,29). Iosias denique rex piissimus omnia excelsa abolevit et altare in Bethel polluit ac destruxit (23,4. 15-20). Duce Zorobabel ex captivitate redierunt viri Bethel et Hai (Esdr. 2,28; Neh. 7,32); utramque Beniaminitae post exsilium incolebant (Neh. 11,31). Aetate machabaica Bacchides dux Syrorum praeter alias urbes Iudaeae etiam Bethel muris, portis serisque firmavit (1 Mach. 9,50; *Flav. Ios.* Ant. XIII. 1,3). Vespasianus postquam toparchias Gophniticam et Acrabatenam subegit, Bethel oppidum cepit ibique praesidium collocavit (Bell. iud. IV. 9,9 quo loco *B. Niese* scribit Βήθηγα pro Βήθηλα).

Ex verbis Sacrae Scripturae Bethel sita erat in monte Ephraim aquilonem versus a Rama (Iud. 4,5), austrum versus a Silo (Iud. 21,19), iuxta viam quae Sichimam tendit (Gen. 12,6. 8; Iud. 21,19), occasum versus ab urbe Hai (Gen. 12,8; Ios. 7,2; 8,9; 12,9), haud procul a Gabaa Beniamin (Iud. 20,31), in vicinia Machmas (1 Reg. 13,2). Tempore Eusebii et S. Hieronymi Bethel vicus erat 12 mil. pass. a Ierusalem (Onom. *ed. Lag.* 230,9; 100,8), ad dexteram euntibus Neapolim (Sichem), ut S. Hieronymus l. c. addit. Ibidem hodie cernitur vicus *Beitīn* in descensu collis saxosi. Mons Bethel (Ios. 16,1; 1 Reg. 13,2) est ipse mons, in cuius descensu occidentali vicus *Beitīn* situs est.

Cf. *Reland,* Palaestina p. 638; *Robinson,* Palaestina II. 340 s.; *Raumer,* Palaestina *ed.* 4, p. 178-179; *Guérin,* Judée III. 14 ss.; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 295. 305, 307; *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land p. 119. 250 ss.; 290 ss.; 352; Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XV. 1892, p. 32;

XVI. 1893, p. 21; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 140; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 174 et etiam 71. 77. 81. 98. 100. 129; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1672-1680; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, III. 17 ss.; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1890, II. 488 ss.

BETHEL (Ios. 12,16; 1 Reg. 30,27) vide s. v. BETHUL.

BETHEMEC (בֵּית הָעֵמֶק i. e. domus vallis; Σαφθαιβαιθμέ per fusionem cum nomine Ἀσαφθά, quod apud LXX immediate praecedit, A Βηθαεμέκ), urbs tribus Aser (Ios. 19,27). Nunc probabilissime *'Amqa* non procul ab Accho inter septemtrionem et orientem.

Cf. *Guérin*, Galilée II. 23; *Riess*, Bibel-Atlas; *Legendre*, Carte de la Palestine; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 704. Sed de hoc situ dubitant *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 134 et *F. Buhl*, Alt. Pal. p. 230.

BETHER montes (הָרֵי בֶתֶר i. e. montes scissionis, ὄρη κοιλωμάτων i. e. montes vallibus discissi) Cant. 2,17. Ut *Gietmann* in h. l. notat, verbum « Bether » in hoc allegorico carmine sine dubio ob aliquam significationem ponitur et nunc ab omnibus fere vertitur scissio, diruptio. Montes Bether igitur regionem montibus et vallibus dissectam significant. Hac interpretatione supposita optime difficultas et labor indicatur, quo Sponsus montes percursans et post brevissimum adventum in iuga montium se recipiens Sponsam ad opus laboriosum in vineae cultura exstimulat. Ergo inter utrumque officia ita dispertiuntur, ut Sponsae sit domestica potissimum procurare, Sponsi etiam paulo longius excurrere. Sunt tamen auctores, qui montes Bether referant ad urbem Θεθήρ vel Βαιθήρ (ut aliquae editiones legunt) in quinta provincia montis Iuda (Ios. 15,59 LXX; deest haec provincia in textu massorethico et Vulgata). Eadem urbs scribitur Baether a S. Hieronymo in Mich. 5,2 et a modernis agnoscitur in *Khirbet Bittir* iuxta montem *Bittir* prope Ierusalem inter meridiem et occidentem; censetur quoque esse ista celeberrima Bether rabbinorum, in qua tempore Hadriani imperatoris Iudaei per tres annos et dimidium duce Bar Koziba (Bar Kocheba) Romanis restiterunt.

De Bether rabbinorum cf. *Reland*, Palaestina p. 639; *Hamburger*, Real-Encyklop. für Bibel und Talmud II. s. v. Bethar; *A. Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 103 s.; *F. Lebrecht*, Bether, die fragliche Stadt... ein 1700 jähriges Missverständniss, 1877; The Jewish Encycl. III. 123. 124; *E. Schürer*, Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3, I. 693 s.

De *Khirbet Bittir* iuxta montem *Bittir* cf. Ritter, Erdkunde XVI 428 s.; *Guérin*, Judée II. 385-395; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 50; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, I. 117 ss.; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, I. 112 ss.; *A. Schlatter*, Zur Topogr. u. Gesch. Pal. 1893, p. 135 ss.; *Sepp*, Jerusalem *ed.* 2, I. 647 ss.; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 165.

BETHESDA v. BETHSAIDA (piscina).

BETH EZEL (בֵּית הָאֵצֶל, οἶκος ἐχόμενος αὐτῆς, *Vulg.* domus vicina) Mich. 1,11 probabilius est nomen loci, quem aliqui in planitie Philisthaeae quaerunt, alii eundem esse putant, qui Zach. 14,5 vocatur Azal (אָצַל, Ἀσόδ, A Ἀσαήλ, *Vulg.* proximum); hoc altero loco Azal exhibetur ut terminus, ad quem vallis scissione montis olivarum exorta orientem versus pertinget, qua valle aperta Deus suis praebebit absconsionem ab hoste urbem devastante. Unde Azal (seu Beth Ezel) a multis putatur esse vicus quidam ab oriente montis olivarum quaerendus. De textibus satis obscuris et variis etymologicis interpretationibus cf. *Knabenbauer* in Mich. 1,11 et Zach. 14,5.

BETHGADER (בֵּית גָּדֵר, Βεθγεδώρ), urbs tribus Iuda (1 Par. 2,51). Probabiliter eadem est ac Gader urbs regia Chananaeorum Ios. 12,13 (v. GADER).

BETHGAMUL (בֵּית גָּמוּל Ier. 48,23; οἶκος Γαιμώλ LXX 31,23), urbs in campestribus (in planitie montana) Moab ad orientem maris Mortui superioris. Nunc *Khirbet Djemaïl* prope Dibon inter septemtrionem et orientem, non vero, ut aliqui putaverant, *Umm el-Djemāl* inter meridiem et occidentem a Bosra (Bostra) in *Haurān*.

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *Legendre*, Carte de la Palestine; *Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 268, qui dubium movet, num Bethgamul a septemtrione Arnonis quaerenda sit, cum inter urbes israeliticas non nominetur.

BETH HA-GAN בֵּית הַגָּן, Βαιθγάν, *Vulg.* domus horti; v. GAVER et ENGANNIM 2.

BETHHAGLA, BETH HAGLA בֵּית הַגְּלָה, i. e. domus perdicis; Βαιθαγλαάμ, Βαθεγαιώ, urbs in confinibus Iuda et Beniamin sita (Ios. 15,6; 18,19), tribui Beniamin assignata (18,21). Situm urbis antiquae indicant fons *'Ain Hadjele* et ruinae castelli *Qasr Hadjle* dimidiae horae spatio ab invicem distantes inter Iericho et mare Mortuum. — Praeterea v. Arca Atad s. v. AREA.

Cf. *Robinson*, Palaestina II. 510 ss.; III. 871; *Guérin*, Samarie I. 56; *Survey of West. Pal.* Mem. III 172 ss.; 213 ss.; Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XVI. 1893, p. 22; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 180; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 75; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, II. 293; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899. II. 46-49.

BETHIA בִּתְיָה, Βετθία, Βεθθία, filia Pharaonis et uxor Mered viri ex tribu Iuda (1 Par. 4,18). Textus ibidem manifeste corruptus est. Legitur enim : Hi autem filii Bethiae filiae Pharaonis, quam accepit Mered; sed desunt nomina filiorum, immediate praecedunt nomina filiorum Iudaia alterius uxoris et v. 17 deest subiectum scil. nomen mulieris pro verbo *genuit*. Obscuritas et confusio tollitur, si cum *Bertheau, Keil* aliisque versus 17 et 18 facta transpositione verborum ita leguntur : « Et filii Ezra : Iether et Mered et Epher et Ialon. Hi autem filii Bethiae filiae Pharaonis, quam accepit Mered genuitque Mariam et Sammai et Iesba patrem Esthamo. Uxor quoque eius Iudaia peperit Iared patrem Gedor et Heber patrem Socho et Icuthiel patrem Zanoe ». Si tali modo textus emendatur, duae recensentur uxores Mered cum suis filiis.

Ab hac textus emendatione non multum differt illa, quam *F. de Hummelauer*. Comment. in Num. p. 202 s. exhibet : « Filii Ezra : Iether et Mered et Epher et Ialon. Genuitque Meredo Bethia filia Pharaonis Mariam et Sammai et Iesba patrem Esthamo. Hi filii Bethiae filiae Pharaonis, quam accepit Mered. Et uxor eius Iudaea peperit Iared patrem Gedor et Heber patrem Socho et Icuthiel patrem Zanoe ». In hac quoque emendatione duae uxores Mered recensentur scil. Bethia filia Pharaonis et uxor quaedam Iudaea, quibus v. 19 tertia uxor, quae etiam Iudaea est, accedit, ut *F. de Hummelauer* l. c. interpretatur. Idem auctor addit, Hebraeis Aegypto egredientibus egressam esse etiam ipsam Bethiam filiam Pharaonis, quod alicui Hebraeorum esset iam tum matrimonio iuncta et coniicit eam fuisse uxorem pontificis Hebraeorum praemosaici anonymi et post caedem sacerdotum praemosaicorum Ex. 32 narratam alteras cum Mered nuptias iniisse.

BETHIESIMOTH, BETHSIMOTH (בֵּית הַיְשִׁימוֹת, בֵּית הַיְשִׁימוֹת), urbs in campestribus Moab, ubi Israelitae ante transitum Iordanis castrametati sunt (Num. 33,49; Αἰσιμώθ); primitus Sehon regi Amorrhaeorum subiecta (Ios. 12,3; Ἀσειμώθ) tribui Ruben attributa est (Ios. 13,20; Βαιτθασεινώθ); postmodum a Moabitis occupata inter inclytas urbes terrae Moab recensetur una cum Beelmeon et Cariathaim (Ez. 25,9; Βεθασιμούθ). Iudicium ab Ezechiele (25,8-11) in Moabitas et Ammonitas pronuntiatum exerceri coeptum est anno quinto post urbis Ierusalem destructionem, cum Nabuchodonosor in Syria inferiore castrametatus illas quoque tribus subigeret (*Flav. Ios.* Ant. XII. 9,7). Apud Eusebium (Onom. *ed. Lag.* 233,81) Βηθασιμούθ dicitur vicus contra Iericho 10 mill. pass. ab ea distans iuxta mare Mortuum. Cf. *Fl. Ios.* Bell. iud. IV. 7,6. Nunc *Khirbet Suweime* et *'Ain Suweime* prope mare Mortuum ab oriente Iordanis seu 15 km a monte Nebo occidentem versus.

Cf. *U. I. Seetzen*, Reisen, *ed. Kruse* II. 324. 373. ss.; *De Sauley*, Voyage en terre sainte I. 320 ss.; *Survey of East. Pal.* Mem. I. 156; *Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 251; *Tristram*, Land of Moab p. 350 ss.;

Riess, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 6; Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins II. 1879, p. 2. 11; *L. Heidet* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1686-1688; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 98.

BETH LE APHRAH (בְּבֵית לְעַפְרָה, LXX ἐξ οἴκου κατὰ γέλωτα, *Vulg.* in domo pulveris) legitur Mich. 1,10 in plaga Iudaeae annuntianda. Communiter ab interpretibus agnoscitur Ophera (עָפְרָה, Ἐφραθά, B Ἰεφραθά, A Ἀφρά), urbs tribus Beniamin Ios. 18,23; cf. *Knabenbauer* in Mich. 1,10. De eadem habet Onom. (*ed. Lag.* 94,7; cf. 222,40) : « Afra (Ἀφρά) in tribu Beniamin; et est hodie vicus Efrem (Ἀφρήλ) in quinto miliario Bethelis ad orientem respiciens ». His respondet vicus *el-Ṭaiyibe* prope *Beitīn* (Bethel) inter septemtrionem et orientem. Praeterea v. APHAIREMA et BAALHASOR.

BETHLEBAOTH (Ios. 19,6 : בֵּית לְבָאוֹת, Βαθαρώθ) seu **LEBAOTH** (Ios. 15,32 : לְבָאוֹת, Λαβώς), urbs in extrema parte meridionali Iuda, sed tribui Simeon assignata. Eadem videtur ac Bethberai 1 Par. 4,31 (v. BETHBERAI).

Aliquas coniecturas vide apud *Reland*, Palaestina p. 648 et *Jahn*, Jahrbücher für Philologie IV. p. 114 ss. Sed his coniecturis vix quidquam effici iam adnotavit *B. Winer*, Bibl. Realwörterbuch *ed.* 3, I. p. 172.

BETHLEHEM (בֵּית לֶחֶם i. e. domus panis; Βηθλεέμ, semel Ios. 19,15 Βαιθμάν), nomen duarum urbium.

1. Bethlehem civitas David in sorte tribus Iuda, in sexto ab Aelia miliario contra meridianam plagam iuxta viam quae ducit Chebron (*S. Hier.* Onom. *ed. Lag.* 101,5; sed 117,29 quinto miliario ab Ierusalem), ideoque appellatur Bethlehem Iuda (Iud. 17,7. 9; 19,1; 1 Reg. 17,12; Matth. 2,1. 5), ut distinguatur a Bethlehem oppido eiusdem nominis in tribu Zabulon (Ios. 19,15). In textu massorethico Ios. 15,21 ss. ubi civitates tribus Iuda enumerantur, Bethlehem desideratur quidem, recensetur autem in codd. LXX post v. 59 cum aliis urbibus quintae provinciae montis Iuda. Uti ex Gen. 35,19 et 48,7 colligitur, olim vocabatur Ephrata (regio fertilis? quae appellatio regioni utique convenit). Ibi in via quae ducit Bethlehem sepulta est Rachel (vide s. v. RACHEL). Cum Israelitae Palaestinam occuparent, Salma filius Hur et nepos Caleb regionem Bethlehem cum sua familia incoluit; quare 1 Par. 2,51 pater Bethlehem appellatur et v. 54 Bethlehem i. e. stirps ibi degens inter filios Salma enumeratur, et cum Salma esset filius Hur, Hur quoque 1 Par. 4,4 dicitur pater Bethlehem i. e. Bethlehemitae descendunt a posteris Hur.

Oppidum Bethlehem celebre est historia Ruth et Booz et familia Isai patris David (Ruth 1,1 ss.); ibi David pascebat greges, ibi unctus est a Samuele in regem (1 Reg. 16,4 ss.; 17,12. 15), quare Bethlehem etiam dicitur civitas David (1 Reg. 20,6). Et sicut David pastor ex humili conditione et ex oppido illo prodiit rex et liberavit populum a iugo Philisthiim et regnum condidit celebre, ita Messias quoque filius David praedicitur a propheta proditurus ex Bethlehem Ephrata (antiquo nomine sollemnitatis causa addito, Mich. 5,2). Quo oraculo simul discimus civitatem fuisse satis parvam; erat scil. minor quam ut inter chiliarchas Iudae censeretur; at hac humili conditione non obstante ob gloriam Davidis et Messiae merito etiam dici potest : nequaquam minima es in principibus Iuda (Matth. 2,6). Celebris erat cisterna bethlehemitica (2 Reg. 23,15; 1 Par. 11,17); Roboam exstruxit i. e. munivit inter alias urbes etiam Bethlehem (2 Par. 11,6). Ex incolis eius centum viginti tres Babylone reversi sunt (Esdr. 2,21; cf. Neh. 7,26). Maximam autem gloriam et memoriam immortalem habet Bethlehem ex nato Salvatore. Cum Maria et Ioseph neque in urbe neque in diversorio invenirent commorandi locum, extra urbem in specum qui simul gregibus pro stabulo inserviebat se receperunt (cf. *S. Iustinus* c. Tryph. 78; *Eusebius*, Vita Const. 3,41. 43; *S. Hieronymus*, ep. ad Marcell. 46,12; *S. Epiphanius*, Haer. 51,9); sed cum magi advenirent, in ipsa urbe in domo quadam divus puerulus repertus est (Matth. 2,11). — Nomen hodiernum est *Beit Laḥm* i. e. domus carnis.

Cf. *Fr. Quaresmius*, Terrae Sanctae Elucidatio, *ed. C. de Tarvisio*, Venetiis 1881, II. 747 ss. 465 ss.; *Fel. Fabri* Evagatorium, *ed. Hassler* 1843, I. p. 428 ss.; *Guérin*, Judée I. 120 ss.; *Tobler*, Bethlehem in Palaestina 1849; Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XVII. 1894, 89 ss.; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 28 ss. 83 ss.; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 24 ss.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, II. 34-65; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 143 ss.

2. Bethlehem urbs tribus Zabulon (Ios. 19,15); eadem probabilius est patria Abesan iudicis (Iud. 12,8. 10). Nunc *Beit Lahm* inter Nazareth et montem Carmel.

Cf. *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. 146; *Guérin*, Galilée I. 393; *Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 189; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, III. 200; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 677.

BETHMAACHA v. ABEL BETH MAACHA.

BETHMAON v. BAALMEON.

BETHMARCHABOTH (Ios. 19,5 : בֵּית הַמַּרְכָּבוֹת i. e. domus curruum, Βαθμαχερέθ; 1 Par. 4,31 : בֵּית מַרְכָּבוֹת, Βαθμαρωθ), urbs tribus Simeon, in extrema parte meridionali Palaestinae sita; utroque loco immediate sequitur urbs Hasarsusim i. e. pagus equorum. Iamvero notatu dignum est inter urbes meridionales Iuda Ios. 15,31 pro Bethmarchaboth et Hasarsusim nominari Medemena et Sensenna. Unde concludere pronum est nomina urbium primitiva fuisse Medemena et Sensenna, pro his autem postmodum nomina recentiora : Domus curruum, Pagus equorum substituta esse. Huic opinioni favet, quod aetate salomonica mentio fit urbium curruum et urbium equitum, in quibus quadrigae et equi ex Aegypto coempti congregabantur 3 Reg. 9,19; 10,26. 29; 2 Par. 1,17; 8,6; cf. Mich. 1,13). Obiiciunt quidem nonnulli haec nomina non esse recentiora, sed antiquissima, utpote iam Ios. 19,5 tradita; respondent alii Chananaeos quoque antiquos curribus falcatis usos esse. Binis nominibus easdem duas urbes designari etiam sensit *Relandus*. Idem hodie alii admittunt (*Dillmann*, alii negant *Muhlau*). Quodsi igitur Bethmarchaboth a Medemena distinguitur, poterit (cum *Riess* et *Fillion*) agnosci *el-Merqeb* 21 km ab Arad meridiem versus seu 4-5 horis ab infimo mari Mortuo occidentem versus; si non distinguitur, alter situs praeferendus erit s. v. MEDEMENA 1 indicandus.

Cf. *Reland*, Palaestina p. 152; *Dillmann* ad Ios. 15,31; *Muhlau* apud *Riehm-Baethgen*, Handwörterbuch des bibl. Altertums I. p. 221 a; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 6; *Fillion*, Atlas géograph. de la Bible 1890, p. 12.

BETH HA-MERKHAQ (בֵּית הַמֶּרְחָק; *Vulg.* procul a domo; LXX eundem textum bis vertentes ἐν οἴκῳ τῷ Μακράν et ἐπὶ τῆς ἐλαίας ἐν τῇ ἐρήμῳ) videtur esse nomen proprium loci inter muros Ierusalem et montem olivarum quaerendi 2 Reg. 15,17), qui ab urbe propius aberat quam torrens Cedron (cf. 15,23). Ulteriorem discussionem textuum et interpretationum vide apud *F. de Hummelauer* in h. l.

BETH MILLO legitur Iud. 9,20 (*Vulg.* oppidum Mello) et 4 Reg. 12,21 (*Vulg.* 12,20 domus Mello); v. MELLO.

BETHNEMRA (בֵּית נִמְרָה i. e. domus aquae limpidae et salubris, ut *Gesenius* explicat), urbs antiqua regni Schon Amorrhaei a filiis Gad reaedificata et munita (Num. 32,36; Ναμράμ), tribui Gad tradita (Ios. 13,27; Βαιθναβρά). Nomen brevius Nemra (נִמְרָה, Ναμρά legitur Num. 32,3. Apud Eusebium (Onom. *ed. Lag.* 232,42) eadem est ac villa Βηθναμβρίς (*S. Hieronymus* Bethamnaris) 5 mil. pass. a Libiade (Betharan) contra aquilonem sita; cf. etiam 234,89. His satisfacit hodiernum *Tell Nimrīn* iuxta *Wādi Nimrīn* in depressione Iordanis orientali et monti Quarantania (*Djebel Qarantal* e regione oppositum. — A nonnullis Bethnemra eadem habetur cum Bethabara seu Bethania trans Iordanem, ubi Ioannes erat baptizans (Io. 1,28) et huic opinioni favere existimant lectionem LXX Βαιθναβρά (ita *Grove-Wilson* apud *Smith-Fuller*, Dict. of the Bible s. v.);

sed vide BETHANIA TRANS IORDANEM. — De aquis Nemrim v. NEMRIM.

Cf. Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins II. 1879, p. 3; XVI. 1893, p. 1. 23; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I; *Survey of East. Pal.* Mem. I. 237; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 264; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 123. 124; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 84; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 6.

BETHORON, interdum Beth-horon, nomen regionis transiordanicae et duorum oppidorum cis Iordanem.

1. Beth-horon (כָּל־הַבִּתְרוֹן, LXX ὅλην τὴν παρατείνουσαν, *Vulg.* omni Bethhoron), regio ad orientem Iordanis (2 Reg. 2,29). Abner a Ioab prope Gabaon urbem Beniamin devictus Iordanem traiecit et lustrata omni *Bithron* venit ad castra seu rectius in Mahanaim (hodiernum *Mahne?*). Addita voce *omni* denotatur non urbs, sed pagus seu tractus regionis. Vadum quo Abner flumen traiecit, accuratius determinari nequit. Sed etymologia aliquid lucis affundit. *Bithron* a *Gesenio* s. v. explicatur regio montibus vallibusque dissecta vel vallis montes dissecans (בָּתַר *dissecuit*); poterat igitur esse nomen vallis cuiusdam transiordanicae, quae ex depressione Iordanis per montana Mahanaim versus ducebat.

2. Bethoron, Beth-horon (בֵּית חוֹרוֹן i. e. domus cavitatis, Ὡρωνίν, Βαιθωρών), oppidum seu potius duo oppida tribus Ephraim, quorum alterum superius, alterum inferius dictum est. Inter utrumque erat ascensus seu descensus angustus et leniter acclivis. Duo oppida hodie quoque nomen antiquum retinent : *Beit ʿUr el-fōqā* seu superior in monte posita et 2 km occidentem versus dissita *Beit ʿUr el-taḥtā* seu inferior. Duo hi vici circiter 20 km ab Hierosolymis distant inter septemtrionem et occidentem, secundum Onomasticon (*ed. Lag.* 102,29 et 233,71) 12 mil. pass. ab Aelia Nicopolin pergentibus, quod in idem fere recidit. Via antiquissima ab Hierosolymis per Gabaon et Bethoron ducebat Lyddam et Ioppen versus. — Bethoron exstructa est a Sara filia Ephraim (1 Par. 7,24); erat urbs refugii filiis Caath tradita (Ios. 21,22; 1 Par. 6,68[53]), in confinibus Ephraim et Beniamin sita (Ios. 16,3. 5; 18,13. 14). Propter situm rei militari gerendae aptissimum munitionibus firmata est a Salomone (3 Reg. 9,17; 2 Par. 8,5), a Iudaeis contra Holofernem (Iudith 4,4 graece), a Bacchide contra Machabaeos (1 Mach. 9,50). Per ascensum et descensum Bethoron Iosue quinque reges Amorrhaeorum apud Gabaon devictos persecutus est usque Azeca et Maceda (Ios. 10,10. 11). Per viam Bethoron Philisthaei Saulem debellantes ex castris apud Machmas positis ad praedandum palabantur (1 Reg. 13,18). Prope Bethoron Iudas Machabaeus Seron ducem Syrorum fugavit (1 Mach. 3,16. 24), Nicanorem confecit (7,39). Ibidem postmodum Romanorum dux Cestus Gallus a Iudaeis fere contritus est (*Flav. Ioseph.* Bell. iud. II. 19,8). De Bethoron fortasse oriundus est Sanaballat Horonites; v. SANABALLAT.

Cf. *Guérin*, Judée I. 338 ss. et 349; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 17. 86; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 169; *W. Max Müller*, Asien und Europa p. 166; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, III. 12. 13; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 410 ss.

3. Bethoron 1 Mach. 4,29 est mendum textus pro Bethsur (vide s. v.).

BETHPHAGE (Βηθφαγή), vicus prope Ierusalem in monte olivarum situs iuxta viam, quae a Iericho Ierusalem versus ducit (Matth. 21,1; Luc. 19,29 et in textu graeco, quem codices plerique praebent Marc. 11,1). Nomen communiter explicant domum grossorum vel domum ficorum; ficis non parum nobilitatus erat mons Olivetus; quamvis enim ab olivis nomen desumeret, produxit tamen et ficus et palmas. Satis mirum utique videri potest loco nomen inditum esse a ficu immatura; פַּגָּה enim proprie significat grossum seu ficum immaturam. Ceterum scribitur apud Talmudistas בֵּית פַּאגֵי et בֵּית פַּגֵּי et notat *Buxtorf*, Lexic. chald talm. rabb. c. 1692 : « De etymologia a grossis nihil apud Hebraeos legitur ». Verum aliae quoque explicationes sunt propositae.

Exponitur Βηθφαγή, οἶκος ἐπιτυχίας (Onomast. sacra, *ed. Lagarde* 173,58 et 182, 94 et 201,50), proinde quasi locus occursus, fortasse locus, quo complures viae convergunt; ad quam explicationem congruit, quod in Thesauro syriaco (*ed. Payne Smith* p. 493 praeter explicationem communem (domus ficus, locus cypri herbae) etiam additur alia *bivium*. Exponitur etiam οἶκος στόματος ἢ φάραγγος (Onom. l. c. 175,8 et Thesaur. syr. l. c.). Apud *Origenem* legitur : domum maxillarum interpretandum esse dicimus, quae villa erat sacerdotum (*M.* 13,1429 ; cf. Onom. 188, 76 : οἶκος σιαγόνων et 60, 24-26; cuius interpretationis rationem *Buxtorf*, Lex. l. c. ex voce syriaca כּבָא *maxilla* repetit « quoniam maxilla propria pars erat sacerdotum ex Lege ». Alii domum fontis explicarunt ex voce כּוּכּי, quam Iudaei graecisantes ex graeco πηγή efformaverint.

Bethphage secundum Talmudistas erat viculus prope Ierusalem situs, immo ipsi urbi accensendus, ita ut intra ipsos urbis muros esse diceretur; nominabatur quoque locus extimus in urbe. Sententia satis pervulgata est vicum situm fuisse vel media via inter Bethaniam et verticem montis olivarum vel eo loco quo euntibus in urbem a Bethania per iugum inter montem olivarum et montem scandali primus urbis aspectus offertur; prior situs communius admittitur neque tamen desunt rationes pro altero (cf. *Heidet* apud *Vigouroux*). Bethania ab urbe stadia 15 (Ioan. 11,18), mons Oliveti stadia fere 8 (seu iter sabbaticum Act. 1,12) distabat. Difficultas autem oritur ex eo, quod Luc. 19,29 et in textu graeco Marc. 11,1, quando Christus versus Bethaniam et montem olivarum ascendit urbem ingressurus, Bethphage ante Bethaniam ponitur. Unde multi relicta traditione antiqua concludunt Bethphage esse a Bethania orientem versus (*Winer*, *Kaulen*). Hac sententia facillime quidem explicatur Marc. 11,1 et Luc. 19, 29; attamen restat difficultas pro Matth. 21,1 (cf. Ioan. 12,1 ss.). Tum enim censendum esset Iesum a Bethania in urbem i. e. occidentem versus tendentem prius ab urbe orientem versus in Bethphage perrexisse et a Bethphage iterum in Bethaniam. Alii auctores qui traditionem antiquam de situ inter Bethaniam et montem olivarum retinent, difficultatem ex Marc. 11,1 et Luc. 19,29 removere student. *Patrizi* explicat : ad Bethphage et Bethaniam i. e. ad Bethphage Bethaniae seu in Bethaniae agro positam. *Lightfoot* opinatur nomina haec non designare ipsos vicos, sed regionem et interpretatur Christum a Bethania profectum pervenisse ad Bethphage et Bethaniam i. e. ad locum illum ubi se mutuo contingebant tractus isti montis his nominibus insigniti. Verum hic modus loquendi satis mirus et insolitus esset.

Cf. *Lightfoot*, Centuria chorographica Matthaeo praemissa cp. 37 [Opp. 1699 II. p. 198-199]; *Patrizi*, Comm. in Marc. p. 150; *idem*, De Evangeliis l. II. p. 418; *Knabenbauer* ad Matth. 21,1 et Marc. 11,1; *Winer*, Bibl. Realwörterbuch *ed.* 3, I. 171; *Kaulen* in Kirchenlexicon *ed.* 2, II. 545; *Heidet* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1706-1709. Praeterea v. *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 12 ss.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, *ed.* 4, I. 378 ss.; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, I. 439 ss.

BETHPHALET BETHPHELET (בֵּית פֶּלֶט i. e. domus evasionis; Βαιφαλάθ Ios. 15,27; Βηθφάλτ Neh. 11,26), oppidum in australi parte Iuda. Enumeratur inter Molada et Bersabee. Situs accuratior determinari nequit. V. etiam PHALONITES.

BETHPHESES (בֵּית פֶּצֶץ i. e. domus dispersionis, Βηρσαφής, urbs Issachar (Ios. 19,21). Est ignota.

BETHPHOGOR (בֵּית פְּעוֹר, Βαιθφογώρ), urbs Moab tribui Ruben assignata (Ios. 13,20). Vallis contra Bethphogor (*Vulg.* contra fanum Phogor, LXX σύνεγγυς οἴκου Φογώρ) erat ultima castrametatio Israelitarum in Moab (Deut. 3,29; 4,46). Eadem videtur esse vallis, in qua Moyses sepultus est (Deut. 34,6). Eusebius (Onom. *ed. Lag.* 233,78) dicit Bethphogor fuisse urbem Ruben trans Iordanem iuxta montem Phogor contra Iericho sex mil. pass. supra Libiadem i. e. orientem versus a Libiade (seu Iuliade, Betharan). Hinc a monte Nebo paulo

septemtrionem versus sita erat. — Ipsum nomen indicat urbem fuisse cultu Beelphegor (vide BAAL) famosam.

BETHRAPHA (בֵּית רָפָא, τὸν Βαθραΐαν) in genealogia Iuda 1 Par. 4,12 probabilissime est domus seu familia Rapha, quam Esthon genuit. *Syrus* praebet Rupha, *Arabs* Rapha omisso Beth. Aliqui urbem designari putant eamque in ruinis *Rūfāt* (cf. *Baedeker-Benzinger*, Palaestina und Syrien *ed.* 5, p. 209) meridiem versus a *Semū'a* (Esthemo) agnoscunt. Notandum est 1 Par. 4,12 etiam viros Recha commemorari, pro Recha autem in aliquibus mss. legi רפא (Cod. A Ῥηφά), unde Rapha et Recha idem nomen censeri poterit.

BETHSABEE בַּת־שֶׁבַע et 1 Chron. 3,5 בַּת־שׁוּעַ; Βηρσαβεέ), filia Eliam (2 Reg. 11,3) seu Ammiel (1 Par. 3,5), uxor Uriae Hethithae, postea Davidis. Adulterium Davidis cum Bethsabee et mors Uriae a Davide auctore inducta narrantur 2 Reg. 11,2 ss., vindicta divina et mors filii ex adulterio geniti 2 Reg. 12, 1 ss. Postea Bethsabee uxor legitima Davidis quattuor filios in Ierusalem genuit, Salomonem, Simmaa (Samua), Sobab, Nathan (2 Reg. 12,24; 1 Par. 3,5; cf. 2 Reg. 5,14; 1 Par. 14,4). Cum Adonias filius Davidis ex Haggith genitus ultimis Davidis annis regnum affectaret, ut Salomonem natu minorem, sed a Deo electum regno excluderet, Bethsabee a Nathan propheta monita Davidem edocuit de consiliis Adoniae (3 Reg. 1,11 ss.). Salomone regnante Adonias per Bethsabee sibi Abisag Sunamitidem uxorem expetivit; sed haec petitio, quam Bethsabee nihil suspicans protulit, a Salomone reiecta est et Adoniae utpote regnum appetenti poenam mortis attulit (3 Reg. 2,13 ss.). Duae genealogiae Christi reducuntur ad duos filios Bethsabee, ad Salomonem Matth. 1,6 et ad Nathan Luc. 3,31. Ad peccatum Davidis cum Bethsabee refertur titulus Ps. 50 [51].

BETHSAIDA civitas (Βηθσαιδά) saepius in Evangelio commemoratur; nomen proprie *domum venationis* vel *piscationis* significat atque pago prope lacum Tiberiadis sito omnino conveniens apparet; bis κώμη (Marc. 8,23. 26), secus πόλις (Luc. 9,10 etc.) vocatur. Magna autem inter recentiores agitatur quaestio, utrum duae civitates an una tantum eo nomine intellegendae sint. Qui unam solam admittunt, eam in orientali Iordanis ripa, prope locum ubi in lacum Genesareth intrat, sitam eandemque esse censent, quam Iosephus Iuliada a tetrarcha Philippo appellatam refert (Ant. XVIII. 2,1); qui vero duas opinantur fuisse cognomines, ab illa urbe in orientali plaga vicum in parte occidentali prope Capharnaum situm distinguunt. Argumenta praecipua pro priore de una civitate sententia afferuntur primum quia in Evangeliis, maxime Marc. 6,45; 8,22 et Luc. 9,10; 10,13, de Bethsaida nulla distinctione indicata sermo est; iam vero Marc. 8,22 et Luc. 9,10 ex contextu (Marc. 8,13. 27) et ex aliorum Evangelistarum narratione haec Bethsaida pro Iuliade in parte lacus orientali accipienda est; ergo neque Marc. 6,45, neque Luc. 10,13, nec multo minus in aliis textibus (Matth. 11, 21 = Luc. 10,13; Io. 1,44; 12,21) aliam supponendi Bethsaidam ratio sufficiens habetur. Praeterea Iosephus Flavius pariter nulla differentia indicata de una Bethsaida loquitur quam Iuliada appellat (l. c.). Addunt hanc Bethsaidam, quamvis in orientali Iordanis ripa sitam, nihilominus *Bethsaidam Galilaeae* vocari posse (Io. 12,21), quia ex usu loquendi *Ptolemaei* geographi (V. 16,4 [*ed. Müller-Fischer* 15,3]) et Iosephi (Ant. XVIII. 1,1 cf. ib. 6; Bell. iud. III. 3,1) Galilaea etiam ultra Iordanem et mare Tiberiadis se extendebat.

At pro sententia opposita arguunt imprimis ex hac ipsa denominatione *Bethsaida Galilaeae* quae distinctionem huius civitatis ab altera eiusdem nominis indicat, ac praeterea ex usu loquendi Evangelistarum locum in occidentali parte lacus situm designat; nam regio Gerasenorum in ripa orientali *contra Galilaeam* fuisse explicite describitur (Luc. 8,26), et Herodes tetrarcha Galilaeae exhibetur (Luc. 3,1), cui Dominum eundo in urbem Bethsaidam orientalem (ib. 8, 10 εἰς πόλιν καλουμένην Βηθσαιδά) se subtrahere voluisse in contextu innui vide-

tur. Insuper post primam multiplicationem panum, quam in orientali maris latere contigisse satis communiter admittunt, Christus « coegit discipulos ascendere navim, ut praecederent eum trans fretum ad Bethsaidam » (Marc. 6,45); ubi iam ex sensu obvio Bethsaida ex opposito maris latere sita indicatur, idque vel magis ex eo confirmatur, quod additur in eodem contextu : « Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesareth » ib. v. 53; cf. Matth. 14,34 et quod Ioannes narrat discipulos « trans mare in Capharnaum » venisse 6, 17; cf. v. 21). Atque haec sententia etiam testimoniis peregrinorum veterum (*Theodos.* c. 2. *ed. P. Geyer* p. 138; *S. Willibaldus*, *ed. Tobler-Molinier*, Itin. hieros. I. 2,261. 289 etc.; cf. *S. Epiph.* adv. haer. 51, *M.* 41,916. — *Virgilius*, quem citant ex *Pitra*, Anal. V. 118, idem est ac *Theodosius*) non minus conformis videtur, quam prior, licet certi quid ex eorum descriptionibus hac in re vix deduci possit.

Ex istis aliisque rationibus auctores in hac quaestione magnopere dissentiunt, quamquam *communem* iam doctorum palaestinologorum sententiam pro una Bethsaida orientali stare (*D. Zanecchia*) sine magna exaggeratione nequit affirmari. Immo fortassis solidiore probabilitate duas distingui civitates ex allatis argumentis haud temere quis dixerit.

Iam vero de situ civitatis Bethsaidae sive in ripa orientali sive in occidentali iterum magnus invenitur dissensus. Certum videtur, Bethsaidam orientalem Iuliadem dictam, in planitie hodie *el-Baṭīkha* (al. *el-Ebṭēkha*) appellata quaerendam esse, ubi alii ruinas *el-Tell*, alii *el-ʿAradj* vel *el-Mesʿadīye* tamquam situm civitatis antiquae designant. Iosephus multa de ea narrat (Ant. XVIII. 2,1; 4,6; Bell. iud. II. 9,1; III. 3,5; 10,7; IV. 8,2; Vit. 71-73); in Evangeliis vero Christus se in desertum prope civitatem recepisse refertur Luc. 9,10) ac probabiliter ibidem caecum sanavit (Marc. 8,22); fortassis etiam reliqui textus de ipsa intellegendi sunt. Bethsaida occidentalis autem aliis in *Abu Zeine* prope Iordanem, aliis in *Tell Ḥūm*, aliis in *ʿAin el-Ṭabigha*, aliis in *Khirbet Minye* videtur sita fuisse. Probabiliter ipsa patria erat apostolorum Petri, Andreae, Philippi (Io. 1,44; 12,21) atque in traditione posteriore parum probabili etiam filiorum Zebedaei, Ioannis et Iacobi, civitas nativa dicitur; cum prope Capharnaum, civitatem Domini, sita esset, Christus multas ibi fecit virtutes, sed nihilominus incredula merito exprobratur (Matth. 11,21; Luc. 10,13).

Unam civitatem Bethsaidam defendunt praeter alios *K. Furrer*, Zeitschr. des Deutschen Pal.-Ver. II. 1879, 66-8; *Ebers-Guthe*, Palaestina I. 334. 503; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the H. Land 457 s. et apud *Cheyne-Black*, Encycl. bibl. I. 565 s.; *I. Marta* in Rev. bibl. III. 1894, 445 s.; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, 241-3; *D. Zanecchia*, La Palestina d'oggi II. 459. 510-3. — *Duas* distinguunt *C. Adrichomius*, Theatr. Terrae S., Manasse 2,44. 63; Zabulon 18; *Fr. Quaresmius*, Terrae S. Elucid. II., Venetiis 1881, 646. 651 s.; *H. Reland*, Palaestina II. 653-5. 869; *E. Robinson*, Palaest. III. 544. 549 s. 566 s.; *id.* Neuere bibl. Forsch. in Pal. 458 s. 470 s.; *K. Raumer*, Palaest. *ed.* 4, 122; *C. Ritter*, Erdkunde XV. 1,278-81; *V. Guérin*, Galilée I. 215-22. 329-38; *Fr. Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, III. 136-40. 155; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 189; *I. P. van Kasteren*, Rev. bibl. III. 1894, 65-70; *W. Ewing* apud *Hastings*, Dict. of the Bible I. 282 s. — Cf. etiam *L. Heidet* in *F. Vigouroux*, Dict. de la Bible I, 1713-23; *E. Schürer*, Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3, II. 161 s.; *L. Fonck*, Wunder des Herrn I. 190. 290. 326 s. 415.

L. FONCK.

BETHSAIDA piscina (Βηθζαθά Cod. ℵ, Βηθσαιδά B, Βελζεθά D; Βηθεσδά Syr., Itala etc.; cf. *Tischend.* et *Westcott-Hort* II. 76) cognominabatur hebraice, i. e. in lingua vernacula palaestinensi, piscina hierosolymitana, quae in Vulgata *probatica piscina* dicitur, in textu graeco autem (ἐπὶ τῇ προβατικῇ scil. πύλῃ) ex opinione communiore potius iuxta portam ovium (s. portam gregis Neh. 3,1. 31; 12,38) sita indicatur, nisi forte cum *R. Riess* (Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 26) duae piscinae distinguendae sunt, altera probatica, altera Bethsaida prope priorem sita (ἐπὶ τῇ προβατικῇ, scil. κολυμβήθρᾳ), aut cum *I. van Bebber* nomen Bethsaidae de quinque porticibus iuxta (ἐπί) piscinam explicandum est. Nomen varie explicatur, vel tamquam domus piscationis

seu piscium, vel domus olivae vel d. nova vel d. gratiae etc. Post S. Hieronymum etiam ipsa piscina saepe *probatica* appellatur, idque inde derivant, quod oves ad sacrificia destinatae ibidem lavabantur (*Euseb.-S. Hieron.*, Onomast. s. v., *ed. Lagarde* p. 240,15; 108,9).

Situs huius piscinae ex verbis Evangelii prope portam gregis quaerendus est, quam plerique in parte septemtrionali templi fuisse censent. Ex relationibus veterum peregrinorum situs ille magis illustratur. *Itinerarium Burdigalense* (a. 333) loquitur de duabus piscinis magnis « ad latus templi, i. e. una ad dexteram, alia ad sinistram, quas Salomon fecit; interius vero in civitate sunt piscinae gemellares, quinque porticus habentes, quae appellantur Bethsaida; ibi aegri multorum annorum sanabantur; aquam autem habent piscinae in modum cocci turbatam » Itin. hieros., *ed P. Geyer* p. 21,3 ss.). Similiter Eusebius et Hieronymus in Onomastico duas piscinas, alteram aquis rubescentibus, commemorant, quarum porticus destructae erant, et *Eucherius* (c. a. 440) : « vicina templo Bethsaida piscina gemino apparet insignis lacu » etc. (*ed. P. Geyer* p. 127,3 ss.). *Theodosius* vero (c. 530) accuratius refert « de domo Pilati usque ad piscinam probaticam passus plus minus centum; ibi Dominus Christus paralyticum curavit, cuius lectus adhuc ibi est. Iuxta piscinam probaticam item est ecclesia Dominae Mariae » (n. 8, *ed. P. Geyer*, p. 142, 3 ss.). Pariter *Anonymus Placentinus* (c. 570) : « revertentibus nobis in civitatem venimus ad piscinam natatoriam, quae habet quinque porticus, ex quibus una habet basilicam S. Mariae, in qua multae fiunt virtutes. Nam ipsa piscina modo redacta est in stercore, et ibi lavantur omnia quae sunt necessaria in civitate » (c. 27, *ed. P. Geyer*, p. 177,14 ss.). Textus *Breviarii de Hierosolymis* (c. 590), qui loquitur de « basilica, in tempore ubi se lavabant infirmi et sanabantur » et mox ad basilicam S. Mariae in valle Iosaphat transit, videtur corruptus esse (*ed. P. Geyer*, p. 165,11 ss.).

Ex sequentibus itinerariis clarius apparet, piscinam hanc prope ecclesiam S. Annae in honore fuisse (cf. *Petrus Diaç.*, *ed. P. Geyer*, p. 108,16 s.; *S. Sophronius*, Anacreont. 20, v. 80 ss. apud *Migne*, 87,3,3823), atque hanc ipsam S. Annae basilicam illi ecclesiae S. Mariae a Theodosio et Anonymo memoratae successisse. Atque re vera paucis abhinc annis (a. 1888) prope hanc ecclesiam S. Annae in latere occidentali reliquiae magnae piscinae geminae et quinque porticuum cum sacello a crucigeris medii aevi erecto per cl. *C. Schick* repertae sunt, quae loco a peregrinis descripto satis conveniunt. Cum porta gregis iuxa communem acceptionem non ita multum inde remota fuerit, etiam verbis Evangelii hac ex parte conveniens invenitur. Aliqua vero difficultas in eo fortasse habetur, quod ex verbis S. Ioannis piscina in ipsa urbe hierosolymitana videtur fuisse; iste vero locus prope ecclesiam S. Annae satis probabiliter tempore Domini nostri extra civitatem situs erat, cui demum per moenia Agrippae adjunctus est (v. IERUSALEM). Nihilominus ex antiquis ruinis ibidem inventis multi recentiores huic loco honorem piscinae probaticae tribuunt.

Alii eam potius prope *Ḥammām el-Shefā* (balneum salutis) in immediata templi vicinia in latere occidentali quaerendam censent, ubi etiam nunc piscina antiquissima exstat, salubri aqua celebris. Nuperrime *I. van Bebber* opinionem, quae natatoriam evangelicam eandem esse dicit cum piscina Siloe (q. v.), novis rationibus et auctoritate S. Irenaei (adv. haer. IV. 8,2) defendit. Alii improbabiliter *Birket Isra'īn* aut fontem Virginis (*'Ain Sitti Maryam* vel *'Ain Umm el-Deredj*) aut alium situm proponunt.

Cf. *Ioh. Lightfoot*, Disquisitio chorogr. Ioanni praemissa c. 5 (*ed. Leusden* II. p. 587-90); *Fr. Quaresmius*, Terrae S. Elucid. L. IV. peregr. 3, c. 9 (*ed. Venet.* 1881, II. p. 77-80); *I. C. Hottinger*, De piscina Bethesda, Tiguri 1705; *Hadr. Relandi*, Palaestina p. 856; *E. Robinson*, Palaestina II. p. 136-8; *T. Tobler*, Denkblätter aus Jerusalem, p. 53-69; *C. Schick* in Zeitschr. des Deutschen Pal.-Ver. XI. 1888, p. 178-83; *V. Guérin*, Jérusalem p. 282-4; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem, *ed.* 2 I. p. 231-4; *D. Zanecchia*, La Palestina d'oggi I. p. 261-3; *Fr. Liévin de*

Hamme Terre Sainte 1897, I p. 338-40, *F. Brose* in Stud. und Krit. LXXV. 1902, 133-40; LXXVI. 1903.153-6; *F. Nestle* in Exp. Times XIII. 1901-02, 171 s. 332 s.; *I. van Bebber* in Theol. Quartalschrift LXXXV. 1903.161-95. 369-417. — V. etiam IERUSALEM III. 5.

L. FONCK.

BETHSAMES (בית שֶׁמֶשׁ i. e. domus solis. LXX plerumque Βαιθσαμύς, *Vulg.* 1. Par. 6,59 Bethsemes).

1. Urbs in termino aquilonari tribus Iuda sita (Ios. 15,10), tribui Dan attributa (Ios. 19,41; *Vulg.* Hirsemes i. e. civitas solis, hebr. עִיר שֶׁמֶשׁ), filiis Aaron tradita (Ios. 21,16; 1 Par. 6,59). Probabilissime Bethsames eadem quoque est ac Har Kheres (הַר־חֶרֶס i. e. mons solis, *Vulg.* in monte Hares quod interpretatur testaceo, LXX ἐν τῷ ὄρει τῷ ὀστρακώδει, in qua Amorrhaeus Danitas coarctans habitavit (Iud. 1,35). Celebris facta est Bethsames eo praesertim, quod reguli Philisthaeorum arcam Domini ab Accaron usque in agrum Iosue Bethsamitae comitati sunt; brevi tempore apud Bethsamitas arca substitisse videtur; septuaginta viris Bethsamitarum propter irreverentem arcae aspectum a Deo percussis inde translata est in Cariathiarim (1 Reg. 6,9-21; cf. *F. de Hummelauer* in h. l.). Postmodum Bethsames pertinebat ad praefecturam salomonicam a Bendecar administratam (3 Reg. 4,9). Apud eandem urbem Ioas rex Israel Amasiam regem Iuda devicit et captivum in Ierusalem secum duxit (4 Reg. 14,11. 13; 2 Par. 25,21. 23). Regnante Achaz a Philisthaeis occupata est (2 Par. 28,18). — Eusebius (Onom. *ed. Lag.* 237,60) eam sitam esse dicit 10 mil. pass. ab Eleutheropoli versus Nicopolim (*'Amwās*). Nunc *'Ain Shems* 24 km a Ierusalem occidentem versus (*Riess*). Vestigium nominis antiqui (domus solis — fons solis) idem suadet.

Cf. *Robinson*, Palaestina III. 224; Neuere bibl. Forsch. p. 200; *Guérin*, Judée II. 18 ss.; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 35. 60; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 194; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, I. 88; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, I. 113 s.; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 323-326; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3. p. 7.

2. Urbs in termino septemtrionali tribus Issachar inter montem Thabor et Iordanem sita Ios. 19,22. A nonnullis censetur esse *'Ain el-Shemsiye* infra Bethsan.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. II. 231; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. V. VI; *Legendre*, Carte de la Palestine, signo ? addito.

3. Urbs tribus Nephthali, in qua Chananaei habitabant, sed a Nephthalitis tributarii facti sunt (Ios. 19,38; Iud. 1, 33). De situ aliquam conecturam tentavit *Guérin*, Galilée II. 375 ss., quam impugnat *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 232.

4. Legitur Ier. 43,13 : Et conteret statuas domus solis (בית שֶׁמֶשׁ), quae in terra Aegypti; LXX τοὺς στύλους Ἡλιουπόλεως τοὺς ἐν Ὤν. Unde nomine Beth Shemesh videtur On seu Heliopolis urbs Aegypti designari. On, civitas solis, templum habebat soli dedicatum, in quo constituti erant duo obelisci (Herod. 2, 59.111). Sed cum in contextu generatim sermo sit de statuis in Aegypto, illae statuae domus solis rectius forte intelleguntur idola et simulacra in templis constituta; fuerunt enim in Aegypto, ut refert *Brugsch* (Dict. géogr. de l'ancienne Égypte p. 409), multa oppida et simulacra nomine Pi-Ra i. e. domus solis insignita, immo in quovis maiore templo videtur adfuisse adyton Ra deo solis dedicatum.

BETHSAN (בֵּית שָׁן et בֵּית שְׁאָן. Βαιθσάν), urbs tribus Manasse intra fines Issachar sita (Ios. 17,11. 16; 1 Par. 7, 29), ex qua Chananaei non sunt expulsi (Iud. 1,27). Bethsan usque Philisthaei Saule ad montem Gelboe oppresso progressi sunt et cadavera Saulis ac filiorum eius affixerunt in porta urbis Bethsan (1 Reg. 31,10. 12) seu in platea, quae erat secus portam (2 Reg. 21,12). Universa Bethsan i. e. regio a Bethsan usque Abelmehula pertinebat ad praefecturam salomonicam a Bana filio Ahilud administratam (3 Reg. 4,12). Iudas Machab. et Ionathas frater eius ex Galaad Hierosolyma redituri Iordanem traic-

cerunt contra faciem Bethsan (1 Mach. 5, 52; 2 Mach. 12,29). Postmodum apud Bethsan Ionathas cum 40000 virorum Tryphoni occurrit, sed verbis eius pacificis deceptus exercitum dimisit et brevi post Ptolemaide comprehensus est (1 Mach. 12,40. 41).

Eadem urbs est ac Scythopolis, Σκυθόπολις, una ex praecipuis urbibus hellenisticis Palaestinae et ex urbibus Decapoleos unica, quae ab occidente Iordanis sita erat. Vocatur Σκυθῶν πόλις Iudith 3, 10; 2 Mach. 12,29 et in additamento LXX ad Iud. 1,27. Origo huius nominis obscura est. Plerique cum Syncello (*ed. Dindorf* I. 405) admittunt nomen urbi inditum esse a Scythis, qui saeculo septimo a. Chr. in Palaestinam irrúperant, quorum aliqui in Bethsan sedes fixerunt. Plinius (V. 18,74) nomen explicat a Scythis, quos Dionysus deus ad protegendum sepulcrum nutricis suae illuc deduxerit. A Plinio l. c. etiam appellatur Nysa; Nysa autem est nomen mythologicum loci, ubi Dionysus a nymphis educatus fuerat; unde multae urbes de gloria huius nominis inter se concertabant (cf. *Stephanus Byz.* s. v.). Antiquissima mentio graeci nominis Scythopolis fortasse habetur in nummis quibusdam Alexandri Magni litteris ΣΚ insignitis (*Müller*, Numismatique d'Alexandre le Grand, p. 304. 305). Saeculo tertio a. Chr. Scythopolis Ptolemaeis regibus tributa pendebat (*Flav. Ios.* Ant. XII. 4,5). Antiocho III. Magno, sexto regi Syriae, anno 218 in Palaestinam irrumpenti sponte se subiecit (*Polyb.* 5,70); in plenam autem Syrorum ditionem transiit anno 198 cum reliqua Palaestina. Aetate machabaica commemoratur ut urbs gentilis, sed Iudaeis benevola (2 Mach. 12, 29-31). Exeunte saeculo secundo (circa 107 a. Chr.) a Ioanne Hyrcano Syris erepta (*Flav. Ios.* Bell. iud. I. 2,7) vel potius proditione Epicratis ducis Syrorum Iudaeis tradita est (Ant. XIII. 10,3). Unde etiam Alexandro Iannaeo parebat (Ant. XIII. 15,4). A Pompeio Iudaeis erepta (Ant. XIV. 4,4; Bell. iud. I. 7,7), a Gabinio instaurata (Ant. XIV. 5,3; Bell. iud. I. 8,4) in romanum imperium cessit, sed legibus suis administrabatur; recensetur inter urbes praecipuas Decapoleos (Bell. iud. III. 9,7). Sub initium belli iudaici Scythopolitae Iudaeos apud se habitantes ad tredecim millia numero trucidarunt (Bell. iud. II. 18,3. 4; VII. 8,7; Vita 6). Toto tempore belli Scythopolis a parte Agrippae regis et Romanorum stabat (Vita 65). — Sita erat in termino meridionali Galilaeae (Bell. iud. III. 3,1), in campo magno iuxta ripam dexteram Iordanis (Ant. XII. 8,5), a Tiberiade 120 stadiis distans (Vita 65), a Ierusalem 600 stadiis (2 Mach. 12,29). Nunc *Beisān* inter Iordanem et *Djebel Fuqū'a* seu montem Gelboe. Nomen igitur antiquum praevaluit, ut v. g. etiam nomen *'Akkā* pro Ptolemaide Graecorum. Flavius Iosephus interdum nomen biblicum adhibuit graeco nomine simul addito (Ant. V. 1,22 : ἐπὶ Βηθασάνων, VI, 14,8 : Βηθσάν, XII. 8,5 : Βεθσάνη, XIII. 6,1 : Βαιθσάν *ed. Niese*), frequentius tamen nomen graecum solum usurpat. Nomen biblicum etiam conservavit Mishna (Aboda Sara 1,4; 4,12).

Fertilitas regionis circa Bethsan erat tanta, ut rabbini dixerint : Si paradisus sit in terra israelitica, Bethsan est ostium eius.

Cf. *Abulfeda*, Tabula Syriae *ed. Köhler* p. 84.85; *Lightfoot*, Centuria chorographica Matthaeo praemissa cp. 60; *Reland*, Palaestina p. 992-998; *Robinson*, Palaestina III. 407-411; Neuere bibl. Forsch. p. 429-437; *Ritter*, Erdkunde XV. 1, p. 426-435; *Guérin*, Samarie I. 284 ss.; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 101-114; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, p. 357-364; *A. Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 174 ss.; *Schürer* Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, II. p. 134-137; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 205; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 163 ss.; Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XIV. 1891, p. 71; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 590-592.

BETHSEMES v. BETHSAMES.

BETHSETTA (בֵּית הַשִּׁטָּה i. e. domus acaciae, Βηθσεέδ), urbs quam Madianitae a Gedeon in planitie Iezrael devicti in fuga sua transierunt (Iud. 7,22).

Aliqui putant Bethsetta fuisse in ipsa valle Iordanis a meridie Bethsan, praesertim cum secundum textum hebraicum et alias versiones legendum sit : fugientes usque ad Bethsetta Saredam seu

Sarthan versus; Sarthan autem censetur esse *Qarn Sartaba* haud procul a loco, ubi labor fluvius in Iordanem influit. Sed inter Bethsan et Sarthan nullum vestigium nominis Bethsetta hucusque repertum est. — Alii vero (*Robinson*, *Schwarz*, *Guérin*, *Legendre*, *G. A. Smith*, *Zanecchia*) agnoscunt Bethsetta in vico *Shitta* seu *Shutta* seu *Siatta* inter urbem Iezrael et Bethsan atque hunc situm commendant tum nomen tum etiam ipse textus; fugerunt enim Madianitae e planitie Iezrael primum Bethsan versus.

Cf. *Robinson*, Palaestina III. 461; *I. Schwarz*, Das heilige Land 1852, p. 133; *Guérin*, Samarie I. 301-303; *Legendre*, Carte de la Palestine; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. VI; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1898, II. 607.

BETHSIMOTH v. BETHJESIMOTH.

BETHSUR, BETHSURA בֵּית צוּר i. e. domus rupis, Βηθσούρ, Βαιθσούρ, Βαιθσούρα, urbs in montanis Iuda inter Halhul et Gedor sita (Ios. 15,58; *Vulg.* Bessur), quam possidebat Maon ex posteris Hebron (1 Par. 2,45) et Roboam rex Iuda munitionibus firmavit (2 Par. 11, 7; *Flav. Ios.* Ant. VIII. 10,1). Post exsilium Nehemiam in exstruendis muris, turribus ac portis Ierusalem adiuvit Nehemias princeps (שַׂר) dimidii tractus (פֶּלֶךְ) Bethsur. Aetate machabaica multum circa Bethsuram dimicabatur. Ibi anno 165/164 Iudas Mach. Lysiam ducem Syrorum fugavit (1 Mach. 4,29 LXX ἐν Βαιθσούροις, *Vulg.* in Bethoron; cf. Ant. XII. 7,5) et postea locum munitionibus novis firmavit (1 Mach. 4,61; 6,7. 26; cf. Ant. XII. 7,7). Non multo post Lysias cum multiplicato exercitu redux altera clade apud Bethsuram affectus est (2 Mach. 11,5 ss.; cf. *Cornely*, Introd. II. num. 157; *Patrizi*, De consensu utriusque libri Mach. p. 214. 263). Anno 163/162 Antiochus V. Eupator Bethsura potitus est (1 Mach. 6,31. 49. 50; 2 Mach. 13,19. 22; cf. Ant. XII. 9,3-5; Bell iud. I. 1,5). Syri quoque urbem munitionibus firmarunt eamque tenuerunt sicut et arcem hierosolymitanam, etiam postquam Ionathas Hierosolymis potitus est (1 Mach. 9,52; 10,14; cf. Ant. XIII. 1,3). Simon Machabaeus autem Bethsuram post longiorem obsidionem denuo recuperavit ac munivit (1 Mach. 11,65 s. 14,7. 33; cf. Ant. XIII. 5,6 ubi Iosephus eam dicit locum totius Iudaeae munitissimum).

Nunc vocatur *Beit Sûr* non procul a Hebron septentrionem versus. Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 235, 25 et 104,27) vicum Bethsoro dicunt a Ierusalem Hebron versus 20 mil. pass. distare ac monent ab eo distinguendam esse aliam villam Bethsur in tribu Iuda mille passibus ab Eleutheropoli distantem. Iidem l. c. referunt prope Bethsuram ad radices montis ebullire illum fontem (hodie *'Ain el-Dhirwe*), in quo eunuchus Candacis reginae a Philippo baptizatus sit; cf. Act. 8,26 ss.

In Itinerario Burdigalensi (a. 333) scribitur Bethasora, ubi est fons, in quo Philippus eunuchum baptizavit; distantia a Ierusalem indicatur 4 + 2 + 14 mil. pass. Etiam S. Paula in sua Peregrinatione (a. 404) de Bethlehem « coepit per viam veterem pergere, quae ducit Gazam... et tacita secum volvere, quomodo eunuchus Aethiops, gentium populos praefigurans, mutaverit pellem suam et dum vetus relegit instrumentum, fontem reperit Evangelii. Atque inde ad dextram transiit Bethsur, et inde venit Escol.. ... Nec post longum spatium..... ascendit Hebron ». Accedit testimonium Theodosii (c. 530) : « De Hierusalem usque ubi baptizavit domnus Philippus eunuchum, milia sedecim; inde usque Terebintum, quod appellatur ilex Mambre, milia duo; de Terebinto usque ad speluncam duplicem, ubi requiescunt patriarchae, milia quattuor; de spelunca duplice usque in Hebron milia duo ». Eiusdem traditionis antiquae de baptismo eunuchi « in vicesimo quarto miliario ab Hierusalem iuxta Ebron » mentionem facit anno 1137 Petrus diaconus, coenobii Casinensis bibliothecarius eamque ex recentioribus defendunt *Raumer*, *F. de Saulcy*, *Guérin*, *Zanecchia*, *Heidet*.

Vix dubium est, quin antiqua haec traditio praevaleat opinioni medio aevo communissimae, quam *Liévin de Hamme* sequitur, illum fontem Act. 8,26 ss. esse

'Aïn el-Haniye inter Ierusalem et *Khirbet Bittir* iuxta viam ferream, quae hodie a Ierusalem Ioppen decurrit. Obiiciunt enim contra priorem traditionem Bethsur nimium abfuisse a via, quae a Ierusalem per Bethlehem et Eleutheropolim Gazam versus ducebat (*Riehm-Baethgen*). Censet *Felten* per illud additum Act. 8,26 : *haec* (scil. via) *est deserta* viam celebriorem, quae a Ierusalem per Hebron Gazam versus ducebat, excludi et aliam magis directam, etsi minus frequentatam postulari; similiter interpretatur *Patrizi*. Concedendum est viam per Hebron Gazam versus fuisse longiorem; sed non apparet, cur eunuchus longiorem et minus directam sequi non potuerit, ut iam *Relandus* bene animadvertit : « Viae non fuere semper recte ductae per spatia brevissima nec opinor isti traditioni (antiquiori) fidem ea re derogandam esse ». Eadem via recte appellatur deserta, quae scil. per regionem solitariam et desertam ducat (*Knabenbauer*). Minus feliciter *Robinson* baptismum eunuchi transfert usque ad *Tell el-Ḥasī* inter Eleutheropolim et Gazam.

Cf. *Itinerarium Burdig.* apud *P. Geyer*, Itinera hieros. p. 25; *Peregrinatio S. Paulae* 10. 11 apud *Tobler et Molinier*, Itinera hieros. 1879, I. p. 25; *Theodosius*, De situ terrae sanctae 5 apud *P. Geyer* l. c. p. 139. 140; *Petrus diaconus*, Liber de locis sanctis apud *P. Geyer* l. c. p. 110; *Reland*, Palaestina p. 658-660; *Robinson*, Palaestina I. 360. II. 644. 747-749; *idem*, Neuere bibl. Forsch. 362; *Raumer*, Palaestina *ed.* 4, p. 181. 182. 449-451; *Guérin*, Judée III. 287-295; *F. de Saulcy*, Voyage en Terre Sainte 1865, I. p. 163. 164; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 213-215; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4, I. p. 119-120; II. 98; *L. Heidet* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1746-1749; *Riehm-Baethgen*, Handwörterbuch des bibl. Altertums I. p. 224; *Patrizi*, *Felten*, *Knabenbauer* ad Act. 8,26 ss.; *E. Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes etc. *ed.* 3, I. p. 207; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 311 ss. 324 ss.; Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XVI. 1893, 24.

BETHTHAPHUA (בית תפוח i. e. domus pomorum, Βαιθαχού, A Βεθθαπφουέ), urbs tribus Iuda in secunda provincia montis (Ios. 15,53). Hodie vicus *Taffūḥ* 5 km a Hebron occidentem versus. Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 235,17; 104,17) loquuntur de vico quodam Bethtaphu in confinibus Palaestinae et Aegypti sito, qui neque cum nostra Bethtaphua neque cum aliis urbibus Taphua (vide s. v.) ex S. Scriptura notis componi potest. Putant aliqui Thopo 1 Mach. 9,50 a Bethtaphua non esse diversam (*Grimm* ad h. l.; *Zanecchia*); v. THOPO.

Utrum ille Taphua, qui 1 Par. 2.43 inter filios Hebron de genere Caleb filii Hesron recensetur, aliquem nexum habeat cum nostra urbe necne, dici vix poterit.

Cf. *Robinson*, Palaestina II. 700; *Raumer*, Palaestina *ed.* 4, p. 181; *Guérin*, Judée III. 374-376; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 310. 379; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 263.

BETHUL (בְּתוּל, Βουλά), urbs tribus Simeon (Ios. 19, 4). Eadem est, quae Ios. 15,30 Cesil (כְּסִיל, Βαιθήλ), 1 Par. 4,30 Bathuel (בְּתוּאֵל, Βαθουήλ) vocatur, ut suadent tum lectiones LXX tum ordo enumerationis inter Eltholad et Harma. Probabilius eadem quoque est ac Bethel (בֵּית אֵל), urbs chananaea a Iosue percussa (Ios. 12,16; LXX omitt.), ut suadet enumeratio urbium Ios. 12,10 s. a meridie septemtrionem versus (cf. dicta s. v. APHEC 1); eadem denique ac Bethel (בֵּית־אֵל, Βαιθσούρ, A Βαιθήλ), cui David post cladem Amalecitarum redux in Siceleg dona de praeda misit (1 Reg. 30, 27), ut compluribus aliis urbibus meridianis. — De situ nonnisi coniecturae exstant. Opinio quae Bethul confundit cum Elusa (*Khalasa*) ad meridiem Bersabee propter cultum deae Khalasa ibidem exhibitum (*Knobel*), nunc communiter relinquitur utpote sola combinatione cum nomine Beth-El innitens (cf. *Keil* et *Dillmann* ad Ios. 15,30). Neque admitti potest situs *Beit Ula* inter Eleutheropolim et Bethsuram, quem proponunt *Guérin*, Judée III. 346-347 et *Survey of West. Pal.* Mem. III. 302, quia tribus Simeon vix eousque ad aquilonem protendebatur.

Adverte Bethel Ios. 15,16 a multis interpretibus eandem haberi ac Bethel celeberrimam in confinibus Beniamin et Ephraim.

BETHULIA (Βετυλούα), patria Iudith et urbs munita, quam Holofernes, ut Iudaeam invaderet, oppugnavit Iudith 6,7. 10; 7,1. 11; 8,3; 12,7; 15,7-9; 16, 23. 28. Ad situm determinandum locos non ex Vulgata, sed ex textu graeco adducemus, qui plenior et accuratior est. Urbs sita erat in monte (6,10-13; 7,1. 7. 10. 12; 10,10); in valle ad radicem montis fons scaturiebat (7,3. 12; 12,7); alii quoque fontes in urbis vicinia erant (6,11; 7,7. 17). Maxime vero notatu dignum est, quod castra Holofernis ad radicem montis iuxta fontem posita extendebantur latitudine usque ad Dothain et Belthem (Belma, Belamon), longitudine usque ad Kyamon (Chelmon), quae est a facie (ἀπέναντι) Esdrelon (7,3); ex textu igitur Dothain *Tell Dōthān*, Belma *Bīr Bel'ame*, Kyamon (*Yāmūn*) triangulum formant, quo Holofernes urbem ex tribus partibus oppugnabat. Accedit quod ille ager, in quo Manasses maritus Iudith sepultus est, inter Dothain et Belamon situs erat (8,3), haud dubie in finibus ipsius Bethuliae (cf. 16,23 LXX et 16,28 *Vulg.*).

Aliqui nomen Bethuliae fictum esse ex ipsa ratione etymologica eruere conabantur explicantes vocem: virgo Iahwe, virgo quae Iahwe sacra et dedicata est, arx inexpugnata, vel quod aliis placuit, domus ascensionis vel domus (terra, regnum) Domini; cf. *Scholz*, Commentar zum Buche Iudith 1887, p. 30. Sed cum nomen hebraicum non habeatur, etymologia plane incerta est; dein cum sacer auctor alia adhibeat nomina locorum satis nota (Esdrelon, Dothain etc.), probabile non est eum urbem principalem finxisse.

De situ geographico opiniones fuerunt et sunt variae. Ab aliis quaerebatur in tribu Simeon (*Theodosius*, *Calmet* in Iudith 6,7), ab aliis in vicinia Tiberiadis *Ioannes Wirceb.* et *Fretellus* apud *Migne* 155,1071 et 1044; *Eugesippus* apud *Migne* 133,995; *Burchardus de monte Sion*; *Adrichomius*). Recentiore tempore *Ritter*, *Schultz*, *Kaulen*, aliique Bethuliam inveniunt in *Beit Ilfa* (Beth Ilva = Βετυλούα) ad radices montis *Fuqū'a* (Gelboe) in valle *Djālūd*. *Riess* Bethuliae assignat *Tell Kheibar* 13 km a *Djenīn* (Engannim) meridiem versus et 9 km a Dothain inter meridiem et orientem. Haud procul a *Tell Kheibar* occidentem versus est vicus *Sānūr* in colle situs, quem pro Bethulia habent *Raumer*, *Guérin*, *Mislin*, *Liévin de Hamme*, alii. Hanc hypothesin de Bethulia = *Sānūr* impugnat *Conder* et ipse praefert vicum *Messiliye* in vicinia eiusdem *Tell Kheibar* septemtrionem versus nec procul a *Bīr Bel'ame* et *Tell Dōthān*. Recentissime vero Bethulia quaeritur occidentem versus a *Djenīn* in montanis, quorum duo cacumina sunt *Djebel el-'Asī* et *Sheikh Shibel* atque agnoscitur vel in ruinis supra *Sheikh Shibel* (*Heidet*) vel in *Haraiq el-Malla* ad orientem vici *Barid*, quae ruinae a *Sheikh Shibel* non multum absunt et magis ad *Yāmūn* (Kyamon accedunt (*Khalil Marta*, *Brunengo*), vel in vico *Barid* (*Zanecchia*).

Cf. *Theodosius*, De Terra Sancta 3 apud *P. Geyer*, Itin. hier. p. 138; *Burchardus de monte Sion*, Descr. Terrae S. 6 apud *Laurent*, Peregr. med. aevi quattuor *ed.* 2, p. 45; *Adrichomius* Theatrum Terrae S. 160, p. 137; *Ritter*, Erdkunde XV. 423 ss.; *Schultz* in Zeitschr. der Deutschen Morgenl. Gesellschaft III. 1849, 48. 49; *Kaulen*, Einleitung *ed.* 4, num. 266; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *Raumer*, Palaestina *ed.* 4, p. 151; *Guérin*, Samarie I. 344. 350; *Mislin*, Les Saints Lieux III. 359-361; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, III. 71; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 156. 157 (*Conder*); *Heidet* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1751-1763; *Khalil Marta*, Intorno al vero sito di Betulia in Terra Santa, Firenze 1887, n. 9 et 10; *Brunengo* in Civiltà Cattolica 1888, Serie XIII. 9, p. 527-535; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 581.

BETHZACHARA (Βαιθζαχαρία), oppidum inter Ierusalem et Bethsur situm, quo Iudas Mach. a Ierusalem progressus est, ut Bethsuram ab obsidione Antiochi V. Eupatoris liberaret (1 Mach. 6,32. 33). Ex testimonio Flavii Iosephi (Ant. XII. 9,4; Bell iud. I. 1,5) locus erat angustior inter fauces montium conclu-

sus et a castris Syrorum ante Bethsuram positis 70 stadiis septemtrionem versus distabat. Pugna ibi commissa celebris est egregio facinore, quo Eleazarus frater Iudae Mach. elephantum regiis thoracibus loricatum, cui regem insidere suspicabatur, interfecit et pondere belluae oppressus interiit. Iudas autem, cum hostium multitudinem animadverteret, Hierosolyma se recepit et brevi post hanc pugnam Bethsura conditiones pacis ab Eupatore dictas accepit (1 Mach. 6,43 ss.; 2 Mach. 13,23 et cf. *Patrizi*, De consensu utriusque libri Machab. p. 287). — His plene satisfaciunt ruinae *Beit Zakarya* in colle singulari inter duas valles positae, quae a Bethsura circiter 10 km septemtrionem versus absunt; Iosephus quidem Ant. I. c. 70 stadia seu 13 km indicat, sed alias quoque liberior est in determinandis locorum intervallis.

Cf. *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 372; *Guérin*, Judée III. 315-319; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 35. 108 (*Beit Skaria*); *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 97; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 207; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 159.

BETHZECHA (Βηζέθ), vicus prope Ierusalem situs, ubi Bacchides dux Syrorum ex Iudaea in Syriam abiturus castra posuit et multos Iudaeorum, qui ab ipso defecerant aliosque de populo sibi suspectos mactavit atque in magnam cisternam proiecit (1 Mach. 7,19). Flavius Iosephus (Ant. XII. 10,2) vicum vocat Βηρζηθώ (*ed Niese* in textu, sed in nota etiam Βηθζηθώ). Hic vicus a multis (*Ewald*, Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3, IV. p. 418; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 7) censetur esse collis Bezetha (Βεζεθά seu *domus olivarum*) a septemtrione Ierusalem situs, qui postmodum urbi iunctus et intra murum Herodis Agrippae conclusus est (cf. *Flav. Ioseph.* Bell. iud. II. 15,5; 19,4; V. 4,2; 5,8). Alii praeferunt *Bîr el-Zeit* prope *Beitîn* (Bethel) inter septemtrionem et occidentem, alii *Beit Zaʿta* inter Ierusalem et Hebron (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 312).

BETOMESTHAIM (Βετομεσθαίμ Iudith 4,6; Βαιτομασθαίμ 15,4; cf. in Vulgata, quae hoc nomen omittit, 4,5 et 15,5), urbs quae cum Bethulia nominatur et describitur fuisse contra Esdrelon et contra faciem campi, qui est iuxta Dothain. His sine dubio indicatur situs aliquis prope *Tell Dōthān* (Dothain) et planitiem Esdrelon, aliis verbis in vicinitate *Djenīn* (Engannim). *Marta* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1698 assignat *Khirbet Umm el-Bothme* 3 km infra *Djenīn* situm, cuius descriptionem vide apud *Guérin*, Samarie I. 342.

BETONIM (בְּטֹנִים, Βοτανίμ), urbs tribus Gad (Ios. 13,26). Tempore Eusebii et S. Hieronymi appellabatur Βοτνίν vel etiam Ποτεείν, Bothnin (Onom. *ed. Lag.* 234,85 et 103,14). Nunc probabiliter ruina *Batne* 6 km ab *el-Salṭ* inter meridiem et occidentem.

Cf. *Van de Velde*, Memoir p. 298; *Robinson*, Palaestina III. p. 924; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 7; *Legendre*, Carte de la Palestine.

BEZEC (בֶּזֶק, Βεζέκ). **1.** Urbs chananaea Adonibezec regis a tribubus Iuda et Simeon expugnata (Iud. 1,4.5). Apud *Flav. Ioseph.* Ant. V. 2,2 *ed. Niese* scribitur Ζεβέκη (var. Βεζέκη) et nomen regis Ἀδωνιζέβεκος (var. Ἀδωνιβέζεκος). Bezec in ipsa tribu Iuda sitam fuisse suaderi videtur Iud. 1,3 : « Et ait Iuda Simeoni fratri suo : Ascende mecum in sortem *meam* ». Sed his verbis etiam satisfit, si Bezec alicubi in itinere a tribubus Iuda et Simeon expugnata est. Ignoramus quidem, unde profectae sint tribus; licet enim Iosue in Sichem omnes tribus Israel congregaverit (Ios. 24,1) et filii Israel (in Silo) Dominum consuluerint (Iud. 1,1), tamen universum exercitum prope Sichem vel prope Silo congregatum fuisse non constat. Id unum ex toto contextu colligitur tribus Iuda et Simeon a septemtrione meridiem versus progressas Hierosolyma devenisse. Praeterea supponere possumus iisdem tribubus, antequam meridiem versus proficiscerentur, bellum cum Adonibezec gerendum fuisse. Unde negandum non est Bezec hanc fortasse eandem esse ac Bezec 2.

2. Bezec (Bezech) tribus Issachar, ubi Saul profectus de Gabaa Saulis viros

Israel et Iuda recensuit, antequam Iordanem traiiceret et Iabes Galaad ab Ammonitis obsessam liberaret (1 Reg. 11,8). Haec Bezec haud ita multum ab urbe transiordanica Iabes Galaad aberat (1 Reg. 11,9-11); quaerenda igitur est Iordanem versus. Teste Eusebio (Onom. *ed. Lag.* 237,52) erant duo vici Bezec inter se vicini et a Neapoli (Sichem) 17 mil. pass. distantes versus Scythopolim (Bethsan). Nunc *Khirbet Ibzîk* inter Sichem et Bethsan.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. II. 231. 237; sed III. 36 innuitur pro Bezec 1 situs *Bezka* inter meridiem et orientem a Lydda; eosdem situs pro duplici Bezec indicat *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV. V.

BILIBRIS. Hac voce in Vulgata Apoc. 6,6 redditur χοῖνιξ, quae est mensura aridorum, duos sextarios complectens, et censebatur tantum frumenti capere, quantum pro pane homini modice viventi in unum diem sufficeret. Bilibris (bis-libra) mensura est duarum librarum.

BITHYNIA (Βιθυνία), regio Asiae minoris, anno 74 a. Chr. ditioni romanae attributa. Augustus eam provinciam proconsularem constituit ita ut septemtrionem versus extenderetur usque ad Pontum Euxinum, orientem versus Paphlagoniam attingeret, occidentem versus Bosporum thracium, Propontidem et Mysiam, meridiem versus Phrygiam et Galatiam. Ceterum variis temporibus fines Bithyniae multum variabant (cf. *Pauly-Wissowa*, Real-Encycl. der klass. Altert. III. 507 ss.). Paulus et Timotheus cum venissent in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam et non permisit eos Spiritus Iesu (Act. 16,7). At religionem christianam mox ea in regione quoque floruisse concludere licet, quia Petrus priorem suam epistulam etiam electis advenis Bithyniae dedicat (1 Petr. 1,1).

BITUMEN hebraice כֹּפֶר (Gen. 6,14; assyr. *kupru*) et חֵמָר audit, et a Graecis ἄσφαλτος vocatur. Est materia nigra, tetri odoris, pici similis, quae vel in statu solido vel in forma liquida invenitur. Iuxta S. Scripturam praesertim ad liniendam arcam (Gen. 6,14) et fiscellam Moysis (Ex. 2,3) ac cementi loco in aedificanda turri babylonica (Gen. 11,3) adhibebatur, multique putei bituminis in extrema valle Iordanis prope Sodomam et Gomorrham fuisse exhibentur (Gen. 14,10). Idem duplex usus tum ad navigia aliasque res liniendas (cf. Legenda *Sargonis* de Agane l. 5, Keilinschr. Biblioth. III. 1,100 s.; *Flav. Ioseph.* Bell. iud. IV. 8,4 εἰς ἁρμονίας νεῶν; *Plin.* XXXIV. 4,15; XXXV. 15,182 etc.), tum ad uniendos in aedificiis lapides in monumentis antiquis frequentissime commemoratur; posteriorem usum praesertim in Babylonia viguisse, ex inscriptionibus cuneiformibus (*Nabopolassar* de templo Merodach col. 2, 11 s.; de canali Sippar col. 2,10 s.; *Nabuchodonosor* II. Inscr. East-India-Off. col. 4,11 s. 23. 33. 42; col. 5,2 s. 29; col. 6,2. 31. 60; col. 7,63; col. 8,50. 56 etc.), testimoniis veterum (*Herod.* 1,179; *Plin.* XXXV. 15,182 etc.), ruinis ipsis superstitibus omnino constat. Praeterea bituminis usus multus in medicina veterum erat (*Ioseph.* l. c.; *Dioscur.* Mat. med. 1,99; *Plin.* l. c. 178 ss. etc.) atque apud Aegyptios etiam in condiendis cadaveribus adhibebatur. Praecipue autem inveniebatur in locis illis quae S. Scriptura indicat, in Babylonia scil. (*Herod.*, *Dioscur.*, *Plin.* ll. cc.), ubi etiam nunc praesertim apud *Hit* magna bituminis copia reperitur, et maxime in mari Mortuo, quod ex abundantia huius mineralis nomen *lacus asphaltitae* accepit et cuius magnam bituminis copiam scriptores ac viatores omnes usque ad nostram aetatem describunt (v. MARE MORTUUM).

Cf. *E. Robinson*, Palaestina II. 463-6; III. 168. 781-8; *C. Ritter*, Erdkunde XI. 749-58; *G. Rawlinson*, Five great monarchies *ed.* 4,I. 38 s. 220; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs III. 482-5; *Leunis-Senft* Synopsis III. 1 p. 895-7; *Naumann-Zirkel*, Elem. d. Mineralogie *ed.* 13 p. 770. 771; *F. Zirkel*, Lehrb. d. Petrographie *ed.* 2, III. 637-43.

L. FONCK.

BLASPHEMIA in universum est contumelia, calumnia, maledictio, opprobrium quod alteri verbis infertur; ita : noli timere opprobrium hominum

et blasphemias eorum ne metuatis (Is. 51,7) et : dedi Israel in blasphemiam Is. 43,28) aliis scil. gentibus; cf. 2 Reg. 21,21; 1 Par. 20,7; Ez. 5,15 : eris opprobrium et blasphemia, exemplum et stupor in gentibus (cf. Soph. 2,8). Simili modo accusatur Act. 6,11 Stephanus dixisse verba blasphemiae in Moysen et in Deum. Neque ab ea acceptione alienum est quod apostolus de se dicit : blasphemamur et obsecramus (1 Cor. 4,13) et non (sicut blasphemamur et sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona (Rom. 3,8) et : non ergo blasphemetur bonum nostrum (Rom. 14,16); si ego cum gratia participo, quid blasphemor (1 Cor. 10,30)? Sed speciatim dicitur de eo quod maxime impie et contumeliose contra Deum profertur, de opprobrio quo divina maiestas lacessitur et proscinditur. De tali facinore fertur lex : qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur; lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit (Lev. 24,16) et Core, Dathan et Abiron dirupta terra perierunt quod blasphemaverint Dominum (Num. 16,30. 32). Rabsaces Dominum comparans cum diis blasphemavit (4 Reg. 19,6; Is. 37,4). Sceleribus Iudaeorum fit ut nomen Domini a gentibus blasphemetur (cf. 2 Reg. 12,14; Is. 52,5; Rom. 2,24); ipsi impii Iudaeorum blasphemias in Dominum iactare non verebantur; cf. Is. 1,4; 5,24; Ier. 23,17; Ez. 20,27; Neh. 9,18; sed condemnati erunt omnes qui blasphemaverint te (Tob. 13,16). Pii autem de tali iniuria Deo illata indignati precantur ut Deus sanctitatem suam et potentiam ostendat blasphemos puniens : memento blasphemias eorum et ne dederis eis ut permaneant (1 Mach. 7,38) et invocabant Dominum, ut memoraretur blasphemias nomini suo illatas (2 Mach. 8,4). Iudas Mach. precatur : nunc dominator coelorum mitte angelum tuum, ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum (2 Mach. 15,23. 24).

Fidem Deo denegare est pariter summa quaedam in eum iniuria. Quare apostolus de suo conatu quem olim adhibuit ut Christianos a fide averteret dicit : compellebam blasphemare (Act. 26,11) et se ipsum dicit fuisse prius blasphemum (1 Tim. 1,13) et haereticos tradit satanae ut discant non blasphemare (1 Tim. 1,20). Christus autem vocat blasphemiam in Spiritum sanctum summam illam pharisaeorum malitiam, qua opera divinitus facta per diabolum fieri calumniantur, ut fidem populi in Iesum Dei legatum suffocent (Matth. 12,31; quod peccatum non iri remissum affirmat). A pharisaeis et scribis Christus quoque accusatur blasphemiae, cum peccata remittit (Matth. 9,3), cum de se ut Deo testimonium reddit (Ioan. 10,33), cum se coram Caipha profitetur Messiam et Filium Dei (Matth. 26,65); qua « blasphemia » audita pontifex summum simulans dolorem scidit vestimenta; erat enim moris Iudaeorum ad significationem doloris et indignationis vestem scindere, praesertim audita in Dominum blasphemia; ita legati Ezechiae regis propter blasphemias Rabsacis scissis vestibus redeunt ad regem (4 Reg. 18,37); ipse Ezechias scindit vestimenta (4 Reg. 19,1; Is. 37,1). Bestia illa in Apocalypsi quae bellum facit sanctis Dei, habet nomina blasphemiae super capita septem et aperit os suum in blasphemias (Apoc. 13,1. 5. 6); homines autem pessimi blasphemant Deum prae doloribus et vulneribus, quibus iusto Dei iudicio puniuntur (Apoc. 16,9. 11. 21).

I. KNABENBAUER.

BLASTUS (Βλάστος), praefectus cubiculo Herodis Agrippae I. nepotis Herodis Magni; quo usi sunt intercessore Tyrii et Sidonii apud Herodem, cum is contra eos gereret inimicitias (Act. 12,20). Quomodo eum in suas pertraxerint partes (πείσαντες), non indicatur; videntur aulicum muneribus, ut fieri solet, in suas partes adduxisse, ut apud regem causam ipsorum promoveret. Dicitur ille ὁ ἐπὶ τοῦ κοιτῶνος τοῦ βασιλέως i. e. cubicularius regis; nam haec est notio usitata κοιτῶνος i. e. cubiculi, conclavis (cf. LXX Iud. 15,1; 2 Reg. 4,7; 13,10; Eccle. 10,20 etc.). Ita communiter; alii accipiunt vocem de gaza (cf. *Dio Cass.* 61,5) : praefectus thesauro, aerario regio. Quae explicatio improbabilis est, quia etiam

κοιτωνιάρχης, κοιτωνίτης dicitur de cubiculario. Nomen Βλάστος etiam in inscriptionibus reperitur (Corps. Inscr. attic. 3052 s.).

BOANERGES (Βοανηργές, Βοανεργές) Marc. 3,17 : filii tonitrui, quod nomen Christus filiis Zebedaei, Iacobo et Ioanni, imposuit. Eius nominis rationem repetunt vel ex indole eorum ferventiore (cf. Marc. 9,37; 10,35; Luc. 9,54; 1 Ioan. 2,22; 3,8; 2 Ioan. 7-11) vel ex eloquentia tonante et praedicatione ardenti. Vox ipsa explicatur ex בְּנֵי רֶגֶשׁ, et merito quidem, cum shwa mobile iam apud LXX in nominibus propriis plena vocali saepe exprimatur (cf. Βοσόρ, Ζοροβάβελ, Γοδολίας etc.) et בִּיצְדָא legitur Μοασαδα (apud *Strabonem* XVI. 2,44). Neque opus est pro רגש cum aliquibus aliam substituere vocem (רגז ira?); nam רגש hodie adhuc in lingua vulgari in Syria adhibetur notione tonitru (cf. Vocabulaire arabe-français, Beyrouth 1883 s. v.); quare ea notio in lingua populari exsistere potuit tempore Christi, etsi libris nequit demonstrari; ceterum cf. *Knabenbauer*, Comm. in Marc. p. 99 s.

BOCCI (בֻּקִּי). **1.** Filius Iogli, princeps ex tribu Dan, cum aliis principibus ex singulis tribubus electus, ut terram Chanaan filiis Israel divideret (Num. 34,22; LXX Βακχί).

2. Sacerdos, filius Abisue nepotis Eleazar (1 Par. 6,5. 51; hebr. 5,31 et 6, 36), inter maiores Esdrae enumeratus (Esdr. 7,4); LXX Βοκκί. Utrum fuerit pontifex necne, non constat; Flavius Ioseplus eum enumerat inter pontifices (Ant. V. 11,5 *ed. Niese* Βόκκι), sed alibi (Ant. VIII. 1,3 *ed. Niese* Βοκίας) inter eos, qui vitam egerant privatam eo tempore, quo pontificalis dignitas in Ithamari domum translata ibi mansit.

BOCCIAU (בֻּקִּיָּהוּ, Βουκίας), levita, unus de filiis Heman, princeps sextae classis cantorum (1 Par. 25,4. 13).

BOCHRI (בְּכֹרִי, Βοχορί), pater Seba illius, qui seditionem in David movit (2 Reg. 20,1).

BOCHRU (בֹּכְרִי; LXX πρωτότοκος αὐτοῦ), secundus filius Asel ex posteris Saul (1 Par. 8,38; 9,44). LXX Bochru nomen commune faciunt vertentes : Ezri cum primogenitus eius et numerum sex filiorum Asel complent addentes sextum filium Ἀσά, quem textus hebraicus et Vulgata ignorant.

BOEN v. ABENBOEN.

BOKIM (הַבֹּכִים cum articulo; *Vulg.* locus flentium sive lacrymarum, LXX τὸν Κλαυθμῶνα, Κλαυθμῶνες), locus ignotus prope Galgala (v. GALGALA 1) ad orientem Icricho situs, ubi filii Israel ab angelo Domini de inobedientia reprehensi fleverunt et hostias Domino immolaverunt (Iud. 2,1. 5). LXX addunt locum fuisse prope Bethel, ἐπὶ Βαιθήλ, unde innuere videntur alterum locum Galgala aquilonem versus a Bethel nec procul a Silo (v. GALGALA 2). Neque desunt interpretes, qui locum flentium prope Silo quaerant, ubi tum fuerit arca Domini. Nominatur autem iste locus iam Iud. 2,1 Bokim sive proleptice ab eventu narrando sive quod nomen Bokim iam pridem habuerit, sed eius ab illo facto novam acceperit interpretationem (cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.).

BONI (בֹּנִי, Βανί). **1.** Levita de stirpe Merari inter maiores Ethan enumeratus (1 Par. 6,46 [31]).

2. Levita, unus ex maioribus Semeia incolae Ierusalem post instaurationem (Neh. 11,15; B et A omitt., ℵ Βουναί).

BONIPORTUS (Καλοὶ λιμένες), statio quaedam vel portus in meridionali litore Cretae insulae haud procul ab urbe Thalassa situs, ubi navis, qua S. Paulus Romam vehebatur, per aliquod tempus consistebat; sed cum portus hic non esset ad hiemandum aptus, centurio contra S. Pauli consilium statuit inde ad meliorem portum Phoenicen navigare (Act. 27,8 ss.). Narrat *Pococke* se invenisse duobus milliariis gallicis orientem versus a promontorio Matala parvum quendam maris sinum, quem Graeci vocarint λιμένας καλούς. Atque sinus iste hodie quoque vocatur *Kalo-Limniones* (rectius *'stus Kalus Limniones*); situs est a promontorio Matala seu Lithinos orientem

versus, ab urbe Thalassa seu Lasaea occidentem versus.

Cf. *R. Pococke*, Beschreibung des Morgenlandes, Erlangen 1771, II. p. 361; *I. Smith*, The voyage and shipwreck of S. Paul *ed.* 3, London 1866; *F. Vigouroux*, Le Nouveau Testament et les découvertes archéologiques 1896, p. 329-332; *E. Jacquier* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1847-1849.

BONNI (בֹּנִי). **1.** Gadita, vir fortissimus in exercitu Davidis (2 Reg. 23,36; LXX υἱὸς Γαλαάδι, *Vulg.* Bonni de Gadi). Loco parallelo 1 Par. 11,38 corrupte legitur : Mibahar filius Agari; sed מִבְחָר corruptum ex מִצֹּבָה ad nomen praecedens pertinet : *de Soba* et pro בֶּן־הַגְּרִי legendum est בְּנֵי הַגָּדִי.

2. Vir ex posteris Phares de tribu Iuda, (1 Par. 9,4; LXX Βουνί). *Kethib* legit בָּנִיכִין, sed ultima syllaba est praepositio מִן ad sequentia pertinens : de (מִן) filiis Phares.

3. Bonni (בֹּנִי, LXX υἱός), levita tempore Esdrae (Neh. 9,4); idem nomen legitur inter signatores foederis (Neh. 10, 15 [16]; LXX 10,14 Βανί).

BOOZ (בֹּעַז, Βοόζ), filius Salmon ex Rahab (Matth. 1,5), homo probus et dives in Bethlehem, qui Ruth Moabitidem, viduam filii Elimelech cognati sui, benigne adhibuit et uxorem accepit, ex qua genuit Obed. Ex Obed autem descendit Isai pater David (cf. Ruth 2,1-4,22; 1 Par. 2,11. 12). Cum Booz dicatur genitus a Salmon *de Rahab,* tempus eius ad initium ingressus in terram Palaestinam erit referendum; unde quoque sequitur inter Obed et Isai plura membra omitti, id quod in genealogiis satis frequens est (sicut apud Matthaeum inter Ioram et Oziam tres reges omissi sunt : Ochozias, Ioas, Amasias).

BOOZ columna v. COLUMNAE.

BOREAS v. VENTUS.

BORITH (בֹּרִית) in S. Scriptura significat rem quae ad lavandum corpus (Ier. 2,22, *Vulg.* herba borith) et pannum (Mal. 3,2 בֹּרִית מְכַבְּסִים *Vulg.* herba fullonum) adhibebatur; nomen derivatur a verbo ברר separare, mundare. Eandem originem et significationem habet בֹּר (בּוֹר), quo item ad lavandum (Iob 9,30, *Vulg.* velut mundissimae) et ad purganda metalla utebantur (Is. 1,25, *Vulg.* ad purum; haud improbabiliter *P. de Lagarde*, Armen. Stud. 410, aliique coniciunt legendum בְּכֶר « in fornace »). Alias בֹּר generatim munditiem designat (2 Reg. 22,21. 25 etc.). Ex versionibus antiquis LXX in Malachia ποίᾳ πλυνόντων et similiter in Ieremia ποίαν vertunt, in duobus aliis locis autem καθαρᾷ (Iob) et εἰς καθαρόν (Is.), uti etiam Peshitta et Vulgata; in Ieremia et Malachia textus syriacus כבריתא i. e. *sulphur* habet (cf. *I. Löw,* Aram. Pflanzennamen p. 43), forte mera inattentione, ut putat *Celsius* (Hierob. I. 453) ex confusione similium vocum; sed iuxta *Payne Smith* (Thes. syr. 1673) et *I. Brun* (Lex. syr. 228) כבריתא etiam herbam saponariam seu plantam alcalinam significat (cf. etiam *Field*, Hexapl. Auctar. ad Ier. 2,22).

Cum LXX et S. Hieronymo (in Ier. 2,22) multi auctores talmudici et arabici (ap. *Celsium* l. c. 449-453) ac plerique recentiores *borith* herbam dicunt, ex cuius cineribus sal alcalinus (arab. *qali*) praeparatur, qui olim locum saponis antiquitus ignoti tenebat atque nunc ad conficiendum saponem adhibetur. Eiusmodi autem herbae, quae auctoribus arabicis praesertim *ushnān* et *ghassūl* audiunt, magna copia variisque speciebus in Oriente crescunt, nomine generico *Salsolaceae* seu *Chenopodiaceae* dictae; ex quibus *ushnān* Arabibus hodiernis est *Arthrocnemum glaucum* Delile et *Anabasis articulata* Forskal (*G. E. Post,* Flora of Syria p. 686. 692; cf. *E. Boissier,* Flora orient. IV. 932. 970), *ghassūl* autem *Salicornia fruticosa* Linné (*Post* p. 686; cf. *Boissier* IV. 932 s.), ac praeterea ex ordine Ficoidearum *Mesembryanthemum crystallinum* Linné et *M. nodiflorum* L. atque *Aizoon hispanicum* L. (*P. Forskal*, Flora aeg.-arab. p. 98; cf. p. 70 s. de *Suaeda monoica; Post* p. 326 s.; cf. *Boissier* II. 764 s.). Denique nomine *Qali,* quod *Linné* praesertim *Salsolae Kali* attribuit Arabes *Salicorniam herbaceam* L. designant (*Post* p. 686). Alia praeterea

nomina eisdem ac similibus plantis tribuunt *Post* ib. 932 ss.), quas diligenter conquirunt et Gazae, Hierosolymis, Neapoli *Nabulus*), Damasci, alibi saponariis vendunt.

Cf. de hoc usu Arabum *L. Rauwolff*, Reise, Frankfurt 1582, I. 35 ss.; *F. Hasselquist*, Reise, Rostock 1762, 499; *U. J. Seetzen*, Reisen *ed. F. Kruse*, I. 279 s.; *C. Ritter*, Erdkunde XVII. 2.1390-2; cf. XIV. 344. 778. 837; XV. 1,514. 552. 592. 694 etc. De variis plantis nominatis cf. praeter auct. cit. *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam. II. 1 a, p. 76 s. 82 s. 85-7; III. 1 b, p. 38 43-51. — De borith generatim v. *I. H. Ursinus*, Arboreti bibl. contin., Norimbergae 1699.180 s.; *I. M. Lange*, Dissert. botanico-theol. de herba Borith, Altdorfi 1705; *Ol. Rudbeck*, De Borith fullonum (Purpuram esse!), Upsalis 1722; *M. Hiller*, Hierophyt. II. 67 s.; *I. D. Michaelis*, Comment. soc. scientif. Gotting. a. 1758-62, prael. 6 et 7; *id.* Suppl. ad lex. hebr. 229-32; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1, 112-4; *I. Duns*, Bibl. Nat. Science II. 554 s.; *P. Cultrera*, Flora bibl. 172 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8,480-2; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 241-3.

L. FONCK.

BOS aliaque generis bovini animalia, quae in Vulgata etiam *armentum*, *bubalus* (Am. 6,13), *iuvenculus*, *taurus*, *vacca*, *vitula*, *vitulus* appellantur, variis nominibus hebraicis designantur.

1. Imprimis בָּקָר, nomen collectivum, boves in genere, שׁוֹר (chald. תּוֹר Dan. 4,22. 29; 5,21 et אֶלֶף (seu potius, plur. אַלְפִּים) singula animalia significat. Bos fortis ac iuvenis פַּר, iuvenca פָּרָה, vitulus עֵגֶל ac vitula עֶגְלָה nominantur. Praeterea in libris poeticis boves etiam אַבִּיר et אַלִּיף audiunt. In libris vero graece scriptis nomina βοῦς, βουκόλια, βοοζύγιον, δάμαλις, κτήνη, μόσχος occurrunt; LXX praeterea ταῦρος adhibet.

2. Magnum boum numerum iam patriarchae in gregibus suis alebant (Gen. 12,16; 18,7 etc.) atque etiam postea boves simul cum ovibus magnam israeliticae opulentiae partem constituebant Deut. 8,13; 2 Reg. 12,2; Iob 21,10 etc.). Aliquae praesertim regiones istis gregibus pascendis convenientiores praedicantur, uti Basan (Num. 32,4. Cf. Deut. 32,14; Ps. 21 [22], 13 *Vulg.* tauri pingues; Am. 4,1 *Vulg.* vaccae pingues) et Saron 1 Par. 27,29; Is. 65,10 *Vulg.* campestria; cf. *S. Hieron.* Comment. in h. l.. Praecipue in pascuis sub divo greges pascebantur (Num. 22,4; Is. 7, 25 etc.); hiemali vero tempore in stabulis ad praesepia nutriuntur 2 Par. 32, 28; Prov. 14,4; Is. 1,3; Luc. 13,15), ubi herbas comedunt ac foenum et « commistum migma » Is. 30,24 בְּלִיל חָמִיץ, fortasse frumentum recens cum sale mixtum; cf. Iob 6,5 *Vulg.* praesepe plenum; ib. 24,6 *Vulg.* non suum).

3. Usus multiplex boum in Scriptura memoratur. Imprimis ad arandum adhibebantur, unde ipsum nomen בָּקָר « arator » dictum supponunt (*Fr. Hommel*, Namen d. Säugeth. p. 223, al.) (Deut. 22,10; 3 Reg. 19,19 ss.; Iob 1,14; Am. 6,13, ubi loco בַּבְּקָרִים (*Vulg.* in bubalis) fortasse בַּבָּקָר יָם cum *Michaelis* aliisque legendum est; etc.); in Lege autem prohibitum erat, cum bove simul et asino arare (Deut. 22,10). Praeterea ad triturandum (Deut. 25,4; Ier. 50,11; 1 Cor. 9,9 etc.), ad trahenda plaustra (Num. 7,3. 7; 1 Reg. 6,7 etc.) atque ad alios labores utiles erant. Deinde greges lac et butyrum ac fortasse etiam caseum ad victum ministrabant (v. BUTYRUM, CASEUS, LAC). Denique in sacris hostiam praecipuam (v. HOSTIA et VICTIMA) cibumque gratum occasionibus festivis praebebant. Nam carnis bovinae ac vel magis vitulinae Israelitae satis amantes videntur fuisse (Gen. 18,7; 1 Reg. 14,32; 28,24 etc.). Vox autem hebraica אֶשְׁפָּר quam S. Hieronymus 2 Reg. 6,19 *carnem bubulam* et 1 Par. 16,3 *carnem bubalam* vertit, ignotae videtur significationis (v. *P. de Lagarde*, Mitteilungen I. 214).

4. Hodie quoque in Palaestina boves ubique habentur, licet greges maiores extra planities maritimas, galilaicas, septemtrionales et transiordanicas raro videantur. Sunt autem generatim animalia satis vilia tenuisque staturae, fortasse ex eo quod incolae eis curam nimis neglegentem impendunt. Usus fere idem

est, atque in libris sacris describitur, ac praesertim in colendo agro bos operam suam utilissimam fortis, diligens, patiens praestat. Praecipue illud « bos ad arandum » etiam nunc valet, nec raro contra Legem asino iunctum invenies. At raris tantum occasionibus, ac vix extra urbes, incolae carne bovina vescuntur. Praeter bovem ordinarium (*Bos taurus* Linné) etiam *Bos buffelus* L. in partibus Palaestinae septemtrionalibus adhibetur (*H. B. Tristram,* Fauna and Flora of Palestine, p. 7; *Leunis-Ludwig,* Synopsis *ed.* 3, I. 1 p. 244 s.).

Cf. *Sam. Bochart,* Hieroz. I. 274-416, *ed. Rosenm.* I. 268-451; *Blas. Ugolini,* De re rust. Hebr. II. 8-19 in Thes. ant. XXIX. 94-140; *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Alterth. IV. 2 p. 59-72; *H. O. Lenz,* Zool, d. alt. Griechen u. Römer p. 238-50; *L. Lewysohn,* Zool. d. Talmuds p. 129-34; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, p. 67-73; *I. G. Wood,* Bible Animals, London 1876, p. 101-15; *A. E, Brehm,* Tierleben *ed.* 3 *Pechuel-Loesche,* III. 290-329; *Fr. Hommel,* Namen d. Säugeth. p. 221-30. 353; *P. Cultrera,* Fauna bibl. p. 84-108; *O. Keller,* Thiere des klass. Alterth., Innsbruck 1887, 53-65; *P. Schegg,* Bibl. Archaeol. p. 75-78; *A. Otto,* Zur Gesch. d. ält. Hausthiere, Breslau 1890, p. 61-5. — Praeterea de historia naturali, ac praesertim de origine bovis domestici cf. *L. Rütimeyer,* Fauna d. Pfahlbauten 130-49; *id.* Versuch e. natürl. Gesch. des Rindes, Zürich 1867; var. dissert. auctoribus *A. v. Frantzius* (Archiv. f. Anthrop. X. 1877, 129 ss.), *R. Hartmann* (Verh. d. Ges. f. Anthrop. 1878, 202 ss.), *Nehring* (ib. 1888, 222 ss.), *L. Rütimeyer* (ib. 550 ss.) etc. — De bubus ap. Babylonios et Assyrios cf. *A. H. Layard,* Monuments of Nineveh I. 20.58; II. 26. 35. 60 etc.; *W. Houghton* in Trans. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, 42 s.. — De bubus aegyptiis v. *I. Rosellini,* Monum. civ. I. 240-81; *R. Lepsius,* Denkm. II. 9. 31. 91. 102. 131. 132 etc.; *Wilkinson-Birch,* Manners and Customs II. 75 ss. 446 s.; III. 305-8 etc.; *R. Hartmann* ap. *I. Dümichen,* Resultate I. 29 s.; *W. M. Fl. Petrie,* Medum pl. 9. 12. 18.24. 27. 28; *A Erman,* Aegypten 579-84, cf. 334. 515 etc.

L. FONCK.

BOSES (בּוֹצֵץ, Βασές) appellabatur alter ex duobus scopulis quasi in modum dentium hinc et inde praeruptis, qui erant inter duos ascensus vallis interpositae (*Wâdi Suweinît*), per quos Ionathas cum armigero suo transire nitebatur ad stationem Philisthinorum (1 Reg. 14,4); unus scopulus prominens erat ad aquilonem ex adverso Machmas, alter ad meridiem contra Gabaa (14,5). Boses igitur, qui prior nominatur, erat ex parte Machmas (*Makhmâs*); alter qui erat ex parte Gabaa (*Djeba'*), vocatur Sene. *Guérin* (Judée III. 64) refert utrumque ascensum ex *Wâdi Suweinît* inter *Makhmâs* et *Djeba'* esse valde praeruptum et ex utraque parte collem saxosum eminere. His narratio biblica optime illustratur.

BOSOR est nomen trium urbium terrae transiordanicae. Praeterea in LXX Bosor saepius legitur pro Bosra, ex quo difficultas non exigua exoritur varias urbes bene distinguendi.

1. Bosor (בֶּצֶר, Βοσόρ), urbs refugii in tribu Ruben, levitis de stirpe Merari concessa (Deut. 4,43; Ios. 20,8; 21,36 LXX, *Vulg.*, sed hic versus 36 deest in multis hodiernis editionibus textus massorethici; 1 Par. 6,78 [63]). Describitur Deut. 4,43 et Ios. 20,8 sita in deserto (מִדְבָּר), hinc iam magis orientem versus, attamen etiam in terra campestri (מִישֹׁר) i. e. in planitie montana Moab, quae a deserto occidentem versus extenditur; eadem duplex indicatio situs Ios. 21,36 LXX, *Vulg.* deprehenditur, ubi mendosa hodierna interpunctio corrigenda et distinctio commatis non ante, sed post *Misor* (Μισώ) collocanda est, ita ut *Misor* non sit nomen proprium urbis, sed appellativum in significatione *campestris;* cf. *de Rossi,* Var. Lect Vet. Test. II. p. 96-106. Eadem probabilius est urbs, quae Ier. 48,24 vocatur Bosra (בָּצְרָה, Βοσόρ) et cum Cariathaim, Bethgamul, Bethmaon inter urbes Moabitarum recensetur. Eandem Mesa rex Moab in inscriptione sua (lin. 27) gloriatur a se exstructam esse. Apud Eusebium et S. Hieronymum (Onom. *ed. Lag.* 232,55; 102,15) collocatur in deserto trans Iordanem, in sorte tribus Ruben, ad orientalem plagam Iericho. Quod autem ab iisdem auctoribus additur : « haec est Bostra metropolis Arabiae », haud dubie

erroneum est; nam Bostra Graecorum et Romanorum in Auranitide *Ḥaurān* minimum abest a finibus tribus Ruben, immo fortasse etiam a finibus Moab; insuper dubium est Bostram illo tempore antiquissimo iam exstitisse. Pro nostra Bosor a nonnullis proponitur situs *Qasr el-Besher* prope *Dībān* Dibon inter meridiem et occidentem.

Cf. *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 102, qui hanc Bosor cum Bosra Is. 34,6 eandem esse coniicit; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1857.

2. Bosor (Βοσόρ), urbs munita trans Iordanem (1 Mach. 5,26. 36); cum multi ex Iudaeis a gentibus vi opprimerentur in Barasa et Bosor et in Alimis et in Casphor et Mageth et Carnaim, Iudas Machabaeus et Ionathas frater eius post iter trium dierum per terram Galaad ad illas urbes se convertunt easque expugnant. Adest quidem magna obscuritas quoad iter Iudae Mach. et quasdam illarum urbium. *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v. Bosor 2 et 3 cum magna probabilitate agnoscit hanc Bosor in *Busr el-Harīrī* regionis *el-Ledjā* prope terminum meridianum eiusdem regionis; idem suadet *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 7. Alii tamen (*Keil* ad 1 Mach. 5,26; *Dillmann* ad Deut. 4,43) hanc Bosor eandem esse dicunt cum BOSOR 1 urbe refugii tribus Ruben; sed haec opinio videtur esse relinquenda, praesertim cum aliae quoque urbes a Iuda Mach. expugnatae multo magis septemtrionem versus quaerendae esse censeantur, ut Barasa (Bostra?), Alimis (*Kefr el-Mā* vel forte *Ḥuma*), Casphor (*Khisfīn*).

3. Bosor (Βοσόρ), urbs munita Galaad, a Iuda Machabaeo expugnata et succensa (1 Mach. 5,28). *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v. Bosor 3 hanc urbem censet eandem esse cum Barasa, Bostra Graecorum et Romanorum, hodie *Bosra* in *Ḥaurān*. Neque deest probabilitas hanc Bosor, quae prima omnium a Iuda expugnata esse legitur, esse eandem cum Barasa v. 26, quae primo loco inter urbes liberandas enumeratur. Verum *Patrizi* (De consensu utriusque libri Mach. p. 276) contendit nostram Bosor propter additum *in desertum* esse eandem cum Bosor Rubenitarum in deserto sita.

4. Bosor (2 Petr. 2,15) non urbis, sed viri nomen est scil. Beor patris Balaam; v. BEOR 2.

BOSPHORUS (Abd. 20) v. SEPHARAD.

BOSRA in Vulgata est nomen trium urbium transiordanicarum.

1. Bosra בָּצְרָה, Βοσόρρα, urbs Idumaeae, patria Iobab filii Zara et regis Edom post Bela filium Beor (Gen. 36,33; 1 Par. 1,44). Ut in aliis locis statim explicandis versiones LXX et Vulgata recte intellegantur, notare iuvat vocem hebraicam a radice בצר *cohibuit, arcuit, inaccessum fecit* explicari septum, ovile et locum munitum (*Gesenius*, Thesaurus p. 230). Apud Is. 34,6 Bosra (LXX Βοσόρ) una cum terra Edom exhibetur velut victima, cuius immolatione ira Dei est placanda et iustitiae eius satisfaciendum. Formam ac typum omnium inimicorum Messiae iidem Edomitae praebent Is. 63,1, ubi Messias proponitur velut triumphator veniens de Edom, tinctis vestibus de Bosra (LXX Βοσόρ). Destructio Bosrae ex stabili Dei decreto annuntiatur Ier. 49,13 (LXX pro Bosra legunt ἐν μέσῳ αὐτῆς, quo supponitur lectio בתוכה) et imagine praedae ab aquila ictu rapidissimo correptae depingitur Ier. 49,22 (LXX pro Bosra ὀχυρώματα αὐτῆς i. e. munitiones eius); de impletione huius oraculi cf. *Knabenbauer* ad Mal. 1,3. Iudicium in Edomitas denuntians Amos 1,12 praedicit igne devoratum iri aedes Bosrae (LXX θεμέλια τειχέων αὐτῆς). De Bosra Idumaeae recentiores interpretantur Mich. 2,12: sicut oves Bosrae; sed Vulgata vertit: quasi gregem in ovili; LXX ὡς πρόβατα ἐν θλίψει legentes בצרה i. e. in afflictione; nomen appellativum nostro loco etiam agnoverunt Syrus, Chaldaeus, Aquila, Symmachus et veteres interpretes idque ipso contextu corroboratur; cf. *Knabenbauer* ad h. l. — Eusebius et S. Hieronymus s. v. Bosor tribus Ruben addunt: appellatur autem et alia Bosor civitas Esau in montibus Idumaeae, cuius Isaias recordatur etc. (Onom. *ed. Lag.*

232,58; 102,18). Hodie Bosra a plerisque agnoscitur *el-Busīre* inter meridiem et orientem a mari Mortuo inferiore.

Cf. *Robinson*, Palaestina III. 125. 126 (*Busaireh*); *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1859; Revue bibl. VI. 1897, p. 211 (*Bseira*); *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, p. 7 (*Besseira*).

2. Bosra (Ios. 21,27), pro qua loco parallelo 1 Par. 6,71[56] legitur Astaroth, non videtur alia esse quam Astaroth (vide s. v.).

3. Bosra (Ier. 48,24) v. BOSOR 1.

BOTRUS, nomine ex graeco (βότρυς Apoc. 14,18) desumpto, explicatur hebr. אֶשְׁכּוֹל, quod tum ramum floridum cypri (Cant. 1,13), tum corymbum palmae (fortasse Cant. 7,8), tum maxime uvam (Cant. 7,9; Is. 65,8; Mich. 7,1; cf. Deut. 32,32) significat. Vide CYPRUS, PALMA, VITIS.

In Vulgata botrus etiam invenitur pro בֹּסֶר (Iob 15,33), quod alibi accuratius *uva acerba* exponitur (Ier. 31,29; Ez. 18, 2). Praeterea Eccli. 39,31 *botrus uvae* habetur, ubi textus graecus αἷμα σταφυλῆς legit i. e. *sanguinem* uvae.

L. FONCK.

BOTRUS (Torrens botri) v. ESCOL 2.

BRIE v. BARIA 1.

BRUCHUS v. LOCUSTA.

BUBALUS dicitur in Vulgata imprimis animal hebr. יַחְמוּר appellatum, quod inter animalia munda post cervum et capream enumeratur (Deut. 14,5). Etiam ad cibum Salomonis praeter alia « venatio cervorum, caprearum atque bubalorum » pertinuisse refertur (3 Reg. 4,23, hebr. 5,3). LXX in Deuteronomio iuxta codicem Alexandrinum, Ambrosianum (F ap. *Swete*) aliosque βούβαλον habent, ut Vulgata, in libris Regum nomen omittunt, sicut cod. Vaticanus aliique etiam priore loco. Versiones orientales, Onkelos, Peshitta, Targum hieros., versio samaritana variaeque versiones arabicae in Deuteronomio, et ex parte etiam in altero textu, nomen hebraicum retinent; graecus venetus αἴξ ἀγρία explicat.

Significatio nominis interpretibus diu satis dubia visa est, aliis bovem silvestrem, aliis onagrum, aliis capreae vel cervi genus praeferentibus. Omissis reliquorum opinionibus, certum videtur imprimis, bubalum Vulgatae et LXX citatis locis non bovem silvestrem, sed capreae genus designare, id quod contextui omnino conforme apparet. Deinde cum versiones orientales nomen hebraicum retineant, idemque nomen etiam hodie Arabibus palaestinensibus notum atque usitatum sit, magna sane probabilitate יַחְמוּר biblicum illud dicetur animal, quod hodiernis Arabibus pariter *yachmūr* audit. Quidquid vero alii auctores de hoc statuerunt, ex recentioribus videtur constare, *yachmūr* Arabum esse veram capream seu capreolum (germ. *Reh*, gall. *chevreuil*, angl. *roebuck*; scil. *Cervus capreolus* Linné, ord. *Artiodactyla*) qui licet non sit admodum communis in Palaestina, tamen haud adeo raro ibidem invenitur.

Cf. *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, 83-5; *id.* Fauna and Flora of Palest. 4; *Cl. R. Conder*, Tent Work in Palest. I. 172 s.; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1. *ed.* 3, p. 264; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3, III. 493-501; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere I. 1, 484-6; *G. E. Post*, The roebuck in Palest., in Quart. Stat. 1890, 171 s.; *C. R. Conder* ib. 173. 187; *O. Keller*, Thiere d. klass. Alterth. 102-5.

Alio sensu bubalus dicitur bos silvestris in Vulgata Am. 6,13 (cf. *S. Hieron.* Comment. in h. l.), ubi textus massorethicus בְּקָרִים « boves » habet; fortasse eius loco cum *I. D. Michaelis* בָּקָר יָם legendum erit ut sensus sit: « numquid arari potest cum bobus mare »? — Denique caro *bubala* exponitur a S. Hieronymo hebr. אֵשֶׁפֶר 1 Par. 16,3, et similiter caro *bubula* 2 Reg. 6,19. Veram huius vocis significationem iam antiqui Hebraei ignorarunt nec certi quidquam de ea statui potest (cf. *P. de Lagarde*, Mitteil. 1,214).

De bubalo cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. I. 910-915, *ed. Rosenm.* II. 280-9; *Sam. Oedmann*, Verm. Sammlungen I. 24-38; *I. D. Michaelis*, Supplem. ad lex. hebr. p. 834; *E. F.*

K. Rosenmüller, Bibl. Alterth. IV. 2. 177-9; *L. Löwysohn*, Zool. d. Talmuds 113; *J. G. Wood*, Bible Animals 143-6; *Fr. Hommel*, Die aeth. Uebers. d. Physiologus, Leipzig 1877, XXVI; *idem*, Namen d. Säugeth. 333 s. 392; *P. Cuttrera*, Fauna bibl., Palermo 1880, p. 242 s.

L. FONCK.

BUBASTUS vel Bubastis (פִּי־בֶסֶת, Βούβαστος), urbs perantiqua Aegypti inferioris prope eum locum, cui nunc est nomen *Zagazig*, sita, caput nomi nomo Heliopolitano vicini. Nomen aegyptiacum erat Pi-Bast, quod Ez. 30,17, quo uno loco eius mentio fit, hebr. transcriptum est פִּי־בֶסֶת; significat « domicilium Bast », deae illius aegyptiacae Graecorum Aphroditi vel Artemidi similis, capite leonino vel felino in simulacris conspicuae atque aegide et sistro, quae manibus tenet. Est vero Bast forma quaedam magnae deae Isidis-Hathoris personificatioque solis splendore suo mundum laetificantis ac vegetantis. Huius deae templo Bubastensi nullum Herodotus usquam inveniri censuit magnificentius. Patet ex monumentis aegyptiacis illud iam ab exstructoribus pyramidum Cheope et Chephreno (4. dynastiae) aedificatum postea saepius restauratum esse, maxime a regibus dynastiae 22., qui Bubasti residebant. Vix credibile est quantus ibi deae, quae erat laetitiae, amorum, conviviorum patrona, honor habitus fuerit: namque 700 millia hominum cotannis ad festa religiosa confluebant, quae cum effrenata laetitia peragi consuerant, qualia fere etiamnum *Ṭanṭae* habentur, interque eos dies plus vini bibebant quam reliquo tempore anni universo. Feles cum essent huic deae sacrae, in subterraneis cameris templi multa millia cadaverum felinorum rite pollincta sancte asservabantur. Urbis ruinas a. 1887-89 *E. Naville* Genebensis detexit ac patefecit; loco nunc nomen est *Tell el-Baṣṭa*.

Cf. *Herodot.* 2,67. 138. 156; *Strabo* XVII. 1,27; *E. Naville*, Bubastis, London 1891.

F. ZORELL.

BUBO exponitur Lev. 17,17 a S. Hieronymo avis כּוֹס dicta, quam alibi *herodium* (Deut. 14,16) et *nycticoracem* Ps. 101[102],7) dicit, et quae ad noctuae species videtur pertinere. Vide NOCTUA.

BUCCINA vide s. v. MUSICA.

BUGAEUS v. AGAG, AGAGITES.

BUL (בּוּל, Βαάλ), mensis octavus (3 Reg. 6,38); v. MENSIS.

BUNA (בּוּנָה, Βαναά), secundus filius Ierameel filii Hesron ex tribu Iuda (1 Par. 2,25); eius mater est Achia (v. ACHIA 2).

BURDO explicatur 4 Reg. 5,17. hebr. פֶּרֶד, quod alias communiter *mulus* in Vulgata audit. Proprie burdo foret iumentum ex equo mare et asina generatum, mulus vero ex asino mare et equa; sed haec nominum distinctio in Vulgata non servatur. Vide MULUS.

BUTYRUM in Vulgata, sicut βούτυρον penes LXX, Aquilam, Symmachum, Theodotionem, respondet hebr. חֶמְאָה, pro quo semel חֵמָה occurrit (Iob 29,6).

1. Abraham hospitibus suis caelestibus dicitur « *butyrum et lac* » praebuisse (Gen. 18,8), et similiter in cantico Moysis inter dona praecipua populo electo concessa cum melle et oleo « *butyrum de armento et lac de ovibus* » laudantur (Deut. 32,14). « *Mel et butyrum* » coniuncta nominantur inter donaria Davidi trans Iordanem oblata (2 Reg. 17,29), itemque bis in vaticinio Isaiae de Emmanuele occurrunt (Is. 7,15. 22) atque in libro Iob « *torrentes mellis et butyri* » commemorantur (Iob 20,17). Idem Iob pristinam suam opulentiam describens pedes suos butyro se lavisse ait (Iob 29,6); Debbora vero Iahelem, uxorem Haber, Sisarae « aquam petenti lac dedisse et in phiala principum obtulisse butyrum » praedicat (Iud. 5,25). Denique in Proverbiis inter verba Agur ultimo loco legitur: « qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum et qui vehementer emungit, elicit sanguinem », seu potius cum textu hebraico « pressura lactis producit butyrum, et pressura nasi producit sanguinem » (Prov. 30,33).

2. Ex hoc ultimo textu clare apparet, vocem hebraicam vere et proprie *butyrum* significare, quod ab Orientalibus,

more maiorum, agitando et premendo lac utre suspenso inclusum obtinetur (cf. *Rosenmüller*, *Robinson*, *Thomson* etc.). At non in statu solido ac firmo, quo in nostris fere regionibus, sed tamquam materia liquida aut fere liquida ab incolis Orientis asservari solet, quae fere aspectum olei olivarum frigore leviter obrigescentis praebet. Quare etiam in verbis libri Iob butyrum intellegi poterit (cf. *Jullien*), quod pariter plerisque aliis textibus satis convenit, si forte versum Debborae excipias : in quo *lacti* in priore membro commemorato in altero potius *flos lactis* (germ. *Sahne*, gall. *crême*) videtur respondere. Utraque igitur significatio voci hebraicae competere videtur, quod pariter fortasse de assyriaco *ḫimētu* valet, cui simul cum melle, lacte, oleo inter dona et sacrificia diis Marduk et Nebo aliisque oblata locus tribuitur (Cylindr. Grotef. Col. 1,20; 2,33; Inscriptio Gudea G, col. 4,4 etc.; cf. *F. Delitzsch*, Ass. Handw. 280 b). Proinde in variis textibus sacris חֲמִאָה a variis auctoribus modo pro butyro, modo pro lactis flore sumitur, immo ab aliis etiam *lac coagulatum* et *acidum* (arab. *leben*) intellegitur (cf. *Ios.* Ant. V. 5,4 de Iahele et Sisara), quod tamen non satis videtur probari.

3. Butyrum populis antiquis, maxime orientalibus, notissimum erat, quamquam Graecis et Romanis vix diu ante Solonem et fere unice tamquam medicina innotuit (cf. *Olck* in *Pauly-Wissowa*, Realencycl. *ed.* 3, III. 1089-92). Sicuti penes Babylonios et Assyrios, ita etiam apud Aegyptios inter dona sacra in sepulcris oblata butyrum enumeratur, atque id quidem duplicis speciei, australis et borealis (*G. Maspero*, La table d'offrandes des tombeaux égyptiens, in Revue de l'hist. des religions XXXV. 1897, 288). *Plinio* butyrum est « barbararum gentium lautissimus cibus, et qui divites a plebe discernat » (XXVIII. 9, 133). Qui recte addit, butyrum plurimum e lacte bubulo fieri, unde et nomen (βοῦς — τυρός), licet pinguissimum ex ovibus habeatur (ib.); nam partes pingues, quae butyrum constituunt, in lacte bubulo 3,6, in ovillo 6,9, in caprino 4,8 ex computatione recentiorum inveniuntur. Nihilominus etiam in Scriptura potius « *butyrum de armento* » praedicatur et « *lac de ovibus* » (Deut. 32,14), quamquam nihil obstat quominus etiam ex lacte ovium et caprarum butyrum paratum esse supponamus. De vario butyri in medicinas varias et unctiones usu profanis notissimo Scriptura nihil commemorat (cf. *Diosc.* II. 81; *Colum.* VI. 12, 5; *Plin.* XI. 41,239; XXVIII. 9,134 etc.).

In Psalmo 54, 22 Vulgata, una cum syriaca, aethiopica, arabica versionem graecam secuta, legit « *divisi sunt ab ira vultus eius* », ubi textus massorethicus habet חָלְקוּ מֵחֲמְאַת פִּיו i. e. polita sunt dulcia oris eius (de verbis blandis); pro quo forte melius legendum erit חֶלְקוֹ מֵחֲמָאַת פָּנָיו i. e. mollior butyro est vultus eius, uti vertit Symmachus (λειότερα βουτύρου τὰ στόματα αὐτῶν; cf. Targum : leviora pinguedine caseorum מִן שְׁכַּן דְּגוּבְנִין).

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. 32,6 et II. 45, *ed. Rosenmüller* I. p. 322 s. 525-527: *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2 p. 66-69; *U. I. Seetzen*, Reisen I. 62; *I. L. Burckhardt*, Reisen in Arabien p. 50 s.; *E. Robinson*, Palaestina II. p. 405; III. p. 574; Neuere bibl. Forsch. 88 s.; *W. M. Thomson*, The Land and the Book II. (Centr. Pal.), p. 221. 456; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. p. 84 s.; *V. Hehn*, Kulturpfl. u. Hausthiere *ed.* 6, p. 153-7; cf. p. 566 n. 47; *O. Schrader* ap. Hehn l. c. 158 s.; *M. Jullien*, L'Égypte, Lille 1891, p. 258 s.

L. FONCK.

BUXUS ter in Vulgata occurrit in prophetia Isaiae : **1**. Is. 30,8 « scribe super buxum », ubi textus hebraicus legit : « scribe super tabulam » (עַל לוּחַ). Talis tabula, quae cera cooperta ad scribendum inserviebat, cum non tantum ex lapide (Ex. 24,12 etc.), sed etiam ex ligno (3 Reg. 7,36), ac praesertim ex ligno buxi fieret utpote durissimo ac minime nodoso et fere imputribili (*S. Hieron.* in h. l., *M.* 24,354), etiam a profanis scriptoribus buxus appellatur (*Propert.* III. 23,8; *Prudent.* περὶ στεφ. 9, 49 etc.). Pariter S. Hieronymus hoc loco tabulam propheticam haud inepte buxum nominavit.

2. In eodem libro Isaiae 41,19 et 60,13

textus hebraicus tres arbores enumerat בְּרוֹשׁ תִּדְהָר תַּאֲשׁוּר. Ex versionibus antiquis, inter quas Aquila et Theodotion voces hebr. retinuerunt (θαδαὰρ καὶ θαασούρ), significatio variorum nominum non elucet, cum pleraeque aut alium textum habuerint aut ordinem textus mutaverint: Targum chaldaicum אשכרעין vertit, quod buxum explicant (*Löw*, Pflanzennamen n. 37). In Vulgata si ordinem verborum attendas, prius pro תַּאֲשׁוּר, postea pro תִּדְהָר ponitur *buxus*. At pro neutra ponenda videtur. Nam buxus inter arbores numerari nequit, cum sit humilis frutex, praesertim in calidis et siccis orientis regionibus unius metri altitudinem vix superans (*G. E. Post*, Flora of Syria p. 726), multoque minus ad magnificas Libani arbores dicenda esset pertinere, cum altera huius fruticis species, *Buxus sempervirens L.*, nuspiam a Tauro usque ad Aegyptum, altera vero, *Buxus longifolia Boiss.*, non nisi ad radices montis Casii et Amani et prope Antiochiam Syriae inveniatur (*E. Boissier*, Flora orient. IV. 1144; *Post* l. c.), neque antiquitus in montibus Libani exstitisse ulla ratione probetur. Immo iam *Theophrastus* propter aeris temperiem buxum et tiliam in hortis Babyloniae non sine multo labore crescere asserit (Hist. pl. IV. 4,1; de caus. pl. II. 3,3) atque expresse buxum iis quas φιλόψυχρα i. e. frigoris amantes nominat plantis accenset (Hist. pl. IV. 5,1). Unde *V. Hehn* merito concludit, buxum non fuisse terrae semiticae incolam et iam ex hac ratione in citatis Scripturae locis non fuisse designatam (Kulturpfl. *ed.* 6, Berlin 1894, p. 224 s.). — Quodsi aliam inter arbores Libani verbis sacri textus convenientiorem quaerimus, תְּאַשּׁוּר videtur potius *cupressum* designare, quae certe ad praeclaras Libani glorias pertinet atque nomine secundum plures auctores hebraico affini assyriace *shurmēnu*, aramaice שַׁרְיֵינָא et שִׁירְבִינָא, arabice *sherbīn* appellatur. *Iuniperus oxycedrus*, quam alii dicunt *sherbīn* vocari et pro assyr. *shurmēnu* supponunt, potius *ʿarʿar* ab Arabibus vocatur, et plerumque tamquam frutex prostratus in inferiore et media montium parte crescit, licet rarius etiam altitudinem 5 vel 6 metrorum attingat. — Atque haec explicatio de cupresso etiam textui Ezechielis prophetae (27,6) optime convenit, ubi pro massorethico בת־אֲשֻׁרִים (*Vulg.* praetoriola) communiter בְּתַאֲשֻׁרִים legendum censent; cupressi enim tum in constructione navium communiter a veteribus adhibebantur, tum fini a propheta indicato (ebur in ligno cupressino inclusum) aptissimae sunt. Vide CUPRESSUS.

Cf. *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 333; *E. Boissier*, Flora orient. V. 705-707; *G. E. Post*, Flora of Syria 748 s. — De alia voce תִּדְהָר v. ULMUS; de בְּרוֹשׁ v. ABIES.

L. FONCK.

BUZ (בּוּז). **1**. Secundus filius Nachor fratris Abraham ex Melcha genitus (Gen. 22,21; LXX Βαύξ). Ex eius posteris erat Eliu de cognatione Ram, ultimus in libro Iob interlocutor, qui dicitur Buzites (Iob 32,2. 6). Probabilius ad eundem Buz referenda est tribus Buz Ier. 25,23 (LXX Ῥῶς) una cum Dedan et Thema enumerata. Cum Dedanitae ceturaei et Thema sint populi Arabiae septemtrionalis, Buz in eorum vicinia nec procul ab Idumaea quaeritur (*Knobel*, Völkertafel p. 173; cf. *Dillmann* ad Gen. 22,21). Attamen *Delitzsch* (Paradies p. 307) tribum Buz paulo magis aquilonem versus collocat in terra *Bazu*, quae in inscriptionibus cuneiformibus regis Asarhaddon memoratur et ad meridiem regionis Hauran fuisse putatur; eandem coniecturam valde probabilem esse censet *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 127.

2. Buz in genealogiis tribus Gad (1 Par. 5,14; LXX Βούζ).

BUZI (בּוּזִי, Βουζεί), pater Ezechielis prophetae (Ez. 1,3).

BYSSUS in Vulgata dicitur tum שֵׁשׁ, tum בּוּץ, tum βύσσος; similiter LXX et Peshitta atque Chaldaeus utramque vocem hebraicam βύσσος et בּוּצָא vertunt.

1. De שֵׁשׁ (aeg. *shs'*, copt. *shens*) S. Scriptura refert, Ioseph a Pharaone stola

byssina indutum esse (Gen. 41,42); inter dona Domino ab Israelitis in deserto oblata etiam שֵׁשׁ fuisse (Ex. 25,4; 35,6. 23. 25. 35) eoque Moysen usum esse ad tabernaculum cum velo et tentoriis atque atrio (Ex. 26,1. 31. 36; 27,9. 16. 18; 36, 8. 35. 37; 38,9. 16. 18. 23), ad vestimenta sacra Aaronis (Ex. 28, 5. 6. 8. 15. 39; 39, 1 [om. hebr.]. 2. 5 [om. Vulg.]. 8. 22 [om. hebr.]. 25) et filiorum eius (Ex. 39, 26. 27. 28). In Proverbiis indumentum mulieris bonae atque fortis byssus et purpura dicitur (31,22), sicut homo ille dives in parabola evangelica « purpura et bysso induebatur » (Luc. 16,19 βύσσον). Similiter propheta inter beneficia ingratae civitati concessa Ierusalem bysso cinctam atque vestitam describit (Ez. 16, 10. 13), atque urbi opulentissimae Tyro byssum variam de Aegypto ait textam esse in velum (ib. 27,7).

2. בוּץ vero idem propheta refert Syros negotiatores in mercatu Tyriorum cum purpura aliisque mercibus proposuisse (Ez. 27,16), sicut etiam Babyloni apocalypticae inter alias merces pretiosas byssus (βύσσινον) et purpura afferebantur (Apoc. 18,12. 16). Inter posteros quoque Iudae, probabiliter Palaestinam vel Syriam inhabitantes, « domus operantium byssum » recensetur (1 Par. 4, 21, ubi LXX retentis signis hebraicis בית־עֲבֹדַת הַבּוּץ corruptis legunt εφραθ αδαα cod. B, εδδαθ αδδους A). Similiter Hiram rex Tyri Salomoni artificem misit scientem operari bysso, cuius ope Salomon velum templi fecit ex hyacintho, purpura, cocco et bysso (2 Par. 2,14; 3, 14). Vestimenta quoque ornatusque festivi ex bysso fiebant, quibus induti leguntur David (1 Par. 15,27), levitae atque cantores (2 Par. 5,12), Mardochaeus egrediens de palatio regis (Esth. 8,15 *Vulg.* serico pallio), in quo vela funiculis byssinis erant appensa (ib. 1,6); pariter uxor Agni in Apocalypsi byssino splendenti et candido tamquam symbolo iustificationum sanctorum induta erat (19,8 βύσσινον), exercitusque caelestes sequebantur Verbum Dei vestiti byssino albo et mundo (ib. v. 14).

3. De vera nominum illorum significatione satis magna inter auctores veteres atque recentiores est quaestio. Imprimis facile patet Scripturam non de herbis, unde byssus sumebatur, sed de panno ac vestimentis byssinis loqui. Deinde בוּץ, βύσσον, *byssum* eandem esse vocem communiter admittunt, ita ut solummodo de בוּץ et שֵׁשׁ inquirendum sit. Aliqua quidem inter haec duo videtur indicari differentia, tum quia שֵׁשׁ potius Aegypto, בוּץ vero Palaestinae ac Syriae tribuatur (Ez. 27,7. 16; 1 Par. 4, 21), tum quod ex בוּץ vestes levitarum et cantorum (2 Par. 5,12), ex שֵׁשׁ vero vestimenta pontificis et sacerdotum fiebant (Ex. 28,5; 39,2 etc.); בוּץ etiam in posterioribus Scripturae libris frequentius occurrit, atque aramaicae esse originis asseritur. At his exceptis admodum similia de utroque in Scriptura praedicantur, neque differentiae allatae sufficere videntur ad distinctionem specificam inter בוּץ et שֵׁשׁ statuendam; quare plerique praestantia potius ac nobilitate haec duo differre atque aegyptiacum שֵׁשׁ excellentiorem syriaco בוּץ fuisse censuerunt.

4. Controversia vero praesertim circa hoc versatur, utrum nomina ista *gossypinum* potius an *linum* designent; nam qui *sericum* fuisse cum Luthero atque interpretibus quibusdam antiquis (ap. *O. Celsium*, Hierobot. II. 172) defendat, aut qui cum paucis *cannabi* potius faveat (cf *I. H. Balfour*, Plants of the Bible p. 162-164), vix invenietur. *Gossypino* multi auctores antiquiores recentioresque suffragati sunt: *Bonfrerius* (in Ex. 25,4), *Buxtorf* (Lex. s. v.), *Fr. Iunius* et *Tremellius* (ap. *I. H. Ursinum*, Acbor. bibl. Contin. p. 176), *I. R. Forster* (De bysso antiquorum, London 1776, p. 49 ss.), *I. D. Michaelis* (Suppl. ad lex. hebr. 161 etc.), *E. F. K. Rosenmüller* (Bibl. Alterth. IV. 1, 175-174 bis), *W. Gesenius* (Thes. s. v.), *I. Rosellini* (Monum. civ. I. 341-61), *G. B. Winer* (Bibl. Realwörterb. I. 142-4), *D. B. v. Haneberg* (Die relig. Alterthümer 536-8), *P. Cultrera* (Flora bibl. 199-203), *Riehm-Baethgen* (Handwörterb. *ed.* 2, I. 192-4) al. Ex adverso pro *lino* stant hierobotanici antiqui *I. H. Ursinus* (l. c. 172-80), qui tamen pro velis tyriis (Ez. 27,7) etiam gos-

sypino non refragatur et byssum in N. T. latius accipiendum censet pro omni genere subtilissimarum telarum (l. c. 177 s.). *M. Hiller* (Hierophyt. II. 141-3), *O. Celsius* (Hierobot. II. 169-80. 259-63), quibus addi poterunt *Philo*, *Flavius Iosephus*, doctores talmudici *Aben Esra*, *Abarnabel*, *Iarchi* al. cf. *I. Braun*, Vest. Sacerd. Hebr. I. 6, n. 82 ss.; II. 3, n. 356; *Forster* l. c. p. 5; *E. Schürer*, Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3, II. 282 not. 7), qui nonnisi linteas sacerdotum vestes ex שֵׁשׁ factas agnoscunt, multique recentiores, qui שֵׁשׁ et בּוּץ vel unice vel saltem plerumque ac probabilius linum significare censent (*H. B. Tristram*, Nat. hist. of the Bible *ed.* 8, p. 465; *I. Smith*, Hist. of Bible plants p. 243-245; *L. Cl. Fillion*, Atlas d'hist. nat. de la Bible, 41,122; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 165-170, al.).

5. Ex verbis S. Scripturae controversia cum certitudine vix dirimi poterit; plura tamen *lino* potius quam gossypino favent. Nam vestes ex בַּד confectae, quae omnibus lineae sunt, etiam ex שֵׁשׁ constare dicuntur (Ex. 39,28; cf. 28,42), eaedemque vestes ex שֵׁשׁ factae Ezechieli sunt בְּגָדִי פִשְׁתִּים i. e. lineae (44,17 s.). Praeterea in praeceptis de lepra vestium (Lev. 13,47 s.) et de vestibus ex diversa materia contextis (Deut. 22,11; cf. Lev. 19,19) solummodo lana et pelles animalium atque linum commemorantur, ita ut gossypino non relinquatur locus. Satis probabiliter etiam supponitur Moyses in praeceptis de vestibus sacris Aegyptiorum morem prae oculis habuisse; iam vero licet fortasse gossypini usus antiquis Aegyptiis non omnino ignotus fuerit (cf. *G. Ebers*, Durch Gosen zum Sinai, Leipzig 1872, p. 478 s.; *Fr. Woenig*, Die Pflanzen im alt. Aeg., Leipzig 1886 p. 346-348; *V. Loret*, Flore pharaonique *ed.* 2, Paris 1892, p. 105) et certe posteriore tempore satis invaluerit (*Plin.* XIX. 1,14; cf. XII. 10,38 etc.), usus tamen sacer veterum Aegyptiorum *linea* indumenta aut unice ferebat aut reliquis omnino praeferebat tum ad vestes sacerdotum conficiendas tum ad corpora mortuorum involvenda (v. LINUM).

Byssus igitur, quamvis auctoribus profanis et linum et gossypinum designet, in Scriptura tamen potius de lino videtur intellegendum.

Praeter auctores citatos cf. *G. W. Wedel*, Programma de Purpura et Bysso, Ienae 1706; *A. Bertoloni*, De quibusdam novis plantarum speciebus et de Bysso antiquorum, Bononiae 1835; *Dom. Viviani*, Del bisso degli antichi (ex Biblioteca italiana), Milano 1836. — Alia v. in art. CARBASINUS, LINUM.

L. FONCK.

C

CAATH (קָהָת, K[α]άθ), secundus filius Levi (Ex. 6,16; Num. 3,17), in terra Chanaan patri natus (Gen. 46,11), qui quattuor filiis, singulis gentium futuris capitibus, genitis, Amram, Isaar, Hebron, Oziel, usque ad 133. aetatis annum vitam egit (Ex. 6,18). Huius igitur viri posteri fuerunt *Caathitae*, quorum compluries in S. Scriptura mentio fit. Familia Aaron sacerdotalis cum ex Caath originem traheret, reliqui Caathitae inter levitas honoris locum principem tenuere, solis sacerdotibus secundi. Quibus in movendis castris quale munus obtigerit, Num. 4,15 ss. indicatur : etenim involuta a sacerdotibus vasa sacra, arcam foederis, mensam propositionis, candelabrum, altaria aureum et aëneum etc., ipsorum erat transferre; nuda tamen sive tangere sive aspicere, indicta mortis poena, vetabantur. Cumque ceteris levitis plaustra bovesque ad sua onera loco amovenda inservirent, Caathitis suae res erant, utpote maxime sacrosanctae, propriis baiulandae humeris (Num. 7,1-9). In ipso itinere tribuum Ruben, Simeon, Gad agmen sequebantur, et in novam stationem cum perventum esset, statim sacra sua onera in praeparatum iam a Gersonitis Meraritisque, qui post primum agmen incesserant, tabernaculum deponebant (Num. 10,21), a cuius meridionali ipsi castra metabantur (Num. 3,29). Post ipsos sacerdotes primi urbes leviticas sortiti sunt (Ios. 21,4. s.) Cum David arcam a domo Obededom Hierosolyma transferret, iterum Caathitae eam humeris subiisse narrantur (1 Par. 15,2-15). Panibus propositionis curandis novisque per singula sabbata parandis in s. templo praeerant (1 Par. 9,32). Non est igitur mirum, quod, cum tanta essent dignitate antiquitus, a Davide quoque rege magnis honorificisque muneribus cumulabantur (1 Par. 26,26).

F. ZORELL.

CABSEEL (יְקַבְצְאֵל Neh. 11,25, alias קַבְצְאֵל; αισελεήλ, Καβεσεήλ, Καβασαήλ), urbs in meridionali plaga tribus Iuda iuxta terminos Edom sita (Ios. 15, 21), patria Banaia viri fortissimi ac ducis cohortis praetorianae Cerethi et Plelethi (2 Reg. 23,20; 1 Par. 11,22 et vide BANAIA 1), post exsilium a filiis Iuda denuo habitata (Neh. 11,25). Situs accuratior ignoratur.

CABUL (כָּבוּל, Χωβαμασομέλ per fusionem cum sequenti מִשְׁאוֹל, A Χαβὼλ ἀπὸ ἀριστερῶν), urbs tribus Aser (Ios. 19,27). Censetur esse *Kābūl* inter Accho et Iotapata (*Khirbet Djēfāt*). Idem vicus apud Flavium Iosephum (Vita 43-45) dicitur Chabolo (Χαβωλώ) in Ptolemaidis confinibus situs et a Iotapata 40 stadiis distans vel rectius 50 stadiis, ut notat *Guérin*. Verum ex descriptione termini Aser (cf. *F. de Hummelauer* ad Ios. 19, 27) concludendum videtur urbem Cabul potius quaeri oportere aquilonem versus a Sephet (*Ṣafed*); quo supposito etiam admitti potest ab eadem urbe Cabul nomen accepisse terram Chabul 3 Reg. 9, 13 (v. CHABUL), quae ab urbe Chabolo = *Kābūl* satis longe distat.

De Chabolo = *Kabul* cf. *Flav. Ios.* Bell. iud. III. 3,1 et etiam II. 18,9, quo loco pro Zabulon, quae Virorum cognomen habet, legendum est Χαβουλών (cf. *ed. Niese*); *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 113; *Guérin*, Galilée I. 422-424; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 271. 308; *Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 205; *Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 221.

CADEMOTH (קְדֵמוֹת, Κεδαμώθ, Καδαμώθ seu Cedimoth (קְדִמֹת, Βακεδμώθ Ios. 13,18), urbs Amorrhaeorum tribui Ruben assignata (Ios. 13,18), postea levitis filiis Merari tradita (1 Par. 6,79[64] et loco parallelo Ios. 21,37 in plerisque codicibus hebraeis). Vulgata Ios. 21,36 mendose legit Iethson pro Cademoth codicum hebraeorum; cf. *de Rossi*, Var. Lect. Vet. Test. II. p. 96 s. de authentia duorum versuum, qui post v. 35 in multis hodiernis editionibus textus massorethici desiderantur. Ab hac urbe nomen traxit solitudo Cademoth, ex qua Moyses ad Schon regem Hesebon verbis pacificis nuntios misit, ut Israelitis terram Amorrhaeorum transire liceret (Deut. 2, 26). Ex contextu (cf. etiam Num. 21,13 s.) Cademoth sita erat prope Arnonem superiorem in dextera fluvii regione, fortasse haud procul a *Qal'at Balua* statione « viae peregrinorum ».

CADES. 1. Cades seu Cadesbarne קָדֵשׁ, קָדֵשׁ בַּרְנֵעַ; Κάδης, Κάδης Βαρνή, Κάδης τοῦ Βαρνή), urbs in extremo limite meridionali terrae promissae (Ios. 10, 41; 15,3; Num. 34,4; Ez. 47,19; 48,28), in deserto Cades (Ps. 28[29],8). Prima urbis mentio Gen. 14,7 habetur; Chodorlahomor eiusque socii, postquam Horraeos in montibus Seir inter mare Mortuum et sinum Aelaniticum percusserunt, occidentem versus ad fontem Misphat, ipsa est Cades, venerunt et omnem regionem Amalecitarum seu septemtrionalem partem peninsulae sinaiticae vastarunt, denique Amorrhaeum ad occidentem maris Mortui percusserunt; erat igitur Cades occidentem versus a montibus Seir, aquilonem versus ab El-Pharan seu Aelath portu sinus Aelanitici (cf. Gen. 14,6 hebr.), meridiem versus ab Amorrhaeis et in vicinia Amalecitarum; eius nomen antiquissimum erat fons Misphat, fons Iudicii; a quonam eventu hoc nomen inditum fuerit, ignoramus. — Cades etiam legitur Gen. 16, 14 ad determinandum Puteum Viventis et Videntis me, prope quem angelus Domini Agar Aegyptum versus fugientem invenit; erat autem hic puteus (cf. 16,7 et 24,62) in deserto, in via versus Sur deserti arabici partem Aegypto conterminam, inter Cades et Barad, ita quidem ut a puteo orientem versus fuerit Cades, occidentem versus Barad locus ignotus. Abraham quoque a Mambre in terram australem profectus inter Cades et Sur habitabat (Gen. 20,1). Post montem Sinai Cades erat praecipua Israelitarum statio in itinere quadraginta annorum. A monte Horeb aberat itinere undecim dierum per viam montis Seir (Deut. 1,2) i. e. per viam quae inter septemtrionem et orientem spectat seu e regione montium Seir. Sita erat in septemtrionali parte magni deserti Pharan (*Bādiet el-Tih*), quod per montana Sinai, vallem Araba, Negeb seu meridiem Palaestinae, desertum Sur circumscribitur; ab hac statione duodecim exploratores in terram Chanaan missi sunt, ad eandem post quadraginta dies redierunt (Num. 13,26. 27; 32,8; Deut. 1,19 s. 9,23; Ios. 14,6. 7). Ob murmur populi ibidem concitatum omnes praeter Iosue et Caleb morti in deserto addicuntur, contra mandatum Domini aquilonem versus progressi ab hostibus caeduntur et usque ad Cades, ubi Moyses cum arca remanserat, reiiciuntur (Num. 13; 14; Deut. 1,19-46); deinde a Cades in solitudinem per viam maris Rubri abierunt, ut per 38 annos in desertis Arabiae Petraeae migrarent (Num. 14,25; Deut. 1,40; 2,14). Recensentur Num. 33,19-36 huius migrationis stationes septemdecim, quarum prima Remmonphares, ultima Asiongaber; de Asiongaber redierunt in desertum Sin seu partem septemtrionalem deserti Pharan et castrametati sunt in Cades Ibidem initio mensis primi anni quadragesimi(?) Maria soror Moysis mortua et sepulta est (Num. 20,1; cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.); eius sepulcrum tempore Eusebii et S. Hieronymi adhuc ostendebatur (Onom. *ed. Lag.* 269,7; 108, 24); Flav. Iosephus eam sepultam esse dicit super monte quodam, qui Sin appellatur (Ant. IV. 4,6); utrum prope Cades in deserto Sin mons eiusdem nominis fuerit an Iosephus ipse montem a deserti nomine appellaverit, non liquet. Ibidem populus de aqua deficiente conquestus est, sicut in Mara et Raphidim; ibidem Moyses et Aaron ob diffidentiam suam

ingressu terrae promissae privati sunt ad Aquas contradictionis (Num. 20,13; 27,14; Deut. 32,51). Inde Moyses legatos ad regem Edom misit, ut per terram Edom, in cuius extremis finibus Cades urbs sit, Israelitis transire liceat (Num. 20,14. 16; Iud. 11,16. 17). Edomitis autem abnuentibus de Cades profecti sunt ad montem Hor (Num. 20,22; 33,37). — De palma exaltata in Cades Eccli. 24,18 *Vulg.* vide s. v. ENGADDI; ferunt enim aliqua mss. graeca ἐν Γαδδί, ἐν Γάδοις, ἐν Ἐγγάδδοις, *ed. Sixtina* ἐν αἰγιαλοῖς in oris maritimis. — Demum in textu graeco Iudith 1,9 Κάδης recensetur inter regiones, ad quas Nabuchodonosor nuntios misit deditionem postulaturos; ordo enumerationis : Ierusalem, Betane, Chellus, Cades, torrens Aegypti (*Wādi el-ʿArīsh*) omnino suadet Cadesbarne designari; cf. s. v. BETANE et CHELLUS.

Cades hodie a plerisque agnoscitur *ʿAin Qadīs* 80 km a Bersabee austrum versus, in descensu occidentali planitiei montanae *ʿAzāzime,* unde etiam *Wādi Qadīs* occidentem versus decurrit. Est oasis deliciis affluens, ficis et virgultis varii generis consita. Cum hoc situ sine difficultate conciliatur, quod Cades Num. 20,16 in extremis finibus terrae Edom esse dicitur; erat enim desertum Sin iuxta latera Edom Num. 34,3. Neque veram difficultatem parit illud Eusebii : Cadesbarne, desertum quod protenditur usque ad Petram urbem (Onom. *ed. Lag.* 269,4); tota enim regio ab *ʿAin Qadīs* usque ad Petram vere deserta est.

Fuerunt qui duas Cades distinguerent, priorem in deserto Pharan, alteram in deserto Sin, quae distinctio eo potissimum suadebatur, quod in priore omnia necessaria suppeterent, in altera populus penuria aquarum laboraret. Respondet *Calmet* in Num. 13,27 : « Quid mirum, si in duobus diversis deserti eiusdem nominis locis hic quidem desint aquae, ibi vero abundent? » Hoc responsum eo magis valet, quod Ps. 28[29],8 etiam deserti Cades explicita mentio fit. Neque duplex Cades postulatur propter duplicem castrametationem, priorem anno secundo post exitum de Aegypto, alteram mense primo anni quadragesimi. Sed fatendum est obscuritatem quandam causari a S. Hieronymo, qui in Quaest. in Gen. 14,7 *fontem iudicii, haec est Cades* interpretatur locum apud Petram, qui fons iudicii nominatur et in Onomast. (*ed. Lag.* 145,2) scribit : « Puteus iudicii usque in praesentem diem in regione geraritica; vocatur autem villa nomine Berdan quod latine dicitur puteus iudicii ».

Alios situs duodeviginti, qui pro Cades a variis propositi fuerant, praetermittimus; unus tantum ex iis efferri meretur scil. *ʿAin el-Weibe* in valle *el-ʿAraba* aquilonem versus a *Djebel Nebi Hārūn;* ibi Cades fuisse imprimis *Robinson* (Palaestina III. 141. 170 s.) defendebat, post eum *de Luynes* (Voyage d'exploration à la mer Morte I. 303-310), alii. Hodie haec opinio derelicta est. Ampliorem discussionem argumentorum pro *ʿAin Qadīs* exhibet *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 16-20.

Cf. *E. H. Palmer*, The desert of the Exodus II. 290. 350-353; *H. Clay Trumbull*, Kadesh Barnea, New York 1884; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. VIII. 1885 p. 182-232; *E. Hull*, Mount Seir, London 1889 p. 188; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 18; *Fillion*, Atlas géogr. de la Bible 1890 p. 14; *Jullien*, Sinai et Syrie 1893 p. 161; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 108; Revue bibl. V. 1896 p. 440 ss. (describitur *ʿAin Kedeis*).

2. Cades in tribu Nephthali, in Vulgata plerumque Cedes; v. CEDES 1.

3. Cades (קָדֵשׁ, Κάδης), urbs in Negeb seu meridie Iuda (Ios. 15.23). Dubitant sitne distinguenda a Cadesbarne, quae in ipsa descriptione termini meridionalis v. 3 enumeratur. Diversitas punctationis massorethicae distinctionem urbium innuit. *Dillmann* in Ios. 15,23 suspicatur eam esse *Qadus*, quam *Muqaddasi* geographus Arabs in via mercatorum inter Hebron et Zoar (Segor) collocat, ab utraque unius diei itinere distantem; est eadem, quam *Wetzstein* frustra demonstrare conatus est esse Cadesbarne (apud *Delitzsch,* Comment. in Gen. *ed.* 4, p. 574 ss.).

CADUMIM (נַחַל קְדוּמִים, χειμάρρους ἀρχαῖον, *Vulg.* torrens Cadumim) in cantico Debborae Iud. 5,21 commemora-

tur. Vulgata nomen proprium interpretatur, quod alii volunt esse flumen a Cisone diversum, ubi scil. Debbora dimicaverit, cum Barac ad Cisonem pugnaret, alii idem flumen cum Cisone. LXX : torrens antiquitatum i. e. antiquitus nobilis. Similiter Targum Ionathan : fluvius in quo facta sunt signa et fortitudines Israeli ab antiquis. *Gesenius :* torrens aeternus, ἀένναος vel antiquitus nobilis. *Furst :* Thalebene der uralten Zeit, quatenus apud Cisonem gentes ab antiquissimis temporibus proelia commiserunt. Aliter *Vatablus :* torrens antiquus i. e. ad hoc a Deo ordinatus ab initio, ut in eo perirent Chananaei. Ad radicis significationem *praeveniendi*, *occurrendi* confugiunt *Rabbi Ionas* apud *Rosenmüller* : torrens inimice occurrens Chananaeis, *Cassel :* torrens amice occurrens Hebraeis et melius fortasse *Bonfrerius :* torrens praeventorum, occupatorum et ex insperato aquis obrutorum. Has coniecturas recenset et breviter discutit *F. de Hummelauer* ad Iud. 5,21 et addit : « Ad veram solutionem propius accessit *Serarius : torrens orientalis* eamque erues ex Aquila : καυσώνων. Siquidem καύσων dicit aestum (Iob 27,21 ; Ier. 18,17 ; Ez. 17,10 etc.) et a Vulgata recte vertitur *ventus urens,* ventus ab oriente i. e. a deserto arabico flans, alibi *scirocco* appellatus. Ergo secundum *Aq.* idem est קדים quod קדים aut fortasse קדימים primitus legebatur vel potius קדמים scriptione non plena. Pluralis ventum urentem *validissimum* designare videtur. Nota Cisonem inter Thaborem et Thanach fluere ab oriente occidentem versus, Israelitas igitur eum ventum habuisse a tergo flantem, Chananaeos obtutum arena et pulvere praepedientem ».

CADUS (כַּד, κάδος) generatim significat hydriam ; sed Luc. 16,6 : *centum cados olei* ponitur pro bath : ἑκατὸν βάτους ἐλαίου. Est autem bath decima pars chomer vel cor (vide s. v. CORUS) i. e. 36, 44 l.

CAECUS, CAECITAS, aegritudo in regionibus orientalibus frequentior. Causam eius inter alia etiam eo reponunt, quod magni calores diurni frigore nocturno excipiuntur. Lege mosaica prohibetur : nec coram caeco pones offendiculum, et maledictioni obnoxius declaratur qui errare facit caecum in itinere (Lev. 19,14 ; Deut. 27,18). Prae senectute oculi caligaverunt Isaac (Gen. 27,1), Heli sacerdotis (1 Reg. 3,2 ; 4,15), Ahiae prophetae (3 Reg. 14,4). Tobias pater, cum ei dormienti calida stercora hirundinum in oculos incidissent, caecus factus est i. e. ἐγενήθη λευκώματα ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς. Caecitate percussi sunt Sodomitae (Gen. 19,11 ; Sap. 19,16) ; quod 4 Reg. 6,18-20 narratur, non videtur intellegendum esse de caecitate propria, sed potius de quadam mentis oculorumque stupefactione, ita ut non adverterent se duci ab Eliseo in Samariam. Verum caecitate in poenam percutitur Elymas magus (Act. 13,11 ; vide s. v. BARIESU). Saulus quoque in via ad Damascum, cum eum lux de caelo circumfulsisset, per tres dies caecus factus est (Act. 9,3-18). Philisthaei cum Samsonem dolo et blanditiis Dalilae captum apprehendissent, statim eruerunt oculos eius. Eadem poena Sedecias pro rebellione afflictus est a Nabuchodonosor, qui filios eius occidit coram eo et oculos eius effodit (4 Reg. 25,7 ; Ier. 39,7 ; cf. Ez. 12, 6. 12. 13), quam poenam, uti in monumentis quoque cernitur, reges Assyriorum infligere solebant regibus bello victis.

Sanationes caecorum multas legimus in evangeliis a Christo factas ; Christus fide eorum explorata quandoque attactu eos reddidit videntes (Matth. 9,29 ; 20, 34), semel saliva oculos caeci livit (Marc. 8,23), alium unctis oculis luto ex sputo facto misit ad natatoria Siloe ut oculos lavaret (Ioan. 9,6 s.). Sole clarius est evangelistas haec referre tamquam res vere gestas, quibus Iesus suam potentiam, missionem, benignitatem manifestaret et hominibus persuaderet ; atque eo modo oculos corporis illuminans voluit oculos quoque mentium novo donare lumine. Sed plane perversum, immo ridiculum est, quod aliqui recentiores excogitarunt iis narrationibus nihil aliud contineri nisi Iesu doctrina gentes caecitate mentium esse liberatas et ad agnitionem visionemque veritatis adduci ;

esse narrationes illas nihil nisi involucra et symbola eorum quae Iesus in mentibus efficiat.

Satis frequenter voces hae sensu translato adhibentur de mentis ad res divinas hebetudine, stupore, inertia; ita iam Is. 42,19; 56,10; eodemque modo Christus pharisaeos appellat caecos (Matth. 23,17 s.; Ioan. 9,41) et contristatur super caecitate cordis eorum (Marc. 3,5) et Paulus caecitatem ex parte contigisse in Israel affirmat (Rom. 11, 25) etc.

CAELATURA. Hac voce in Vulgata redduntur aliqua verba hebr.; ita חֲשׁוּקִים Ex. 27,10. 11; 38,10,11. 12. 17. 19; iis tamen in locis a nonnullis intelleguntur perticae, quae in tabernaculo columnis atrii superne coniungendis inserviebant et ex quibus aulaea suspensa erant (cf. *Gesenius*, Thes. p. 536; *Keil* ad h. l.); LXX reddunt ψαλίδες. Aliter *F. de Hummelauer* ad Ex. 27,9 : « Intelleguntur laminae argenteae aliquae circa columnas plexae, ornatus gratia ». — Dein פִּתּוּחֵי חוֹתָם caelatura gemmarii Ex. 28,11 i. e. sculptura sigilli, qua scil. nomina filiorum Israel lapidibus onychinis inscribenda erant; cf. Ex. 28,21. 36; 39,6. 14; similiter 3 Reg. 6, 29; 2 Par. 2,7. — Item פְּטוּרֵי צִצִּים caelaturae eminentes 3 Reg. 6,18; sed hebr. explicatur probabilius serta florum; 3 Reg. 6,29 vertit Vulgata picturas varias, v. 32 anaglypha valde prominentia et v. 35 iterum caelaturas eminentes. — Porro מְקֻלָּעוֹת 3 Reg. 7,31, et uti textus hodiernus fert v. 35 יְדוֹת. — Bene vertitur Ez. 40,37 תְּמָרִים caelatura palmarum, quia ibi palmae arte factae et opere caelatoris effictae ad aedificium ornandum intelleguntur.

CAELUM. Ad designandum mundum universum adhibetur dictio : caelum et terra; cf. Gen. 1,1; 2,1.4; 14,19; 24,3; Ex. 20,4; 31,17; Deut. 3,24; 2,39; 1 Par. 16,31; Esdr. 5,11; Esth. 13,10. Ceterum caelum generatim iisdem modis in s. litteris dici solet, quibus nos quoque in sermone vulgari utimur. Ita loquimur de caelo stellifero; similiter Gen. 15,5 : suspice caelum, numera stellas; Gen. 22,17 sicut stellas caeli; Ex. 32,13; Deut. 28,62; Ps. 8,4; similiter de firmamento caeli Gen. 1,20 et de nubibus caeli Gen. 9,14 : cum obduxero nubibus caelum, 2 Reg. 22,12 : cribrans aquas de nubibus caelorum; quare cum densae nubes in terram se demittunt, Deus dicitur inclinare caelos 2 Reg. 22, 10 et Ps. 17,10 et caeli dicuntur contenebrati 3 Reg. 18,45; et quia nubes emittunt imbrem, pari modo sermo fit de cataractis caeli apertis Gen. 7,11; 4 Reg. 7,2. 19, de pluviis de caelo Gen. 8,2, de caelis et nubibus distillantibus aquis Iud. 5,4; item si pluviae prohibentur, caelum dicitur esse sicut ferrum Lev. 26, 19, claudi caelum, caelum esse clausum, aeneum Deut. 11,17; 28,23; 3 Reg. 8, 35; 2 Par. 6,26; Luc. 4,25. Simili modo quod e regione superiore in terram deferri videtur vel defertur, de caelo venire dicitur; ita Gen. 27,28 : det tibi Deus de rore caeli; ita vox angeli de caelo affertur ad Agar Gen. 21,17; 22, 11; Ex. 16,4 : ego pluam vobis panes de caelo; item Iob 38,29 gelu de caelo, 2 Reg. 22,14 tonare de caelo, 2 Reg. 18,9 Absalom haerens in quercu dicitur esse suspensus inter caelum et terram et similiter Ex. 9,8 Moyses iubetur cinerem spargere in caelum. Inde quoque facile fluit dictio adeo frequens de volucribus, volatilibus, avibus caeli (Gen. 1, 26. 30; 2,19; 6,7; 7,3. 23; 9,2; Deut. 28,26; 1 Reg. 17,44; 3 Reg. 14,11; 16, 4; Ier. 14,3; 19,7; Matth. 8,20 etc.). Neque minus, uti apud nos, caelum quandoque dicitur in locutionibus hyperbolicis : urbes magnae et usque ad caelum munitae Deut. 1,28; mons ardebat usque ad caelum Deut. 4,11; cf. Deut. 9,1; Ios. 8,20 videre fumum ad caelum usque conscendere, 1 Reg. 5,12; Iob 2,12.

Qui sidera colunt, militiam caeli adorare dicuntur, i. e. ii qui soli, lunae, planetis nomina idolorum attribuunt, vel Baal ut deum solis, aliosque deos et deas ut numen lunae et planetarum adorant; cf. 4 Reg. 21,5; 23,4. 5; 2 Par. 33, 3; Ier. 19,13; 44,17 etc.

Modo sublimiore caelum nominatur habitaculum Dei, sedes Dei, non quasi Deus non consideretur praesens ubique,

sed caelum ibi esse dicitur, ubi Deus excellentissima gloria et maiestate se angelis ac beatis videndum exhibet. Dein ad nostrum concipiendi modum plane necessarium est cogitare eminentissimum quendam et maxime splendidum locum, ubi thronus quasi sit et palatium divinae maiestatis. Ita Deut. 26,15 : respice de excelso caelorum habitaculo; 3 Reg. 8,30 ss. 2 Par. 6,21 ss. : exaudies in loco habitaculi tui in caelo, tu exaudies in caelo etc.; Iob 16,20 : ecce in caelo testis meus; 2 Par. 20,6; Neh. 9,27. 28. Ipse Christus nos orare docuit : Pater noster qui es in caelis et saepe loquitur de Patre qui est in caelis (Matth. 5,16. 45; 6,9; 7,11. 21; 10,32 etc.). Angeli qui semper vident faciem Patris qui in caelis est, propterea etiam angeli caeli merito vocantur, angeli in caelo; id quod iam adumbrat Michaeas propheta dicens : vidi Dominum sedentem super solium suum et omnem exercitum caeli assistentem ei a dextris et a sinistris (3 Reg. 22,19). Cum sermo inferatur de caelis caelorum (3 Reg. 8,27; 2 Par. 2, 6; 6,18 etc.), duae explicationes pro re nata offeruntur; nam, uti vidimus, caelum designatur quandoque aërium (aves caeli, nubes caeli), sidereum, habitatio angelorum et Dei; cum itaque plures caeli distinguantur, summum ac praeclarissimum chelum vocari potest caelum caeli. Ad eandem fere explicationem adducimur, si caelum caeli sublimissimum locum et maxime gloriosum in ipsa habitatione caelesti accipimus.

Cum itaque caelum sit praeclarissimum Dei opus et caelum sit sedes Dei, Deus saepe vocatur Deus caeli Ps. 90,1; 135,26; Iudith 5,9 s.; Esdr. 1,2; 5,12; qua appellatione praesertim utuntur, ut Iahwe ab idolis distinguant; fit in exsilio quasi nomen proprium Iahwe, quare in decretis quoque Cyri, Darii adhibetur (2 Par. 36,23; Esdr. 1,2; 6,9) et Dan. 2, 18. 19. 37. 44; 5,23. Exinde usus ortus est ut ipsum nomen caeli pro Deo poneretur. Eius usus initium iam habetur Dan. 4,23 : ex quo cognoveris esse dominantes caelos (aramaice) et cernitur in locutionibus quoque : ad caelum pertingit crudelitas vestra (2 Par. 28,9 et similiter : pervenit oratio in habitaculum sanctum caeli 2 Par. 30,27) et 1 Mach. 3,50. 60 : sicut autem fuerit voluntas in caelo, sic fiat et 1 Mach. 4,10. 40; 9,46; 12,15. Inde quoque apparet, cur regnum messianum, quo Dei dominium in universa terra constituatur et bona Dei omnibus obveniant, appelletur regnum Dei et regnum caelorum. Quam appellationem regni caelorum apud Matth. eo fortasse etiam adhiberi censendum erit, quo magis Iudaei abstrahantur a notione regni temporalis. Appellatur autem regnum messianum merito quoque regnum caelorum quia eius absolutio et perfectio habetur revera in caelo et quia ideo institutum est, ut homines ad caelum, ad Dei visionem beatam adducantur. Cum igitur videre revelatam Dei faciem constituat gloriam et beatitudinem caelestem, ipsum caeli nomen ponitur pro summa et perfecta beatitudine, pro cumulo omnium bonorum, pro loco ubi beati omnibus istis bonis divinis fruuntur (cf. Matth. 5,12; 6,20; 8,11; 19,21; Luc. 6,23; 10,20; Ioan. 3,13; Act. 3,21; 2 Cor. 5,1; Col. 1,5; Hebr. 8,1; 9,24, 1 Petr. 1,4).

I. KNABENBAUER.

CAEPE (cepe) cum allio porroque et ceteris Aegypti oleribus Israelitarum desiderium in deserto excitabat (Num. 11,5). Vocem hebraicam בְּצָלִים, quae hoc tantum loco occurrit, recte a S. Hieronymo explicatam esse certum est, atque consensu recentiorum aeque ac veterum interpretum comprobatur, ex quibus LXX τὰ κρόμμυα habent, Peshitta בצלא, Chald. id., Aeth. et Arab. similiter בצל. — Designatur autem hoc nomine allii species, *Allium caepa* Linné dicta (gall. *oignon*, germ. *Zwiebel*), quae spontanee crescens in Persia et Belutschia invenitur (*E. Boissier*, Flora orient. V. 250), sed cum allio sativo et porro in Oriente et Occidente inde ab antiquissimis temporibus colitur (v. ALLIUM).

Cf. praeterea *O. Celsius*, Hierobot. II. 83-89; *E. Regel*, Alliorum adhuc cognitorum monographia (Petropoli 1875, p. 92, qui caepis patriam ignotam dicit); *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 54, al.

L. FONCK.

CAERIMONIA. Ea voce in Vulgata redduntur verba hebr., quae significant statutum, ius vel quod legitimum est et legibus consentaneum, praeceptum, observantiam. Frequentissime ita redditur חֻקִּים Gen. 26,5; Ex. 18,20; Num. 9,3. 4; praesertim in Deut. 4,8. 14. 45; 5,1. 31; 6,1. 17; 7,11; 8,11; 10,13; 11,1. 32; 17, 19; 26,17; 28,15; 30,10. 16; item 3 Reg. 2,3 (חֻקּוֹת); 8,58; 9,6; 4 Reg. 17,13. 34. 37; 23,3; 1 Par. 29,19; 2 Par. 19,9; 33,8; Esdr. 7,11; Neh. 1,7; 9,13. 14; 10,29; Ez. 44,5. Etiam eo modo, sed raro vertitur מִשְׁפָּט Num. 15,24; 29,6; 1 Par. 23,31; etiam מִצְוָה 2 Par. 31,21; quandoque מִשְׁמֶרֶת, מִשְׁמֶר Neh. 13,14; Ez. 44,15. 16; 48,11; semel quoque אִשֵּׁי יהוה Lev. 7,35 et semel אֱלֹהֵיהֶם Deut. 12,30, quibus locis caerimoniae, ritus sacri notione generali dicuntur pro speciali significatione hebr. sacrificiorum (Lev. 7,35) et Deut. 12,30 : ne requiras deos eorum. In aliquibus locis vox haec additur in Vulgata, ubi verba hebr. liberiore modo redduntur; ita Ex. 27,19; Lev. 5,15; 9,17; 10,19; Esth. 3,8; 8,17; 9,28.

CAESAR (Καῖσαρ), nomen imperatoribus romanis commune. Ex quo agnomen istud Iulii Caesaris ab Octaviano Augusto adscitum est, apud eum et successores nomen appellativum evasit. Dicitur notione nominis appellativi : reddite Caesari quae sunt Caesaris (Matth. 22,21; Marc. 12,17; Luc. 20,25); dicitur de Augusto Luc. 2,1; de Tiberio Luc. 3,1; Ioan. 19,12. 15; de Claudio Act. 17,7; de Nerone Act. 25,8. 10. 11 ss. Phil. 4,22.

CAESAREA (Καισάρεια) nomen est duarum urbium palaestinensium.

1. Caesarea Philippi (Matth. 16,13; Marc. 8,27), urbs ad radices montis Hermon prope fontes Iordanis in Gaulanitide sita, olim appellata Paneas, quia prope erat sanctuarium Pan (Paneion) haud procul a spelunca ex qua unus ex fontibus Iordanis scaturit. Nomen antiquum in hodierno *Bāniyās* servatum est. Philippus tetrarcha filius Herodis M. urbem amplificavit anno 3 vel 2 a. Chr. eamque in honorem Tiberii Caesaris Caesaream appellavit; sed ut ab altera Caesarea Palaestinae distingueretur, addebatur *Philippi*. Ea in regione Iesus posuit quaestionem : quem dicunt homines esse Filium hominis? et Petrus revelatione Patris edoctus respondit eique primatus est promissus et ipse fundamentum Ecclesiae declaratus. — Vide etiam BAALGAD et BAAL HERMON.

Cf. *Flav. Ios.* Ant. XV. 10,3; XVIII. 2,1; XX. 9,4; Bell. iud. I. 21,3; II. 9,1; III. 9,7; VII. 2,1; Vita 13; *Reland*, Palaestina p. 918-922; *Raumer*, Palaestina *ed.* 4 p. 245; *Robinson*, Palaestina III. 612 ss. 626 ss. Neuere bibl. Forsch. 520 ss.; *Ritter*, Erdkunde XV. 195 ss.; *Guérin*, Galilée II. 308-323; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 95. 96. 109 ss. 125.; *Ebers und Guthe*, Palaestina I. 356-366; *Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 236 s.; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 192; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 735-737; *E. Schürer*, Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3 II. 158-161.

Quoad ulteriorem historiam et inscriptiones vide *Clermont-Ganneau*, Recueil d'archéologie orientale I. 1888, p. 242-261; *Guy le Strange*, Palestine under the Moslems p. 418 ss.; *Duc de Luynes*, Voyage d'exploration à la mer Morte, Atlas pl. 62-63; *De Saulcy*, Voyage autour de la mer Morte, Atlas pl. 49; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. X. 1887, 188. 189.

Quad nummos cf. *Eckhel*, Doctrina num. vet. III. 339-344; *F. de Saulcy*, Numismatique de la Terre Sainte p. 313-324; pl. XVIII.

2. Caesarea ad mare Mediterraneum sita, olim turris Stratonis appellata, ab urbe Ierusalem 600 stadiis distans (*Flav. Ios.* Ant. XIII. 11,2; 12,2. 4; 15,4; XIV. 4,4; Bell. iud. I. 3,5; 7,7). Ab Augusto donata est Herodi Magno, qui eam immensis sumptibus magnifice exstruxit (ab anno 22 usque ad 10/9 a. Chr.) et in honorem Augusti Caesaris, cui templum quoque in media urbe in colle late conspicuo aedificavit, vocavit Caesaream (Ant. XV. 7,3; 9,6; XVI. 5,1; Bell. iud. I. 20,3; 21,5-8; cf. *Plin.* V. 13,69). Posteriore tempore Caesarea Palaestinae appellari consuevit (Onom. *ed. Lag.* 207,1; 250,57; cf. 115,23). Herode I. mortuo simul cum omni Iudaea Archelao cessit (Ant. XVII. 11,4; Bell. iud. II. 6,3), quo deposito procuratoribus romanis, dein

brevi tempore Herodi Agrippae I. iterumque procuratoribus romanis parebat; ibidem Herodes Agrippa I., nepos Herodis Magni, filius Aristobuli et Berenices, propter superbiam ab angelo percussus et consumptus a vermibus exspiravit Act. 12,19-23). Ad eam urbem saepius venit Paulus apostolus (Act. 9,30; 18,22; 21,8-16) ibique coram praeside Felice accusatus causam suam egit et biennio in custodia detentus coram Festo praeside Caesarem appellavit (Act. 23,23. 33; 25,1-13). Erat enim Caesarea sedes procuratorum romanorum, qui solum quandoque tempore maiorum sollemnitatum ad comprimendos tumultus populares in urbem Ierusalem ascendebant (Ant. XVIII. 3,1; XX. 5,4; Bell. iud. II. 9,2; 12,2; 14,4; 15,6; 17,1); unde Tacitus dicit Caesaream Iudaeae caput (Hist. 2,78). Hodie vocatur *el-Qaiṣāriye*.

Cf. ***Reland***, Palaestina p. 670-678; ***Raumer***, Palaestina *ed.* 4 p. 152 s.; ***Ritter***, Erdkunde XVI. 598-607; ***Guérin***, Samarie II. 321-339; ***Survey of West. Pal.*** Mem. II. 13 ss.; ***Sepp***, Jerusalem *ed.* 2 II. 573 ss.; ***Neubauer***, Géogr. du Talmud p. 91 s.; ***Guy le Strange***, Palestine under the Moslems p. 474 s.; ***Schürer***, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3 II. p. 104 ss.; ***I. Fahrngruber***, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 205. 206; ***Liévin de Hamme***, Terre Sainte 1897 III. 236-253; ***D. Zanecchia***, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 447-453. — Quoad nummos cf. ***Eckhel***, Doctrina num. vet. III. 428 s. 491. 492; ***F. de Saulcy***, Numismatique de la Terre Sainte p. 112-141; pl. VII.

CAIN (קַיִן, Κάϊν), primogenitus filius protoparentum, qui agricolae officia exercuit. Cum ipse quadam die de fructibus terrae munera Deo offerret et Abel, frater eius, pastor de primogenitis gregis sui, Deus ad sacrificium Abel respexit, quippe qui fide hostiam meliorem offerret (Hebr. 11,4); ad Cain vero et eius oblationem non respexit (cf. s. v. ABEL). Propter favorem divinum fratri praestitum Cain invidia, livore, ira exarsit. Frustra eum Deus admonuit; Cain fratrem occidit nec poenitentiam egit a Deo reprehensus. Recessit a regione parentum et commorabatur in terra Nod accepta a Deo promissione, quae signo confirmabatur, neminem fore qui ipsum interficiat (Gen. 4,1-16; 1 Io. 3,12; cf. Sap. 10,3: ab hac [sapientia] ut recessit iniustus in ira sua, per iram homicidii fraterni deperiit). Iudas apostolus dicit de haereticis sui temporis: vae illis, quia in via Cain abierunt (v. 11) i. e. eum imitantur, dum odio et invidia alios prosequuntur, a domo paterna aufugiunt et odio Dei et desperatione acti vitam agunt turbulentam solum rebus terrenis inhiantes. Quo tempore Cain fratrem occidit, sorori alicui matrimonio iunctus iam plurimos habere poterat liberos ac nepotes. Posteri Cain recensentur Gen. 4,17-24 Henoch, Irad, Maviael, Mathusael, Lamech, qui ex Ada uxore genuit Iabel pastorem et Iubal patrem canentium cithara et organo, ex Sella uxore Tubalcain fabrum ferrarium et Noema filiam. Erat Cainitarum genus insolens, lascivum, impium.

Cf. *F. de Hummelauer* ad Gen. 4,1-24 et etiam 6,1-6; ***Schoepfer-Pelt***, Histoire de l'Ancien Test. *ed.* 3 I. 70 s.; ***Vigouroux***, Manuel biblique *ed.* 9 I. n. 293 s.

CAINAN (קֵינָן, Καϊνάν). **1.** Filius Enos filii Seth filii Adam (Gen. 5,9. 12. 13. 14; 1 Par. 1,2; Luc. 3,37).

2. Filius Arphaxad filii Sem et pater Sale (Luc. 3,36). Idem enumeratur filius Arphaxad et pater Sale apud LXX Gen. 10,24; 11,12; 1 Par. 1,18; sed in textu hebr. et in aliis versionibus eius mentio non fit neque apud Flav. Iosephum et Philonem. Videtur itaque nomen Cainan primitus in textu hebraico, quem LXX prae manibus habebant, adfuisse, in aliis vero manuscriptis omissum esse (ita *Palis*). Attamen sunt interpretes, qui nomen Cainan inter Arphaxad et Sale apud LXX eliminandum esse censeant et difficultatem, quod Lucas hunc Cainan progenitoribus Messiae adnumeret, solvere studeant. Cum *Caietano* et *Petavio* existimat *H. Colombier* nomen Cainan textui Lucae insertum nihil aliud probare nisi hoc nomen infuisse codicibus LXX, quos Lucas sequi voluerit. Cum *Cornelio a Lapide* et *Calmeto* putant alii nomen Cainan errore scribae in textum Lucae irrepsisse idque eo facilius, quod primi christiani textum LXX secuti Cai-

nan ad genealogiam Messiae pertinere persuasum habuerint. Adiicit *F. de Hummelauer* : « Quod praeter codicem D (Bezae) nullus codex nomen ignoret, non efficit absolutam probationem nomen ab ipso S. Luca scriptum esse, cum quorundam in s. textu mendorum nos omnia iam vestigia latere possint ».

Cf. *Palis* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. p. 41-43; *Petavius*, De doctrina temporum IX. 17; *H. Colombier* in Études etc. 1872 I. p. 213 ss.; *Calmet* ad Gen. 10,24; *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 345. 346.

CAIPHAS (Καϊάφας), Iosephus (Ἰώσηπος ὁ καὶ Καϊάφας, *Flav. Ios.* Ant. XVIII. 2,2), ad pontificatum evectus est a Valerio Grato, praeside Iudaeae eamque dignitatem tenuit per annos septemdecim (an. 18-36 p. Chr.), donec in eius locum suffectus est Ionathan, Anani pontificis filius, a Vitellio (*Iosephus* l. c. et 4,2). Erat gener Annae (Anani), qui auctoritate plurimum valuit, ita ut Caiphas ex eius arbitrio pleraque administrare censeretur. Erat Caiphas inimicus infensissimus Christi; is dederat consilium : expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat (Ioan. 11,50), quae verba Deo providente ita conformata sunt, ut veritatem de Iesu enuntient; quare Caiphas prophetasse dicitur. Hominem fuisse superbum, iracundum, violentum eo in concilio satis iam proditur, dum alios durе interpellat : vos nescitis quidquam, nec cogitatis etc. Eius vafrities et impietas satis declaratur in altero concilio quod in eius domo habitum est, ut Iesum dolo tenerent et occiderent (Matth. 26,3) et eo quod iuris ordine neglecto in Iesum actum est et falsi testes conquisiti et conducti sunt contra Iesum, nemo autem accitus qui testimonium ferret pro accusato. Cum autem per falsos testes nihil efficeretur, Christus vero taceret, Caiphas ira et impatientia e sede surgens Iesum interpellat, ut aliquid ex eius ore eliciat quo condemnetur. Iesu tacente Caiphas cogitur eam ponere quaestionem cui responsum negari non posset, Iesumque sacramento iurisiurandi obtestatur : dic nobis, si tu es Christus Filius Dei. Et cum Christus affirmasset id quod tot miraculis iam antea luculentissime probaverat, Caiphas maximum quendam simulat dolorem et horrorem et luctum, quia Dei gloriae et maiestati ingens iniuria sit illata; scindit enim vestimenta. Sed cum statim addat : quid adhuc egemus testibus? prodit simulationem suam; gaudet enim, quod post longam exspectationem compos voti sit effectus; unde : quid vobis videtur? At cum mors Iesu antea iam esset statuta, tota scena ad turpem reducitur simulationem. Quae perversitas maximopere eo quoque cernitur quod accusatio apud Pilatum plane alia insigni mendacio profertur Luc. 23,2. Uti in Christum saeviit, ita in apostolos quoque. Cum enim Petrus sanasset claudum et ipse et Ioannes docerent populum, missi sunt in custodiam et concilio coacto, cui Annas et Caiphas interfuerunt, denuntiatum est eis, ne docerent in nomine Iesu (Act. 4,3 ss.). Mox iterum exsurgens princeps sacerdotum, zelo repletus iniecit manus in apostolos misitque eos in carcerem et spreto consilio Gamaliel apostolos caedi iussit denuntians ne loquerentur ultra in nomine Iesu (Act. 5,17-40). Sine dubio Caiphas, princeps sacerdotum, etiam auctor fuit magnae persecutionis de qua Act. 8,1, ab eoque Saulus accepit epistulas in Damascum ad synagogas, ut Christianos vinctos duceret in Ierusalem (Act. 9,1. 2). — In Mišhna tract. de vacca rufa 3,5 (*Surenhusius* VI. p. 276) reperitur nomen alicuius pontificis, qui filius dicitur Kajaph (קייף), quod nomen ostendere videtur etiam nomen Caiphae non esse derivandum cum multis a כִּיפָא (depressio, כֵּיפָא saxum).

CAIUS (Γάϊος), hospes S. Pauli corinthius (Rom. 16,23), quem apostolus, cum Corinthi praedicaret, etiam baptizavit (1 Cor. 1,14). Sine dubio erat unus ex nobilioribus et ditioribus Corinthi civibus, quorum paucos tantum conversos esse ex 1 Cor. 1,26 colligitur. In codd. Fuld. et Amiat. Rom. 16,23 legitur : hospes meus et universae ecclesiae. « Universae autem Ecclesiae hospes vocari videtur non tam quia suam in do-

mum fideles ad sacra celebranda congregabat, quam quia Christianos aliis ex civitatibus Corinthum adventantes hospitaliter excipiebat » (*Cornely* ad h. l.) Coniiciunt aliqui Gaium, cui tertia Ioannis epistula inscribitur et cuius hospitalitas celebratur, eundem esse ac hospitem hunc corinthium (v. GAIUS 3).

CALAMUS (קָנֶה, κάλαμος). **1.** Significat imprimis arundinem; v. ARUNDO.

2. Praeterea etiam inter aromata recensetur, quae ad unctionis oleum sanctum sumenda erant (Ex. 30,23 קְנֵה בֹשֶׂם). Thus de Saba et « calamum suave olentem de terra longinqua » Israelitae in templo hierosolymitano offerebant (Ier. 6,20 קָנֶה הַטּוֹב), ac similiter cum thure ab Isaia nominatur tamquam aroma argento emendum (Is. 43,24 קָנֶה sine addito). Eundem calamum cum casia negotiatores ex Usal (v. MOSEL et UZAL) in Arabia meridionali Tyrum afferebant (Ez. 27,19 קָנֶה). Etiam inter varias plantas odoriferas, quae in praeconio sponsae enumerantur in Cantico, calamus commemoratur (4,14 קָנֶה, *Vulg.* fistula). — Idem aroma eodem nomine *kanna* saepissime in praeceptis aegyptiis ad aromata conficienda occurrit. Pariter scriptores graeci et latini frequenter de calamo s. calamo aromatico loquuntur tamquam de aromate in unguentis (*Dioscur.* Mat. med. I. 49. 57. 62 s. 65. 67 s. 71. 74; *Plin.* XIII. 2,18; XV. 7,30, al.) et in suffitu adhibito (*Dioscur.* I. 17). Patriam huius aromatis Arabiam (*Theophr.* Hist. pl. IX. 7,2; *Plin.* XII. 22,104, al.) et Indiam dicunt (*Theophr.* ib. IV. 11,13; *Diosc.* I. 17; *Plin.* l. c., al.), sicut prophetae calamum ex Arabia et de terra longinqua afferri atque argento emi supponunt. Cum igitur nomen et usus et origo optime conveniant, satis communiter admittitur idem hoc aroma ab auctoribus profanis celebratum in S. Scriptura commemorari. Neque obstat, quod *Theophrastus* (l. c. IV. 8,4; IX. 7,1), *Plinius* (XII. 22,104-106; cf. XVIII, 2,18) al. calamum istum etiam in *Syria* prope lacum emisenum (cf. *C. Ritter*, Erdkunde XVII. 2,1004 s.) crescere affirment. Nam vel aetate prophetarum calamus aromaticus nondum in Syria, nisi forte in hortis (Cant. 4,14) crescebat, sicut etiam postea inde disparuit, vel arabico atque indico vilior in unguento ac suffitu sacro non adhibebatur. Quare neque hac neque alia ratione cogimur, ut cum nonnullis calamum biblicum aut cinnamomum vel casiam (cf. *fistula* in Vulg. Cant. 4,14) aut gramen indicum, *Andropōgon schoenanthus* Linné interpretemur; sed cum opinione communi calamum aromaticum Scripturae scriptorumque veterum dicimus radicem *Acori calami* Linné ex ordine *Aracearum*, qui in variis Europae regionibus introductus crescit, sed in Syria, Palaestina, Arabia non iam videtur inveniri.

Cf. *E. Boissier*, Flora orient. V. 45; *G. E. Post*, Flora of Syria 815 (Acorum non enumerat); *Leunis-Frank*, Synopsis II. 2 *ed.* 3, p. 900 s.; *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam. II. 3, 118. — Praeterea cf. *B. Albert. M.* de Vegetabilibus VI. 1,15 *ed. C. Jessen* p. 376-8; *C. Martinello*, Raggionamenti sopra l'amomo e Calamo aromatico, Venezia 1604; Giudizio sopra i raggionam. di C. Martinello, Mantova 1605; *Sam. Bochart*, Hieroz. II. 687, *ed. Rosenm.* III. 609 s.; *I. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Contin. 224-8; *G. W. Wedel*, De calamo aromatico, Ienae 1708; *I. A. Wedel*, De cal. arom., ib. 1718; M. *Hiller*, Hierophyt. II. 205-9; *O. Celsius*, Hierobot. II. 325-30; *P. Cultrera*, Flora bibl. 83-5; *V. Loret* in Recueil de travaux I. 1870, 190; *id.* Flore pharaonique *ed.* 2, p. 31 s.; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 228 s., al.

3. Ex quadam similitudine *calami* (קָנִים) dicuntur etiam brachia candelabri sacri (Ex. 25,31-36; 37,18-22; Num. 8,4 Vulg.), et ex alia similitudine קָנֶה vocatur etiam humerorum vertebra (Iob 31, 22 *Vulg.* cum suis *ossibus*). — Calamus autem, cui sub cruce dominica spongia aceto plena imponitur (Marc. 15,36 *calamus;* Matth. 27,48 *arundo*), ex verbis Ioannis (19,29) culmus erat hyssopi. V. HYSSOPUS. Simili modo קָנֶה dicuntur culmi frumenti, quos vidit Ioseph in somniis suis (Gen. 41,5. 22, *Vulg.* culmus).

L. FONCK.

CALANO (כַּלְנוֹ, Χαλάνη) Is. 10,9 enumeratur inter urbes quas Assyrii expugnarunt; v. CHALANNE.

CALCEAMENTUM. Pedibus alligari solebant sandalia, i. e. soleae ligneae vel coriaceae, quae corrigiis ad pedem firmabantur et pedum plantas dumtaxat obducebant, sed superiorem pedum partem relinquebant nudam. Calcei autem vel calceamenta totum pedem tegunt. Accedentes ad locum sacrum quandoque iubentur solvere calceamentum de pedibus; ita Moyses Ex. 3,5, Iosue item Ios. 5,16; est sane actio symbolica qua significatur ne qua immunditie affecti ad sacra accedant; cum enim calceis adhaereat pulvis et lutum ex itinere, calcei facile evadunt signum immunditiei. Corrigiam calceamentorum solvere et calceamenta portare erat servorum; unde Ioannes Baptista declarans se indignum esse qui istud officium praestet Messiae insigne edit documentum et dignitatis summae Messiae et suae animi demissionis. Ad luctum designandum nudis pedibus incedere solebant (2 Reg. 15,30; Is. 20,2; Ez. 24,17). Uti ex Ruth 4,7 discimus, solvere calceamentum et alteri tradere actio erat symbolica, qua quis possessioni renuntiaret eamque traderet alteri. Unde ista significatio orta sit, aliqui haud improbabiliter ex eo explicant quod is possessionem adiisse censebatur qui pedem in ea posuisset; nam: omnis locus quem calcaverit pes vester vester erit; ipsi dabo terram quam calcavit (Deut. 1,36; Ios. 1,3). Simili modo vidua leviro connubium detrectanti detrahebat calceum; quod explicari potest vel ita, ut ille abdicare ius suum significaretur, vel etiam ut dedecus ei inferretur, quia nudis pedibus incedere erat pauperum et servorum et lugentium, dum e contra calcei quandoque inter ornamenta referuntur (cf. Is. 3,18 : auferet Dominus ornamentum calceamentorum; Ez. 16,10; Cant. 7,1; Iudith 10,3; 16,11). Quod autem legitur Ps. 59,10 et 107,10 : in Idumaeam extendam calceamentum meum, non tam de possessione capienda explicandum erit, sed potius vertendum ex hebr. : super Edom proiiciam calceum meum i. e. Edomitis quasi servis proiiciam calceum, ut eum purgent ac portent, id quod ad membrum praecedens quoque congruit: Moab est pelvis mea i. e. debet mihi pedes lavare. Ceterum calcei vel sandalia etiam ut res minimi pretii considerantur; cf. Am. 2,6; 8,6.

CALCEDONIUS (Chalcedonius) dicitur tertium fundamentum muri civitatis caelestis in Apocalypsi (21,19), graece χαλκηδών vocatum. Eo nomine, ab urbe Calcedone (s. Calchedone s. Chalcedone) in provincia Bithynia Asiae minoris derivato, hodie designatur varietas quarzi, variis formis et coloribus, plerumque lacteo, albido, fusco, distincta, ad quam etiam chrysoprasus, onyx, sardius, sardonyx pertinent (v. art. spec.). Sed gemma haec non nisi medio aevo nomen calcedonii dicitur accepisse, et neque a scriptoribus graecis, neque a Plinio aliisve scriptoribus latinis commemoratur. Plinius ab urbe Calchedone smaragdos vilissimos ac minimos haberi refert (XXXVII. 5,72 s.) atque iaspidem turbidam (ib. 8,115); praeterea achates, gemma apud antiquos celebris, potissimum ex stratis calcedonii ac iaspidis... amethysti similiumque quarzi varietatum constat. Iam vero smaragdus et iaspis inter eadem caelestis Ierusalem fundamenta praeter calcedonium enumerantur (Apoc. ib.); quare fortassis potius de achate (hebr. שְׁבוֹ) nomen calcedonii in Apocalypsi videtur explicandum. V. ACHATES. — Notandum vero, antiquis qui neque calcedonium neque χαλκηδών inter gemmas enumerant, optime notum fuisse *carchedonium*, carbunculi scil. speciem, graece ἄνθραξ nominati, quae ex Carthagine (Καρχηδών) in Italiam et Graeciam afferebatur (*Theophr.* De lapid. 3,18; 6,34; *Plin.* XXXVII. 7, 92 ss.), cui principatum inter gemmas Plinius tribuit (ib.). Fortasse temeritatis notam non merebitur qui cum cl. *Francisco Rueo* loco calchedonii ignoti carchedonium celebrem substituendum coniciat. V. CARBUNCULUS.

Cf. *Fr. Rueus*, De Gemmis 2,3; *F. C. Lesser*, Lithotheologie, Hamburg 1735, p. 351 s.; *K. E. Kluge*, Handb. d. Edelsteinkunde 386-90; *Leunis-Senft*, Synopsis III. 1 p. 562 s.;

Naumann-Zirkel, Elem. d. Mineralogie *ed.* 13, p. 177.

L. FONCK.

CALEB (כָּלֵב, Χάλεβ, Χαλέβ).

1. Filius Iephone, de tribu Iuda (1 Par. 4,15), ex ea tribu electus, ut cum aliis viris principibus ex singulis tribubus terram palaestinensem explorarel (Num. 13,7). Cum reliqui exploratores pericula expugnationis terrae plurimum exaggerarent, ipse cum Iosue fortiter eis restitit rem ex veritate exponens et obtestans populum, ne esset rebellis in Dominum. Quare cum tota illa generatio rebellis, omnes a viginti annis et supra, in poenam rebellionis mortui essent in deserto, Caleb et Iosue intrarunt in terram promissam Num. 13,18-14,30; 26,65; 32,12). Caleb quoque electus est a Domino inter principes, qui dividerent terram (Num. 34,19). Possessionem suam accepit in terra Hebron natus octoginta quinque annos (Ios. 14,6-14), ex qua regione delevit tres filios tribus Enac et cum Othoniel, frater eius minor (utrum sensu proprio an remoto tantum frater dicatur, non consentiunt interpretes) urbem Cariath Sepher percussisset, dedit ei Axam filiam suam in uxorem (Ios. 15,13-19; Iud. 1,10-15). Ipsa quidem urbs Hebron erat urbs sacerdotalis, sed agri et villae eius erant Caleb (Ios. 21, 11. 12; 1 Par. 6,56). Difficultas quaedam in eo est, quod postmodum regio a stirpe Caleb occupata 1 Reg. 30,14 appellatur meridies (Negeb) Caleb; iamvero Hebron est in monte Iuda, Negeb autem ad meridiem montis Iuda. Sed adverte 1 Reg. 30,14 agi de aetate multum posteriore et praeterea Calebitas iuxta Hebron incolentes potuisse nihilominus pascua habere in meridie seu Negeb proprie dicto. Laus Caleb celebratur Eccli. 46,9 et a Mathathia morituro 1 Mach. 2,56.

Vocatur Caleb Cenezaeus (Num. 32,12; Ios. 14,6. 14), sicut frater eius Othoniel dicitur filius Cenez. Unde Cenez quidam alioquin ignotus erat e maioribus, pater vel avus Iephone patris Caleb. Attamen sunt interpretes qui putent, Caleb fuisse ex posteris Cenez Idumaei (v. CENEZ 1), quos populo Dei aggregatos esse censent. Nuperrime *F. de Hummelauer* (Comm. in Num. p. 202) censuit Caleb non fuisse origine Hebraeum, sed ex illa gente Cenezaeorum, quae tempore Abrahae Palaestinam incolebat (Gen. 15,19), item a Caleb exploratore distinguendum esse Caleb minorem, fratrem Othonielis (v. CENEZ 2 et 3).

2. Filius Hesron de stirpe Iuda, fortasse ex maioribus Caleb filii Iephone, etiam appellatus 1 Par. 2,9 Calubi (כְּלוּבַי). Eius uxores erant Azuba, quae ei genuit Ierioth (2,18), dein Ephrata quae ei genuit Hur (2,19). Hoc alterum matrimonium cum Ephrata Caleb iniit post mortem Hesron (2,24 *Vulg.*); textum massorethicum huius loci nonnulli quidem explicant de aliqua regione Caleb-Ephrata, ubi Hesron mortuus esse dicatur (cf *Legendre* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible s. v. Caleb 5, ubi coniecturis indicatis quaestio non resolvitur); nobis lectio massorethica minus verisimilis videtur. Posteri Caleb recensentur 2,42-45 per filios, 2,46-49 per duas concubinas Epha et Maacha, 2,50 s. per Hur primogenitum Ephrata. Eius filia 2,49 nominatur Achsa; quodsi Caleb filius Hesron ex maioribus Caleb filii Iephone esse supponitur et vox *filia* h. l. sensu latiore accipitur, haec Achsa eadem censeri potest atque Achsa (*Vulg.* Axa) filia Caleb filii Iephone. De genere Caleb quoque erat Nabal (1 Reg. 25,3 *Qeri, Vulg., Chald.* et v. NABAL).

Putaverant nonnulli hunc Caleb esse eandem personam cum priore Caleb filio Iephone et vocari filium i. e. ex posteris Hesron (ita e. g. *Keil* ad Ios. 14,6; etsi ad 1 Par. 2,49 sententia mutata iam duos Caleb distinguit). Sine dubio duos Caleb evincunt variae diversitates genealogicae. Imprimis vero illud perpendendum est, quod Beseleel filius Uri filii Hur primogeniti Ephrata, quae erat secunda uxor Caleb filii Herson, est ille artifex, de quo Ex. 31,2 agitur et quod Caleb explorator filius Iephone eo tempore quadraginta annorum erat (Ios. 14,7); fieri autem nequit, ut vir 40 annos natus habeat pronepotem iam satis adultum. — Aliter rem proponit *F. de Hummelauer,* Comment. in Num. p. 202

scil. Caleb filium Iephone Cenezaeum Hebraeorum sacris et familiae Hesron Iudaei accessisse ac proinde eundem esse, ac Caleb filium Hesron; difficultatem ex 1 Par. 2,20 : « Porro Hur genuit Uri, et Uri genuit Beseleel » solvendam putat vel repudiando v. 20 tamquam adiectitium vel supponendo Uri et Beseleel aetate iam provectiores ex alia gente ad Hebraeorum sacra transiisse et familiae Hur esse adscriptos (l. c. p. 190).

3. Caleb (כָּלוּב), frater Sua et pater Mahir (1 Par. 4,11).

CALENDAE v. NEOMENIA.

CALITA v. CELAIA.

CALIX. A more quo per patremfamilias aut convivii moderatorem sua cuique vini portio attribuebatur vel etiam a more in conviviis consueto bibendi in gyrum altero alteri poculum praebente orta est metaphora qua calix dicitur pro portione et sorte alicui obveniente. Ita urbs Ierusalem hostibus tradita dicitur bibisse de manu Domini calicem irae (Is. 51,17) quem calicem Deus postea in manu eorum positurus est qui eam humiliaverint (Is. 51,23); eodem modo dicitur Ieremiae : sume calicem vini furoris de manu mea et propinabis de illo cunctis gentibus, et bibent et turbabuntur et insanient (Ier. 25,15 s. cf. Lament. 4,21; Ez. 23,31; Hab. 2,16). Et Christus quoque passionem suam quam mandato Patris obsequens (Ioan. 14,31) subiturus est vocat calicem quem ipsi dederit Pater : calicem quem dedit mihi Pater non bibam illum? dicit Petro qui ne comprehendatur impedire conatur (Ioan. 18,11); item filios Zebedaei interrogat : potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum (Matth. 20,22; Marc. 10,38) et similiter orat, ut si fieri possit transeat a se calix iste (Matth. 26,39; Marc. 14,36; Luc. 22,42). Eundem dicendi modum etiam sequitur psalmista; ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum (Ps. 10,7; cf. 74,9) et in bonam partem : Dominus pars hereditatis meae et calicis mei (Ps. 15,5) et : calix meus inebrians (calix meus abundantia, Ps. 22,5; hebr. 23,5) et : calicem salutaris (salutis) accipiam (Ps. 115,13). Alio metaphorae genere dicitur calix, sicuti continens pro contento : hic est calix novum testamentum in meo sanguine (Luc. 22,20; 1 Cor. 11,25) et : non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum (1 Cor. 10,20) i. e. non potestis eucharistiae esse participes et epularum sacrificalium idolorum.

CALLISTHENES (Καλλισθένης), assecla Syrorum, qui sacras ianuas atriorum templi incenderat et a Iudaeis combustus est, cum post victoriam de Nicanore reportatam in urbe Ierusalem festa celebrarent (2 Mach. 8,33; cf. 1 Mach. 4,38).

CALPHI (Χαλφί), pater Iudae praefecti militiae in exercitu Ionathae (1 Mach. 11,70).

CALUBI (כְּלוּבִי, Χαλέβ), filius Hesron (1 Par. 2,9), qui alias vocatur Caleb; v. CALEB 2.

CALUMNIA nominatur in Vulgata Gen. 26,20 puteus, de cuius aquis pastores Gerarae et pastores Isaac inter se contenderunt, quamobrem Isaac nomen putei vocavit עֵשֶׂק, quae vox explicatur *iurgium, contentio,* quia contenderunt (הִתְעַשְּׂקוּ) cum ipso; cf. Lexica hebr. s. v. עשק. Apud LXX nomen putei est Ἀδικία, qua versione supponitur vox עֹשֶׁק i. e. violentia, iniuria, oppressio (maxime pauperum). Apud Flav. Iosephum (Ant. I. 18,2) puteus vocatur Ἔσκον et additur explicatio : ac si quis diceret pugnae puteum.

CALVARIA (κρανίον, cranium, calva) legitur notione propria 4 Reg. 9,35. Alias calvariae locus explicat Golgotha. Cur locus ille, ubi Christus cruci affixus et mortuus est, nomen habuerit Golgotha i. e. calvaria, seu cranium, veteres saepe ex eo declarant quod ibi Adam sepultus fuerit (locos vide apud *Knabenbauer,* Comm. in Matth. *ed.* 2 II. p. 524 s.); aliis ex veteribus placuit nomen derivare ex eo quod ibi mortis rei occiderentur, unde ex craniis eorum nomen sit haustum. Verum omnino improbabile est eo in loco, ubi frequens erat via, ossa vel crania mortuorum iacuisse, cum ex iis transeuntes facile leviticam immunditiem contraxissent ex gravioribus unam,

ad quam vitandam ceteroquin sepulcra calce dealbata notabantur (cf. Matth. 23,27). Certa videtur recentiorum explicatio nomen esse depromptum ex ipsa loci forma quae aspectui offerebatur; ita שֹׁכֶם, כָּתֵף humerus dicitur de regione; cf. Gen. 48,22; Is. 11,14; et רֶבֶת לֹחִי Iud. 15,17. Locus calvariae erat prope civitatem, sed extra urbem (cf. Ioan. 19,20. 17; Hebr. 13,12). Hodie utique intra urbem situs est, cum post urbis per Romanos destructionem civitas recens multum mutata a veteris situ aedificata sit. De vero situ calvariae loci recentiore tempore acris est agitata controversia; ut unum afferatur exemplum, in « Quarterly Statements » (Pal. Expl. Fund a mense Iulio 1873 ad Ianuarium 1893 de ea quaestione a variis agebatur in duodetriginta disputationibus. Verum nihil est, cur serio dubitetur de eo situ, quem traditio antiquissima illi loco crucifixionis et sepulcri assignat.

CALX bis in Vulgata memoratur, cum lapides in monte Hebal erigendi calce levigandi seu potius liniendi praecipiuntur (Deut. 27,2. 4 hebr. וְשַׂדְתָּ אֹתָם בַּשִּׂיד, gr. κονιάσεις αὐτοὺς κονίᾳ). Idem nomen hebraicum aliis duobus locis occurrit, ubi a S. Hieronymo *cinis* exponitur (Is. 33,12; Am. 2,1). Significatio nominis, quod item in linguis aramaica et arabica invenitur, dubia non est. Calx autem ex lapide calcario denso, in igne purgato, obtinetur atque in Syria et Palaestina facile ubique haberi potest. Unde imago fornacis calcariae (Is. 33,12 hebr. combustiones calcis, *Vulg.* quasi de incendio cinis; Am. 2,1 hebr. in calcem, *Vulg.* usque ad cinerem) habitantibus notissima erat.

L. FONCK.

CAMELOPARDALUS (melius camelopardalis, al. camelopardus, al. camelus pardalus. Cf. *Vercellone,* Var. lect. Deut. 11,5).

1. Camelopardalus dicitur a S. Hieronymo sicut a LXX (καμηλοπάρδαλις) animal זֶמֶר vocatum (Deut. 14,5, in pausa זֶמֶר, quod inter animalia munda post cervum, capream, aliasque ex cervorum et dorcadum genere bestias enumeratur. Scriptura nihil de illo tradit praeter nomen, quod illo unico loco invenitur et a Peshitta ארנא « caper silvestris », ab Onkelos et paraphrasi hierosolymitana similiter דיצא « caprea silvestris » explicatur. Versioni graecae et S. Hieronymo consentiunt auctor versionis persicae, et ex interpretibus hebraeis Rabbi Iona ac Kimchius, cuius glossam Graecus venetus repetit (ζυράμφιον = זוראפה i. e. arab. *zurāfat* ap. *Kimchi*; cf. *O. Gebhardt*, Prolegom. edit. Graec. venet., Lipsiae 1875, p. LXIII). Reliqui doctores talmudici praeter nomen זמר nihil de hoc animali videntur novisse (*L. Lewysohn,* Zool. d. Talmuds, Frankf. a. M. 1858, p. 114 s.).

2. Camelopardalim non satis apte in catalogo Moysis locum habere bene vidit *Sam. Bochart* (Hieroz. I. 904-909, *ed. Rosenm.* II. 273-279), cum animal hoc altissimum (*Camelopardalis giraffa* Schreber ord. *Artiodactyla ruminantia*) non vivat nisi in Africa media et meridionali (inter gradum 17. latit. septemptr. et 24. latit. merid.), quamvis a Strabone in Arabia inveniri referatur (XVI. 4,16 *ed. Cas.* 775). Reliqui auctores camelopardalim raro tantum et tamquam animal singulare et curiosum commemorant, « dictatoris Caesaris circensibus ludis primum visum Romae » (*Plin.* VIII. 18,69; cf. *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griechen u. Römer p. 223 s.), eademque ratione etiam antiquis Aegyptiis sub regina *Makerē* (ex dynastia 18.) ex terra Punt (Somal) allata curiositatis causa monstrata esse picturae templi *Dēr el-baḥri* aliaeque ostendunt.

Cf. *I. I. Scheuchzer,* Physica sacra I. Augspurg u. Ulm 1731, 622 s.; *Et. Geoffroy Saint-Hilaire*, Sur la Girafe, Paris 1827; *N. Joly*, Notice sur l'hist., les mœurs et l'organisation de la Girafe, Toulouse 1844; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3, p. 265; *A. E. Brehm,* Tierleben *ed.* 3, III. 131-9; *Ph. L. Martin,* Naturgesch. d. Säugeth. I. 1, 462-4; *G. Loreta,* La zoologia nella Bibbia, Torino 1901, p. 148-51 (qui revera camelopardalim in textu citato designari censet). — Figuram ex pict. aegypt. v. ap. *G. A. Hoskins*, Travels in Ethiopia, London 1835, 327 ss. (I. 3); eadem ap. *Wilkinson-*

Birch, Manners and Customs I. pl. II. B; *Lepsius*, Denkmäler III. 118. De aliis cf. I. *Dümichen* ap. *Brehm* l. c. 133; *E. Meyer* Gesch. d. alt. Aeg. 244; *I. E. Quibell* in Ztschr. f. aeg. Spr. XXXVI. 1898, 83.

3. Potiore iure iuxta contextum aliquam generis cervorum vel dorcadum speciem palaestinensem nomine דמר designari plerique recentiores supponunt, cui etiam nomen a *saliendo* dictum bene convenit. At nullum videtur suppetere argumentum, quo speciem illam accuratius determinemus.

Cf. *Fr. I. Schoder*, Hierozoici Specimen 3,5-10; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2 p. 186-8; *H. B. Tristram*, Nat. hist. of the Bible *ed.* 8, p. 73 s.; *I.G. Wood*, Bible animals p. 185-9; *Fr. Hommel*, Namen d. Säugeth. p. 230 s.; *P. Cultrera*, Fauna bibl. p. 250-2.

L. FONCK.

CAMELUS. 1. Animal hoc notissimum eodem fere nomine in plerisque linguis appellatur, cuius forma hebraica est גָּמָל, graeca κάμηλος. Duo vel tria alia nomina in hebraeo idem animal designant, scil. בֶּכֶר, quo *dromedarii Madian* appellantur Is. 60,6, quodque proprie camelum iuvenem significat; idem nomen in forma feminina בִּכְרָה, addito קַלָּה « camela levis », in figura dicitur de populo Israel Deos alienos sectante (Ier. 2,23 *Vulg.* cursor levis). Praeterea כַּרְכָּרוֹת appellantur cameli cursorii, quibus fideles ad montem sanctum Ierusalem adducendi describuntur Is. 66,20 (*Vulg.* in carrucis). בְּעִיר autem, quod Arabibus alterum cameli nomen est, in hebraeo pecus in genere designat (*Vulg.* iumentum). Plurima sunt alia nomina quibus Arabes hoc animal vere suum comitemque sibi utilissimum ac maxime necessarium tamquam epithetis ornantibus appellant; sat magnum eorum numerum explicat *Fr. Hommel*, Namen der Säugethiere, p. 139-208; at plus quam « decens veri elatio », orientalibus non insueta, videtur affirmatio cuiusdam lexicographi arabici, 5744 cameli nomina in lingua arabica usurpari (ap. *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. p. 88), nisi forte ea omnia addas, quae ad quaslibet qualitates omnesque status et actus in camelo et circa camelum contingentes referuntur. In Scriptura praeter dicta nomina aliud non occurrit.

2. Cameli patriarcharum aetate magnam opum ipsorum partem constituebant (Gen. 12,16; 24,10 ss.; 30,43; 31, 17; 32,7) ac praesertim in regione transiordanica magno numero alebantur, ita ut tertia fere pars essent gregum Iob (1,3. 17; 42,12). Madianitis quoque et Amalecitis vicinisque populis « cameli innumerabiles erant sicut arena quae iacet in litore maris » (Iud. 7,12; cf. 6, 5; 8,21. 26; Gen. 37,25; 1 Reg. 15,3; 27,9; 30,17; 1 Par. 5,21; Is. 60,6; Ier. 49,29. 32; Ez. 25,5). Etiam in Aegypto (Gen. 12,16; Ex. 9,3) atque Arabia meridionali (3 Reg. 10,2; 2 Par. 9,1), in Syria (4 Reg. 8,9) et in regione Idumaeae (2 Par. 14, 15; Is. 30,6), in Mesopotamia (Gen. 30,43; 31,17. 34; 32,7. 15; Iob 9,6; 10,10; 11,18; Iudith 2,8) aliisque regionibus (Iudith 3,3; Zach. 14,15) magni camelorum greges pascebantur. Apud Israelitas vero, qui in Aegypto isto animali facile carere poterant, postea raro tantum commemorantur; fortasse etiam praeceptum Legis, quo inter animalia immunda ponitur (Lev. 11,4; Deut. 14,7), in causa erat, cur rarius ab Israelitis alceretur. Nihilominus Davidi in Hebron a variis tribubus etiam in camelis cibaria afferebantur (1 Par. 12,40), et ipse David tantum camelorum numerum possidebat, ut praepositum specialem camelorum gregibus curandis praeficeret, Ismaelitam tamen pascendis camelis assuetum (1 Par. 27,30). Etiam redeuntes de exsilio babylonico satis magnum numerum camelorum referuntur habuisse, cum praeter 736 equos et 245 mulos ac 6720 asinos 435 camelos secum reducerent (Esdr. 2,67; Neh. 7,69).

3. Ex iisdem vero regionibus, quae in Scriptura camelorum gregibus insignes memorantur, praesertim ex Syria et Arabia, verum etiam ex Samaria, reges Assyrii se plurimos camelos in tributum accepisse vel praedatos esse saepe gloriantur (*Teglath-Phalasar* III. Nimrud 55; Annal. A, 2,56 in Keilinschr. Biblioth. II. 30; *Sargon* Khorsab. 27. 185; *Asar-*

haddon Prism. A et C, col. 3.16. 22-24; col. 4,16-18 etc., atque *Asurbanipal* se ex Kedarenis in Arabia camelos innumerabiles quasi oves retulisse narrat, ita ut pretium cameli in Assyria ad portam urbis sicli unius cum dimidio vel etiam dimidii tantum fuerit (Annal. Cyl. Rassam. col. 9,36-52; cf. 65-67). Eadem etiam monumentis sculptis Assyriorum illustrantur. Quamvis vero in monumentis aegyptiacis figura huius animalis videatur non inveniri, inscriptiones tamen hieroglyphicae haud raro de eo loquuntur.

De camelis ap. Assyrios cf. *A. H. Layard*, Monuments of Nineveh I. 53. 55. 57. II. 22. 33. 50; *G. Rawlinson*, Five great monarchies *ed.* 4, I. 230-3; *W. Houghton* in Trans. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, 46-8. — De aegyptiacis cf. *F. Chabas*, Etudes sur l'antiqu. hist., Paris 1873, 408-20; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs III. 301 s.; *A. Erman*, Aegypten 652; *J. Duemichen* ap. *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3, III. 142; *W. Houghton* in Proc. Soc. Bibl. Arch. XII. 1890, 81-4; *G. Schweinfurth* in Verh. d. Ges. f. Anthrop. 1897, 268 s. — Cf. etiam *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griechen u. Römer 213-5; *O. Keller*, Thiere d. klass. Alterth. 20-36. 327-33.

4. Usus camelorum praecipuus erat ad onera portanda (Gen. 37,25; 3 Reg. 10,2; 4 Reg. 8,9; 1 Par. 12,40; Is. 30, 6 etc.); sed et vehendis hominibus, viris ac feminis, praesertim in deserto utilis erat (Gen. 24,10. 34; 31,17; 1 Reg. 30, 17) atque etiam in bello praesertim a Persis adhibebatur (Is. 21,7; cf. *Xenoph.* Cyrop. 6,2. 8; 7,1 etc.; *Herod.* 7,86 al.). Praeterea ex pilis eius dura, sed et durabilia vestimenta fiebant (Matth. 3,4; Marc. 1,6). Cibum Israelitis, utpote animal immundum, non praestabat; sunt tamen qui lac illud quo sumpto Sisara sopore profundo in tentorio Iahel dormiebat, lac camelorum fuisse censeant (Iud. 4,19; 5,25).

5. Proverbium illud notissimum de camelo per foramen acus intrante (Matth. 19,24; Marc. 10,25; Luc. 18,25) tripliciter potissimum exponitur. Alii enim sensu *proprio* intellegunt tum camelum tum foramen acus, et sic rem humanis viribus impossibilem designatam volunt; atque haec explicatio confirmatur ex aliis parabolis de Pharisaeis camelum deglutientibus (Matth. 13,24) et trabem in oculo proprio non videntibus (Matth. 7,3 s.; Luc. 6,41 s.) atque ex eo quod in Talmude simile de foramine acus proverbium habeatur, quod loco cameli elephantum commemorat (*L. Lewysohn*, Zool. d. Talmuds p. 148). Alii vero nomen cameli in sensu *proprio*, foramen acus *translate* intellegunt de parva urbis vel domus porta ad latus maioris facta, quam etiam hodie foramen acus vocari immerito affirmant. Alii denique foramen quidem acus in sensu proprio, camelum vero de fune ancoraria, iuxta *Suidam* ac posteriores κάμιλος dicto, interpretantur, quin nomen illud vere exstitisse satis probent.

Cf. commentatores in Evang. ll. cit., praesertim *Corn. a Lapide*, *I. Knabenbauer* etc.; praeterea v. *I. G. Wetzstein* in Sitzungsber. d. k. bayer. Akad., philos.-philol. Classe, 5. Iuli 1873, 581-96.

6. Nostra aetate in Palaestina atque in toto Oriente camelus incolis arabibus prae omnibus animalibus est utilissimus in sarcinis magnis portandis, in arando aliisque laboribus; praesertim vero ad itinera per desertum facienda omnino necessarius est, cum vilissimo quoque cibo aridisque ac spinosis desertorum herbis contentus ac maxime sitis et caloris patientissimus sit, pedesque acceperit ad calcandam arenam aptissimos, atque assiduitate, et si ad currendum educetur, etiam velocitate cetera animalia vincat. Merito igitur, « navigium terrae » ab Arabibus appellatur summisque celebratur laudibus, equo superior utilitate, licet nobilitate longe inferior. Carnem quoque et lac camelorum Arabes hodierni in deliciis habent, pilisque ad vestimenta, pelle ad sandalia aliaque utuntur. Sola autem species uno tubere praedita (*Camelus dromedarius* Erxleben) per Palaestinam hodie in usu est (*H. B. Tristram*, Fauna and Flora of Palest. p. 3 s.); altera duobus gibbis ornata (*C. bactrianus* Erxleben) potius in regionibus Asiae centralis habetur (*Leunis-Ludwig*, Synopsis, *ed.* 3. I. 1 p. 266 s.), atque etiam in inscriptionibus cuneiformibus praesertim pro regionibus ad

orientem Mesopotamiae sitis memoratur et figuris repraesentatur (*Salmanassar II.* in obelisco nigro, ap. *Layard,* Monum. I. 53. 55; *id.* Inscr. monolith. col. 1,28; 2,62; *Shamshi-Ramman* col. 2, 56 s. etc.).

Cf. *Sam. Bochart,* Hieroz. I. 74-96, *ed. Rosenm.* I. 2-31; *I. I. Scheuchzer,* Physica sacra II. 395-7; *Fr. I. Schoder,* Hierozoici Specimen I. 32-46; *Sam. Oedmann,* Verm. Samml. V. 1-11; *I. D. Michaelis,* Supplem. ad lex. hebr. 328-30; *A. Desmoulins* in Annales du Musée d'hist. nat. X. 1823 (20 pag.); *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Alterth. IV. 2 p. 7-25; *E. Robinson,* Palaestina III. 197-200; *C. Ritter,* Die geogr. Verbreit. d. Kameels in d. a. Welt, Erdkunde XIII. 609-759; *L. Lewysohn,* Zool. d. Talmuds p. 134-6; *R. Hartmann,* Zeitschr. f. Ethnol. I. 1869, 66-79. 232-51. 353-63; II. 1870, 123-8; *W. G. Palgrave* in Encyclop. Britann. *ed.* 9, II. 242; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, p. 58-66; *G. Ebers,* Durch Gosen zum Sinai, Leipzig 1872, p. 104-109; *H. I. van Lennep,* Bible Lands, London 1875, I. 234-45; *I. G. Wood,* Bible Animals, p. 216-247; *Fr. Hommel,* Namen d. Säugeth. p. 139-220. 352; *P. Cullrera,* Fauna bibl. p. 50-8; *A. E. Brehm,* Tierleben, *ed.* 3, III. 139-54; *P. Schegg,* Bibl. Archaeol. p. 85-8.; *G. Loreta,* La zoologia nella Bibbia p. 432-8. 440-2.

L. FONCK.

CAMERA PASTORUM v. BETHACAD.

CAMON (קָמוֹן, Ῥαμνών), urbs in qua Iair Galaadites, qui Israel per 22 annos iudicavit, sepultus est (Iud. 10,5). Vix dubitari potest, quin urbs sit transiordanica; Flav. Iosephus eam in Galaad fuisse dicit (Ant. V. 7,6). Videtur eadem esse quam Polybius (V. 70,12) vocat Kamun (Καμοῦν) et cum Pella aliisque urbibus transiordanicis coniungit. Eusebius et S. Hieronymus in Onom. nostram Camon confundunt cum Kammona seu Cimona (*Tell Qaimūn*) in planitie Esdrelon (vide s. v. IECNAM). Vestigium nominis antiqui fortasse praebent locus quidam *Qumeim, Qimeim* et ruinae *Qamm* inter septemtrionem et orientem a Pella (*Legendre* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible II. 93).

CAMUEL (קְמוּאֵל, Καμουήλ). **1.** Tertius filius Nachor et Melchae, pater Syrorum vel potius Aram (Gen. 22,21). Nachoridae plerique circa *Ḥaurān* incoluerunt; sed gens a Camuel descendens ignota est. Nomen gentis est Aram, quod utique distinguendum est ab Aram Gen. 10,22. 23 seu Aramaeis. Neque Aram filius Camuel idem censendus est ac Ram Iob 32,2 de stirpe Buz filii Nachor ex Melcha et fratris Camuel. Coniiciunt autem aliqui Aram cognationi Buz se adiunxisse.

2. Ephraimita, unus ex viris ad terram promissam sorte dividendam a Moyse electis (Num. 34,24).

3. Pater Hasabiae principis tribus Levi tempore Davidis (1 Par. 27,17).

CANA (קָנָה). **1.** Torrens Cana, *Vulg.* Vallis arundineti vide s. v. ARUNDINETI VALLIS.

2. Urbs tribus Aser (Ios. 19,28; Καν-θάν, A Κανά). Verba quae adduntur : *usque ad Sidonem magnam* non indicant Cana esse in vicinia Sidonis, sed terminum Aser a Cana Sidonem versus protendi. Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 271,50; 110,3) erronee asserunt Cana in tribu Aser esse illam, in qua Christus aquam in vinum convertit, patriam Nathanael; animadvertit *Guérin* Cana in Aser nimium a Bethabara seu Bethania trans Iordanem, ubi Christus baptizatus erat, distare quam ut itinere quattuor dierum (cf. Io. 1,29. 35. 43; 2, 1) usque ad illam urbem pervenire potuisset. Urbi Cana tum nomine tum situ correspondet hodiernus vicus *Qāna* 12 km a Tyro inter meridiem et orientem.

Cf. *Riess,* Bibel-Atlas *ed.* 3; *Guérin,* Galilée II. 390-392; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 51. 64; *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate 1; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 716. 717. Aliter *F. de Hummelauer* ad h. l., qui coniicit urbem Cana corruptioni textus originem debere.

3. Cana Galilaeae (Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας), urbs in qua Christus ad nuptias invitatus aquam in vinum convertit (Io. 2,1. 11; 4,46); ibidem regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum, Christo obviam factus audire meruit illud : Vade, filius tuus vivit (Io. 4,46-54); Nathanael erat a Cana Galilaeae (Io. 21,2). Ex his locis

apparet eam haud procul a Capharnaum abluisse in regione altiore, de qua Capharnaum versus erat descendendum (κατεβαίνειν) Io. 2,12; 4,47. 51. Apud Flav. Iosephum *Kana* vicus Galilaeae commemoratur Ant. XIII. 15,1; Vita 16; Bell. iud. I. 4,7; 17,5.

Duo sunt situs, qui pro Cana Galilaeae a variis interpretibus habebantur: prior *Kefr Kenna* ad orientem Sepphoris et a Nazareth inter septemtrionem et orientem, ita ut Cana, Sepphoris et Nazareth triangulum fere aequilateralem formet et alter *Khirbet Qāna* seu *Qāna el-Djelīl* (Qana Galilaeae) a Sepphori aquilonem versus, haud procul a Iotapata, in margine aquilonari planitiei Asochis seu Zabulon (*Sahel el-Battauf*), in confinibus Aser et Zabulon. S. Paula (mortua a. 404) cito itinere percurrit Nazareth, Cana et Capharnaum; sed indicatio situs in eius Peregrinatione non additur. Theodosius circa a. 530 p. Chr. assignat millia quinque a Diocaesarea (Sepphori) usque in Cana Galilaeae, quae distantia magis pro altero situ *Qāna el-Djelīl* videtur militare. E contra S. Antoninus Martyr (vel potius Anonymus) circa 570 p. Chr. assignat milia tria a Diocaesarea in Cana, qua indicatione magis prior situs *Kefr Kenna* commendatur. S. Willibaldus (circa a. 723-726) a Nazareth per villam Canam ad montem Thabor profectus est; ordo itineris sine dubio *Kefr Kenna* magis commendat.

Ex scriptoribus medii aevi eundem situm *Kefr Kenna* indicare videntur *I. Phocas*, qui post Ptolemaidem urbes Galilaeae Semphori, Cana, Nazareth enumerat et *Ioannes Wirceburgensis*, qui dicit: « Quarto milliario a Nazareth, secundo a Sephori Cana Galilaeae est ad orientem ». *Fr. Quaresmius* (1616-26) auctoritatibus pro utraque sententia adductis Cana in Sepher Gana (i. e. *Kefr Kenna*) agnoscere mavult: « Posterior haec sententia mihi valde probabilis videtur (licet alteram reiicere non audeam) ». Ex recentioribus situm *Kefr Kenna* tuentur *Guérin, F. de Saulcy, Riess, Legendre, Fahrngruber, Liévin de Hamme, Zanecchia, E. Le Camus* (verba Quaresmii l. c. sua faciens).

Alterum situm *Qāna el-Djelīl* commendant *Burchardus de monte Sion, Adrichomius, Robinson, Ritter, Sepp, Smend*.

Praeter duos situs indicatos *Conder* tertium non minore cum probabilitate pro Cana Galilaeae assignari posse opinatur scil. vicum *el-Reine* prope Nazareth inter septemtrionem et orientem (*Survey of West. Pal.* Mem. I. 287. 288; Tent Work in Palestine I. p. 153); sed huic novae opinioni certe desunt tum similitudo nominis tum testimonia traditionis.

Cf. *S. Paulae* Peregrinatio n. 17 apud *Tobler et Molinier*, Itinera hier. I. 38; *Theodosius*, De situ Terrae Sanctae apud *P. Geyer*, Itin. hier. p. 139; *S. Antonini Plac.* Itinerarium n. 4 apud *P. Geyer* p. 161 et 196; *S. Willibaldus*, Hodoeporicon n. 13 apud *Tobler et Molinier* I. 260.

Pro situ *Kefr Kenna* cf. *I. Phocas*, Descriptio Terrae Sanctae 10 apud *Migne* 133, 933; *Ioannes Wirceb.* Descriptio Terrae Sanctae c. 1 apud *Migne* 155,1057; *Quaresmius*, Terrae Sanctae Elucidatio *ed. C. de Tarrisio* 1881 II. 641; *Guérin*, Galilée I. 168-182; *F. de Saulcy*, Voyage autour de la mer Morte II. 449-454; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *Legendre*, Carte de la Palestine; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 197; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897 III. 179-183; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 663. 665-667; *E. Le Camus* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 110-118.

Pro situ *Qāna el-Djelīl* cf. *Burchardus de monte Sion*, Descriptio Terrae Sanctae 6 apud *Laurent*, Peregrinationes medii aevi quatuor *ed.* 2 p. 44; *Adrichomius*, Theatrum Terrae Sanctae 1600 p. 138 a; *Robinson*, Palaestina III. p. 443 ss.; *Ritter*, Erdkunde XV. 389; *Sepp*, Jerusalem *ed.* 2 II. p. 143 ss.; *Smend* apud *Riehm-Baethgen*, Handwb. des bibl. Altert. 831 a.

CANANAEUS cognominatur Simon apostolus (Matth. 10,4; Marc. 3,18) i. e. zelotes; cognomen igitur cum urbe Cana nihil commune habet. V. SIMON 6.

CANATH, CHANATH (קְנָת, ἡ Καάθ, ἡ Κανάθ) urbs in Palaestina orientali sita, quam Nobe Manassita cum viculis circumiacentibus expugnavit et ex nomine suo Nobe appellavit (Num. 32,42); postmodum pagus Canath pro aliquo tempore saltem occupatus est a Ges-

suritis, quos filii Manasse subigere non potuerant (1 Par. 1,23 et v. GESSUR). Nomen urbis apud Flavium Iosephum est Kanatha (Bell. iud. I. 19,2 Κάναθα, Ant. XV. 5,1 Κάνατα *ed. Niese*). Plinius (V. 18,74) et Ptolemaeus (V. 15,23) eam inter urbes Decapoleos recensent. Eusebius et S. Hieronymus eam provinciae Arabiae adnumerant et in regione Trachonitide iuxta Bostram collocant(Onom. *ed. Lag.* 269,15; 109,1). Tabula Peutingeriana eam ponit 61 mil. pass. a Damasco Bostram versus (Segm. X. 2. 3). Episcopus Kanothae conciliis ephesino (a. 449), chalcèdonensi (a. 451), constantinopolitano (a. 459) intererat (*Le Quien,* Oriens christ. II. 867). Merito eadem agnoscitur, quae *Qanawāt* in descensu occidentali *Djebel Ḥaurān* sita, cuius ruinae, inscriptiones plurimae, rudera templorum aliorumque aedificiorum evincunt ibidem urbem quondam opulentissimam primis imperatorum romanorum saeculis fuisse.

Ex opinione quorundam recentiorum (*Waddington*, *F. de Saulcy, Marquardt, Rohden, Clermont-Ganneau, Reichardt*) haec Kanatha distinguenda est ab altera urbe Kanata hodie *Kerak* 25 km a *Qanawāt* inter meridiem et occidentem. Sed fortasse haec altera urbs ad fines prioris pertinebat et ea, quae ex inscriptionibus de Kanatha et de Kanata afferuntur, unam eandemque urbem *Qanawāt* = Kanatha = Kanata respiciunt (*Schürer*).

Cf. *Reland*, Palaestina 681 s.; *Raumer*, Palaestina *ed.* 4 p. 252; *Seetzen*, Reisen *ed. Kruse* I. 78 s. IV. 40 s. 51 s.; *Burckhardt*, Reisen in Syrien *ed. Gesenius* I. 157 s. 504-505; *Ritter*, Erdkunde XV. 931-939; *Porter*, Five years in Damascus 1853 II. 89 s.; *Merill*, East of the Iordan 1881 p. 36-42; *Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes *ed.* 3 II. 129-134, qui auctores pro Kanata = *Kerak* allegat.

CANCER. Hac voce in Vulgata 2 Tim. 2,17 vertitur γάγγραινα, quod vocabulum Stephanus (Thes. ling. gr.) ita explicat : Γάγγραινα est « partis alicuius [corporis] mortificatio et exstinctio proveniens a magnitudine inflammationis, quae neque digeri neque in pus mutari potuit, sibique coniunctas partes in affectionis consortium pertrahens et ne ab ossibus quidem abstinens, quae vitioso humore perfusa imbutaque quo caro circumposita madet, putrescunt emoriunturque. Non est autem γ. perfecta νέκρωσις sed adhuc fit, sic tamen ut, nisi opportune succurratur, non modo pars ipsa quae laborat, sed et aliae partes vicinae ipseque totus homo denique intereat. Cum vero sensum affectae partes penitus amiserunt, non iam γ. sed σφάκελος appellatur ». Distinguunt igitur lexicographi veteresque medici *gangraenam* a *cancro* (graece καρκίνος, καρκίνωμα), licet in contagione qua pars partem afficit conveniant. — Gangraenae itaque sive cancro S. Paulus l. c. sermones doctrinamque eorum qui a veritate exciderint, maxime Hymenaei et Phileti, comparat. Est enim haeresium talis natura ut debeant membra corporis ecclesiastici cultro anathematis amputari, ne plura in dies membra inficiantur ac pereant. (Modo haud absimili *Plutarchus,* De discr. adul. et amici 24,40 et gangraenam et cancrum in comparationem vocat).

F. ZORELL.

CANDACE (Κανδάκη), nomen reginae Aethiopum (Act. 8,27). Regnare feminas apud Aethiopes Eusebius quoque de suo tempore testatur (Hist. eccl. 2,1; *Migne* 20,137). Nomen illarum reginarum commune erat Candace, ut Pharao regis nomen apud Aegyptios olim et postea Ptolemaeus, atque nomen Candaces multis iam annis ad reginas transisse scribit Plinius (VI. 29,186; cf. *Dio Cassius* 54,5). Metropolis eius reginae fertur *Nabata* in Dongola (cf. *Mommsen*, Roemische Geschichte *ed.* 3 V. p. 593).

CANDELABRUM. Ad supellectilem cubiculo necessariam praeter lectulum, mensam, sellam pertinere candelabrum mulier Sunamitis enuntiat 4 Reg. 4,10, de cuius usu mentio quoque fit Dan. 5,5; Matth. 5,15; Marc. 4,21; Luc. 8,16; 11,33. Praecipue commemorandum est candelabrum aureum in sanctuario (cf. Ex. 25,31-36; 37,17-24). Quod ita describi potest : e basi exsurgit truncus seu hastile, quod in quattuor calices (scyphos, florum calices imitantes) su-

perpositos efflorescit. E tribus in trunco seu hastili nodis nascuntur rami seu calami laterales bini, qui singuli in tres calices superpositos excrescunt; e singulis calicibus exsurgit sphaerula, seu nodus, e sphaerula flos seu lilium. Habentur itaque ex utraque trunci parte tres calami seu rami: singuli ex hisce sex calamis producunt tres calices cum suis ornamentis (sphaerulis, liliis). Lampades supremis liliis imponuntur et sunt omnino septem: una scil. lilio trunci, sex liliis sex ramorum supremis impositae. Totum candelabrum ex auro confectum erat: « universa ductilia de auro purissimo; emunctoria quoque fiant de auro purissimo; omne pondus candelabri cum universis vasis habebit talentum auri purissimi » (Ex. 25,36-39); λυχνία ἐκ χρυσοῦ κεχωνευμένη διάκενος, σταθμὸν ἔχουσα μνᾶς ἑκατόν (*Flav. Ios.* Ant. III. 6,7).

Collocatum erat candelabrum in sancto ad latus meridianum contra mensam panum propositionis. Sacerdotum erat mane componere lucernas (lampades) et ad vesperam collocare (Ex. 30,7) implendo eas oleo de arboribus olivarum purissimo (Ex. 27,20; Lev. 24,2; Num. 8,2). Certum est lampades per noctem fuisse accensas (Ex. 27,21; Lev. 24,3; 1 Reg. 3,3; 2 Par. 13,11); quid per diem? tenebras fuisse in sancto per diem assumi nequit; nam in variis sacrificiis debebat sacerdos v. g. sanguinem ponere super cornua altaris thymiamatis et proin sanctum ingredi (Lev. 4,6 s.); insuper iubentur sacerdotes mane lampades componere (היטיב Ex. 30,7) et Flav. Iosephus quidem affirmat (forte ex usu eiusdem temporis) tres lampades Deo tota die lucere, reliquas accendi sub vesperam (Ant. III. 8,3). Cura candelabrum transportandi in itinere per desertum incumbebat levitis ex cognatione Caath (Num. 3,31); operiendum erat pallio hyacinthino et insuper operimento ianthinarum pellium (Num. 4,9. 10).

In sanctuario mosaico unum erat candelabrum. Magnificentius vero uti alia, ita candelabrum quoque voluit Salomon; decem scil. ex auro puro conficienda curavit; « quinque ad dexteram et quinque ad sinistram, contra oraculum ex auro puro et quasi lilii flores et lucernas desuper aureas et forcipes aureos » (3 Reg. 7,49), ad quae conficienda iam David aurum praepararat (1 Par. 28,15; 2 Par. 4,7. 20). Urbe per Chaldaeos expugnata candelabra quoque cum reliqua templi supellectile asportata sunt Babylonem (Ier. 52,19). In templo post exsilium restituto unum candelabrum adfuisse videtur, cum in sacris litteris solum de candelabro mentio fiat; ita Eccli. 26,22 : lucerna splendens super candelabrum sanctum; 1 Mach. 1,23 Antiochus inter alia candelabrum quoque luminis accepit et comminuit, Iudas Machabaeus candelabrum restituit 1 Mach. 4,49. De candelabro in templo loquitur Flav. Iosephus quoque (Ant. XIV. 4,4; Bell. V. 5,5), quamvis inter templi thesauros etiam alia candelabra aurea similia adfuisse commemoret; duorum facit mentionem (Bell. VI. 8,3), et cum Vespasianus ac Titus agerent triumphum de bello iudaico, de uno quoque candelabro narratio instituitur (Bell. VII, 5,5), cuius similitudo expressa cernitur in arcu triumphali Titi.

Iam si de significatione candelabri in sancto positi atque lucentis quaeritur, certe non sufficiet eam ad id solum restringere, ne sanctum perpetua caligine involvatur. Utique lumine ibi opus erat idque praestabat candelabrum. Verum sublimius quid eo designari docemur Zach. 4 et Apoc. 1,20 : candelabra septem septem ecclesiae sunt. Unde elucet candelabrum illud symbolum esse vel figuram populi theocratici, populi Deo sacri. In sancto positum ac semper lucens coram Domino apte designat candelabrum, qualis esse debeat populus Dei, lucens pietate atque in se exprimens imaginem Dei qui est lux et in luce habitat, cuius lex est lux et lucerna; et uti populus ipse lux esse debet coram Domino, ita quoque lucem cognitionis divinae ad tenebras ignorantiae et iniquitatis dispellendas aliis diffundere debet. Ex auro erat confectum purissimo, quo facile declaratur quanto in pretio sit populus apud Deum, simulque perhibetur, quanta integritate ac puritate debeat populus se conservare. Sacro septenario numero lampades habentur in candelabro variis modis exornato, qua re et

sanctitas populi eiusque ad Deum consecratio exprimitur et multiplex virtutum exercitium, quo quasi multiplici luce sanctum illustretur. Et quod in visione Zach. 4 peculiari ratione effertur, oleum i. e. opem divinam populo suppeditari per potestatem sacerdotalem et sacrum regimen cernitur (cf. *Knabenbauer*, Comm. in Zach. 4,2-7).

CANIS. 1. Canis nomine hebraico, semiticis linguis communi, כֶּלֶב, graeco κύων et κυνάριον (Matth. 15,26 s.; Marc. 7, 27 s.; *Vulg.* Matth. 15,27 et Marc. 7,28 catelli) appellatur. Quamquam in libro Geneseos non commemoratur, et quamquam de prima huius animalis historia nihil certi constat, vix tamen dubium videtur, quin iam patriarcharum aetate atque etiam antea inter comites hominis fuerit, licet non adeo familiaris. — Scriptura ubique fere de cane tamquam de animali contemptibili loquitur. Describuntur in vicis commorantes (Ex. 11,7; Iudith 11,15; Prov. 26,17) et circa urbes magno latratu per noctem vagantes (Ps. 58[59], 7. 15 hebr.). Extra castra carnes quae proiciuntur excipiunt (Ex. 22,31) et cum hyaenis de praeda sua rixantur (Eccli. 13,22 [18] graec.); immo et cadavera humana in vicis vel agris iacentia devorant ac sanguinem lingunt (3 Reg. 14,11; 16,4; 21,19. 23. 24; 22,38; 4 Reg. 9,10. 36; Ps. 67[68], 24; Ier. 15,3), et super haec ad vomitum suum revertuntur (Prov. 26,11; 2 Petr. 2,22). Praeterea animal salacissimum censetur, a quo scorta virilia denominationem « canis » acceperunt (Deut. 23,18; Apoc. 22, 15). Nil ergo mirum quod canis inter vilissima animalia reputatur et cum porcis coniungitur (1 Reg. 17,43; Iob 30,1; Eccl. 9,4; Matth. 7,6), ita ut nomine canis etiam homo vilis ac contemptibilis (1 Reg. 24,15; 2 Reg. 3,8; 16,9; 4 Reg. 8,13) impiusque inimicus (Ps. 21 [22], 17. 21) ac malus operarius (Phil. 3,2), et generatim pagani (Matth. 15,26; Marc. 7,27) appellentur. Unde tantum nefas foret oblatio canis in sacrificium (Is. 66,3. Cf. *F. C. Movers*, Phoenicier I. 404 s.), et sancta dare canibus maxima esset profanatio (Matth. 7,6; 15,26; Marc. 7,27).

2. Sensu minus contemptibili canis commemoratur, cum Gedeon separare iubetur seorsim eos milites, « qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes aquas lambere » (Iud. 7,5). Atque celeber est canis ille Tobiae, qui secutus est dominum iter aggredientem (6,1; gr. 5,17), et praecurrens revertenti « quasi nuntius adveniens blandimento suae caudae gaudebat » (11,9), ubi in graeco v. 4 cod. Vat. et Alex. aliique, sicut et textus syriacus, nihil de blandimento caudae commemorant.

Licet autem canis animal vile censeretur, utilitatem tamen satis magnam in custodiendis gregibus praestabat (Iob 30,1; Is. 56,10). Sed eum vere animal domesticum hominique familiare fuisse in S. Scriptura praeter verba libri Tobiae (l. c.) et responsum mulieris chananaeae de finibus Tyri et Sidonis (Matth 15,27; Marc. 7,28) nihil videtur indicare. Ad venandum etiam adhibitum esse canem, aliqui ex verbis Prov. 30,31 זַרְזִיר מָתְנַיִם (*Vulg.* gallus succinctos lumbos) concludere volunt, cum *Fr. Delitzsch* (Comment. in h. l.) ea de cane venatico interpretantes; quod tamen fundamento parum firmo videtur niti. V. GALLUS n. 7.

3. Similiter atque in Scriptura, etiam in inscriptionibus cuneiformibus canes saepe in sensu contemptibili ac simul cum porcis nominantur (*Asarhaddon* Prism. A et C, col. 2,4 s.), quibuscum cadaveribus vescuntur (*Asurbanipal* Annal. Cyl. Rassam col. 4,74-76. 79-81). Catenis alligati portas urbis custodiebant (*Asurbanipal* ib. col. 8,11-13. 27-29; col. 9,108-111 etc.). Eadem etiam locutio, qua v. gr. Hazael de se dicit « servus tuus canis » (4 Reg. 8,13), etiam apud Assyrios ad exprimendam maximam animi demissionem atque humilitatem adhibebatur. At praeter istos canes viles et communes Assyrii varias etiam canum nobiliorum species alebant quibus praesertim in venationibus frequenter utebantur; unde imago canis venatici saepe in sculpturis assyriacis occurrit. Pariter in monumentis aegyptiacis variae nobilesque canum, etiam venaticorum, species passim inveniuntur.

De canibus assyriacis cf. *Frd. Delitzsch*, Assyr. Thiernamen 35-47; *id.* Ass. Handwörterb. 328 b; *W. Houghton* in Trans. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, 52-62; *G. Rawlinson*, Five great monarchies *ed.* 4, I. 234 s. 356. 510. 516 s. 523. — De aegyptiis v. *R. Lepsius*, Denkmäler II. 6. 9. 36 a. 47. 52. 77. 131 etc.; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 99 s.; III. 273-6; *I. Duemichen*, Resultate I. 8. 10; *R. Hartmann* ib. p. 29; *A. Erman*, Aegypten 333 s.; *W. M. Fl. Petrie*, Medum, London 1892, pl. 9. 17. 27; *A. Erman* in Ztschr. f. aeg. Spr. XXXV. 1897, 12; *I. E. Quibell* ib. XXXVI. 1898, 83.

4. Hodie in Palaestina communiter una tantum canis species et varietas habetur (*Canis familiaris* Linné; *H. B. Tristram*, Fauna and Flora of Palest. p. 21), quae non in statu vere domestico cum hominibus vivit, sed per vicos et agros vagabunda ac noctes praesertim clamoribus inquietans cibum sibi conquirit ac praecipue morticinis delectatur. Etiam ad custodiendos greges canes adhibentur, atque ad venandum, licet rarius, nobilior species persica aptissima reputatur. Generatim vero etiam nunc canes in toto Oriente satis contemptibiles et viles, neque ea qua in Occidente cura digni habentur.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. I. 662-695 *ed. Rosenm.* I. 759-803; *Sam. Oedmann*, Verm. Samml. V. 20-45; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2, 95-103; *E. Blaze*, Hist. du chien chez tous les peuples du monde, Paris 1842; *H. O. Lenz*, Zool. d. a. Griech. u. Röm. p. 94-109. *L. Lewysohn*, Zool. d. Talmuds p. 82-89. *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, p. 78-80. *A. E. Brehm*, Thierleben *ed.* 3 II. 73-172; *I. G. Wood*, Bible Animals 39-49; *Fr. Hommel*, Namen d. Säugeth. 311-314. 385; *P. Cultrera*, Fauna bibl. 149-159; *P. Schegg*, Bibl. Archäeol. 73-75; *A. Zeller*, Das Pferd, d. Esel u. d. Hund in d. h. Schrift, Plauen 1890; *A. Otto*, Zur Gesch. d. ält. Hausthiere, Breslau 1890, 55-60; *Gius. Loreta*, La zoologia nella Bibbia, 205-209. 527-30.

L. FONCK.

CANIS AUREUS (*Schakal*), qui in Vulgata non nominatur, variis nominibus hebraicis videtur designari.

1. Imprimis vocem שׁוּעָל non tantum vulpes, sed etiam canes aureos significare communiter admittitur (v. VULPES). Deinde incolae ruinarum locorumque desertorum hebraice אִיִּים dicti, qui in Vulgata ululae (Is. 13,22), onocentauri (ib. 30,14), fauni ficarii (Ier. 50,39) exponuntur, iterum eadem censentur esse animalia, a raucis clamoribus ita appellata. Denique nomine תָּן, quod tantum in plurali תַּנִּים occurrit (Lam. 4,3 *Kethib* תנין) pariter canes aurei designantur, quibus omnia quae de תַּנִּים in sacris litteris referuntur, optime conveniunt. Etenim ubique fere incolae desertorum ac solitudinis describuntur (*Vulg.* draco Iob 30,29; Is. 34,13; 35,7; 43,20; Ier. 9,11; 10,22; 14,6; 49,33; 51,37; Mal. 1,3; *Vulg.* afflictio Ps. 43[44],20; sirenes Is. 13,22; lamiae Lam. 4,3), quibus ululare et plangere proprium est (Mich. 1,8) ac trahere ventum (Ier. 14,6) i. e. hiante ore captare aerem. — Iuxta aliquos etiam nomen אֹהִים, quod semel tantum in S. Scriptura occurrit (Is. 13,21) et a Vulgata *dracones* explicatur, de iisdem canibus aureis exponendum foret (*Fr. Hommel*, Namen d. Säugethiere 292), quod tamen etiam aliis animalibus ululantibus applicari potest (v. DRACO).

2. Animalia nomine *Canis aureus* Linné designata frequentissime in Palaestina inveniuntur in locis desertis et ruinis per diem gregatim commorantes, unde noctu ad habitationes hominum, pagos et urbes ingratis molestisque clamoribus procedentes cibum sibi conquirunt. Etiam in Aegypto et in Babylonia ac Mesopotamia totaque Asia anteriore ubique inveniuntur. Antiquis Graecis et Romanis probabiliter nomine *thos* (θώς) nota erant, sed rarius commemorantur, quia in regionibus occidentalibus vix apparent. Plinius thoes dicit « luporum genus procerius longitudine, brevitate crurium dissimile, velox saltu, venatu vivens, innocuum homini » (VIII, 34,123), idque non male canibus aureis convenit. Apud Aegyptios autem idem animal deo *Anubis* sacrum frequentissime in picturis ac sculpturis repraesentatum invenitur.

Cf. *Sam. Bochart*, Hierozoic. I. 842-9, *ed. Rosenm.* II. 180-9; *Fr. I. Schoder*, Hierozoici specimen I. 28-54; *E. F. K. Rosenmül-*

ler, Bibl. Alterth. IV. 2,150-3; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griechen u. Römer 116 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, 109-11; *id.* Fauna and Flora of Palestine 21; *Frd. Delitzsch*, Assyr. Thiernamen p. 61; *Fr. Hommel*, Namen d. Säugethiere 303-7. 399; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs III. 157-62. 279; *A. Erman*, Aegypten 510 (ex *Pap. Anastasi I*); *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3, p. 189; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3, II. 41-5; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere I. 1,160; *O. Keller*, Thiere d. klass. Alterth. 185-95. 410-2; *G. Loreta*, La zoologia nella Bibbia 179-81. — Alia v. VULPES.

L. FONCK.

CANO, CANTOR v. MUSICA.

CAPER. 1. Caper, capra, hircus, haedus variis nominibus hebraicis appellantur. Imprimis nomen collectivum צֹאן et nomen unitatis שֶׂה, quod saepe generi בָּקָר et שׁוֹר opponitur, generatim pecudes minores, capras simul et oves in oppositione ad boves et alia pecora maiora designant, licet in Vulgata saepissime « *oves* » tantum exponantur (צאן Lev. 22,21; 1 Par. 5,21 etc.; שֶׂה Gen. 30, 32; Ex. 22,1 etc.). *Capra* vero specialiter עֵז nominatur, vel etiam שֵׂה עִזִּים (Deut. 14,4) et שְׂעִירַת עִזִּים (Lev. 4,28; 5,6); caper et hircus שָׂעִיר audit sive שָׂעִיר עִזִּים sive עַתּוּד sive תַּיִשׁ, postea etiam צָפִיר sive צְפִיר הָעִזִּים (2 Par. 29, 21; Esdr. 8,35; Dan. 8,5. 8. 21); etiam Is. 13,21 et 34,14, ubi S. Hieronymus שָׂעִיר *pilosum* exponit, de capro intellegendum videtur. Haedus denique גְּדִי sive גְּדִי עִזִּים nominatur. In graeco vero nomen commune caprarum est αἴξ; praeterea hircus τράγος, et in LXX etiam χίμαρος, sicut capra χίμαιρα, haedus ἔριφος sive ἐρίφιον (Matth. 25,33) audit.

De nominibus hebraicis quae ex parte aliis linguis semiticis communia sunt, cf. *Fr. Hommel*, Die Namen de Säugeth., Leipzig 1879, p. 245-248. 389; de graeco αἴξ v. *V. Hehn*, Kulturpfl. u. Hausth. *ed.* 6, p. 564.

2. Caprarum greges inde a patriarcharum aetate cum aliis animalibus in Scriptura commemorantur (Gen. 15,9; 30,32; 31,38 etc.), et ubi ab ovibus nomine particulari distinguuntur, primum locum obtinent ac saltem eodem cum ovibus numero recensentur atque ita ut in decem capras unus hircus computetur (Gen. 32,14). Simul cum ovibus pascebantur (Gen. 30,32), sed caper gregem ducebat (Ier. 50,8 עַתּוּדִים, *Vulg.* haedi); unde *hirci* nomine etiam principes populorum appellantur (Is. 14,9 *Vulg.* principes; Zach. 10,3 *Vulg.* hirci), et sub figura hirci in visione Danielis Alexander, Macedonum rex, designatur (Dan. 8,5 ss.). Cum autem caprae ovibus multo sint dissolutiores ac petulantiores, multoque minus dociles ad vocem pastoris, facile intellegitur, sub figura hircorum etiam impios, iustos vero ovium nomine repraesentari, qui in iudicio segregabuntur, uti pastor, cum in commune ovile gregem suum reducit, oves ab hircis separat (Matth. 25,32 s. *Vulg.* haedi). Pili autem caprarum nigri describuntur coloris, quibus nigri capilli Sponsi similes sunt (Cant. 4,1; 6,4; cf. 1,4; 1 Reg. 19,13. 16); rarius varii et maculosi sunt, quod tamen artificio speciali potest obtineri (Gen. 30,32 ss.). Greges vero caprarum praesertim montes et colles amant, unde specialiter in regione clivosa galaaditica commemorantur (Cant. 4,1).

3. Tum ad usum sacrum, tum ad profanum caprae utilissimae erant et sunt. Imprimis enim lac saluberrimum praestant (Prov. 27,27; cf. Is. 7,21 s. צאן, *Vulg.* oves); unde « caprae ad lac » conditae dicuntur (*S. Hieron.* in Iovin. 4,2). Praeterea cibum quoque gratissimum carne sua praebent praesertim haedi (Gen. 27,9 ss.; Iud. 6,19; 13,15; Luc. 15,29 etc.). Insuper pili ad tentoria aliaque texenda utilissimi erant (Ex. 25, 4; 35,6 ss.; 36,14; cf. Cant. 1,4). Pauperes paupertatisque sectatores etiam pellibus caprinis ad vestitum utebantur (Hebr. 11,37); eaedemque pelles praesertim ad utres magnam praebent utilitatem (cf. Num. 31,20). Praeter hos usus profanos praecipuus erat usus caprarum ad varia sacrificia in cultu sacro (v. HOSTIA, VICTIMA). Magnus igitur quaestus ex venditione caprarum ac

haedorum haberi poterat (Prov. 27,26; Ez. 27,21).

4. Hodie in Palaestina greges caprarum numero atque utilitate omnibus aliis praestant. Fere semper simul cum ovibus ab eodem pastore in pascua ducuntur, sed segregati ab iis intra crates pastorales sive cavernas per noctem servantur. Ad omnes usus profanos in Scriptura memoratos etiam nunc adhibentur. Species autem communissima per totam regionem pilis longis nigri coloris et magnis auribus pendentibus insignis est (*Capra hircus mambrica*), similis illi quae in antiquis monumentis aegyptiis et assyriacis figuratur; praeterea in regione septemtrionali etiam alia varietas (*Capra hircus angorensis*) haud raro invenitur.

De capris apud Aegyptios et Assyrios v. *R. Lepsius*, Denkmäler II. 9. 132 etc.; *I. Duemichen* ap. *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3, 199 s.; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 90 fig. 356; p. 390 fig. 464; p. 447 fig. 484; p. 452 fig. 487; III. 303; *A. Erman*, Aegypten 586; — *A. H. Layard*, Monuments of Nineveh I. 58. 60; II. 35; *Frd. Delitzsch*, Assyr. Thiernamen 47 s.; *W. Houghton* in Trans. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, 45 s. — De historia naturali caprae cf. *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3, p. 251; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3. III. 190-211; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere I. 1,515-20; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, 88-95; *id.* Fauna and Flora of Palest. 6; *A. Otto*, Zur Gesch. d. ält. Haustiere, Breslau 1890, 65-70. — De aliis v. *Sam. Bochart*, Hierozoic. I. 620-61, *ed. Rosenm. I.* 703-58; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2,84-90; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griechen u. Römer 229-34; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talmuds 123-6; *I. G. Wood*, Bible Animals 189-202; *Fr. Hommel*, Namen d. Säugethiere 221 s. 243-51. 389; *P. Cultrera*, Fauna biblica 139-49; *P. Schegg*, Bibl. Archaeologie 83 s; *G. Loreta*, La zoologia nella Bibbia 142 s.

L. FONCK.

CAPER EMISSARIUS legitur in Vulgata Lev. 16,8. 10. 26 pro hebr. אזאזל, Azazel; LXX bis (vv. 8 et 10) vocem reddunt ὁ ἀποπομπαῖος i. e. emissarius et bis (vv. 10 et 26) pro voce substituunt nomina abstracta : εἰς τὴν ἀποπομπήν, εἰς ἄφεσιν; Aquila τράγος ἀπερχόμενος, Symmachus τράγος ἀπερχόμενος et ἀφιέμενος. Ab his igitur versionibus supponitur derivatio etymologica vocis ab עז capra (seu hircus?) et אזל abire vel arab. عزل removere, dimovere, separare. Nomen occurrit in descriptione ritus diei expiationis. Duo scilicet hirci statuendi erant coram Domino et sorte iacta unus Domino, alter Azazeli quasi sacer designabatur; prior offerebatur pro peccato, alter vero, cui per confessionem summi sacerdotis omnes iniquitates populi quasi impositae sunt, emittitur in desertum (16,21. 22) vel ut 16,10 hebr. dicitur emittitur Azazeli in desertum. Ex his iam apparet interpretationem illam mere etymologicam ad 16,10. 26 non congruere; quomodo enim hircus emitteretur ad Azazelem seu hircum emissarium? Unde et Vulgata istos locos minus accurate vertit et LXX ad ἀποπομπήν et ἄφεσιν confugerunt.

Expositioni etymologicae Rabbini copulaverunt localem, quam uberius evolvit *F. de Hummelauer*, Comm. in Exod. Lev. p. 462, scil. Azazel nomen a *capro eunte* seu *emisso* petitum evasisse nomen montis alicuius non longe a monte Sinai dissiti, quo caper emitteretur et etiam postquam Hebraei a monte Sinai discessissent, quotannis die expiationis *determinatum esse* locum prope castra, qui primi illius Azazel partes ac nomen susciperet, quoque caper ille emitteretur. Atque fatendum est in tanta rei obscuritate et opinionum diversitate hanc explicationem prae reliquis commendari velut saniorem ac simpliciorem.

Quamplurimis interpretibus arridet sententia Azazel esse personam scil. cacodaemonem quendam (*Gesenius, Ewald, Haneberg*) vel ipsum satanam principem daemonum (*L. Reinke, P. Scholz, B. Schäfer*). Cum desertum alias quoque domicilium daemonum describatur (cf. Tob. 8,3; Matth. 12,43; Luc. 11,24; Apoc. 18,2) et ipsa deserti natura ad daemonis indolem describendam apta sit, facile quidem intellegitur, cur caper peccatis quasi onustus et in desertum expulsus daemoni mitti perhibeatur. Rationes contra hanc hypothesin exponit *F. de Hummelauer* l. c. p. 461, sed

innuit quoque p. 462 fortasse expositionem personalem ita emendari posse, ut asseratur Azazel esse non daemonis cuiusdam, sed ipsius Dei antiquum aliquod brevique penitus obsoletum nomen עזאזאל vel primitus עזזאל i. e. *Deus fortis*; quam nominis efformationem ac scriptionem alii (ut *Dillmann* ad Lev. 16, 10) velut non hebraicam reiiciunt.

Ceterum in controversa hac de Azazel disputatione certa dici nequeunt.

Cf. *Gesenius*, Thesaurus 1012 s.; *Ewald*, Altert. des Volkes Israel 1866 p. 479; *Haneberg*, Die relig. Altert. der Bibel 1869 p. 662; *L. Reinke*, Beiträge II. 278; *P. Scholz*, Die heiligen Altert. des Volkes Israel II. p. 95 ss.; *B. Schäfer*, Altertümer der Bibel *ed.* 2 p. 204. 205; *Schoepfer-Pelt*, Histoire de l'Ancien Test. *ed.* 3 I. p. 270 s.; *Lesêtre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1871-1876; *Schegg*, Bibl. Archaeologie p. 587 s.

CAPHARA v. CAPHIRA.

CAPHARNAUM (Καφαρναούμ), urbs maritima i. e. ad lacum Genesareth sita, in finibus Zabulon et Nephthalim (Matth. 4,13). In Vet. Test. non commemoratur; eo celebrior est in Novo Testamento. Ibi enim relicta civitate Nazareth Iesus dicitur habitasse, cum post pascha ex Iudaea in Galilaeam reverteretur; haec urbs etiam civitas eius appellabatur (Matth. 9,1). Erat quippe pro praedicatione eius peropportuna; nam propter commercium ab alienigenis quoque frequentabatur et cum ad septemtrionalem partem lacus haud longe ab ostio Iordanis in lacum sita esset, magna offerebatur facilitas in regiones vicinas itinera faciendi, et ex ipso hominum in eam urbem concursu fama Iesu longe lateque spargebatur. Synagogam ibi exstruxerat centurio (Luc. 7,5) in qua Iesus saepe docebat, daemonium mutum eiiciebat, sermonem de Eucharistia habebat (Luc. 4,31 s. Ioan. 6,24. 29 s.); ibi erat telonium (Matth. 9,9; Marc. 2,14; Luc. 5, 27), ex quo Levi Matthaeum sibi vocavit apostolum; ibi quoque insignia patravit miracula, sanavit paralyticum, sibi esse potestatem remittendi peccata demonstravit, servum centurionis laudata fide centurionis sanavit, socrum Simonis sanavit, plurimosque aegrotos sanitate donavit (Matth. 8,5 s.; 9,1 s.; Marc. 1,29; 2,1), ibi quoque hominem qui habebat manum aridam sanavit (Marc. 3,1). In eadem urbe Petrus et Andreas domum habebant, in quam Iesus divertere solebat (Marc. 1,29; 2,2; 3,20; Matth. 13,1. 36; 17,24). Verum etsi Christus ibi magno splendore lucem messianam manifestavit (cf. Matth. 4,15), tamen fructus praedicationis et miraculorum erat minimus; obstabat superbia et opulentia civium, id quod ex verbis Christi colligitur : et tu Capharnaum, numquid usque in coelum exaltaberis? usque in infernum descendes (Matth. 11,23). Atque revera cito gloria urbis ac fama interiit; Iosephus solum semel κώμην commemorat Κεφαρνώμην λεγομένην (Vita n. 72; *ed. Niese* Κεφαρνωκόν); unde eo iam tempore vicus erat satis ignotus; postea plane oblivione urbs obruta est, ita quidem ut etiam hodie adhuc disceptent ubi sita fuerit, ubinam sint eius ruinae.

Quaeritur utrum hodiernum *Tell Ḥūm* an *Khān Minye* an forte *el-Ṭābigha* locum illius urbis designet. In ripa occidentali lacus Tiberiadis 5 km ab ostio Iordanis est *Tell Ḥūm*, deinde 2 km meridiem versus *el-Ṭābigha* cum *ʿAin el-Ṭābigha*, demum 1·5 km inde meridiem versus *Khirbet* et *Khan Minye* cum *ʿAin el-Tīn* (i. e. fons ficulneae).

Ex opinione communiore ac probabiliore *Tell Ḥum* situm urbis Capharnaum occupat. Ipsa loci conditio magis congruit iis, quae ex narrationibus evangelicis habentur; ea quoque, quae Flav. Iosephus (Vita 72) habet, aptius ad *Tell Ḥūm* conveniunt. Ibidem ruinae reperiuntur magnae synagogae in quinque spatia divisae (cf. *Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes *ed.* 3 II. 446). Etiam nomen *Tell Ḥūm* satis accedit ad Capharnaum (כְּפַר נַחוּם i. e. vicus Nahum), vel directe, si supponitur Tell pro Kephar substitutum et Hum ex Nahum abbreviatum vel melius indirecte, siquidem *Tellhūm* videtur corruptum esse ex *Tenhūm;* etenim Kephar *Tenhūm* seu *Tanhūm* in itinerariis Iudaeorum legitur pro Kephar Nahum, ubi erat sepulcrum Nahum Veteris, rabbini cuiusdam talmudici, et secundum quosdam etiam Nahum prophetae (cf. *Carmoly*, Itinéraires de la

Terre Sainte p. 259. 260. 385. 448. 478; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XI. 1888, 219. 220).

Pro situ *Tell Ḥūm* cf. *Ritter*, Erdkunde XV. 338; *Burckhardt*, Reisen in Syrien *ed. Gesenius* p. 558; *C. Wilson*, Recovery of Jerusalem p. 375-387; *Van de Velde*, Memoir 1858 p. 301. 302; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *Guérin*, Galilée I. 226-239; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. p. 190; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. I. 1878, 216 ss.; II. 1879, 63 ss.; *K. Furrer* Wanderungen durch das hl. Land *ed.* 2 p. 374; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1899 III. 141-154; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 654-658.

Pro situ *Khān Minye* cf. *Quaresmius*, Terrae Sanctae Elucidatio, lib. 7, Peregr. 5, c. 8; *ed C. de Tarvisio* 1881 II. 653 a; *Robinson*, Palaestina III. 542-549; *Sepp*, Jerusalem *ed.* 2 II. 239 ss.; *Keim*, Jesus von Nazareth I. 596 ss.

CAPHARSALAMA (Χαφαρσαλαμά, A Χαρφαρσαραμά, ℵ Φαρσαλαμά), vicus prope Ierusalem, apud quem Nicanor dux Syrorum anno 162 a. Chr. a Iuda Mach. superatus est (1 Mach. 7,31); de exercitu Nicanoris ceciderunt 5000 vel probabilius solum 500 viri (7,32; cf. *Keil* et *Grimm* in h. l.), Nicanor in civitatem David se recepit. Quoniam brevi post Nicanor apud Bethoron castra posuit (7,39), concludunt aliqui (*Michaelis*, *Grimm*, *Keil* in 7,31) Capharsalama meridiem versus a Ierusalem abfuisse. At haec ratio rem non evincit. Unde alii praeferunt vicum quendam saeculo 11. Carvasalim nuncupatum et prope *Ramle* septemtrionem versus situm (*Schürer*) nec procul a finibus Samariae distantem (*Ewald* provocans ad 2 Mach. 15,1). Ceterum huius vici vestigium certum non exstat. Flavius Iosephus (Ant. XII. 10,4) vicum vocat Καφαρσαλαμά, sed miro modo hallucinatur asserens Iudaeos a Nicanore devictos esse et in arcem hierosolymitanam (quam in Syrorum manibus tunc fuisse constat) confugisse. Gemara hieros. (Avoda Zara f. 44 col. 4) commemorat locum Caphar Salam (cf. *Reland*), item *Muqaddasī* geographus arabicus vicum magnum *Kafarsallam* ad *Qaisāriya* pertinentem.

Cf. *Reland*, Palaestina p. 690; *Ewald*, Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3, IV. p. 419; *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, I. p. 217. 218; *Muqaddasi*, Description of Syria translated by *Guy le Strange*, London 1886, p. 60. 61 vel germanice apud *I. Gildemeister*, Beiträge zur Palaestinakunde aus arabischen Quellen in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. VII. 1884, p. 170.

CAPHETETHA (Χαφεναθά, *Syr.* Kesphanitha) vocatur 1 Mach. 12,37 pars muri Ierusalem quae erat super torrentem (Cedron) ab ortu solis; haec pars cecidit, cum Ionathas Mach. muros altiores faceret, siquidem fundamenta novae moli superstruendae imparia erant, aut fortasse iam antea corrueral; Ionathas eam reparavit. Etymologia nominis est prorsus obscura. Flav. Iosephus hoc narrationis incisum omisit. *Lightfoot* (Disquisitio chorographica Ioanni praemissa 7,4) suspicatur aliquam partem extimae regionis urbis versus orientem Chaphenatha dictam esse propter dactylos ibi nascentes, pari ratione qua Bethphage i. e. locus grossorum ob ficus prope nascentes in monte Oliveto; « nam Chephanioth frequenter apud Talmudicos sunt dactyli palmarum, qui ad maturitatem nunquam decoquuntur ..... Significatione cognata τῇ היני Hene et אהיני quae dactylos palmarum immaturos denotat, unde derivatam opinamur *Bethaniam* in monte Oliveto ».

CAPHIRA, CAPHARA, CEPHIRA (הַכְּפִירָה cum articulo et in libris Esdrae sine articulo; Κεφιρά, Φιρά, Χαφιρά, Καφιρά), urbs cum Cariathiarim et Beroth (v. BEROTH 1) Gabaonitis parens (los. 9,17), tribui Beniamin attributa (18,26); Babylone redierunt viri Cariathiarim, Cephira et Beroth 743 numero (Esdr. 2, 23; Neh. 7,29). Hodie *Khirbet Kefīre* in occidentali parte tribus Beniamin nec procul a finibus Dan.

Cf. *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. 190; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 36; *Guérin*, Judée I. 283-285, cuius scriptio *Qefire* cum voce hebraica minus convenit quam aliorum scriptio *Kefire*; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 91; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3.

CAPHTORIM (כַּפְתֹּרִים; LXX Gen. 10,14 Γαφθοριείμ, 1 Par. 1,12 A Χαφοριείμ,

B omitt.) recensentur inter populos a Mesraim descendentes (non a Chasluim, ut locis citatis de solis Philisthiim asseritur; cf. textum hebraicum). De terra Caphtor (כַּפְתֹּר) egressi Hevaeos, primigenios Philisthaeae incolas, expulerunt (Deut. 2,23), unde Ier. 47,4 Philisthaei post cladem superstites vocantur reliquiae insulae Caphtor (אִי כַּפְתֹּר *litorale Caphtor*) et Amos 9,7 Philisthaei de Caphtor ascendisse dicuntur; Vulgata hisce tribus locis et LXX duobus ultimis interpretantur Cappadoces, Cappadociam, quam interpretationem secuti sunt Eusebius, S. Hieronymus, S. Cyrillus, Theodoretus, Procopius. Ex recentioribus aliqui Cyprum designari putant (*Michaelis*), quae potius ad Cethim referenda est; probabilior autem est sententia, quam plerique tuentur, Caphtor esse Cretam (*Calmet, Delitzsch, Ewald, Keil, Lenormant, Dillmann, F. de Hummelauer*). Aliam coniecturam proposuit *G. Ebers* Caphtor nomen fuisse ipsius litoris Aegypti septemtrionalis eamque regionem fuisse coloniam Phoenicum, appellatam *Kaft-ur* i. e. Phoeniciam magnam; quam interpretationem exponit et reiicit *F. de Hummelauer* ad Gen. 10,14. Recentius vero *P. de Cara* ostendere conatus est Caphtor esse oram maritimam Phoeniciae sensu lato i. e. Palaestinae et Syriae illamque regionem, cui nomen Kapht fuerit, aetate quadam remotissima a populis chamitiĉis occupatam esse, postea Phoeniciam appellatam.

Cf. *Ewald*, Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3 I. 353 s.; *Ebers*, Aegypten und die Bücher Mose's 1868 p. 127-252; *P. de Cara*, Gli Hethei-Pelasgi, Roma 1894 I. p. 459 ss.; *H. Marucchi* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 211-213.

CAPILLUS. Quia in signum luctus capilli tondebantur (Ier. 7,29; Mich. 1, 16), concludendum erit Iudaeos capillos gessisse potius promissos, id quod Cant. 5,11 quoque suadetur. Uti barba, ita caesaries quoque ornamentum et decus viri habebatur. Calvities namque opprobrio vertebatur (4 Reg. 2,23) et in poenam et vindictam iri inductum saepius prophetae minantur (Is. 3,24; 15, 23; 22,12; Ier. 47,5; 48,37; Ez. 7,18 etc.). Color eius niger aestimabatur pulcherrimus (Cant. 5,11 : comae eius nigrae quasi corvus). Insigni caesarie erat Absalom; semel in anno tondebatur, quia gravabat eum caesaries, et quando tondebat capillum, ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis (? at in numero mendum subesse merito suspicaberis; 2 Reg. 14,26). Capilli unguentis quoque delibuti sunt; cf. Ps. 22,5 : impinguasti in oleo caput meum; 132,2; Eccl. 9,8 : oleum de capite tuo non deficiat; Matth. 6,17; Luc. 7,46. Studiosius autem et more feminarum comam nutrire viro ignominiae esse ipsa natura docente ait apostolus 1 Cor. 11,14. Qui vero se voto nasiraeatus Domino consecravit, omni tempore consecrationis novacula non transibit per caput eius; sanctus erit crescente caesarie capitis eius (Num. 6, 5); expleto autem tempore voti radetur nasiraeus tolletque capillos et ponet super ignem qui est suppositus sacrificio pacificorum (Num. 6,18; cf. Act. 18, 18). Samson nasiraeus, quamdiu signum gessit voti sui et consecrationis, non est destitutus fortitudine; caesarie autem ablata recessit ab eo Dominus (Iud. 16, 20). In signum luctus capilli evellebantur (Esdr. 9,3). Quando de lepra iudicium erat ferendum, capillorum eorumque coloris mutati plurima ratio erat habenda (Lev. 13,10. 30 s.); si leprosus erat mundatus, debebat radere capillos (Lev. 14,9). Prohibiti erant in capillorum habitu imitari idololatras; unde : ne tondeatis extremitatem capillorum capitis (Lev. 19,27).

Ornatiorem capillorum habitum viros quoque quandoque assumpsisse nemo negabit (ita Sameas verba facit : praeclarus autem iste Herodes, caedis reus, adstat hic purpura amictus, καὶ τὴν κεφαλὴν κεκοσμημένος τῇ συνθέσει τῆς κόμης, *Iosephus*, Ant. XIV. 9, 4); at ea erat praecipue mulierum cura (cf. 4 Reg. 9, 30; Iudith 10,3 : discriminavit crinem capitis sui; 16,8 : ἐδήσατο τὰς τρίχας αὐτῆς ἐν μίτρᾳ); caesaries sponsae comparatur gregi caprarum quae ascenderunt de monte Galaad (Cant. 4,1) i. e. coma defluens describitur quasi greges caprarum cingentium verticem montis Galaad et 7,5 : comae capitis tui sicut purpura;

nam mulier si comam nutriat gloria est illi (1 Cor. 11,15). Attamen ab ornatu exquisiore etiam illis abstinendum esse, idem apostolus monet (1 Tim. 2,9; tortos crines ab iis abesse vult (μὴ ἐν πλέγμασιν) et apostolorum princeps pariter exsulare vult ab iis artificiosam crinium in nodos collectionem (μὴ ἔστω ὁ ἐμπλοκῆς περίθεσις κόσμος, 1 Petr. 3,3).

In locutione proverbiali : non cadet capillus filii tui super terram (2 Reg. 14,11; cf. 1 Reg. 14, 45; 3 Reg. 1,52) exprimitur : ne minimum quidem damnum ei iri illatum, sicut, ut iuvenes tres illi ex fornace ardenti plane incolumes exiisse perhibeantur, dicitur : et capillus capitis eorum non est adustus (Dan. 3,94) et Paulus, ut nautas trepidos confortet, dicit : nullius vestrum capillus de capite peribit (Act. 27,34). Eodem modo quam immensa cura et sollicitudine Deus salutem suorum cordi habeat, Christus declarat : vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt (Matth. 10, 30).

CAPITELLUM, epistylium, quod quasi coronamentum columnae imponitur. Duo eiusmodi epistylia pro magnis illis columnis Booz et Iachin describuntur (3 Reg. 7,16-20; 4 Reg. 25,17; 2 Par. 4,12; Ier. 52,22. Vide s. v. COLUMNAE.

CAPPADOCIA (Καππαδοκία) in Vulgata est nomen tum regionis Caphtor (Deut. 2,23; Ier. 47,4; Am. 9,7; v. s. v. CAPHTORIM) tum provinciae in Asia minore (Act. 2,9; 1 Petr. 1,1); ex ea provincia Iudaei aderant in Ierusalem die pentecostes et rem christianam ibi mox radices egisse S. Petrus l. c. testis est. Cappadocia variis temporibus varias experta est extensiones ac divisiones; Cappadocum, qui eadem utuntur lingua, termini a Strabone (XII. 1,1) definiuntur : meridiem versus Taurus Cilicius, orientem versus Armenia et Colchis, septemtrionem versus Pontus Euxinus usque ad Halyis ostia, occasum versus Paphlagonia et ea Phrygiae pars, quam Galatae occupaverant, usque ad Lycaoniam et asperam Ciliciam. — Cappadociam Persae in duas diviserant satrapias, quas Macedones passi sunt in duo regna mutari, partim sponte, partim inviti : alterum Cappadociam ad Taurum seu magnam, alterum ad Pontum seu Pontica m. Aetate Seleucidarum reges Cappadociae in plenam libertatem se vindicarunt; unus ex illis (1 Mach. 15,22 nominatur Ariarathes (vide s. v.). Mortuo Archelao ultimo Cappadociae magnae rege Tiberius eam in provinciam romanam redegit anno 17 p. Chr. (cf. *Strabo* XII. 1,2-4; *Tacitus*, Ann. 2,42. 56; *Dio Cass.* 57,17) isque erat status Cappadociae Novi Testamenti.

CAPPARIS. **1**. Capparis vertitur in Vulgata et Vetere latina ἅπ. λεγ. אביונה (Eccl. 12,5), pariterque a LXX atque Aquila κάπταρις et a Peshitta atque arabica versione קבר; Symmachus, forte voce אֶבְיוֹן, *pauper* permotus, ἐπίπονος reddit (cf. *Field*, Eccl. 12,5 not. 18). Chaldaeus vero, « non magni in Ecclesiaste nominis » (*I. D. Michaelis*, Suppl. 5) משכבא i. e. concubitum explicat, et similiter sensu generiore « appetitum » quemcumque intellegit Graecus venetus (ὄρεξις) cum pluribus rabbinis ac versionibus recentioribus, quibus assentiuntur *Hiller* et *Celsius*, neque refragatur *Balfour*. At merito cum antiquis versionibus *I. H. Ursinus*, *Michaelis*, *Gesenius*, *Rosenmüller*, plerique interpretes recentiores *capparim* intellegunt; quae interpretatio et voci et contextui conformior videtur.

Cf. *I. H. Ursinus*, Arboret. bibl. I. 362 s.; *M. Hiller*, Hierophyt. I. 220-2; *O. Celsius*, Hierobot. I. 209-15; *I. D. Michaelis*, Suppl. ad lex. hebr. 4-6; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1,196-8; *W. Gesenius*, Thes. ling. hebr. s. v.; *J. H. Balfour*, The plants of the Bible 44 s.; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 201 (cf. p. 406 n. 43).

2. Ex variis huius fruticis speciebus maxime *Capparis spinosa* Linnei ex ordine *Capparidearum*, Arabibus hodiernis in Syria et Palaestina *kabar*, in deserto sinaitico *el-āsūf* dicta, cum varietatibus suis ad muros et rupes regionis orientalis communissima est. Eius gemma baciformis, praesertim aceto condita, ad excitandam cibi appetentiam condimenti loco comeditur; veteres vero caules potius et fructus sale conditos et coctos stomacho utiles videntur considerasse (*Diosc.* Mat. med. 2,204; cf. *C. Sprengel*, Comment. in h. l. — *Plin.* XIII.

23,127; XX. 15,165-7 « stomacho inutilem » dicit, fortasse crudam; cf. *Diosc.* l. c.). Ex gemmis a mense Maio usque ad Iulium flores pulchri, candidi et rubicundi oriuntur, qui brevi tempore evanescunt ac bacis fructuum cedunt; hi maturescentes rumpuntur atque grana exigua rubentia emittunt.

Cf. *E. Boissier,* Flora orient. I. 420; *G. E. Post,* Flora of Syria 109; *id.* in *I. Hastings,* Dict. of the Bible I. 350; *Engler-Prantl,* Natürl. Pflanzenfam. III. 2,229-31; *Leunis-Frank,* Synopsis II. 2 *ed.* 3 p. 420 s.

3. Ex his capparis proprietatibus variae opiniones ortae sunt de sensu comparationis biblicae, qua in descriptione senectutis auctor Proverbiorum ait « dissipabitur capparis ». Sunt enim, qui fragilitatem senis frutici ipsi comparent, qui floribus brevi evanescentibus et bacis omnibus dissilientibus decrepitae aetatis imaginem prae se ferat (*Hamilton*). Alii gemmas potius in comparationem trahunt, quae ubi florem emiserunt, saporem illum acrem, cuius gratia appetuntur, amittunt et similitudinem senis vigore ac suco carentis exhibent. Iterum alii gemmas florem emissuras vel etiam bacas maturas grana sponte proicientes comparari volunt senectuti ad aliam vitam reflorescenti animamque iamiam redditurae (*Michaelis, Rosenmüller, Winer*). Sunt etiam, qui in floribus albidis facile decidentibus canos seniles videant figuratos (*Cultrera*). Alii denique dissipari capparim in senectute ex eo interpretantur, quod caules et fructus, pariterque gemmae, vim amplius non habeant in cibi desiderio movendo (*Schegg, Riehm-Baethgen*, al.), cui aliqui libidinem in sene refrigescentem addunt, cuius excitandae vis cappari tribuitur (*Ursinus, Gesenius, Post*).

Cf. Comment. in Eccl. l. c., praesertim *Cornel. a Lap., G. Gielmann,* al.; praeterea v. *G. B. Winer,* Bibl. Realwörterb. *ed.* 3 I. 650; *P. Cultrera,* Flora bibl. 199; *F. Hamilton,* Botanique de la Bible 13; *P. Schegg,* Bibl. Archaeologie 241; *Riehm-Baethgen,* Handwörterb. *ed.* 2 I. 832 s.; *L. Fonck,* Streifzüge durch die bibl. Flora 147-9. — Alii etiam hyssopum biblicam capparim esse censent; v. HYSSOPUS.

L. FONCK.

CAPRA v. CAPER.

CAPREA. 1. Caprea dicitur animal hebraico nomine linguis semiticis communi צבי (i. e. decus) vel etiam צביה (Cant. 4,5; 7,4) appellatum. Interpretationem graecam huius nominis dat S. Lucas in Actibus : Ταβιθὰ ἡ διερμηνευομένη λέγεται Δορκάς (9,36); Ταβιθά enim forma aramaica est eiusdem vocis hebraicae צביה (cf. 1 Par. 8,9; 2 Par. 24,1). In eadem nominis interpretatione versiones veteres satis conveniunt. *Dammula* (damula) autem, quam vocem S. Hieronymus bis pro צבי adhibet (Prov. 6,5; Is. 13,14), proprie hinnulum cervi vel capreae significat.

De nomine hebraico cf. *Fr Hommel,* Namen d. Säugeth. 268-79. 389 s.

2. Describitur caprea in libris sacris animal velocissimum (2 Reg. 2,18; 1 Par. 12,8; Prov. 6,5; Eccli. 27,22[20]; cf. 11, 32[30] *Vulg.*, ubi in Graeco omittitur), timidum (Is. 13,14), quod inter animalia munda cum cervo aliisque feris nominatur (Deut. 14,5) et cibum gratissimum praestabat (Deut. 12,15.22; 15,22; 3 Reg. 4,23[5,3]. Propter formae pulchritudinem, quam ipsum nomen indicat, in Cantico ex caprea hinnuloque cervorum comparationes ad describendum Sponsum ac Sponsam derivantur (2,9. 17; 4, 5; 7,4; 8,14) atque etiam « per capreas cervosque camporum » filiae Ierusalem adjurantur (2,7; 3,5).

3. Nominis significatio quoad genus *capreae*, quae et *gazella* ex arabico dici consuevit, non est dubia. Ea autem capreae species honorem capreae biblicae iure videtur obtinere, quae et in Palaestina maxime communis est et venustate atque agilitate omnium oculos in se trahit omniumque poetarum arabicorum laudibus celebratur. Nomine scientifico *Antilope dorcas* Lichtenstein sive *Gazella dorcas* Linné appellatur. Praeter eam alia species in regione transiordanica invenitur, cui aliqui nomen *gazellae arabicae* tribuunt. — Variae item caprearum species in monumentis aegyptiacis et assyriis frequentissime occurrunt, quae a venatoribus antiquis non minus quam ab hodiernis avide appetebantur.

De Aegyptiis et Assyriis cf. *R. Lepsius*, Denkmäler II. 6. 12. 17. 19. 21. 46 etc.; *I. Duemichen*, Resultate I. tab. 3. 8. 9. 10. 12 etc. (cf. *R. Hartmann*, ib. p. 29); *id.* ap. *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 III. 335 ss.; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 83 ss.; III. 302 s. etc.; *A. Erman*, Aegypten 586 s.; *W. M. Fl. Petrie*, Medum. London 1892, tab. 9. 11. 14. 27. 28. — *A. H. Layard*, Monuments of Nineveh I. 43; II. 32. 60; *Frd. Delitzsch*, Ass. Thiernamen 48-54. 58; *G. Rawlinson*, Five great monarchies, *ed.* 1 I. 224 s. 522; *W. Houghton*, in Trans. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, 345-7. 381. — De historia naturali capreae cf. *M. H. K. Lichtenstein* in Abhandl. Berl. Akad. 1824 (etiam separ. Berlin 1826); *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8,127-31; *id.* Fauna and Flora of Palest. 5 s.; *Lennis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3 p. 255; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 III. 342-54; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere I. 1,493-5. — De aliis cf. *Sam. Bochart*, Hierozoic. I. 924-9, *ed. Rosenm.* II. 303-12; *Sam. Oedmann*, Verm. Samml. I. 1-15; *I. D. Michaelis*, Supplem. ad lex. hebr. 2061 s.; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2,171-7; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griechen u. Römer 223. 226-9; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talmuds 113. 126; *I. G. Wood*, Bible Animals 133-40; *P. Cultrera*, Fauna bibl. 237-40; *G. Loreta*, La zoologia nella Bibbia 143-5.

L. FONCK.

CAPTIVITAS. Qui bello capti erant, addicebantur servituti et dividebantur inter victores (Num. 31,26 s.); quandoque autem viris omnibus occisis solae mulieres et infantes in servitutem redigebantur (Deut. 20,14). Urbe quadam expugnata et victoria parta plerumque severe in victos animadversum est; ita minatur Gedeon : cum tradiderit Dominus Zebee et Salmana in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti (Iud. 8,7, id quod fecit v. 16); Abimelech expugnata urbe interfecit habitatores eius (Iud. 9,45); sub Amasia decem millia Edomitarum capta sunt et ex altis rupibus praecipitata (2 Par. 25,12). Menahem Thapsa expugnata omnes interfecit et praegnantes scidit 4 Reg. 15,16), et ad Hazael dicit Eliseus flens : scio quae facturus sis filiis Israel mala : civitates eorum munitas igne succendes et iuvenes eorum gladio interficies et parvulos eorum elides et praegnantes divides (4 Reg. 8,12). Eadem crudelitatis genera Amos exprobrat Ammonitis (1,13); cf. Os. 14,1; Nah. 3,10; 2 Mach. 5,13. Lege praecipiebatur Israelitis, ut mulieres bello captae benigne tractarentur (Deut. 21,10-14); mulier captiva, quam captor Hebraeus voluerit uxorem ducere, suaviter praeparanda est ad uxoris in domo captoris conditionem et si postea dominus eam noluerit retinere uxorem, amice in libertatem dimittenda est.

In Aegypto quidem carceres ad facinorosos puniendos habebantur (Gen. 39, 20; 40,3 s.; 41,10; 42,19); apud Israelitas prisco tempore solum tradebantur in custodiam, donec iudicium de delicto latum esset; ita ille qui in deserto blasphemavit, missus est in carcerem (datus est in custodiam), donec nossent quid iuberet Dominus (Lev. 24,11. 12); item factum est ei qui ligna collegit sabbato : recluserunt eum nescientes quid super eo facere deberent; dixit Dominus ad Moysen : morte moriatur (Num. 15,34). Verum etsi lege mosaica inclusio in carcerem non tamquam poenae genus enumeratur, tamen tempore regum eiusmodi poena haud raro infligebatur; ita propter oraculum Achab regi ingratum Michaeas propheta puniebatur : mittite virum istum in carcerem et sustentate eum pane tribulationis et aqua angustiae (3 Reg. 22,27) et Asa rex iratus in videntem iussit eum mitti in nervum (2 Par. 16,10), Ieremias quoque missus est in nervum (Ier. 20,2), in cippum; etiam ex Iob 13,27 genus tormenti pedum indicatur; plerumque explicant lignum duplex, cui collum, manus, pedes captivi ita inserebantur, ut curvus sedere cogeretur neque collum tollere, neque manus pedesque movere posset. Postea quoque Ieremias captivus tenebatur in atrio, ubi milites in palatio regio custodias agebant (Ier. 32,2; 37,19. 20); demum odio nobilium missus est in lacum lutosum, ubi immersus in coenum periisset, nisi Abimelech Aethiops eum inde extraxisset (Ier. 38,6 s.). Apud Philisthaeos Samson vinctus catenis et clausus in carcere molere coactus est (Iud. 16,10).

Ab Esdra inclusio in carcerem enumeratur inter poenarum genera consucta (7,26) et tempore Novi Testamenti est

poena usitata in debitores (Matth. 18,30; Luc. 12,58); infligitur apostolis Act. 5,18. 21 et iis qui Christum confitentur Act. 8, 3 (cf. Act. 12,4; 16,23. 24; 22,4; 24,23; 2 Cor. 6,5; 11,23; Apoc. 2,10). Custodia militari romana Paulus tenebatur : permissum est Paulo manere sibimet (seorsum ab aliis captivis) cum custodiente se milite (Act. 28,16); catena ei alligatus erat (28,20).

Exsilium in quod abducti sunt frequenter quoque vocatur captivitas et exsules filii captivitatis; in hebr. ponitur eo sensu saepe גוֹלָה transmigratio, abductio, ita ut ipsi quoque qui abducuntur, exsules, hoc nomine designentur (cf. Ier. 28,6; Ez. 1,1; 3,11. 15; 11,24; Esdr. 10,8 etc.). Sed שְׁבִי quoque quae vox potius ad notionem captivitatis accedit de ea abductione dicitur cf. Ier. 15, 2; 20,6; 22,12; Esdr. 3,8; 8,35; 9,7; Neh. 1,2.3; 7,6; 8,17. Et merito quidem; nam bello victi et capti abducebantur; in Babylonia quidem carceribus non includebantur (nisi Ioachin rex; cf. Ier. 52,31 et fortasse alii nobiles, praecipui rebellionis auctores), sed domos aedificabant, hortos plantabant (Ier. 29,5 s.) et suis iuribus a suis iudicibus regebantur (cf. Dan. 13,5 s.); at cum iure belli in regione aliena tenerentur a victoribus, vero aliquo sensu eorum conditio captivitatis nomine potuit declarari (unde Is. 42,22 : in domibus carcerum absconditi sunt); nam libertate redeundi in patriam privati erant. Historiam exsilii vide s. v. TRANSMIGRATIO.

CAPUT. Adhibetur vox, uti alibi, ita in s. litteris quoque, pro ipso homine, pro eius vita; cf. Ex. 16,16 : gomor per singula capita; 1 Reg. 28,2 : ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus, ait Achis ad David; 29,4 : quomodo aliter poterit placare dominum suum, nisi in capitibus nostris? dicunt Philisthiim de David; Ps. 65,12 : imposuisti homines super capita nostra etc. — Varii quoque affectus variaeque conditiones exprimuntur modo quo caput geritur. Caput alicuius exaltare est eum reddere felicem, eum donare potentia, victoria (cf. Ps. 3,4; 26,6); efferre caput superborum est (Ps. 82,3), caput demittere tristium et afflictorum et desperantium (3 Reg. 21,27; Lament. 2,10); caput movere irridentium est vel admirantium, dubitantium (4 Reg. 19,21; Iob 16,4; Ps. 21,8; Lament. 2,15), operire caput solent pudore et confusione affecti vel etiam manus capiti imponere; eodem modo luctus exprimitur (2 Reg. 13,19; 15,30; 19,4; Ier. 14,3); caput pulvere vel cinere conspergere lugentes solebant (Ios. 7,6; 2 Reg. 13,20; Esth. 14,2; Iob 2,12; Lament. 2,10); item tondere caput, capillos capitis evellere, facere calvitium (vide s. v. CAPILLUS).

Usitata metaphora dicitur caput, capita de principibus, primoribus, praepositis; Num. 1,16 : capita exercitus Israel; Num. 7,2 capita familiarum etc.; cui usui cognatum est dicere : constituet te Dominus in caput et non in caudam; eris semper supra et non subter (Deut. 28,13); constitues me in caput gentium (2 Reg. 22,44; Ps. 17,44); sunt hostes eius in capite (Lament. 1,5). Eodem modo urbs prima dicitur caput : caput Syriae Damascus, caput Ephraim Samaria (Is. 7,8. 9 et caput Damasci Rasin etc.). Pariter id quod in aliqua re summum est caput vocatur; ita epistylium columnae, culmen montis (cf. Ex. 38,10; 3 Reg. 7,19 s.; 2 Par. 3,16; Cant. 4,8); vel quod est initium, primum (Gen. 2,10; Lament. 2,19; 4,1; Ez. 40,1 hebr. caput anni etc.).

Cum itaque caput sit primum ac praecipuum, intellegitur quod apostolus dicit : volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus, caput autem mulieris vir, caput vero Christi Deus (1 Cor. 11,3). Porro cum ab eo Ecclesia corpori comparetur (Rom. 12,5; 1 Cor. 6,15; 10,17; 12,13), eius corporis caput est Christus (Col. 1,18; Eph. 5,23), qui in omnes dominatur, omnes suo spiritu implet, omnes regit, omnibus continuo vigorem vitalem et gratiam largitur; ipse enim est caput ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei (Col. 2,19; cf. Eph. 4,15. 16). Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae; sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis (Eph. 5,23. 24); inde praecipit

apostolus ne vir oraus velet caput suum; mulier autem in signum suae subiectionis debet velamen habere supra caput (1 Cor. 11,10), vir vero non debet velare caput suum, quia imago et gloria Dei est (1 Cor. 11,7).

CARBASINUS. **1.** Vox carbasinus semel tantum in Scriptura occurrit in libro Esther, ubi in descriptione aulae regiae « tentoria aerii coloris et carbasini ac hyacinthini » commemorantur (1,6). Textus hebraicus non de colore, sed de panno carbasino (כַּרְפַּס) videtur loqui, ex quo tentoria confecta erant, licet etiam talmudici colorem, eumque viridem, designari censeant (cf. *O. Celsius*, Hierobot. II. 157-163). LXX καρπασίνοις vertit, Peshitta עמר כיבא, proprie, « lana spinae » i. e. *gossypinum* recte interpretatur. Vox enim hebraica eadem est atque indica *kārpāsa* (*Chr. Lassen*, Ind. Alterth. *ed.* 2 I. 296, quae gossypinum germ. *Baumwolle* s. *Kattun*, gall. *coton*, arab *qoṭn*) designat.

2. Plantae unde lana ista xylina habetur species, *Gossypium herbaceum* Linné dicta, in India orientali indigena est et inde iam antiquitus in regiones vicinas erat translata (*Theophr.* Hist. pl. IV. 7,7; *Plin.* XII. 10,38 s. al.). Atque etiamsi ipsa planta in Persiam tempore Esther nondum introducta fuisset, pannus carbasinus sine dubio a mercatoribus ex Indiae vicinis provinciis eo afferebatur. Licet igitur carbasus auctoribus posterioribus etiam sensu latiore telam quamcumque aliam praeter gossypinum designet, nulla tamen videtur adesse ratio relinquendae in textu citato significationis propriae.

De gossypino praeter auctores in art. BYSSUS citatos cf. *C. Ritter*, Ueber die geogr. Verbreitung der Baumwolle im Alterthum, Berl. Akad. d. Wissensch. 1851 p. 297-359; *H. Brandes*, Über die antiken Namen u. d. geogr. Verbreitung d. Baumwolle (1866); *Fil. Parlatore*, Le spezie dei cotoni, Firenze 1866; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3 II. 1 p. 833 s.; II. 2 p. 322-326; *W. Heyd*, Gesch. d. Levante-Handels im Mittel-Alter II. 572-5; *A. de Candolle*, Origine des plantes cultivées 323-30. — Cf. etiam LINUM.

L. FONCK.

CARBONES. Carbones ignis congerere super caput alicuius, locutio est proverbialis de pudore et confusione qua afficitur inimicus si ei beneficia contuleris (Prov. 25,21. 22 et Rom. 12,20). In praesagium fore ut Ierusalem incendio destruatur, cernit Ezechiel angelum effundentem prunas super urbem; similiter supplicium denuntiatur impiis: cadent super eos carbones Ps. 139,11. Ubi legimus: quaerunt exstinguere scintillam meam (filium meum), ut non supersit viro meo nomen (2 Reg. 14,7), habetur hebr. exstinguere carbonem meum, i. e. prolem qua mortua tota familia est exstincta.

CARBUNCULUS. **1.** Eo nomine appellatur in Vulgata gemma hebraice נֹפֶךְ et graece ἄνθραξ dicta, quae in rationali pontificio primum locum in secundo lapillorum ordine occupavit (Ex. 28,18; 39,11) et ab Ezechiele inter divitias regis Tyri enumeratur (28,13); atque a Siracida in comparationem rei gratissimae adducitur « gemmula carbunculi (σφραγὶς ἄνθρακος) in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini » (Eccli. 32,7; gr. 35,5). Praeterea ex Syria Tyrum allata esse ab eodem Ezechiele refertur (27,16 Vulg. *gemma;* LXX τοῦ συμμίκτου σου). Ultimo textu excepto, LXX interpretes, Vetus Latina, Vulgata, nec non Iosephus Flavius in descriptione rationalis (Ant. III. 7,5), in explicatione vocis hebraicae consentiunt; versio syriaca צדידא interpretatur, quod item carbunculum explicant, atque in idem fere recidit expositio Targum hierosolymitani, quod כדכדנא et כדכידין (pro quo כרכדנא legendum apparet) i. e. *carchedonium*, carbunculi speciem, reddit.

2. Carbunculus auctoribus antiquis notissimus et celeberrimus erat (*Theophr.* De lapid. 3,18 s.; *Plin.* XXXVII. 7,92 ss. etc.). Generatim gemmas ignis colorem et fulgorem habentes significat, praesertim *rubinos* et eas quas medio aevo *granatas* appellarunt. Etiam Plinius varias carbunculi species distinguit, v. gr. indicam, aethiopicam, garamanticam (ex Africa interiore), carchedoniam appellatam « propter opulentiam Carthaginis magnae », quae regioni illi

africanae dominabatur. Recentiores praesertim granati optimam speciem *Almandinus* vocatam, vel etiam alteram *pyropus* Werneri dictam, carbunculum veterum nominant; Almandinos praesertim verbis Plinii indicatos volunt, qui carbunculos optimos dicit « amethystizontas, hoc est quorum extremus igniculus in amethysti violam exeat » (l. c. 93). Rubinus vero ea quam plures afferunt ratione excludi nequit, quod veteres incisiones in hac gemma facere propter eius duritiem nimiam nescierint; nam nullo id argumento probatur, et sapphirus, qui pariter inter gemmas rationalis, nominibus tribuum israeliticarum insignatas, locum habet, eiusdem est duritiei.

Cf. *S. Epiphan.* De 12 gemmis n. 4; *Fr. Rueus,* De gemmis 2,14; *I. Braun*, Vest. Sac. Hebr. II. 11 n. 506 ss.; *I. I. Bellermann* Die Urim u. Thummim, Berlin 1824, 42-4; *K. E. Kluge*, Handb. d. Edelsteinkunde 272 s. 325-9; *Leunis-Senft*, Synopsis III. 1 p. 680-6; *Naumann-Zirkel*, Elem. d. Mineralogie *ed.* 13 *p.* 644-7. — *W. M. Müller* in Orientalist. Litztg. II. 1899, 39-41 putat נֹכֶךְ esse gemmam assyriace *lupakku* dictam (*Tell el-ʿAmarna*, *ed. Winckler* 208,14 ss.) eamque *viridis* fuisse coloris, quales in paeninsula sinaitica inveniantur; quod carbunculo unanimi versionum veterum testimonio comprobato minime convenit. — Alia v. in art. LAPIDES PRETIOSI.

L. FONCK.

CARCAA (קַרְקַע, cum articulo et He locali הַקַּרְקָעָה; LXX κατὰ δυσμὰς Κάδης), urbs tribus Iuda in termino meridionali terrae promissae (Ios. 15,3). Sita erat a Cadesbarne occidentem versus inter Addar et Asemona; vide dicta s. v. ADDAR et ASEMONA. Praetermittitur in descriptione terminorum terrae promissae Num. 34,4 et in variis enumerationibus urbium Iuda (Ios. 15,21-32; 19,2-8; Neh. 11,25 s.). S. Hieronymus Eusebium secutus (Onom. *ed. Lag.* 92,6 cf. 249,86) dicit : Accarca vicus in deserto situs in possessione tribus Iudae, pro quo Symmachus interpretatur pavimentum (τὸ ἔδαφος). Quae de situ Addar et Carcaa accuratius determinando *Clay Trumbull* (Kadesh Barnea, New York 1884) coniectat, incertis omnino argumentis nituntur; cf. Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. VIII. 1885 p. 207. 213.

CARCOR (הַקַּרְקֹר, Καρκάρ, Vulgata loco nominis habet : requiescebant), locus transiordanicus orientem versus a Iegbaa et Rabbath Ammon (Iud. 8,10), ceteroquin ignotus; cf. *F. de Hummelauer* ad. h. l.

CARDUUS bis in Vulgata occurrit pro hebr. חוֹחַ (4 Reg. 14,9; 2 Par. 25, 18). Cum eadem vox hebraica alibi a S. Hieronymo modo *lappa*, modo *paliurus,* modo *spina,* modo *tribulus* reddatur, de his aliisque herbis atque fruticibus spinosis in communi tractare praestat; v. SPINA.

L. FONCK.

CARECTUM, i. e. locus carice seu calamis ac iuncis plenus, in Vulgata duabus vocibus hebraicis respondet : Ex. 2,3 « in carecto ripae fluminis » in hebraeo est סוּף, quod S. Hieronymus alibi *iuncus* explicat (Is. 19,6); v. IUNCUS. — In altero textu Iob 8,11 « aut crescere potest carectum sine aqua », textus primigenius אָחוּ exhibet, quod alias (Gen. 41,18) *virectum,* redditur; v. VIRECTUM.

L. FONCK.

CAREE (קָרֵחַ, Καρήθ, Κάρης), pater Iohanan et Ionathan principum in militia iudaica, qui partes Godoliae, quem Nabuchodonosor reliquiis populi praefecerat, tuebantur (Ier. 40,8). Aliis locis solus Iohanan filius Caree nominatur (4 Reg. 25,23; Ier. 40,13 s.; 41,11 s.; 42,1. 8; 43,2. 4. 5). Apud LXX quoque Ionathan nullibi legitur. Quare omnino verisimile est Ionathan aliquo mendo ex litterarum similitudine cum Iohanan textui Ier. 40, 8 esse insertum.

CAREHIM legitur in Vulgata 1 Par. 12,6 pro Coritis seu posteris Core (hebr. et LXX).

CAREM (Ios. 15,59 LXX Καρέμ), una ex illis undecim urbibus montis Iuda, quae apud LXX leguntur, sed in textu massorethico et Vulgata desiderantur. Agnoscitur hodiernum *ʿAin Kārim* 6 km

a Ierusalem occasum versus. Ex antiqua traditione est illa urbis Iuda Luc. 1,39, patria S. Ioannis Baptistae et hodie quoque nomine Christianis usitato audit *S. Iohannes in deserto* vel *in monte*; aliam opinionem de urbe Iuda Luc. 1, 39 vide s. v. IOTA.

Cf. *Robinson*, Neuere Bibl. Forsch. p. 355; *Guérin*, Judée I. 83 ss.; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 19 s. 60 s.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897, III. p. 6; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 51 s.; *L. Heidet* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 260-268, qui rationibus pro illa antiqua traditione supra memorata expositis fatetur problema cum omnimoda certitudine resolvi non posse; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 331-341, qui censet Luc. 1,39 probabiliter ad *'Ain Karim* referri, sed quaestionem de Ios. 15,59 LXX in medio relinquit.

CARIA Καρία provincia Asiae minoris inter Lydiam et Lyciam sita 1 Mach. 15,23 recensetur inter illas regiones, quibus Romani anno 139 a. Chr. scripserunt, ne Iudaeis mala inferrentur. Illo tempore Caria, quae paulo ante Rhodiis subiecta erat, ex senatusconsulto libertate gaudebat *Liv.* 44,15); non multo post Romani eam provinciae Asiae adiunxerunt. Ex urbibus Cariae in eodem contextu 1 Mach. 15,23 nominantur Myndus, Alicarnassus, Gnidus, ex insulis vicinis Coo (Cos) et Rhodus.

CARIATH (קִרְיַת, Ἰαρίμ), urbs tribus Beniamin (Ios. 18,28). Enumeratur post Gabaath : *Vulg.* Gabaath et Cariath; hebr. גִּבְעַת קִרְיַת: LXX Γαβαώθ, Ἰαρίμ, sed B Γαβαωθιαρείμ, A Γαβαὰθ καὶ πόλις Ἰαρίμ. Cariath est ignota. Variae autem sunt opiniones de hoc loco. Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 270,25 et 109,11) dicunt Cariath fuisse vicum sub Gaba (Γαβαθά) metropoli. Aliqui interpretantur de una urbe, cui nomen Gibeath-Qiriath i. e. vel collis Qiriath vel etiam urbs clivosa. Huic interpretationi obstat, quod civitates in hac provincia enumeratae explicite dicuntur quattuordecim. Alii putant Cariath corruptum esse ex Cariathiarim (קִרְיַת יְעָרִים); facile enim excidere poterat יערים praesertim cum immediate sequatur עָרִים *urbes*; immo suggerit *Dillmann* ad Ios. 18,28 alteram nominis partem fortasse consulto deletam esse propter 18,14 et 15,60 : Cariathbaal haec est Cariathiarim. Obiicit quidem *Keil* (ad Ios. 18,28) Cariathiarim illis aliis locis appellari urbem tribus Iuda, non Beniamin; sed cum fuerit in confinibus Iuda et Beniamin, haec difficultas non nimium urgenda est. Praeterea status constructus קִרְיַת postulare videtur additum aliquod; secus exspectandum esset potius קִרְיָה. Unde *Dillmann* defendit corruptum esse ex Cariathiarim. Alii tamen contradicunt (v. g. *Riehm-Baethgen*, Handw. d. bibl. Altert., s. v. Kiriath). Minus feliciter exploratores anglici proponunt nostram Cariath esse *Qaryat el-'Enab* et Cariathiarim esse *Khirbet 'Erma* (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 18. 43. 132).

F. de Hummelauer (Comm. in Ios. p. 409), qui in textu hebraico censet fuisse Cariathiarim, obiectioni hanc urbem fuisse in tribu Iuda, non in tribu Beniamin, ita respondet : « Recole in Cariathiarim substitisse arcam a tempore Samuelis ad tempora Davidis, habuisse ibi, extra et prope ipsam urbem, suam requiem seu menucham (1 Par. 2,52. 54); quando inde arca recesserit, tres familias beniaminiticas hanc menucham suam fecisse (1 Par. 8,6 s.); cf. quae dicebamus in Comm. in Num. p. 196 s. 186 s.; Das vormosaische Priesterthum in Israel 1899 p. 99 ss. Exstruebatur ibi iam altera urbis Cariathiarim pars, non iudaea, sed beniaminitica. Erat iam Cariathiarim duarum tribuum urbs ». Insuper idem interpres coniicit summam urbium in elencho antiquissimo Ios. 18,28 non fuisse 14, sed 12 et nomen Cariathiarim in elencho primitus non infuisse.

CARIATHAIM (קִרְיָתַיִם) i. e. urbs gemina, Καριαθαίμ, Καριαθάμ, Καριαθέμ).

1. Urbs transiordanica, quae primitus populo Emim parebat, qui in planitie Cariathaim a Chodorlahomor devicti sunt (Gen. 14,5; *Vulg.* Save Cariathaim, hebr.

planities Car.; post Emim Moabitae, deinde Sehon rex Amorrhaeorum eam tenuerunt (cf. Deut. 2,9 et Num. 21,26). Postquam Israelitae regnum Sehon vi armisque occuparunt, Cariathaim a filiis Ruben reaedificata (Num. 32,37) et tribui Ruben assignata est (Ios. 13,19). Tempore exsilii babylonici a Moabitis recuperata inter praecipuas eorum urbes reputabatur (Ier. 48,1. 23; Ez. 25,9).

S. Hieronymus cum Eusebio (Onom. *ed. Lag.* 108,27 cf. 269,10) hanc urbem agnoscit in vico christianorum Coraitha (Καριάθα) 10 mil. pass. a Medaba contra occidentalem plagam sito et vicino loci Bare (ἐπὶ τὸν Βάρην). Vestigium loci Bare non exstat. Medaba duabus fere horis a Hesebon meridiem versus abest. Cariathaim hodie communiter censetur esse *Qāreyāt* infra *Wādi Zerqā Maʿīn* haud procul a *Djebel ʿAṭṭārūs;* sed adverte quoad Onomasticon, *Qarēyāt* a Medaba multo magis meridiem, quam occidentem versus abesse. — Vide etiam CARIATH CHUZOTH.

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 267; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I; *Legendre*, Carte de la Palestine; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 134; *Tristram*, Land of Moab 275 s.; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 101; *W. Max Müller*, Asien und Europa p. 166.

2. Urbs levitarum in Nephthali filiis Gerson tradita 1 Par. 6,76[61]. Loco parallelo Ios. 21,32 pro Cariathaim legitur Carthan (קַרְתָּן, Θεμμών). Situs ignotus est.

CARIATHARBE v. HEBRON.

CARIATHBAAL v. CARIATHIARIM.

CARIATH CHUZOTH (קִרְיַת חֻצוֹת) i. e. urbs platearum vel vicorum; LXX πόλεις ἐπαύλεων ac si legissent חֲצֵרוֹת; *Vulg.* urbs quae in extremis regni eius [Balac] finibus erat), urbs Moab (Num. 22,39), inter Arnonem fluvium et Bamothbaal, ut ex Num. 22,36. 41 colligitur; etenim Balac ab Arnone progressus et epulis sacrificalibus in Cariath Chuzoth absolutis postero mane cum Balaam ad excelsa Baal (Bamothbaal) se contulit. Fortasse eadem est quae Cariathaim (*Dillmann* ad Num. 22,39).

CARIATHIARIM (קִרְיַת יְעָרִים; LXX Καριαθιαρίμ plerumque, sed etiam πόλις Ιαρίμ, πόλις Ιαρίν et alia) seu **CARIATHBAAL** (קִרְיַת־בַּעַל, Καριὰθ Βαάλ), urbs cum Caphira et Beroth Gabaonitis parens (Ios. 9,17; vide BEROTH 1), tribui Iuda attributa (Ios. 15,60), in termino septemtrionali tribus Iuda sita (Ios. 15,9 ubi etiam Baala vocatur; v. BAALA 1) seu ubi terminus Beniamin occidentalis et meridionalis se tangunt (Ios. 18,14. 15); immo a multis Cariath, quae Ios. 18,28 urbs Beniamin appellatur, putatur eadem ac nostra Cariathiarim tribus Iuda; vide s. v. CARIATH. Post tergum i. e. ab occidente Cariathiarim erant Castra Dan, ubi scil. Danitae sexcenti in montem Ephraim et terram Lais profecturi castrametati sunt (Iud. 18,12). Postquam Philisthaei arcam Domini ab Accaron in agrum Iosue Bethsamitae comitati sunt, viri Cariathiarim eam de Bethsames ad se adduxerunt et intulerunt in domum Abinadab, quae in colle posita erat i. e. in loco civitatis sublimiore, qui arcae Dei religiosum actutum praeberet hospitium ibique mansit arca per viginti annos in custodia Eleazari filii Abinadab (1 Reg. 6,21; 7,1. 2), donec David eam Hierosolyma reduxit (1 Par. 13,5. 6; 2 Par. 1,4; cf. 2 Reg. 6,2 ubi in hebraico Baala Iuda legendum videtur i. e. Cariathiarim, ut *F. de Hummelauer* ad h. l. demonstrat). Ad eundem eventum allusio habetur Ps. 131[132], 6: invenimus eam in campis silvae (שְׂדֵי־יַעַר denominatio poetica pro Cariathiarim). Nota ex eo quod Eleazarus filius Abinadab 1 Reg. 7,1 sanctificatus esse dicatur ad arcam custodiendam, evinci non posse Eleazarum fuisse levitam vel urbem fuisse levitarum. Cur autem a Bethsamitis Cariathiarim electa est, quo arca deferretur? Fortasse quod erat secus viam qua a Bethsames tendebatur Siluntem quodque certum habebatur arcam tandem Siluntem esse reportandam; fortasse praeterea ob singularem urbis incolarum conditionem; erant enim hi origi-

nis non pure iudaicae (Ios. 9,17 s.) et conditionis paene servilis, qui invitationem devehendae ad se arcae declinare efficaciter vix potuissent. Viri Cariathiarim plagis non leguntur esse afflicti, sed probabilius benedictionem nacti sunt; narrat Flav. Ioseph. (Ant. VI. 2,1) toto illo tempore Israelitas undique confluxisse, ut coram arca in Cariathiarim sacrificia et vota offerrent. Cf. *F. de Hummelauer* ad 1 Reg. 6,21; 7,1. — In genealogiis Iuda nominatur Sobal pater (i. e. possessor) Cariathiarim; de cognatione Cariathiarim egressi sunt Iethrei, Aphuthei, Semathei, Maserei et ab his quatuor generationibus praeterea Saraitae et Esthaolitae (1 Par. 2,50. 52. 53). Babylone redierunt filii Cariathiarim, Cephira et Beroth 743 numero (Esdr. 2,25 ubi קִרְיַת עָרִים legitur; Neh. 7,29). De Cariathiarim oriundus erat Urias filius Semei propheta, qui iuxta omnia verba Ieremiae contra Ierusalem prophetavit et Ioakim rege Iuda morti traditus est (Ier. 26,20 ubi קִרְיַת הַיְּעָרִים legitur).

Apud Eusebium (Onom. *ed. Lag.* 234, 94 Cariathiarim describitur vicus a Ierusalem 10 mil. pass. distans versus Diospolim (Lyddam vel solum 9 mil. pass. (l. c. 271,40). Hodie *Qaryat el-'Enab* (i. e. urbs uvarum), vicus olivetis, ficetis, vinetis consitus); notat *Guérin* (Judée I. 67) hunc vicum a Ierusalem 2 ¾ horas distare; distantia igitur ab Eusebio indicata iusto maior est. Eidem vico inde ab anno 1820 nomen recentius *Abu Ghosh* inditum est a praedone famoso eius nominis, qui per multos annos ibi sedem fixerat. Nomen antiquum Cariathiarim a S. Hieronymo explicatur urbs silvarum (*Vulg.* Ios. 15,9. 60) seu villa silvarum (Comm. in Is. 29,1 apud *M.* 24,328; Onom. *ed. Lag.* 103,25), civitas saltuum (Onom. 109,27; cf. etiam 26,3; 35,4; 53,22). Aliud nomen Cariathbaal videtur esse primitivum et propter cultum Baal urbi inditum.

Alium vero situm Cariathiarim exploratores anglici assignandum esse censent scil. *Khirbet 'Erma* 6 km ab *'Ain Shems* (Bethsames) orientem versus iuxta viam ferream, quae hodie Hierosolymis Ioppen decurrit (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 43-52; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV).

Pro situ *Qaryat el-'Enab* cf. *Robinson*, Palaestina II. 588 ss. et Neuere bibl. Forsch. 265; *Ritter*, Erdkunde XVI. 708-110; *Raumer*, Palaestina *ed.* 4 p. 198; *T. Tobler*, Topogr. von Ierusalem II. 742 ss. 751; *Seetzen*, Reisen *ed. Kruse* II. 391 et IV. 391; *Guérin*, Judée I. 62-71; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 I. 90; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. X. 1887 p. 135 ss.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897 I. 151 ss.; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 384-387.

Praeterea vide *H. A. Poels*, Le Sanctuaire de Kirjath Yearim, Louvain et Gand 1894; eiusdem auctoris Examen critique de l'histoire du sanctuaire de l'arche, Louvain et Leyde 1897 et cf. de his libris animadversiones topographicas in Revue bibl. IV. 1895 p. 97 ss. VI. 1897 p. 630 ss.

CARIATHSENNA, CARIATHSEPHER v. DABIR 2.

CARICAE dicuntur ficus siccatae quas praesertim ex Caria mercatores Romam afferebant. Ex his *massam caricarum*, hebr. דְּבֵלָה et דְּבֵלִים, compingebant Iudaei, graeco nomine *palatham* (LXX παλάθη) dictam, scilicet « massa ficorum » et « pinguium caricarum », uti explicat S. Hieronymus, « quas in morem laterum figurantes, ut diu illaesae permaneant, calcant atque compingunt » (in Os. 1,3 s.; cf. in Ezech. 6,14; *M.* 25,824. 62). Quae in cibum Davidi aliisque servicbant (1 Reg. 25,18; 30,12; 1 Par. 12, 40, *Vulg.* palathas; Iudith 10,5 παλάθη, *Vulg.* palathas), et in remedium ulceri Ezechiae imposita sunt (4 Reg. 20,7, *Vulg.* massam ficorum; Is. 38,21, *Vulg.* massam de ficis).

Cf. *O. Celsius*, Hierobot. II. 377-380. V. FICUS, PALATHA.

L. FONCK.

CARIOTH (קְרִיּוֹת). **1.** Urbs in meridie (Negeb) Iuda iuxta terminos Edom (Ios. 15,25), si accentuationem massorethicam et Vulgatam sequimur. Sed probabilius cum LXX (αἱ πόλεις Ἀσερών) et Peshitta (Qariath Chesron) vox Carioth cum sequentibus *Hesron haec est Asor* in unum iungi debet: Carioth Hesron, alio nomine Asor. Porro interpretari poteris Carioth nomen appellativum : urbes

Hesron vel forte melius nomen proprium compositum : Carioth Hesron, uti iam *Relandus* (Palaestina p. 700 et 708). In altera hac explicatione respondebit hodiernum *Khirbet el-Qureitein* 21 km a Hebron austrum versus. De hac urbe Carioth Iudas Iscariotes (vir de Carioth) oriundus esse creditur.

Cf. *Reland*, Palaestina p. 700. 708; *Van de Velde*, Memoir 1858 p. 328; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *Guérin*, Judée III. 180; *Legendre*, Carte de la Palestine; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XVI. 1893 p. 64; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 250. 251.

2. Urbs Moab, in quam iudicium divinum declaratur Ier. 48,24 (LXX Καριώθ), 48,41 (Καριώθ, A Ἀκκαριώθ secundum hebraicum הַקְּרִיּוֹת cum articulo), Am. 2,2 (τῶν πόλεων αὐτῆς, de qua lectione S. Hieronymus : Quod nomen est civitatis, licet Septuaginta *urbium eius* interpretati sint); nomini hebraico articulus praefigitur Ier. 48,41 et Am. 2,2. Certe distinguenda est haec urbs Moab a Cariathaim Ier. 48,23 neque minus clare in inscriptione Mesa distinguuntur Qiriathaim (lin. 10) et Qiriath (lin. 13). Reliqua coniecturis patent.

CARITH TORRENS (נַחַל כְּרִית, χειμάρρους Χορράθ), apud quem Elias propheta ab initio triennii siccitatis per aliquod tempus delitescebat et a corvis pascebatur (3 Reg. 17,3. 5). Ex verbis Domini : « Recede hinc (i. e. ex ea parte Samariae, ubi Elias Achab regi siccitatem praedixerat vel ubi brevi post morabatur) et vade contra orientem (קֵדְמָה) et abscondere in torrente Carith, qui est contra (עַל־פְּנֵי) Iordanem », cum certitudine evincitur torrentem Carith influere in Iordanem et quidem ad orientem Samariae. Utrum a parte dextera an a sinistra in Iordanem influat, ex textu sacro erui nequit et multum controvertitur.

Pro ripa dextera militat imprimis traditio medii aevi. *Burchardus de monte Sion* de Sichem contra austrum ad Iordanem descendens indicat « duabus leucis a Iordane in campestribus Phesech (Phasael) casale, ubi torrens Carith descendit de monte ». De urbe Phasaelide seu Phasaelo ab Herode condita et nomine fratris sui appellata vide *Relandum*, Palaestina p. 953; ab ea nomen habet *Wādi Fasāil*, qui paulo infra *Qarn Ṣarṭabe* et 16 km supra Iericho in Iordanem influit; hunc esse torrentem Carith censuit *van de Velde* cum *Marino Sanuto*. Alii autem praeferunt *Wādi el-Qelt* prope Iericho (*Robinson, Mislin, Guérin, Legendre*); praeter similitudinem nominis (Qelt = כְּרִית?) *Guérin* pro argumento adducit Flav. Iosephum, qui (Ant. VIII. 13,2) asserit Eliam meridiem versus (εἰς τὰ πρὸς νότον μέρη) aufugisse et παρὰ χειμάρρῳ τινί se abscondisse; testimonium igitur Iosephi et sacer textus se mutuo videntur ita complere, ut Elias prius orientem, deinde meridiem versus progressus sit. Recentius demum *Zanecchia* torrentem Carith a *Wādi Fasāil* aquilonem versus quaerit in *Wādi Fāra* et ipsum vestigium nominis Corra, quo torrens Carith saeculo quarto designabatur, agnoscit in *Kerawan*, quae ruinae cernuntur in *Wādi Fāra* aquilonem versus a *Qarn Ṣarṭabe*; provocat *Zanecchia* ad testimonium S. Silviae (sed v. infra).

Trans Iordanem seu in sinistram fluminis partem torrentem Carith reiiciunt Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 302,69; 113,28) adducti, ut videtur, verbis : contra (עַל־פְּנֵי) Iordanem; haec tamen verba non necessario significant : ab oriente Iordanis, ut ex Gen. 16,12; 18,16 etc. patet. Saeculo septimo Ioannes Moschus torrentem Chorath, ad quem missus est Elias tempore siccitatis, ex adverso (seu ad orientem) Iordanis esse dicit, ad laevam iuxta speluncam S. Ioannis Baptistae, quae Sapsas appellabatur nec procul a ripa orientali Iordanis aberat. Inter torrentes autem ab oriente in Iordanem influentes alii proponunt *Wādi Kefrein* e regione Beth Hagla, alii *Wādi Shaib* (*Wādi Nimrīm*) e regione montis Quarantania, alii *Wādi ʿAdjlūn* e regione Samariae urbis, alii magis aquilonem versus *Wādi el-Ḥimār* (*Buhl*), alii denique *Wādi Yābes* (*Schwarz, Heidet*).

Ex testimonio S. Silviae Aquit. (sac-

culo i. e. ad quod etiam *Heidet* provocat, concludendum videtur, torrentem et vallem *Corra* seu Carith esse *Wādi Yābes;* de ordine itineris, quem S. Silvia per vallem Iordanis aquilonem versus ad civitatem Carneas secuta est, cf. Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XIII. 1890 p. 208.

Pro situ ad occidentem Iordanis cf. *Burchardus de monte Sion.* Descriptio Terrae S. cap. 7 apud *Laurent.* Peregr. medii aevi quatuor *ed.* 2, p. 57; *Van de Velde,* Memoir 1858 p. 339; *Robinson.* Palaestina II. p. 534; *Mislin,* Les Saints Lieux III. 131; *Guérin,* Samarie I. 28-32; *Legendre,* Carte de la Palestine; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 11-13; 514 s. — Pro situ ad orientem Iordanis cf. *S. Silvia Aquit.* Peregrinatio ad loca sancta apud *P. Geyer,* Itin. hier. p. 53. 59; *Ioannes Moschus,* Pratum spirituale cp. 1 apud *Migne* 87,2852-2853; *Buhl,* Alt. Pal. 1896 p. 121; *I. Schwarz,* Das hl. Land p. 29 et v. eius tabulam Palaestinae; *Heidet* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible II. 285-288.

CARMEL, CARMELUS (כַּרְמֶל, הַכַּרְמֶל: Χερμέλ, ὁ Κάρμηλος), oppidum et mons in montanis tribus Iuda (Ios. 15, 55), ubi Nabal maritus Abigail greges suos habebat (1 Reg. 25,2. 5. 7. 40). Sine dubio hic est Carmelus, in quo Saul devictis Amalecitis sibi erexit fornicem triumphalem i. e. cippum seu lapidem instar manus erectum tamquam monumentum victoriae (1 Reg. 15,12). Idem est Carmelus, in quo Ozias rex Iuda vineas et vinitores habebat (2 Par. 26, 10). Duo viri Carmelites recensentur: Nabal (1 Reg. 30,5; 2 Reg. 2,2; 3,3) et Hesrai seu Hesro vir fortissimus in exercitu Davidis (2 Reg. 23,35; 1 Par. 11,37); Carmelitis cognominatur Abigail uxor Nabal et postea Davidis (1 Reg. 27,3; 1 Par. 3,1). Onom. (*ed. Lag.* 110,31 cf. 272,76): « Carmelus, ubi Nabal quondam carmelius fuit; et nunc villa est Carmela nomine in decimo lapide oppidi Chebron vergens ad orientalem plagam, ubi et Romanum praesidium est positum »; alibi s. v. Χαρμέλ (l. c. 302,51) Eusebius vicum Charmel in Daroma prope Hebron meridiem versus ponit idque rectius, quoniam hodiernus vicus *el-Kurmul* a Hebron magis meridiem quam orientem versus abest. S. Hieronymus in Am. 1,2: Sunt duo montes, qui vocantur hoc nomine: alter in quo fuit Nabal Carmelius, maritus Abigail, ad australem plagam. De praesidio illo romano refert Notitia Dignitatum I. p. 79 (*ed. Böcking*): Equites Scutarii Illyriciani Chermulae.

Cf. *Guérin,* Judée III. 166-170; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 312; *Riess,* Bibel-Atlas *ed.* 3: *Kermel* 13 km a Hebron; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 248.

CARMELUS mons (כַּרְמֶל i. e. hortus, plerumque cum articulo et etiam plenius הַר הַכַּרְמֶל, mons Carmeli; ὁ Κάρμηλος, τὸ ὄρος τὸ Καρμήλιον), in finibus australibus tribus Aser ad mare Mediterraneum situs (Ios. 19,26) et tribum Zabulon ab occidente attingens (Ios. 12,22; 19,11). In Carmelo Elias propheta ignem de caelo ad consummationem holocausti precibus impetravit et pseudoprophetas Baal comprehendi iussit, qui ad torrentem Cison interfecti sunt (3 Reg. 18,19. 20 s.). Idem in vertice Carmeli pluviam a Deo impetravit post triennium siccitatis (3 Reg. 18,42-45); nubeculam, quam ea occasione de mari ascendentem conspexit, Sancti Patres interpretantur symbolum B. V. Mariae, unde in Breviario Romano (16 Iul.) legimus in eo montis Carmeli loco, ubi Elias olim ascendentem nebulam Virginis typo insignem conspexerat, eidem purissimae Virgini sacellum esse constructum. Elia mortuo Eliseus quoque in Carmelo morabatur (4 Reg. 2,25); ibidem mulier Sunamitis ipsum adiit, ut filium suum a mortuis resuscitaret (4 Reg. 4,25); ex eo quod huic mulieri vir obiiciebat: Quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt calendae neque sabbatum (4,23), concludere licet solitum esse populum diebus sabbati et novilunii adire prophetas, ut ab iis erudiretur; illo igitur tempore ad Carmelum populus frequenter confluxisse censendus est. Saltus Carmeli 4 Reg. 19,23 non de monte Carmelo explicandus est, ut Vulgata supponit, sed intellegitur silva celeberrima cedrorum in summo Libano sita prope vicum *Bsherre* inter *Ba'albek* et Tripolim. Gentes in Carmelo recensentur Iudith 1,8 inter illas, quae lega-

tos Nabuchodonosor absque honore remiserunt. Salomon caput sponsae comparat Carmelo (Cant. 7,5). Ab Isaia (10, 18) describitur Assur coram populis adstans sicut Carmelus, qui maiestate quadam longe lateque dominatur et amoenissima sua magnificentia regionem exornat; vastatio autem, quam Sennacherib illi regioni intulit, ex eo cognoscitur, quod Carmelus concussus omnem arborum ornatum abiecit (Is. 33,9). Messiam venturum annuntiat Isaias 35, 2 : Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron. A Ieremia (46,18) depingitur Nabuchodonosor Aegypto bellum illaturus : quoniam sicut Thabor in montibus et sicut Carmelus in mari veniet; idem propheta Iudaeos fideles in captivitate consolatur : Et reducam Israel ad habitaculum suum et pascetur Carmelum et Basan (50,19). Praeterea cf. Is. 16,10; 37,24; Ier. 2,7; 4,26; 48, 33; sed nota vocem saepius appellative intellegendam esse de regione culta et maxime amoena, quamvis Vulgata nomen proprium Carmeli posuerit. — Apud prophetas minores descriptio Carmeli vaticiniis proponendis apte inservit. Exsiccatio verticis Carmeli est index tremendi iudicii divini (Am. 1,2). Eius vertex silvis obsitus et cavernis specubusque insignis est aptissimus ad refugium et absconsionem locus (Am. 9,3). Ex pascuis Carmeli montis amoenissimi designantur pascua uberrima, in quibus coetus theocraticus sanctitate illustris erit constitutus (Mich. 7,14). Denique languor Basan et Carmeli et floris Libani Nah. 1,4 a nonnullis interpretibus historice accipitur, de tempore scil. quo Israelitae deletis vel eiectis priscis incolis regiones illas occuparunt; verum *Knabenbauer* in h. l. sententiam aliorum praefert, qui ea exempla proverbiali specie usurpari dicunt pro rebus uberrimis et speciosissimis, quas Deus uno ictu prosternere et fere in nihilum redigere valeat. — His locis S. Scripturae addamus oportet 4 Reg. 1,9; probabilissime enim Carmelus est mons ille, in cuius vertice Elias sedens duos quinquagenarios principes cum quinquagenis militibus ad se missos igni caelesti devorandos tradidit (הַכַּרְמֶל, ἐπὶ τῆς κορυφῆς τοῦ ὄρους ut LXX et *Flav. Ios.* Ant. IX. 2,1 interpretantur).

In commentariis S. Hieronymi in Ier. 4,26 et Am. 1,2) describitur Carmelus iuxta Ptolemaidem (Accho) situs, mari imminens magno, oleis consitus et arbustis vineisque condensus; et in Isai. 16,10 notat S. Doctor : Idioma Scripturarum est, quod semper Carmelum montem opimum atque nemorosum, qui Ptolemaidi imminet et in quo oravit Elias, fertilitati et abundantiae comparet. Apud Flavium Iosephum Carmelus designatur olim quidem Galilaeorum, nunc autem Tyriorum mons (Bell. iud. III. 3, 1), a Ptolemaide 120 stadiis distans (l. c. II. 10,2); cf. etiam Ant. V. 1,22; VIII. 13,5. In Carmelo oraculum paganorum fuisse, quod Vespasianus nondum imperator de sortibus suis consuluerit, referunt Tacitus (Hist. 2,78) et Suetonius (Vesp. 5). Plinius (V. 19,75) commemorat promontorium Carmelum et in monte oppidum eodem nomine, quondam Acbatana dictum. Nomen hodiernum est *Djebel Mār Elyās;* nonnisi raro *Kurmul* appellatur.

Cf. *Quaresmius*, Terrae Sanctae Elucidatio lib. 7, Peregr. VIII. c. 3, *ed. C. de Tarvisio* 1881 II. 671 ss.; *Reland*, Palaestina p. 327-330; *Mislin*, Les Saints Lieux II. 37-68; *Guérin*, Samarie II. 260-273; *Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 270 s.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897 III. 204 ss.; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 682-692.

CARNAIM seu **CARNION** urbs transiordanica, quae fortasse distinguenda est ab Astaroth regis Og et ab Astarothcarnaim; vide s. v. ASTAROTH.

CARO. Omne quod movetur et vivit erit vobis in cibum; quasi olera virentia tradidi vobis omnia; excepto quod carnem cum sanguine non comedetis (Gen. 9,3. 4). Ita post diluvium caro animalium in universum homini datur in cibum. Lege autem mosaica statuitur, ut solum mundorum animalium caro comedatur; pariter interdicebatur caro animalis mundi quod a feris fuerit discerptum (cf. Ex. 22,31; Lev. 11,2 s.; 22,8; Deut. 14,7 s.; vide s. v. CIBI VETITI). In

deserto commorantes in memoriam sibi revocabant ollas carnium ad quas sederint in Aegypto (Ex. 16,4) et dicebant : quis dabit nobis ad vescendum carnes Num. 11,4? Providebantur iis pro Dei benignitate coturnices; praeterea habebant greges; quodsi occiderint bovem aut ovem sive capram, debebant offerre ad ostium tabernaculi oblationem Domino (Lev. 17,4), ut scil. periculum idololatriae amoveretur. Cum in eo essent ut terram palaestinensem ingrederentur, istud mandatum abolitum est; mansit autem prohibitio esus sanguinis (Deut. 12,15. 16). Cum in hostiis pacificis celebrarentur epulae sacrificales, esus carnium victimarum evadebat sacer et homines quasi Dei convivae adhibiti in istis epulis coram Domino pignus favoris divini accipiebant. Quae cum esset significatio epularum sacrificalium, ab idolothytis utique abstinendum erat, quorum esus etiam in concilio apostolorum prohibebatur (Act. 15,29), uti apostolus quoque severe vetuit ne quis epulis sacrificalibus gentilium accumberet (1 Cor. 10,20). Aliqui e christianis quos apostolus vocat infirmos in fide, ab omni esu carnium abstinebant et solum olus manducabant, timentes ne carnem comederent vel diis oblatam vel levitice immundam. Horum consuetudinem apostolus non approbat, sed tamen permittit quia illi putant sibi ita agendum esse; ut cum mansuetudine ab aliis tolerentur monet (Rom. 14,1 s.).

Ceterum vox caro varia notione in s. litteris reperitur. Omnis caro, universa caro dicitur vel de omni vivente vel de genere humano (cf. Gen. 6,12-19; 7,21; 8,17; Rom. 3,20; Gal. 2,16). Dein speciatim adhibetur de homine quatenus afficitur variis commotionibus quae in eius corpore sentiuntur; ita caro dicitur exsultare, reflorescere, timore configi, nullam habere requiem (cf. Ps. 27,7; 83, 3; 118,120; 2 Cor. 7,5). Vel usurpatur ad humanam naturam designandam; sic dicitur Rom. 1,3; 9,5 : ex quibus est Christus secundum carnem. Cui usui prope adiacet, ut dicatur de homine quatenus est infirmus, debilis : in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi caro Ps. 55,5; cf. Eccli. 28,5; Ier. 17,5 : maledictus qui ponit carnem brachium suum (quo sensu etiam Is. 31,3 : equi eorum (Aegyptiorum) caro et non spiritus ; vel de iis, quae homo, sibi relictus suis viribus sine speciali Dei ope vel gratia perficere aut non perficere potest. Eo sensu dicitur Ismael secundum carnem natus i. e. solo communi ordine naturae in oppositione ad Isaac qui est secundum promissionem natus (Gal. 4, 29); sic homo nascitur ex voluntate carnis (Ioan. 1,13); caro et sanguis non poterat Petro revelare qui esset Christus (Matth. 16,17); eo modo : non qui filii carnis, hi filii Dei (Rom. 9,8). Unde sapere secundum carnem, cogitare secundum carnem vel est solam humanam prudentiam sequi et ea ob oculos habere quae homines spiritu Dei destituti considerare solent vel denotat humanam naturam peccato depravatam, debilitatam, malis concupiscentiis obnoxiam, pronam ad flagitia. Malae enim concupiscentiae sedem in carne quasi habere censentur et quam maxime in carne manifestari. Unde : non permanebit spiritus meus in homine quia caro est (Gen. 6,3) et recordatus est quia caro sunt, ideo non accendit omnem iram suam (Ps. 77,38. 39) et : cogitavi a vino abstrahere carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam (Eccl. 2,3); spiritus quidem promptus est, caro autem infirma (Matth. 26,41; Marc. 14, 38). Qua notione caro frequenter apud S. Paulum legitur, qui statum illum naturae lapsae, nondum per gratiam reparatae, simpliciter per carnem quandoque designat : cum essemus in carne, passiones peccatorum operabantur in membris nostris (Rom. 7,6); quare eiusmodi homo dicitur carnalis, carneus, ambulare secundum carnem, desideria carnis perficere, secundum carnem esse, quae carnis sunt sapere, in carne esse (Rom. 7,14; 8,5 s.; Gal. 5,16). Idcirco lex infirmabatur per carnem (Rom. 8,3) i. e. malis concupiscentiis in hominem dominantibus factum est ut norma virtutum lege proposita non impleretur; ita caro concupiscit adversus spiritum et opera carnis sunt fornicatio, veneficia, inimicitiae, homicidia, ebrietates etc. (Gal. 5, 17-21) et olim nos omnes conversati

eramus in desideriis carnis nostrae, facientes voluntatem carnis (Eph. 2,3). Sed qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis (Gal. 5,24).

Cum ritus, caerimoniae sacrificia veteris legis non veram efficerent purgationem a peccatis, sed per se solum externam quandam legalem, leviticam munditiem et expiationem conferrent, apostolus merito dicit eas esse iustitias carnis, ad emundationem carnis (Hebr. 9,10. 13) et qui eiusmodi elementis infirmis et egenis aliquid boni spiritualis impetrare velint, eos carne velle consummari et perfici affirmat (Gal. 3,3). — Ceterum multiplici modo apostolus voce carnis utitur : in carne ambulantes non secundum carnem militamus (2 Cor. 10, 3); gloriari secundum carnem est gloriari de iis quae apud homines magni aestimantur (2 Cor. 11,18. 22 s.). Morbos, afflictiones varias, persecutiones vocat infirmitatem carnis, stimulum carni infixum (Gal. 4,13; 2 Cor. 12,7); opera sua et labores ad evangelium praedicandum et promulgandum nominat adimplere in carne sua ea quae desunt passionum Christi; quare desiderat vivere in carne, permanere in carne ad utilitatem aliorum (Col. 1,24; Phil. 1,22. 24). Uti Iudaeos vocat cognatos suos secundum carnem, ita etiam simpliciter eos dicit carnem suam (Rom. 9,3; 11, 14 : si quomodo ad aemulationem provocem carnem meam). Eodem modo caro frequenter dicitur de cognatis, de hominibus eiusdem stirpis : os meum es et caro mea, dicit Laban ad Iacob filium sororis suae (Gen. 29,14); caro nostra est, dicunt fratres de Ioseph fratre (Gen. 37,27); ecce nos, os tuum et caro tua sumus, dicunt tribus Israel ad David (2 Reg. 5,1) et David maioribus natu Iuda nuntiari iubet : os meum et caro mea vos (2 Reg. 19,12), et si admonitio fit : carnem tuam ne despexeris (Is. 58, 7), homo stimulatur ad misericordiam exhibendam alteri propter eandem naturam humanam. Si vero Paulus dicit : caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, ex contexta oratione manifestum est intellegi corpus hoc nostrum corruptibile quod nunc gerimus non assumi qua tale in gloriam caelestem, verum iri immutatum in corpus immortale, spirituale (1 Cor. 15,50 s.).

Demum notari oportet dictionem : carnem alicuius comedere i. e. alicui calumniam inferre, eum odio infestissimo persequi; Iob 19,22 : quare persequimini me et carnibus meis saturamini? Ps. 26,2 : appropiant nocentes, ut edant carnes meas; Ier. 19,9 autem fit comminatio famis et supplicii extremi. Alio prorsus sensu Christus carnem suam manducandam promittit (Ioan. 6,54 ss.).

I. KNABENBAUER.

CARPUS (Κάρπος), christianus Troade degens, apud quem S. Paulus penulam, libros et membranas reliquit, quae Timotheum rogat, ut sibi afferat (2 Tim. 4,13). Quandonam S. Paulus illas res Troade reliquit? Probabilius in illo itinere, quod ex priore captivitate romana liberatus in Orientem suscepit (cf. *Cornely*, Introd. III. n. 107). Epistula enim 2 Tim. iure creditur Romae ex altera captivitate scripta esse (*Cornely* n. 193). Unde facile intellegitur in ea mentionem fieri rerum, quas brevi antea Troade reliquerat. Nullo modo autem verba referri possunt ad tempus tertiae expeditionis apostolicae (55-59 p. Chr.), in qua S. Paulus bis Troade commoratus erat (2 Cor. 2,12; Act. 20,5. 6). — Carpus postea episcopus Beryti seu Berrhoeae in Thracia fuisse fertur (De 70 Domini discipulis 62 apud *Migne* 92, 1065).

CARRUCA, i. e. proprie vehiculi genus, semel occurrit in Vulgata Is. 66, 20 pro hebr. כַּרְכָּרוֹת, quod camelos cursorias significat; v. CAMELUS.

CARTHA (קַרְתָּה, ἡ Κάδης), urbs tribus Zabulon levitis assignata (Ios. 21, 34). Aliqui putant eandem esse, quae Ios. 19,15 Cathed et Iud. 1,30 Cetron appellatur.

CARTHAGINENSES (תַּרְשִׁישׁ, Καρχηδόνιοι) Ez. 27,12 dicuntur negotiatores Tyri, qui a multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno plumboque repleverunt nundinas Tyri. Vocem Tharshish S. Hieronymus versionem LXX se-

cutus hoc loco de Carthagine interpretatur; aliis locis e. g. Ion. 1,3; Is. 2,16; 23,1 vocem Tharsis retinet. Communis recentiorum opinio eaque satis certa est ea voce designari Tartessum in Hispania baetica; vide s. v. THARSIS et cf. *Knobenbauer* in Ion. 1,3. Unde sensus Ez. 27,12 est: Tartessii erant negotiatores Tyri propter multitudinem bonorum ac praesertim propter metallorum in Hispania abundantiam; hisce Tartessii emebant merces Tyriorum i. e. ea metalla ad nundinas et fora Tyriorum afferebant.

CARTHAN urbs (Ios. 21,32) vide CARIATHAIM 2.

CASAIA v. CUSI.

CASALOTH הַכְּסָלוֹת cum articulo, Χασαλώθ), urbs tribus Issachar (Ios. 19, 18), probabilius eadem ac Ceseleththabor (Ios. 19,12 in confinibus Issachar et Zabulon; v. CESELETHTHABOR.

CASBON vide CASPHOR.

CASED כֶּשֶׂד. Χαζάδ, filius quartus Nachor et Melchae (Gen. 22,22). *Gesenius* Lexicon s. v.) notat: qui nescio an commemoratus sit h. l., ut ab eo Chaldaeorum (כַּשְׂדִּים) origo duceretur. Probabilius tamen Chaldaeorum parens est Arphaxad (vide ARPHAXAD 1). Unde Cased rectius ab aliis (*Keil*, *Delitzsch* ad h. l.) putatur esse parens rami cuiusdam Chaldaeorum cum genere Cased permixti.

CASEUS. 1. In Vulgata caseus commemoratur inter dona, quae Isai per filium suum David tribuno mittit (1 Reg. 17,18), item inter cibos quos Iudith secum in castra affert (Iudith 10,5); Iob praeterea de formatione sui corporis loquens sicut caseum se coagulatum a Deo esse dicit (Iob 10,10). In textu graeco libri Iudith omittitur casei mentio (exceptis codd. 19. 58. 108 holmesianis). Massorethae vero donum Isai dicunt חֲרִיצֵי הַחָלָב i. e. proprie *segmenta lactis*, quae LXX τρυφαλίδας τοῦ γάλακτος appellant, scil. τμήματα τοῦ ἁπαλοῦ τυροῦ, uti Hesychius τρυφαλίδας exponit. S. Hieronymus eadem *formellas casei* vocat a vase seu formella, in qua coagulum siccatur. — In libro Iob aliud nomen hebraicum occurrit גְּבִינָה (ita *Baer*; sed *Ginsburg* גִּבְנָה), quod in versionibus antiquis tum graeca (ἴσα τυρῷ), tum syriaca (גבתא), tum chaldaica (גיבנין) pariter atque in latina *caseus* exponitur; qui sensus etiam ex arabico *djubn*, *caseus* confirmatur. — Praeterea inter dona Davidi trans Iordanem in Mahanaim oblata cum melle, butyro, ovibus in textu hebraico etiam שְׂפוֹת בָּקָר enumerantur (2 Reg. 17,29), quod S. Hieronymus *pingues vitulos* vertit, similiter ac Theodotion γαλαθηνὰ μοσχάρια *lactantes vitulos*. LXX nomen ignotum שְׂפוֹת retinent, dicendo σαφφὼθ βοῶν B A etc.), cuius loco editio complutensis cum pluribus codicibus minusculis versionem Theodotionis assumit (cf. *Holmes-Parsons* et *Field* in h. l.). Rectius fortasse Syrus (גובנא דתורא) et Chaldaeus (גובנין דחלב תורין) *caseos* e lacte bubulo confectos intellegunt, quod pluribus recentioribus placuit. Alii potius *florem lactis* (*Sahne*, *crème*) designatum volunt (*Wetzstein* in Zeitschr. für alttest. Wiss. III. 1883, 276 s.), aut cum versione arabica *lac coagulatum* (arab. *leben*) praeferunt, aut textum corruptum suspiciunt.

2. Caseus potissimum e lacte bubulo, ovillo, caprino conficitur. Simplici orientalium more ad caseum parandum coagulum lactis sale conditur et radiis solis expositum siccatur; quamquam penes Graecos et Romanos caseus, inde ab antiquissimis temporibus notissimus (*Homer*. Od. 4,88; 9,219; Il. 11,639 etc.), variis generibus confectus in usu erat (cf. *Plin.* XI. 42,240-2; XXVIII. 9,131 s.). Licet autem lac ovillum maiorem habeat copiam materiae caseis aptae (5 %), quam bubulum (3,2 %) et caprinum (item 3,2 %), atque ideo assertio *Aristotelis* quoad hoc non omnino accurata videatur (Anim. hist. 3,20), attamen lac bubulum antiquitus cum eodem Stagyrita et Plinio « caseo fertilius quam caprinum, ex eadem mensura paene altero tanto » praedicabatur (*Aristot.* l. c.; *Plin.* XI. 41,238) ac fortasse etiam apud

Iudaeos magis caseis conficiendis inserviebat (cf. 2 Reg. 17,29). Idem vero mos utendi caseis in cibum praesertim viatorium etiam nunc in Oriente viget, ubi in nundinis Arabum ubique etiam casei prostant (cf. *Thomson*); atque Hierosolymis antiquitus sat multos incolas in conficiendis caseis occupatos fuisse, ex valle *Tyropoeon* (τυροποιῶν φάραγξ) concludere licet, quam Iosephus in descriptione urbis commemorat (Bell. V. 4,1, *ed. Niese* 136. 140); de qua v. IERUSALEM.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. 32,6, *ed. Rosenm.* III. 322-5; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2,69; *W. M. Thomson*, The Land and the Book II. (Centr. Pal.) p. 143. 404. 526; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 85.

L. FONCK.

CASIA (male cassia). **1.** Casia explicat hebr. קִדָּה, quod ad unctionis oleum sanctum sumendum praecipitur (Ex. 30,24), et קְצִיעוֹת, quo vestimenta regia fragrare dicuntur (Ps. 44 [45], 9). In prophetia Ezechielis (27,19), ubi merces a gentibus arabicis Tyrum allatae commemorantur, eandem vocem קִדָּה S. Hieronymus *stacten* vertit. Una quoque ex filiabus Iob nomine קְצִיעָה, *Casia* appellata est (42, 14). LXX in Exodo ἴρεως interpretantur eosque secutus est Flav. Iosephus (Ant. III. 8,3); in psalmo autem et in libro Iob κασία, in Ezechiele pro duobus קִדָּה וְקִנָּה τροχίας exhibent. Ex reliquis versionibus antiquis Peshitta ubique קסיא (= κασία) reddit (sed in l. Iob l. c. קצינא), similiter Onkelos in Exodo קציעת, sicut Targum in psalmo. Textus et versio samaritana in Exodo signa massorethica קדה retinent. Aquila in psalmo κασία vertit, itemque in Exodo Ἄλλος in Hexaplis κασσίας (ap. *Field*). Omissis versionibus posterioribus, ex quibus graecus venetus in Exodo, Saadias et Arabs Erpenii in Ezechiele *costum* transtulerunt (i. e. radix arboris *Aucklandia costus* Falconer), auctores communiter admittunt, tum קִדָּה tum קְצִיעוֹת *casiam* significare.

2. Eo nomine hodie designatur cortex aromaticus arboris indicae ex ordine *Lauraceearum*, quam recentiores *Cinnamomum Cassia* (Nees) Blume (= *Laurus cassia* Linné = *Cinnamomum ceylanicum var. cassia* Nees ab Esenbeck) appellarunt; praeterea etiam a *Cinnamomo Burmanni* Blume dicitur haberi. Ceylanica vocatur arbor ab insula patria Ceylon, antiquis *Taprobane* dicta; ibidem et in Cochinchina ac Iava atque alibi impense colitur.

Cf. praesertim *Chr. G.* et *Th. Fr. L. Nees ab Esenbeck*, De cinnamomo, Bonnae 1823. Praeterea v. *I. G. Dexbach*, De cassia cinnamomea et Malabathro, Marpurgi 1700; *I. Frd. Cartheuser*, De cassia aromatica, Francofurti 1745; *G. W. Fr. Riehl*, De Cassiae speciebus officinalibus, Halae 1801; *C. Ritter*, Erdkunde V. 823 s. VI. 123 ss.; *St. Endlicher*, Enchiridion botanicum 200-2; *O. Berg*, Pharmaceut. Waarenkunde *ed.* 3,180 s.; *Leunis-Frank*, Synopsis II. 2 *ed.* 3 p. 490; *F. A. Flückiger*, Pharmakognosie des Pflanzenreiches *ed.* 3, 592-610; *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfamilien III. 2,113 s., al.

3. Cortex istius arboris, etiam *casia lignea* dictus, licet cinnamomo odore ac nobilitate inferior, una cum ipso tamen apud antiquos et recentiores celebrem inter aromata locum habet (*Herodot.* 3, 107. 110; *Theophr.* Hist. pl. IV. 4,41; IX. 4,2; 5,1; 7,2 s.; *id.* Fragm. 4 de odorib. 30. 32. 34 s.; *id.* Fragm. 148; *Columella* 10,301; *Dioscur.* Mat. med. 1,12; *Plin.* XII. 18,82-98; *Athen.* 5,198; 14,651, al.). Plerique arborem etiam in Arabia, unde mercatores corticem afferebant, crescere retulerunt, id quod negat Plinius (l. c.), fabulisque originem pretiosi aromatis more phoenicio involvebant (cf. *Herod.*, *Plin.* ll. cc.). Etiam Aegyptiis sub nomine *qeṭṭi* (קִדָּה; cf. κίττω ap. *Diosc.* l. c.) videtur nota fuisse atque in condiendis corporibus mortuorum adhibita esse. Quanto autem in pretio istud aroma antiquitus fuerit, etiam ex eo elucet, quod inter dona praeclara a Constantino Magno romanae ecclesiae sub Papa Silvestro I data etiam *aromata cassiae* enumerantur (Liber pontificalis *ed. Duchesne* 1,177). At quaenam praecise aromatum species ab antiquis nominibus cinnamomi et casiae designatae sint, difficile erit cum certitudine definire.

Cf. *I. H. Ursinus*, Arboreti bibl. contin 270 s.; *M. Hiller*, Hierophyt. I. 440-8; *O.*

Celsius Hierobot. II. 185. 360-7; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1,268-70; *C. Sprengel*, Comment. in Dioscr. I. 12; *Chr. Lassen*, Ind. Alterthumskunde I. *ed.* 2, 327-33; *W. Heyd*, Gesch. d. Levanthandels im Mittelalter II. 644 s.; *I. Low*, Aram. Pflanzennamen n. 295; *Fr. Woenig*, Die Pflanzen im alten Aeg., Leipzig 1886, 384; *Ch. E. Moldenke*, Die in altaeg. Texten erwähnten Bäume, ib. 1887, 130-2; *P. Schegg*, Bibl. Archaeologie 226-8. Alia v. in art. CINNAMOMUM.

L. FONCK.

CASIS vallis (עֵמֶק קְצִיץ, Ἀμεκκασίς) una cum Iericho et Beth Hagla inter possessiones Beniamin enumeratur (Ios. 18,21). Ipsum nomen conservatum esse putabatur in *Wâdi el-Kaziz*, quae est vallis lateralis a septemtrione in mediam vallem Cedron desinens (*van de Velde*, Memoir p. 328; *Guérin*, Samarie I. 155); sed *Dillmann* in Ios. 18,21 animadvertit *Wâdi el-Kaziz* nimium versus occidentem et meridiem abesse, quam ut tribui Beniamin adscribi possit. Enumeratur inter Beth Hagla et Betharaba, ex quo situs aliquatenus coniici potest. Apud Eusebium (Onom. *ed. Lag.* 222,39) Ἀμεκκασίς non est vallis, sed urbs vel oppidum tribus Beniamin.

CASLEU (כִּסְלֵו, Χασελεῦ), mensis nonus (Neh. 1,1; Zach. 7,1; 1 Mach. 1,57; 4,52. 59; 2 Mach. 1,9.18; 10,5); v. MENSIS.

CASLUIM, CHASLUIM (כַּסְלֻחִים, Χασμωνιείμ, Χασλωνιείμ), populus ab Aegyptiis originem ducens, de quo Philisthiim egressi sunt (Gen. 10,14; 1 Par. 1,12). Casluim a multis putabantur esse Colchi, quos Aegyptiorum colonos fuisse tradunt Herodotus (2,104) aliique (cf. *Bochart*, Phaleg 4,31). At quomodo Philisthiim de Colchis egressi sunt, cum alias (Ier. 47,4; Am. 9,7 hebr.) de Caphtor egressi dicantur? Haec facile conciliari posse putat *Keil* (in Gen 10,14), si Philisthiim dicantur coloni Casluchici oram maris Mediterranei inter Pelusium et Gazam occupantes, qui postea nova de Caphtor immigratione aucti sint et Hevaeis pulsis (Deut. 2,23; cf. Ios. 13,3) fines suos extenderint. — Alii vero auctores populo Casluim sedem assignant in terra Hazi, quae etiam Cassiotis audit et hodie *el-Djifar* vocatur, inter Pelusium et torrentem Aegypti seu *Wâdi el-'Arîsh*; cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3, Tab. I Bc et II CDc. Sed vix quidquam certi statui potest, antequam nomen Casluim in documentis aegyptiacis reperiatur. In re adeo obscura opinionem satis probabilem his verbis complectitur *F. de Hummelauer* (Comment. in Gen. p. 324): « Caphtorim Cretam incoluere, Chasluim aut Cretam aut aliquem litoris aegyptii Palaestinam versus tractum. Ex utraque regione egressi Philisthaei eam, quae ab eis appellata est Philisthaea, subiugavere; erant autem in Philisthaeorum agmine Caphtorim plures, probabilius item Chasluim et fortasse alii ». Ceterum v. CAPHTORIM.

CASPHIN (Κάσπιν), urbs firma pontibus murisque circumsepta et a turbis gentium promiscuarum habitata, quam Iudas Mach. expugnavit ac tanta caede affecit, ut adiacens stagnum stadiorum duorum latitudinis sanguine interfectorum fluere videretur (2 Mach. 12,13 s.). *Calmet* ad h. l. explicat: « urbs pontibus munita erat, quibus et difficilis et periculosus efficiebatur urbis accessus, sive quod ii demitterentur vel clauderentur vel denique defenderentur »; sed notandum est voce graeca γεφυροῦν (ἡ γέφυρα) tum pontem tum aggerem designari posse. — Putaverat *Patrizi* (De consensu utriusque libri Mach. 1856 p. 268) ex contextu 2 Mach. 12 Casphin cis Iordanem inter Ierusalem et Iamniam quaerendam esse; sed hodie plerique censent Casphin eandem esse, quae Casphor (1 Mach. 5,26) seu Casbon (1 Mach. 5,36) in Galaad. Correspondere videtur vicus *Khisfîn* ad orientem lacus Tiberiadis iuxta viam romanam, quae Damascum ducit; stagnum autem illud agnosci potest in palude profunda ac periculosa *'Ain el-Sfera* prope *Khisfîn* inter meridiem et occidentem.

Cf. *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 331; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. IX. 1886 p. 242. 264-266. Exploratores nonnulli antiquiores pro *Khisfîn* erronee scribebant *Khastîn* vel *Chastein*; cf. *Ritter*, Erdkunde XV. p. 355. — Talmud hieros. (Demoï II. 1; apud *A. Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 23) com-

memorat urbem חספיה = *Khasfiya*, quam *I. P. van Kasteren* censet esse *Khisfin* (Revue bibl. IV. 1895 p. 33. 34).

CASPHOR (Χασφώρ, A Κασφώρ), urbs munita Galaaditidis, in qua multi Iudaeorum comprehensi tenebantur a Timotheo duce Ammonitarum (1 Mach. 5,26). Eadem censetur esse Casbon (Χασφών, A Χασφώθ), quae 1 Mach. 5,36 a Iuda Mach. expugnata esse legitur; Syrus utroque loco Kesphur exhibet, sed in v. 36 articulum addidit. Casphor (Casbon) fortasse eadem est quae Casphin, hodie *Khisfin*.

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3. p. 9; Zeitschr. des Deutschen Pal.-Vereins XII. 1889, p. 151; *Legendre*, Carte de la Palestine (Casbon, Casphor = *Khisfin*). Dubia, quae contra hanc opinionem (Casphor, Casbon, Casphin = *Khisfin*) moveri possunt, indicat *Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 246.

CASSIA (קְצִיעָה, Κασία), secunda ex tribus filiabus, quas Iob in pristinam prosperitatis conditionem restitutus genuit (Iob 42,14). Ipsa nomina conveniunt filiarum pulchritudini (cf. *Knabenbauer* in h. l.); cassia seu casia est planta aromatica apud veteres maximi aestimata; v. CASIA.

CASTITAS v. VIRGINITAS et MATRIMONIUM.

CASTORES. S. Paulus a Melita insula Romam vectus est in navi Alexandrina, cui erat insigne Castorum (Act. 28,11), scil. Castoris et Pollucis, qui communi nomine Castorum comprehenduntur; in textu graeco legitur per modum casus absoluti παρασήμῳ Διοσκούροις i. e. insigni vel signo Dioscuris. Solebant nautae in prora insigne (παράσημον) seu signum illud insculpere, a quo navi nomen dabatur, in puppi vero imagines deorum tutelarium. Sunt tamen veterum testimonia, quibus constat tam proram quam puppim habuisse παράσημον deosque tutelares in proris etiam collocatos fuisse; immo eadem res saepe et tutelae et insignis loco in navi erat, quoties scil. numinis effigies, in cuius tutela navigium erat, pro insigni locaretur in prora, quod saepe factum est (*Wolfii* Curae philol. et crit. in h. l.). Iamvero Dioscuri Castor et Pollux inter deos nautarum tutelares potissimi habebantur (*Preller*, Griechische Mythologie *ed.* 2 II. p. 105-107). Unde navis, qua S. Paulus Romam navigavit, Castorum insigne simulque tutelam habuisse existimatur.

CASTRA (מַחֲנֶה, LXX παρεμβολή), i. e. tentoria multa uno loco posita, in S. Script. aut, ubi de viatorum comitatu agitur, commemorantur (ut Gen. 32,21; hebr. etiam 33,8 et 50,9) aut, idque persaepe, ubi de exercitu militum bellum gerentium (ut castra Aegyptiorum et Israel Ex. 14,20; Madian Iud. 7,1; Philistiim 1 Reg. 17,53; Syrorum 4 Reg. 7,5; Assyriorum Iudith 16,13). Cuiusmodi castra pro opportunitate aut in vallibus (Iud. 6,33) aut in montibus (ib. 4,12) eoque loco fiebant, unde commode possent adaquari (Ios. 11,5; 1 Mach. 9,33). Securitati ac firmitati eorum partim loci situ, partim aliis adminiculis et artibus (בַּעֲגָל 1 Sam. 17,20; 26,7; LXX στρογγύλωσις, λαμπήνη aut vallum aut carros in orbem conexos explicant) positisque custodibus prospiciebatur. Ceteroqui de his non est quod hic fusius dicatur. Statio quoque militaris tribuni romani, quae erat in arce hierosolymitana, sic appellabatur Act. 21,34 al.

Castra populi Israel ab Aegypto in terram promissionis migrantis et viatorum et bellatorum castra fuerunt. Quae quia 40 annis habitatio populi electi erant et ab ipso Domino (Num. 2) certo ac determinato modo fieri disponique iussa erant, paucis hic adumbranda sunt. — Mediis igitur in castris, cum ea locarentur, a levitis sacrum tabernaculum erigebatur (Num. 1,50 s.), circum quod sacerdotes et levitae sua figebant tentoria, sacerdotes ab oriente, Caathitae a meridie, Gersonitae ab occidente, Meraritae ab aquilone. Porro pone horum tentoria reliquus populus castrametabatur, a singulis tabernaculi lateribus ternae tribus, quae coniunctae rursum *castra* appellabantur eiusque tribus nomine insigniebantur quae inter eas in agmine primo loco incedebat. Versus orientem enim erant castra Iuda,

i. e. tribus Iuda, Issachar, Zabulon; versus austrum castra Ruben, tribus Ruben, Simeon, Gad; versus occidentem castra Ephraim, tribus Ephraim, Manasse, Beniamin; versus septemtriones denique castra Dan, quae constabant ex tribubus Dan, Aser, Nephthali. Vexillis aliisque signis inter se castra et tribus discernebantur. Aliquo modo clausa fuisse castra constat, namque portas habebant Ex. 32,26. Severis legibus latis castrorum ut munditici ac sanitati (cf. Deut. 23,12), ita leviticae sanctitati consulebatur. Etenim excludebantur ex castris leprosi, ii qui seminis fluxu laborabant vel cadaverum tactu polluti erant, donec illi convaluissent, hi post tempus legitimum expiati essent Num. 5,2). Educebantur e castris qui propter crimina morte puniendi erant, ut blasphemi lapidandi (Lev. 24,14). Victimarum in s. tabernaculo immolatarum carnes, corium, fimus, pellis, eae denique partes quae Deo non offerebantur,



extra castra portata comburi solebant (Ex. 29,14; Lev. 4,11 s.; 8,17; 9,11); ibidem cineres aggerebantur (Lev. 4,12). Sacrificiorum pro peccato, maxime die expiationis, ritus pars extra castra fiebat secundum Lev. 16,27 : « Vitulum et hircum, qui pro peccato fuerant immolati et quorum sanguis illatus est in sanctuarium, ut expiatio compleretur, asportabunt foras castra et comburent igni tam pelles quam carnes eorum ac fimum »; ad quem ritum S. Paulus Heb. 13,11 alludens dicit Christum, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passum esse. — De castrametationibus Israelitarum in itinere 40 annorum v. STATIONES.

F. ZORELL.

CATECHIZARE. Hoc verbum legitur nonnisi Gal. 6,6 : « Communicet autem is, qui catechizatur verbo (ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον) ei qui se catechizat (τῷ κατηχοῦντι) in omnibus bonis ». Ex sententia plerisque tum veteribus tum recentioribus probata Apostolus catechumenos omnia sua bona temporalia cum suis magistris communia habere iubet. Aliqui tamen moderni praeferunt interpretationem in Ambrosiastri commen-

tario propositam et ab antiquioribus nonnullis repetitam, qua κοινωνεῖν intransitive sumitur et bona intelleguntur moralia, ut sensus sit : in omnibus bonis moralibus discipulus partem habeat cum magistro i. e. cum plene ac perfecte imitetur. Priorem explicationem solam tenendam esse arbitratur *Cornely* in h. l. Idem interpres de verbo *catechizare* haec animadvertit : « Verbum graecum κατηχεῖν (κατά et ἠχεῖν sonare) a profanis classicis perraro, a Vet. Test. interpretibus nusquam, in Novo Test. a solis Paulo et Luca usurpatum, proprie, uti recte iam *Hugo a S. Victore* monuit, significat *circumsonare*, sed in N. T. semper de institutione, quae *viva voce* traditur, adhibetur (i. q. viva voce docere). Hoc sensu activum verbum cum duplici accus. (personae et rei) connectitur atque passivum retinet accusat. rei; unde ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον est *is qui docetur* (i. e. discit) *verbum*, utique Dei (cf. 1 Thess. 1,8 etc.) seu sacram doctrinam. Latinus interpres istum accusativum retinuit atque in iunioribus tantum *Vulg.* codd. in eius loco invenitur ablat. *verbo*, qui tamen eadem ratione explicetur oportet. Apud scriptores ecclesiasticos *catechumenus* ille solus vocatur, qui ad baptismum institutione doctrinae praeparatur; Paulus autem nomen latiore sensu etiam de iis adhibet, qui iam baptizati sunt, sed aliqua institutione adhuc indigent; baptizatis enim scribit (3,27) suaque praecepta tradit ».

CATETH, CATHED (קָטֶת, Κατανάθ), urbs tribus Zabulon (Ios. 19,15). Aliqui putant eandem esse quae Iud. 1,30 Cetron, alii eandem etiam, quae Ios. 21.34 Cartha appellatur. Varii situs propositi sunt, sed nullus, qui sufficienti ratione probetur.

CATTA. 1. Catta semel tantum in Scriptura memoratur in epistula Ieremiae (Baruch 6,21), ubi propheta populo inter alia haec de vanitate idolorum adducit exempla : Nigrae sunt facies eorum a fumo, qui in domo fit. Supra corpus eorum et supra caput eorum volant (ἐφίπτανται) noctuae et hirundines et aves etiam, similiter et cattae (οἱ αἴλουροι catti). Unde sciatis quia non sunt dii (v. 20-22). Ex contextu apparet, nomine cattorum animalia intellegenda esse, quae domos intrant (v. 19 s.) et corpus ac caput idoli in domibus servati transsiliunt; siquidem ex verbo volandi alterum saliendi vel simile cattis aptum videtur supplendum; versio syriaca (*ed. Lagarde*) eius loco *sedent* (יתבין) habet.

2. Iam vero de cattis seu felibus domesticis verba vix videntur intellegi posse, cum de istis in Babylonia et reliquo Oriente, ac ceteris pariter regionibus praeter Aegyptum, pluribus demum post exsilium babylonicum saeculis prima apud scriptores atque in monumentis notitia habeatur, quamvis postea doctores praesertim hebraei in Talmude (cf. iam חתול in Targ. chald. Is. 13,22; Os. 9,6) plurima de hoc animali fabulentur. Cum autem nomen αἴλουρος etiam de fele fera domita atque de mustela (*Wiesel*) et de mele (*Mustela foina* Brisson, *Hausmarder*) adhibeatur, quae domos frequentant quaeque in Oriente non raro inveniuntur, haud improbabiliter ista animalia erunt catti a propheta commemorati. Quodsi epistulam Ieremiae cum quibusdam auctoribus in Aegypto scriptam supponas, etiam *feli maniculatae* Rüppell vel *feli domesticae* Brisson (cum *Nehring*), vel denique ichneumoni (*Herpestes ichneumon* Wagner) honorem istum tribuere poteris.

Cf. *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griechen u. Römer 144-8; *L. Lewysohn*, Zool. des Talmuds 74-6; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8,66 s.; *id.* Fauna and Flora of Pal. 18. 22 s.; *G. Rolleston* in Journal of Anatomy II. 1868, 47-61. 437 s.; *R. Hartmann* in Ztschr. f. Ethnol. IV. 1872, 88 s. 96-8; *Frd. Delitzsch*, Assyr. Thiernamen 33-5; *W. Houghton* in Trans. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, 62-4; *Placzek-A. Löwy* ib. IX. 1893,155-66; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 97 s. 106-9; III. 34-9. 279-83; *I. G. Wood*, Bible Animals 36-8; *F. Hommel*, Namen d. Säugethiere 314 s.; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1, *ed.* 3. p. 194 s.; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 I. 417-43. 567-70. 585-619; *K. Sittl* in Archiv f. lat. Lexikogr. V. 1888, 133 ss.; *R. Virchow, E. Naville, R. Hartmann, H. Brugsch*, al. in Verhandl. d. Ges. f. Anthrop. 1889, 458-63. 552-72; 1890, 118-26; *V. Hehn*, Kulturpflanzen

u. Hausthiere *ed.* 6,447-55. 588 s.; *O. Schrader* ib. 456-8. — Cf. s. v. DRACO n. 5.

L. FONCK.

CATULUS plerumque addito « leonis » respondet hebr. גור et כפיר, bis etiam לביא Ps. 56,5; Ioel 1,6. V. LEO. Praeterea in Vulgata etiam de catulis « lamiarum » Thren. 4,3 גורותן v. CANIS AUREUS) ac « vituli et ursi » Is. 11,7 ילדיהן adhibetur, et « ursa raptis catulis » dicitur pro hebr. דוב שכול (2 Reg. 17,8; Os. 13,8). V. URSUS.

CAUDA (Κλαῦδα, Καῦδα), parva insula ad meridiem Cretae (Act. 27,16). Ut in codicibus graecis, ita etiam in versionibus magna cernitur varietas nominis : syr. Kura, aethiop. Keda; S. *Hieron.* Cauden. *Beda* Claude etc. cf. *Tischendorf*, Nov. Test. *ed.* 8 ad h. l.). Navis qua S. Paulus Romam navigabat, in portu, cui nomen Boniportus, iuxta oram australem Cretae insulae morabatur. Cum hic portus ad hiemandum aptus non esset, nautae inde usque ad portum Phoenicen, qui in litore australi Cretae magis occidentem versus abest, pervenire conabantur. Verum mox navis vento typhonico seu turbine arripiebatur, qui vocatur Euroaquilo (vide s. v.), et in Caudam insulam ferebatur, quae inter meridiem et occidentem a Bonis Portubus est. Iuxta litus meridianum Caudae decurrentes scapham vento iactatam, quam návis sibi alligatam trahebat, intra navim sustulerunt, ne vento abriperetur. Inde vero timentes, ne in Syrtim (maiorem) inciderent, cursum versus Melitam insulam direxerunt (cf. 27,17 ss.). Eiusdem insulae prope Cretam mentionem faciunt *Plinius* IV. 12,61 : Gaudos, *Ptolem.* III. 17,11 [*ed. Muller-Fischer* 15,8] : Κλαῦδος, *Pompon. Mela* 2,7 : Gaudos, Stadiasmus maris magni 328 (apud *Müller*, Geogr. Gr. min. I. 508) : Κλαύδια, *Hieroclis Synecdemus* 11 (*ed. Parthey* p. 14) : Κλαῦδος. Addendum est nostram insulam Καῦδον τῆς Κρήτης nominari in fragmento palimpsesto, quod ad Strabonis Geograph. XVII. 3,22 refertur et in bibliotheca Vaticana anno 1888 a *G. Cozza* sagaciter investigatum est.

Nomen hodiernum Caudae insulae est *Gavdhos*, *Gozzo*. Distinguenda est ab altera *Gozo* prope Mallam sita, cuius meminit Strabo (VI. 2,11 : Γαῦδος).

Cf. *Vigouroux*, Le Nouveau Test. et les déc. mod. 1896 p. 333. 334; *Spratt*, Instructions sur l'île de Crète p. 46.

CAVERNAE. Cum ubivis multa in montibus ex creta vel calce efformatis antra soleant inveniri aut natura facta aut arte excisa, solito frequentius reperiuntur in Palaestina. Unde haud paucarum cavernarum (vel eo nomine in Vulgata vel antra vel specus vel speluncae dicuntur) in S. Script. mentio fit, quarum utique ubi quaeque sita sit, de paucis certo constat. Etenim usi sunt antiquitus homines speluncis interdum

1. *ad sepelienda corpora* mortuorum, qui priscus mos iam prachistoricis temporibus in Oriente increbuisse effossis talibus speluncis sepulcralibus constat (v. *Arnaud*, La Palestine ancienne et moderne 1868 p. 288). Itidem in caverna « duplici » (= Machpela) ab Ephrone Abrahamo venumdata Sara, Abraham, Isaac, Rebecca, Lia, Iacob humati esse leguntur (Gen. 23,11 ss. 25,9; 49,29; 50, 13). Lazarus quoque, teste Ioanne (11, 38), in spelunca positus est, et, ut traditio christiana tenet, ipse Dominus (cf. Matth. 27,60).

2. *Domicilia* sibi talia antra interdum eligebant, ut Horraei s. Chorraei qui ante Edomitas cavernosos montes Seir incoluerant, ipso nominis etymo (חר = antrum) cavernarum incolae designari putantur (Gen. 14,6; Deut. 2,12. 22). Ipsos quoque Edomitas Abdias (v. 3) in « scissuris petrarum » habitasse dicit, quibus in montibus S. Hieronymus suo etiamtum tempore homines in speluncis habitasse narrat (in h. l.). Utique maxime pauperes « in cavernis terrae » habitabant (Iob 30,6). Praeterea speluncae ut habitacula latronum (Ier. 7,11; Matth. 21,13) ac ferarum (Ps. 10,9; Nah. 2,12 al.) nominantur.

3. *Refugii ac praesidii loco* speluncae hominibus tempore bellorum aliorumve periculorum erant, id quod generatim innuitur et supponitur v. g. Sap. 17, 4; Is. 2,19; Hebr. 11,38; Apoc. 6,15. In-

super multa in s. libris eiusmodi exempla diserte habentur. Nam Lot, cum in Segor manere vererctur, cum duabus filiabus se in speluncam montis abdidit (Gen. 19,30). In spelunca urbis Maceda, dum Israel terram promissam occupat, quinque reguli delituerunt, quos inventos Iosue primum occludit, dein productos ad se pedibus calcari iussit atque interfecit (Ios. 10,16 ss.). Postea timore Madianitarum ipsi Israelitae antra et speluncas in montibus petierunt (Iudic. 6,2). In « spelunca petrae Etam » Samson iudex latuit, ex qua vinctus a Philisthaeis eductus diffractis funibus arrepto mandibulo asini mille viros percussit (ib. 15, 8 ss.). Celebres sunt fatis David maxime duae cavernae, spelunca Odollam (1 Reg. 22,1; 2 Reg. 23,13; v. ODOLLAM) et spelunca deserti Engaddi (1 Reg. 24,1-4; v. ENGADDI). Rege Achabo Abdias centum prophetas Domini, ne interficerentur, in duabus speluncis absconditos pavit (3 Reg. 18,4 ss.). Ipse quoque Elias, cum et mortis timore et vitae taedio motus fugisset, se in speluncam montis Horeb contulit, in cuius ostio stans mandatum Domini audivit (3 Reg. 19,9 ss.). Similiter tempore Machabaeorum Israelitae tales quaerere latebras coacti sunt, ut aut vitae consulerent (1 Mach. 1, 56) aut, quantum fieri posset, sabbata (2 Mach. 6,11) et festa (ib. 10,6) religiose obirent. In spelunca denique eius montis, « in quo Moyses ascendit et vidit Dei hereditatem » (cf. Deut. 34,1), ab Ieremia propheta recondita tabernaculum et arca et altare incensi reclusa latent; qui locus ignotus erit, « donec congreget Deus congregationem populi et propitius fiat, et tunc Dominus ostendet haec », ut legitur in epistula Iudaeorum hierosolymitanorum ad Iudaeos aegyptiacos missa (2 Mach. 2,2 ss.). Ceterum v. LAPICIDINAE.

F. ZORELL.

CEDAR. (קֵדָר, Κηδάρ), secundus filius Ismael (Gen. 25,13; 1 Par. 1,29), progenitor Cedarenorum, qui iuxta Nabataeos a Nabaioth primogenito Ismael oriundos praecipui sunt inter Ismaelitas. Frequentius commemorantur in Vet. Test. praesertim inde a saeculo octavo; sunt sagittarii periti, in pagis deserti habitant, incursionibus Assyriorum et Babyloniorum proxime exponuntur, camelis ac gregibus divites cum Tyriis negotiationem agunt (Is. 21,16 s.; 42,11; 60,7; Ier. 49,28 s.; Ez. 27,21). A tabernaculis Cedar, quae e pellibus subnigris caprarum et camelorum confecta erant, ut mos est Arabum, similitudo ducitur ad Sponsae pulchritudinem nigredine non diminutam Cant. 1,4[5]. Psalmista conqueritur, quod peregrinus habitare coactus sit cum tentoriis Cedar (Ps. 119 [120],5), cum his qui oderunt pacem. Ieremias a fidelitate, qua gentes (Cethim et Cedar) idolis suis adhaerent, argumentum ducit, ut infidelitatem populi electi perstringat (Ier. 2,10). Vulgata Iudith 1,8 legit Cedar, sed LXX Γαλαάδ. — Cedareni incolebant desertum inter Arabiam Petraeam et Babyloniam (S. Hieronymus ad Is. 42,11 : Cedar quondam inhabitabilis fuit regio trans Arabiam Saracenorum; Onom. *ed. Lag.* 111,19 : regio in heremo Saracenorum). In inscriptionibus cuneiformibus una cum *Nabaiti* (Nabataeis) nominantur *Qidrai* (Cedareni), quorum idolum praecipuum est *Atar-samain* i. e. Atar seu Astarte caeli; cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 134. Etiam apud Plinium (V. 11,65) Cedrei iuxta Nabataeos commemorantur. Targumim interpretantur Cedar Arabes; rabbinis nomen Cedarenorum sicuti Ismaelitarum est nomen Arabum, lingua Cedar est lingua arabica.

CEDES (קֶדֶשׁ). **1.** Cedes (Vulgata interdum Cades, LXX Κάδης, Κάδες, Κέδες), urbs antiqua, quae proprium habuerat regulum chananaeum (Ios. 12,22), in tribu Nephthali sita (19,37), civitas refugii (20,7; 21,32), urbs patria Barac, quem Debbora de Cedes advocavit et illuc ad convocandas tribus comitata est (Iud. 4,6. 9), civitas levitarum (1 Par. 6,76 [61]), postea a Theglathphalasar capta incolis in Assyriam translatis (4 Reg. 15,29, LXX Κενέζ); in bellis contra Ionathan Machabaeum Demetrius II. rex Syriae eandem Cades occupavit ac prope illam castra posuit (1 Mach. 11,63. 73). — Dicitur Cedes Nepththali, ut ab aliis

Cedes seu Cades distinguatur, ut a Cades tribus Iuda Ios. 15,23 et a Cades in deserto Sin (Num. 20,1). Etiam vocatur Cedes in Galilaea (Galil); antiqua autem Galilaea limitibus arctioribus quam tempore Christi circumscripta erat; Galil (גָּלִיל) proprie est circulus, qui dicitur circulus gentium Is. 9,1 [8,23]; cf. 3 Reg. 9,11) i. e. regio circa Cedes Nephthali quoad magnam partem a gentilibus Phoenicibus habitata. — Apud Flavium Iosephum (*ed. Niese*) eadem appellatur Κεδέσ, (Ant. V. 1,18. 23), Κύδισσα (IX. 11,1), Κέδασα quae Tyriorum agrum et Galilaeam interiacet (XIII. 5,6), immo simpliciter Κάδασα Tyriorum (Bell. iud. II. 18,1). Κυδασά vicus Tyriorum validus, Galilaeis semper infensus, Tyriis munitionem opportunam contra Galilaeos praebens (Bell. iud. IV. 2,3). — In Onomastico Cedes ab Eusebio dicitur Κυδισσός, a S. Hieronymo Cidissus et ab utroque ponitur viginti mill. pass. a Tyro iuxta Paneadem (*ed. Lag.* 271,53; 110,8); error in hac situs determinatione ex eo facile deprehenditur, quod hodierna Cedes saltem viginti quinque mill. pass. a Tyro distat neque iuxta Paneadem *Bāniyās*, sed multo magis meridiem versus sita est. Quoad situm praeterea duo in S. Scriptura obiter notantur: primum, non procul a Cedes abfuisse vallem Sennim vel potius quercum Sennim (uti legendum videtur Iud. 4,11), ubi Haber Cinaeus tentoria sua extenderat, alterum a dextris i. e. ad meridiem Cedes fuisse Thisben Galilaeae, patriam Tobiae (Tob. 1,2 LXX: Κυδίως τῆς Νεφθαλί). Cedes hodie est vicus *Qadīs* in pulcherrima et fructifera regione cis Iordanem non procul a lacu *Hūle* situs et paludibus, quae lacui ex parte septemtrionali adiacent, montibus separatus. Ibidem reliquiae sepulcrorum ex posteriore tempore iudaico permultae cernuntur. Medio aevo sepulcrum Barac, immo etiam sepulcra Debborae et Iahel designari posse credebantur.

Cf. *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. 481 s.; *Guérin*, Galilée II. 355-362; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 204. 226 s.; *Carmoly*, Itinéraires de la Terre Sainte 1847 p. 264. 378. 450; *W. Max Müller*, Asien und Europa p. 173 (v. etiam p. 217); *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 191; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 715; sed idem auctor Cedes Iud. 4,11 agnoscit in *Khirbet Kedish*, quae ruinae in alto colle iuxta lacum Tiberiadis circiter 7 km infra Tiberiadem urbem sitae sunt. Ad easdem ruinas *F. de Hummelauer* refert Iud. 4,11 et etiam Ios 19,37 (Comm. in Ios. p. 437. 442).

2. Cedes Hethaeorum (2 Reg. 24,6?) vide s. v. HODSI.

3. Cedes, urbs Issachar; v. CESION et nota etiam Cedes Ios. 12,22 a *F. de Hummelauer* componi cum Cesion = Cedes Issachar, praesertim cum enumeretur inter Thenac, Mageddo et Iachanan Carmeli (Comm. in Ios. p. 271. 272).

CEDIMOTH v. CADEMOTH.

CEDMA (קֶדְמָה, Κεδμά), ultimus inter filios Ismaelis recensitus (Gen. 25,15; 1 Par. 1,31). Aliqui hoc nomen referunt ad desertum Cademoth (vide s. v.), alii ad Cedmonaeos (vide s. v.).

CEDMIEL, CEDMIHEL (קַדְמִיאֵל, Καδμιήλ), levita ex stirpe Odoviae descendens, cuius filii cum Zorobabel Babylone redierunt (Esdr. 2,40; Neh. 7,43; 12,8). Ubi primum instauratio templi urgeri coepta est, duo principes levitarum Iosue et Cedmiel cum familiis suis constituti sunt, qui operi invigilarent (Esdr. 3,9). Ipso die quo populus in ieiunio et in saccis poenitens peccata confitebatur et ab alienigenis se separabat, octo levitae, inter quos Cedmiel, voce magna ad Dominum et ipsi clamaverunt et universo populo dixerunt: Surgite, benedicite Domino Deo vestro ab aeterno usque in aeternum (Neh. 9,4. 5). Inter levitas, qui tempore Nehemiae foedus cum Domino renovatum signarunt, recensetur Cedmiel (Neh. 10,9). Denique Cedmiel inter principes levitarum enumeratur Neh. 12,24; legitur quidem hoc loco: Iosue filius Cedmiel; sed ex comparatione cum locis supra citatis vix dubium est, quin illud *filius* (בֵּן) sit glossa delenda. — Cedmiel igitur erat nomen proprium personae, quo postmodum tota classis levitarum ab ipso descendens designabatur.

CEDMONAEI (הַקַּדְמֹנִי cum arti-

culo, οἱ Κεδμωναῖοι) Gen. 15,19 inter illos decem populos recensentur, quos Deus semini Abraham subigendos promisit. Nusquam alibi commemorantur. *Kautzsch* putat eos referri posse ad Cedma filium Ismaelis (Gen. 25,15; 1 Par. 1,31). Alii (*Grove, Ewald*) censent eosdem esse, qui alias filii orientis, בְּנֵי קֶדֶם appellantur; isti filii orientis a Madian et Amalec distinguuntur (Iud. 6,3. 33; 7,12) et iuxta Edom, Moab, Ammon nominantur (Is. 11,14; Ez. 25,4. 10); attamen non sunt una quaedam gens arabica, sed potius Arabes orientales collective sumpti (1 Reg. 5,10; Iob 1,3); Cedmonaei autem rectius unus quidam populus esse putantur. *Bochartus* Cedmonaeos eosdem esse dicit cum Hevaeis, quippe qui montem Hermon partem terrae Chanaan maxime orientalem occupaverint ac proinde Cadmonim i. e. Orientales dicti sint; sed haec coniectura solido fundamento caret. *A. Legendre* et *F. de Hummelauer* aliquid lucis affundi existimant ex monumentis aegyptiacis, quae mentionem faciunt regionis *Qdm, Qdma* ad orientem maris Mortui (cf. *W. M. Müller*).

Cf. *Bochart*, Phaleg 4,36; Chanaan 1,19; *Kautzsch* apud *Riehm-Baethgen*, Handwörterbuch d. bibl. Altert. I. 820; *Grove* apud *Smith*, Dict. of the Bible II. 5. 6; *H. Ewald*, Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3 I. 364; *W. M. Müller*, Asien und Europa 1893 p. 46; *A. Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 370. 371; *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 395.

CEDRON (Κεδρών) urbs Iudaeae (1 Mach. 16,9). Iudas et Ioannes filii Simonis Machabaei a Modin profecti et torrentem quendam transgressi Cendebaeum ducem Syrorum vicerunt; Ioannes Syros fugientes usque ad Cedronem et Azotum insecutus est. Eadem urbs est, quae 1 Mach. 15,39. 40 appellatur Gedor (Κεδρών), quam Cendebaeus iubente Antiocho VII. Sidete munitionibus contra Iudaeos firmaverat. Ex contextu Cedron sita erat inter Modin et Azotum nec procul a Iamnia, ubi Cendebaeus castra posuerat (15,40 et cf. 16,4 s.). Fortasse non differt a Gaderoth (vide s. v.). Omnibus requisitis satisfacere videtur vicus *Qafra* prope Iamniam et Accaron meridiem versus et a finibus Accaron per fluvium *Rūbīn* separatus.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. II. 410; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 188.

CEDRON in libris sacris vocatur vallis in orientali civitatis Hierosolymorum plaga sita, quae urbem a monte Oliveti seiungit (2 Reg. 15,23; 3 Reg. 2,37; Ier. 31,40; Io. 18,1). Plerumque *torrens Cedron* audit (נַחַל קִדְרוֹן; ὁ χειμάρρους τῶν Κέδρων [al. τοῦ Κέδρου] Io. 18,1; item LXX, sed etiam χειμάρρους Κεδρών). Pars inferior et amplior infra fontem Siloe campi (שְׂדֵמוֹת) Cedron vocantur (4 Reg. 23,4; *Vulg.* convallis Cedron, etiam v. 6; cf. Ier. 31,39), ubi hortus regius erat (4 Reg. 25,4; Ier. 39,4; Neh. 3,15); atque in hac potissimum parte, prope locum Topheth cultu idololatrico pollutum, pii reges Asa, Iosias, Ezechias abominationes idololatriae combusserunt et cineres undique disperserunt (3 Reg. 15,13; 4 Reg. 23,4. 6. 12; 2 Par. 15,16; 29,16; 30,14).

Eodem nomine vallis illa orientalis etiam in scriptis Fl. Iosephi designatur: ὁ Κεδρών (Bell. iud. V. 6,1; 7,3; 12,2, *ed. Niese* 252. 303. 504), ὁ χειμάρρους Κεδρών (Ant. VIII. 1,5, *Niese* 17), ἡ φάραγξ ἡ Κεδρῶνος (Ant. IX. 7,3, *Niese* 151), ἡ Κεδρὼν καλουμένη φάραγξ (Bell. iud. V. 4,2; 6,1, *Niese* 147. 254; VI. 3,2, *Niese* 192), ἡ φάραγξ ἣ Κεδρὼν ὠνόμασται (Bell. iud. V, 2,3, *Niese* 70). Scriptores vero ecclesiastici eandem modo vallem Cedron, modo vallem Iosaphat (v. IOSAPHAT vallis), modo vallem Gethsemani (*Anonymus Plac.* Itinerarium c. 17. 21. 24, *ed. P. Geyer* p. 170,17 s. 173,16 s. 176,8 s.; v. GETHSEMANI) appellant, immo et vallem Ennom, quamvis immerito (v. ENNOM vallis). Bene autem notat iam *Eucherius* c. a. 440 (De situ hierosolimitanae urbis, *ed. P. Geyer* p. 127,11 s.) et post eum *S. Beda* (De locis sanctis c. 5, *ed. P. Geyer* p. 309,11 s.), torrentem Cedron tunc solum per vallem Iosaphat decurrere, « si quando pluviarum aquam recipit »; quamquam *Anonymus Placentinus* c. a. 570 ex piscina Siloe « aquas multas

per vallem Gessemani usque ad Iordanem fluvium descendere affirmat (l. c. c. 24, p. 176,8 ss). Hodie vallis, quam Arabes *Wādi Sitti Maryam* a Domina Maria appellant, solo hiberno pluviarum tempore rivulum aquae exhibet, neque antiquitus multo abundantiorem videtur habuisse, quando alveus torrentis propius ad moenia urbis accedebat et 11 fere metris infra superficiem hodiernam, iteratis ruinis superimpositam, invenicbatur. Multi auctores etiam vocem נַחַל sine additamento 2 Par. 33,14 (*Vulg.* convallis) et Neh. 2,15 (*Vulg.* torrens) de valle Cedron exponunt; quod non satis nobis probatur; v. IERUSALEM. — Sunt qui etiam *vallem Save*, *quae est vallis regis* (Gen. 14,17) ubi Absalom sibi titulum erexerat (2 Reg. 18,18), de hac eadem valle interpretentur, quae saltem in parte inferiore nomen עֵמֶק, vallis lata et plana, meretur; v. SAVE.

De aliis v. IERUSALEM II, 2 auctoresque ibi citatos. — Nomen *Cedron* (קִדְרוֹן) plerique vallem *nigram* s. *obscuram* et *umbrosam* explicant, nec cum cedris quidquam commune habet, licet forte ex etymologia populari nomen cum arboribus istis celeberrimis comparatum sit (cf. χειμάρρους τῶν κέδρων). — De valle hac locisque ibi pie cultis particuliariter agunt *Fr. Quaresmius*, Elucid. T. S. IV. per. 5, c. 1-13, *ed. Venet.* II. p. 117-32; *I. Lightfoot*, Centuria chorogr. c. 38; *H. Relandus*, Palaestina p. 294-6; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. II. 1, 206 s. 213; *E. Robinson*, Palaestina II. p. 31-8. *C. Ritter*, Erdkunde XV. 1, p. 598-605; *T. Tobler*, Topographie von Jerusalem II. p. 14-39; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4 I. p. 340-63; *D. Zanecchia*, La Palestina d'oggi I. p. 324-41; *K. Baedeker-I. Benzinger*, Palaestina und Syrien *ed.* 5, p. 92-100.

L. FONCK.

CEDRUS, LIGNUM CEDRINUM.

1. *Nomen.* Cedrus in Vulgata nominatur arbor, quae frequentissime in Scriptura occurrit et in textu hebraico אֶרֶז, apud LXX κέδρος s. ξύλον κέδρινον audit (exc. Iob 40,12 [hebr. 17] κυπάρισσος; cf. Ez. 27,24 κυπαρίσσινα pro אֲרָזִים). Consentiunt fere reliquae versiones ex quibus orientales vocem hebraeam semiticis linguis praeter babyl.-assyr. *erinu* communem fere retinent: syr. et chald. אַרְזָא, aeth. et arab. *'arz*, graecae κέδρος vertunt (exc. Ἄλλος in Hexaplis ap. *Field* ad Lev. 14,4: κυπάρισσος). Et graeca quidem vox κέδρος varias ex ordine *Coniferarum* arbores seu frutices designat, ac praesertim pro iuniperi speciebus adhibetur (cf. LXX 2 Par. 3,5; Ez. 27,5; Is. 60,13. — *Homer.* Od. 5,60; *Theophr.* Hist. pl. III. 12,3; *Diosc.* Mat. med. 1,105), pariterque latina cedrus (*Plin.* XIII. 5,52). Simile quid de nomine hebraico אֶרֶז dicendum videtur, sicut etiam de arabico *'arz* et de aramaico אַרְזָא.

Cf. *O. Celsius*, Hierobotanicon I. 107 ss.; *C. Niebuhr*, Description de l'Arabie, Copenhague 1773, p. 131; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 32; *G. E. Post* ap. *I. Hastings*, Dict. of the Bible I. 365 a.

Attamen in plerisque Scripturae locis significatio nominis ex verbis ipsis satis determinatur. Imprimis igitur ea quae in libris sacris de cedro dicuntur, breviter exponenda sunt atque ex testimonio scriptorum profanorum illustranda.

2. *Cedrorum patria ex Scriptura et monumentis antiquis.* Iam in lege mosaica lignum cedrinum (עֵץ אֶרֶז) in mundatione hominis leprosi (Lev. 14,4.6) domusque plaga infectae (ib. v. 49. 51. 52) atque in paranda aqua lustrationis adhibendum praecipitur (Num. 19,6). In eodem libro Numerorum (24,6) Balaam tabernacula Iacob pulchra praedicat « quasi cedros (אֲרָזִים) prope aquas ». — Istis locis exceptis S. Scriptura fere semper sive expresse sive implicite cedrum montibus Libani attribuit magnamque huius arboris copiam in regione libanotica haberi declarat (3 Reg. 10,27; 2 Par. 1,15; 9,27). Simile quid in inscriptionibus cuneiformibus invenimus, in quibus reges babylonii et assyrii Libanum et Amanum montesque Syriae septemtrionalis tamquam patriam cedrorum (bab.-ass. *erinu*) designant (*Gudea* B Col. 5,28; *Agum-Kakrimi* Col. 4,10; *Asurnasirpal* Annal. Col. 3,88; *Salmanassar* II. Annal. 29. 96. 99. 140; *Sargon* Khorsab. 143. 163; *Sanherib* Prism. Col.

6,47; *Asarhaddon* Prism. A et C Col. 5,16; *Asurbanipal* Annal. Col. 10,98; *Nabuchodonosor,* Inscr. East-India-House Col. 3,22 etc.); iidem magnam cedrorum copiam ex illis montibus reportatam narrant (*Nabonid* Cyl. Abū Habba Col. 3,1 : 5000 ingentium cedrorum etc.). In catalogo montium assyriaco specialiter Amanus et duo alii montes vicini « *shad* (mons) *erini* » dicuntur (*Frd. Delitzsch,* Paradies 101). Pariter *Theophrastus* (Hist. pl. III. 2,6; IV. 5,5; V. 8,1) aliique scriptores profani Syriam et Ciliciam Cyprumque tamquam regionem cedrorum propriam indicant, quae iuxta aliquos etiam in Africa, Arabia, India inveniebantur (*Diod. Sic.* II. 49,4; XVII. 89,4; XIX. 58,3; *Vitruv.* II. 9,13; *Dioscurid.* Mat. med. 3,1; *Strabo* XIV. 5,3 *ed. Cas.* 670. XV. 1,29 *ed. Cas.* 699; *Plin.* XIII. 5,52; XVI. 39,197).

3. *Cedrorum praeconia.* Laudatur autem cedrus praesertim a celsitudine (Is. 2,13; Ez. 31,3. 8; Am. 2,9), pulchritudine ramorum ac frondium (Ez. 31,3. 7), nobilitate denique omnimoda, unde ceteris arboribus ac plantis praeponitur (Iudic. 9,15; 3 Reg. 4,33; 4 Reg. 14,9; 2 Par. 25,18; Ps. 28,5; 148,9; Is. 9,9; 41,19; Zach. 11,1. 2) et a Psalmista « cedrus Dei » et « arbor Iahwe » declaratur (79,11; 103,16). Probabiliter etiam « gloria Libani » a propheta appellatur (Is. 35,2; 60,13; cf. 10,18; 41,19), atque etiam ad odoris Libani suavitatem (Os. 14,7; Cant. 4,11 hebr. et LXX) praeter varias plantas odoriferas cedri suam conferunt partem. — Eadem fere cedrorum praeconia in textibus babylonico-assyriacis passim inveniuntur, qui speciatim earum altitudinem et praestantiam (*Gudea* B Col. 5,29 ss. : cedri quarum longitudo 70 et 50 cubitorum; *Nabuchodonosor,* Inscr. East-India-H. Col. 2,30 ss.; Grotef. Col. 2,21 ss. etc.) odorisque suavitatem praedicant (*Nabonid* Cyl. Abū Habba Col. 2,11 s.; *Asurnasirpal* Annal. Col. 1,87 etc.); atque haec suavitas odoris iam in ipsa scriptura cuneiformi praefixo *shim* ante *erinu,* sicut ante alia quaedam ligna, pariterque in scriptura hieroglyphica postposito determinativo *notem* (*Ch. E. Moldenke,* Die in altaeg. Texten erw. Baeume p. 133 ss.) designatur. Similia de cedrorum praestantia referunt auctores graeci et latini (*Theophr.* Hist. pl. V. 8,1 : cedri quas tres homines nequeant amplecti, aliaeque longitudine 13 orgyiarum i. e. 40 fere cubitorum; *Plin.* XVI. 39,197 : « cedrus in Creta, Africa, Syria laudatissima » etc.).

Ob praeclaras quas habet qualitates cedrus frequenter in comparationibus biblicis adhibetur. Ita « iustus sicut cedrus Libani multiplicabitur » altitudine, firmitate, pulchritudine indefectibili (Ps. 91,13); similiterque corona fratrum Simonem pontificem magnum circumdare dicitur « quasi plantatio cedri in monte Libano » (Eccli. 50,13), sicut e contrario etiam superbia impii elevari dicitur sicut cedrus Libani (Ps. 36,35, ubi pro massorethico כְּאֶזְרָח רַעֲנָן cum LXX et Vulg. legendum כְּאַרְזֵי לְבָנוֹן. — Cf. Is. 2,13; Ier. 22,7. 15. 23; Ez. 31,3-9; Am. 2,9). Sponsa quoque in Cantico dilectum suum eadem comparatione describit (5,15), quam Dominus etiam ad gloriam redemptionis annuntiandam (Ez. 17,22 s.; cf. v. 3) et Sapientia ad commendandas laudes suas (Eccli. 24,17) assumit.

Cur in descriptione behemoth in libro Iob specialiter cedrus in comparationem adducatur (*stringit caudam suam quasi cedrum* 40,12 hebr. 17), non satis liquet; de robore caudae non videtur esse sermo, cum in hippopotamo sit admodum parva; fortasse erectio in altum et agilitas nervorum in movendo omnes corporis partes simpliciter respicitur. V. BEHEMOTH n. 3.

4. *Cedrorum usus.* Multiplex vero celeberrimae huius arboris usus in Scriptura exhibetur. Imprimis constructionibus aedificiorum (Cant. 1,16; 8,9; Is. 9,9; Ier. 22,14; Soph. 2,14, ubi Vulgata pro hebr. אַרְזָה, i. e. *tabulatum cedrinum,* vertit *robur eius*), ac praesertim templi hierosolymitani primi et secundi regiaeque Davidis et Salomonis inserviebat, materiam praebens columnis ac laqueari tabulatisque parietum et tectorum (2 Reg. 5,11; 7,2. 7; 3 Reg. 5,6 ss.; 6,9 ss.; 7,2 ss.; 9,11; 1 Par. 14,1; 17,1. 6; 22,4; 2 Par. 1,15; 2,3. 8; 9,27; Esdr. 3,7). Praeterea in construendis navigiis ad malum (Ez.

27,5) ac probabiliter etiam ad alias partes utile erat. Artifex quoque lignarius prae ceteris lignis « succidit cedros... et fecit sculptile » (Is. 44,14).

Eosdem fere ligni cedrini usus testantur auctores profani, iuxta quos adhibebatur in aedificiorum constructionibus (*Homer*. Il. 24,192; *Eurip*. Alcest. v. 160; Orest. v. 1371; Phoen. v. 100; *Theophr*. Hist. pl. V. 7,4; *Polyb*. X. 27,10; *Vergil*. Georg. 2,443; *Diodor. Sic*. II. 8,3; *Vitruv*. II. 9,13; *Plin*. XVI. 40,213; *Curtius* V. 7,5; *Menander Ephes*. ap. *Ios. Flav*. c. Ap. 1,18; cf. ib. 17 et Ant. VIII. 5,3; *Philostr*. Vit. sophist. 2,5; *Athen*. Deipnos. V. 205; *Procop*. Aedif. Iust. 5,6); praeterea ad aedificandas naves (*Theophr*. Hist. pl. IV. 5,5; V. 7,1; *Diod. Sic*. I. 57,5; XIX. 58,3; *Strabo* XIV. 5,3; XV. 1,29; *Plin*. XVI. 40,203), ad imagines et simulacra (*Theocrit*. Epigr. 7; *Vergil*. Aen. 7,178; *Plin*. XIII. 5,53; *Pausan*. VIII. 17,2) aliosque varios usus (*Eurip*. Alcest. v. 365 s.; Orest. v. 1053; Troad. v. 1141; *Theocrit*. Idyl. 7,81; 24,43; *Curtius* VIII. 10,8; *Pausan*. V. 17,5 etc.). Pari modo textus cuneiformes multiplicem ligni cedrini in aedificiis regiis usum, praesertim ad tecta et tabulata portasque passim testificantur ac verba Scripturae de regibus babyloniis et assyriis (4 Reg. 19,23; Is. 14,8; 37,24) aperte confirmant (cf. ll. cc. et alibi passim). Etiam reges aegyptii cedrum ad usus varios e Syria asportabant.

Cf. *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 195. 215; *Fr. Woenig*, Pflanzen im alt. Aeg., Leipzig 1886, p. 280; *Ch. E. Moldenke*, Die in altaeg. Texten erw. Baeume, p. 133 ss.; *V. Loret*, Flore Pharaonique *ed*. 2, Paris 1892, p. 41 s.; *Frd. Delitzsch*, Entstehung d. ält. Schriftsystems, Leipzig 1897, 141 s.

5. *Arbor in Scriptura significata.* Ex dictis haud difficile videtur determinare, quaenam arbor in plerisque Scripturae locis nomine אֶרֶז designetur. Omnes enim huius arboris proprietates quam maxime conveniunt ei quae rei herbariae peritis est *Cedrus Libani* Barrel (seu *C. libanotica* Lamarck, s. *Pinus cedrus* Linné, s. *Larix cedrus* Miller). Arbor haec nobilissima ex ordine Coniferarum altitudinem 25-40 metrorum attingit et ramis suis ac frondibus adspectum pulcherrimum praebet. Lignum eius construendis aedificiis imaginibusque sculpendis aptissimum, praesertim firmitate odorisque suavitate prae ceteris excellit ac propter succi resinaeque praestantiam nec tineam nec cariem sentit. Licet arbores illae annosae ramosaeque, quas peregrini in « monte cedrorum » (*djebel el-'arz*) prope *Bsherre* frequentant, vix malis navium aptae videantur (Ez. 27,5), alibi tamen in silvis vicinorum montium plurimi inveniuntur cedri fini huic vel in nostris navigiis aptissimae. — Etiamnum frequens crescit in montibus Cariae, Lyciae, Pisidiae, Isauriae, Cataoniae, Ciliciae, Syriae, praesertim in Tauri, Amani, Libani regione subalpina (in altitudine 1000-2000 metrorum), atque etiam in montibus insulae Cypri (varietas *brevifolia*). In ipsis Libani montibus copia satis magna cedrorum habetur prope *El-Ma'āsir, Barūk, 'Ain Zehalta, Hadeth, Bsherre, Sīr;* in Tauro vero cilicico cedrus nostra cum *Abiete cilicica* et *Iunipero faetidissima* silvas extensas format.

Cf. *Pierre Belon*, Observations, Paris 1588, 368-70 (2,110); *E. Boissier*, Flora orient. V. 699; *G. E. Post*, Flora of Syria 751; *id*. in *I. Hastings*, Dict. of the Bible I. 364 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed*. 8 p. 343 s.; *id*. in *Smith*, Dict. of the Bible *ed*. 2, I. 1,549 s.; *Leunis-Frank*, Synopsis II. 2, *ed*. 3 p. 931 s.; *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam. II. 1,74 s. — Duae aliae cedri species exsistunt, quae tamen a pluribus varietates tantum libanoticae dicuntur, scilicet *Cedrus deodara* Roxburgh, in montibus Afganiae orientalis, et *C. atlantica* Manetti in monte Atlas Africae septemtrionalis. — Descriptionem « montis cedrorum » prope Bsherre tradunt *C. Ritter*, Erdkunde XVII. 1, 632-49; *Ed. Robinson*, Neuere bibl. Forsch. in Pal. 766-775; *Baedeker-Benzinger*, Palaestina *ed*. 5, p. 367-369, al. Cedris illis varii auctores annos 2500 et plures tribuunt.

Arbor ab ista cedro Libani diversa designari videtur in praecepto legis mosaicae superius memorato (Lev. 14,4 s.; Num. 19,6). Agitur enim de lege quam « locutus est Dominus ad Moysen (et Aaron) », quaeque cuncto populo in ipso

deserto observanda proponebatur. Unde necessario species ligni videtur intellegenda, cuius etiam in deserto Israelitis copia praesto erat. Iam vero unde cedri libanoticae licet exiguum frustum ad frequentem usum in deserto haberi potuerit, non satis videtur explicari. Licet igitur plures cum *Bonfrerio* (in Lev. 14,6) de cedro Libani verba legis interpretentur (*Cultrera, F. de Hummelauer, Wolff* al.), hebraicum אֶרֶז in legibus citatis potius latiore significatione de iuniperi specie, puta de *Iunipero phoenicia* Linné (s. lycia) intellegendum videtur, quippe quae etiam a profanis scriptoribus propter similes ligni qualitates saepe cum cedro componitur atque etiam cedrus nominatur (*Theophr.* Hist. pl. III. 12,3; *Dioscur.* Mat. med. 1,105; 5,45 s.; *Plin.* XIII. 5,52), quaeque hodiedum in deserto *Wādi ʿArabā* invenitur (*Boissier* l. c. V. 710; *Post*, Flora 749, etc.). Minus recte plures (*Tristram, Levesque, Smith* al.) *Iuniperum oxycedrum* L. proponunt, fruticem humilem, a regione meridionali Palaestinae et deserto sinaitico prorsus alienum.

Cf. *P. Cultrera*, Flora bibl. 421; *F. de Hummelauer* in Levit. 14,6; *Ph. Wolff* ap. *Riehm-Baethgen ed.* 2 I. 262; *H. B. Tristram* ap. *Smith* l. c. 549 a; *E. Levesque* ap. *F. Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 377; *I. Smith*, Bible Plants 121, etc.

Quas vero arbores Balaam in vaticinio suo (Num. 24,6) prae oculis habuerit, aliquibus non satis videtur constare (*Post* ap. *Hastings* l. c. 364 a); cedri enim libanoticae et generatim omnes coniferae arbores orientales situm prope aquas non amant. At cum Balaam eodem versu « hortos irriguos iuxta fluvios » commemoret, cumque reges assyrii (*Teglath-Phalasar I.* Prisma Col. 7,17) et probabiliter etiam alii principes, quamvis ex regibus assyriis Theglath-Phalasar primum se hoc fecisse glorietur, in hortis et paradisis suis cedros plantaverint, fortasse non sine aliqua probabilitate de vera cedro verba illa vatis intellegas. Ex aridis enim montibus in hortos irriguos translata, etiam « prope aquas » plantata cedrus Libani vatis admirationem excitare poterat. Similiter Ezechiel propheta in magnifica cedri descriptione (31,3-7) aquas specialiter commemorat : « erat enim radix illius iuxta aquas multas ». Atque etiam *Theophrastus* in hortis cedros maiores et pulchriores exsistere testatur (Hist. pl. V. 8,1). — In reliquis autem Scripturae locis nulla prorsus ratio nos cogere videtur, ut aliam arborem praeter cedrum Libani voce hebraica designatam dicamus.

Itaque omnino relinquenda est opinio *O. Celsii*, viri ceteroquin doctissimi et de re herbaria sacra optime meriti, qui אֶרֶז non cedrum, sed *pinum* esse existimabat (Hierobotanicon I. 106-34); quam sententiam satis refutarunt *Christoph. Jac. Trew*, Observatio de cedro Libani, in Acad. Caes. Naturae Curiosorum, Nov. Act. Tom. I. Observ. CI. p. 409 ss., quae etiam separatim prodiit sub titulo : Cedrorum Libani historia, Norimbergae 1757; *id.* Apologia et mantissa observationis de Cedro Libani et Cedrorum Libani historiae, seu Historiae pars altera, ib. 1767, p. 1-36; *Sam. Oedmann*, Verm. Samml. a. d. Naturkunde II., Rostock et Leipzig 1787, p. 203-14, alii. — Cf. praeterea *J. Chr. Biel*, Exercitatio de lignis ex Libano ad templ. hierosol. aedif. petitis, Brunsvigae 1740; *Gaet. Savi*, Sul cedro del Libano, Firenze 1818; *I. L. A. Loiseleur-Deslongchamps*, Histoire du cèdre du Liban, Paris 1837; *Gius. Moretti*, De Cedro Libani, Ticini 1838 etc.

L. FONCK.

CEELATHA (קְהֵלָתָה, Μακελλά0), statio Israelitarum in deserto inter Ressa et montem Sepher (Num. 33,22. 23). Situs ignotus est.

CEILA (קְעִילָה, קְעִילָה; Κειλάμ, ἡ Κεῖλά), urbs in campestribus Iuda, in tertia provincia Sephelae (Ios. 15,44). Eiusdem Ceilae mentio fit 1 Par. 4,19 in genalogia Iuda, de quo textu satis obscuro vide s. vv. ESTHAMO et GARMI. Aetate bellorum philisthaicorum Ceila erat muris, portis, repagulis munita; a Philisthaeis tempore messis oppressa ac devastata, a Davide autem liberata est; quibus auditis cum Saul Davidem obsessurus advolaret, hic applicato ephod admonitus Ceilitas ipsum traditurus esse urbe egressus est (1 Reg. 23,1-13; *Flav. Ios.* Ant. VI. 13,1). Post exsilium

Hasebias et Bavai, quorum uterque erat princeps dimidii tractus Ceilae, Nehemiam in muris aedificandis adiuverunt (Neh. 3,17. 18). — Ab Eusebio et S. Hieronymo Onom. *ed. Lag.* 270,33; 109,19) Ceila agnoscitur vicus Κηλά, Cela 17 (8) mil. pass. ad orientem Eleutheropoleos Hebronem versus, in quo vico sepulcrum Habacuc prophetae monstrari loc. cit. asserunt; S. Hieronymus 17 mil. pass. Eusebii ad 8 mil. pass. reduxit. Huic distantiae reductae satisfacit vicus *Qīlā* 12 km a Hebron inter septemtrionem et occidentem. Ille autem vicus 17 mil. pass. ab Eleutheropoli distans, quem Eusebius pro Ceila habuit, in proxima vicinitate Hebronis quaerendus esset neque ad Sephelam referri posset. Immo contra ipsum situm *Qīlā* obiiciunt aliqui ut *Muhlau* apud *Riehm-Baethgen,* Handwörterbuch s. v. Kegila), quod non in Sephela, sed nimium orientem versus in monte Iuda sit; sed merito respondetur alias quoque urbes, quae Sephelae adnumerantur, in descensu occidentali montis Iuda iure collocari (v. g. Esna, Nesib, Achzib, Socho) neque Sephelam ad sola campestria restringendam esse. — Ad orientem vici *Qīlā* est vicus *Kharas*, quo nomine saltus Haret (vide s. v.) indicari videtur.

Urbis *Qīlā* iam in documentis *Tell el-'Amarna* videtur mentio fieri nomine *Kilti* (ut coniiciunt *Sayce* et *Zimmern*).

Cf. *Guérin*, Judée III. 341-343; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 314; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land p. 230 et Plate I. IV; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 387-389; *Buhl*, Alt. Pal. 1895 p. 193; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 108; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 265; *Sayce* in Proceedings of Soc. of Bibl. Archaeology 1887-1888 X. p. 496; *Zimmern* in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XIII. 1890 p. 141. 142.

CELAI (קֵלַי, Καλλαί), princeps familiae sacerdotalis Sellai (Neh. 12,20) tempore Ioacim pontificis.

CELAIA ipse est Calita (קְלִיטָה הִיא קְלִיטָא; Κωλία, αὐτὸς Κωλίτας), levita qui ex mandato Esdrae uxorem alienigenam dimisit (Esdr. 10,23); idem Esdrae adstitit in publica lectione legis (Neh. 8,7), quo loco scribitur Celita (קְלִיטָא; LXX omittunt).

CELITA v. CELAIA.

CELLON ἡ Κελλαίων scil. γῆ Iudith 2,23; *Vulg.* terra Cellon Iudith 2,13, regio, a qua austrum versus filii Ismael contra faciem deserti habitabant, quos Holofernes praedatus est. Alii textus praebent Κελλέων, Κελέων, *Syrus* terra Chaldaeorum, *Itala* Cheleon terra Chaldaeorum. Quodsi cum his textibus legi oportet Χαλδαίων, intellegi poterit Haran regio Mesopotamiae septemtrionalis ad occidentem vergentis, a qua austrum versus utique Ismaelitae habitabant. Supposita autem lectione Κελλαίων designari videtur regio Chalonitis a fluvio Chalos (Χάλος *Xenoph.* Anab. I. 4,9) irrigata, postmodum Chalcidice dicta, inter Ciliciam et desertum syro-arabicum.

Cf. *Wolff*, Buch Iudith 1861 p. 100; *De Moor*, Le livre de Judith 1895 p. 41.

CENCHRAE seu Cenchreae (Κεγχρεαί; apud Thucydidem Κεγχρειαί), portus Corinthi ad sinum Saronicum maris Aegaei, Corintho 70 stadiis orientem versus distans, emporium Corinthiorum pro Asia, sicut Lechaeum ad alteram partem Isthmi in sinu Corinthiaco erat emporium pro Italia (*Strabo* VIII. 6,22; *Plin.* IV. 4,10; *Pausan.* II. 2,3). A Cenchris S. Paulus in secundo itinere apostolico Antiochiam Syriae rediit (Act. 18,18); ibidem ecclesia a S. Paulo fundata erat (Rom. 16,1), cuius primus episcopus ab Apostolo institutus in Const. apost. 7,46 Lucius fuisse traditur.

CENDEBAEUS (Κενδεβαῖος), dux Syrorum ab Antiocho VII. Sidete contra Iudaeos missus, a duobus filiis Simonis Machabaei prope Iamniam fugatus (1 Mach. 15,38 ss. 16,1 ss.); v. ANTIOCHUS 6 et SIMON 3.

CENERETH, CENEROTH v. GENESARETH.

CENEZ (קְנַז, Κενέζ). **1.** Quintus filius Eliphaz primogeniti Esau, dux in Idumaea, a quo tribus edomitica nomen accepit (Gen. 36,11. 15. 42; 1 Par. 1,36. 53).

2. Pater i. e. unus ex maioribus Othoniel iudicis (Ios. 15,17; Iud. 1,13; 3,9. 11; 1 Par. 4,13), qui Othoniel erat frater (fortasse sensu remoto tantum) Caleb exploratoris filii Iephone. Sicut Othoniel filius Cenez, ita Caleb explorator dicitur Cenezaeus (Num. 32,12; Ios. 14,6. 14). Iamvero in tribu Iuda, cui Caleb et Othoniel accensentur (cf. 1 Par. 4,13.15) alias iste Cenez progenitor Cenezaeorum non invenitur. Proinde admittendus erit ignotus quidam Cenez ex tribu Iuda (fortasse ex posteris Hesron, scil. si Caleb filius Iephone a Caleb filio Hesron descendit). Huic opinioni utique adversantur, qui Caleb exploratorem et Othoniel iudicem referunt vel ad stirpem Cenez Idumaei vel ad gentem Cenezaeorum Gen. 15,19 tempore Abrahae Palaestinam incolentem, ut s. v. CALEB 1 breviter indicavimus.

3. Filius Ela filii Caleb exploratoris (1 Par. 4,15). *F. de Hummelauer* (Comm. in Num. p. 201) putat disiecta esse genealogiae huius membra et v. 15 versibus 13 s. anteponit : v. 15 Filii Caleb filii Iephone : Hir et Ela et Naham. Filii Ela : Cenez. v. 13 Filii Cenez : Othoniel et Saraia etc. In hac suppositione utique Cenez v. 15 idem est atque Cenez v. 13; Othoniel filius Cenez non est frater Caleb exploratoris minor, ut ex Ios. 15,17 et Iud. 1,13 communiter interpretes putant, sed ex posteris Caleb scil. a Cenez nepote Caleb exploratoris genitus; postremo quia Ios. 15,17 et Iud. 1,13 docemur Othonieli fuisse fratrem alterum, Caleb *minorem*, distinguendus erit Caleb *minor*, filius Cenez et frater Othonielis, a Caleb exploratore.

CENEZAEI (הַקְּנִזִּי, forma numeri singularis cum articulo; LXX τοὺς Κενεζαίους) recensentur inter populos, qui tempore Abrahae terram a fluvio Aegypti (*Wādi el-ʿArīsh*) usque ad fluvium Euphraten incolebant semini Abrahae promissam (Gen. 15,19). Notatu dignum est Cenezaeos nunquam commemorari inter populos ab Israelitis exstirpatos vel subactos; unde *F. de Hummelauer* probabile quoddam indicium haberi existimat Caleb Cenezaeum ex ista gente originem duxisse et proselytam familiae Hesron Iudaei accessisse (Comm. in Num. p. 202).

CENI v. CINAEI.

CENSUS. Adhibetur vox in Vulgata iis fere notionibus uti apud profanos. Solum Neh. 7,64 census tabula est genealogiae : hi quaesierunt scripturam suam in censu (hebr. hi quaesierunt librum censorum i. e. eorum qui in genealogiis sacerdotum relati erant). Dein Eccli. 30,15. 16 census notione divitiarum, facultatum usurpatur : corpus validum (melius est) quam census immensus. Demum occurrit notione tributi solvendi (Matth. 17,24; 22,17. 19) : licet censum dare Caesari? ubi in textu graeco ipsa vox κῆνσος legitur.

De censu Cyrini vide s. vv. CYRINUS et AUGUSTUS.

CENTURIO, centum militum praefectus, dux seu princeps centum. Occurrit vox saepe in coniunctione cum tribunis i. e. ex hebr. cum ducibus mille, qui mille militibus praesint, et cum ducibus super quinquaginta; ita Ex. 18,21. 25; Num. 31,14. 48. 52; Deut. 1,15; 1 Reg. 22,7; 2 Reg. 18,1; 4 Reg. 11,4 s.; 1 Par. 13,1 etc.; solum 1 Reg. 8,12 legitur in Vulgata centurio, dum in hebr. (si non adsit in textu mendum) dux habetur super quinquaginta. Pariter centurio ἑκατόνταρχος habetur 1 Mach. 3,55, et saepius in Novo Testamento, Matth. 8,6 s.; 27,34; Luc. 7,2. 6; 23,47; item Act. 10,1 ss. (Cornelius); 21,32; 22, 25 etc. 28,1 (Iulius). Apud Marcum ipsa vox κεντυρίων servata est 15,39. 44 s.

CEPHAS v. PETRUS.

CEPHIRA v. CAPHIRA.

CERA, דֹּנֶג, κηρός, apis sedulae labor, non commemoratur in Scriptura nisi in comparationibus. Quia enim facillime ad ignem liquescit, cum ea comparantur improbi a Deo perimendi (Ps. 67[68],3), montes et petrae, quos Dei omnipotentia facile destruet (Ps. 96 [97],5; Mich. 1,4; Iudith 16,18), etiam cor doloribus oppressum (Ps. 21[22], 15). Similes comparationes etiam apud auctores profanos frequenter occurrunt (cf. *Sam Bochart*, Hierozoicon II. 530-532, *ed. Rosenmüller* III. 397-399). De aliis cerae usibus textus sacer tacet. —

Vulgata etiam hebr. שַׁבְלוּל ἅπαξ λεγόμενον (Ps. 57,58,9) *cera* reddit, quod potius cochleam s. limacem significat. V. COCHLEA.

L. FONCK.

CERASTES semel tantum in libris sacris occurrit, in vaticinio Iacobi morientis : « Fiat Dan coluber in via, cerastes (שְׁפִיפֹן) in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro » (Gen. 49,17) : LXX loco cerastae καθήμενος interpretantur, Syrus חרמנא vertit, quod *basiliscum* explicant, pariterque Onkelos (חֵירָמָן) et Graecus Venetus (βασιλίσκος). Sed cerastes seu vipera cornuta, scientifico nomine *Cerastes aegyptiacus* Duméril et Bibron (*Coluber cornutus* Hasselquist = *Cerastes Hasselquistii* Strauch) dictus comparationi textus sacri optime congruit. Praesertim in Aegypto et in desertis vicinis frequens invenitur iacens in arena viarum, ac licet animal parvum, morsu tamen venenato equis maxime periculosa evadit. Cui parva tribus Dan, a dolosis belli operibus non aliena (Iud. 18,27), bene comparatur.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. 416-20, *ed. Rosenm.* III. 205-11; *Fr. Hasselquist*, Reise nach Palaest., Rostock 1762, 365 s.; *W. Gesenius*, Thesaur. 1468; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3 p. 578; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3, VII. 430-3; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8,274; *id.* Fauna and Flora of Pal. 147; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs III. 339 (antiquitus in Aegypto culta). — De aliis v. SERPENS.

L. FONCK.

CERETHAEI (2 Reg. 20,23) vel **CERETHI** (1 Reg. 30,14; 2 Reg. 8,18; 15,18; 20,7; 3 Reg. 1,38. 44; 4 Reg. 11,4. 19; 1 Par. 18,17), כְּרֵתִי, Χελεθί. Cerethos habes 1 Reg. 30,14, unde colliguntur fuisse tribus aliqua incolens ad meridiem tribus Iuda, fortasse philisthaica. Secus copulantur *Phelethaeis* vel *Phelethis*. Cum Ez. 25,16; Soph. 2,5 ita copulentur Cerethi (כְּרֵתִים; *Vulg.* « interfectores », « perditorum »; LXX Κρῆτες) Philisthaeis, uti secus Phelethaeis, apparet probabile Phelethi non esse nisi aliud Philisthaeorum nomen aut nomen alicuius eius gentis tribus. 2 Reg. 20,23 Phelethaeis copulantur secundum *Qeri* quidem כְּרֵתִי, sed secundum *Kethib* כָּרִי; et in aula Athaliae 4 Reg. 11,4. 19 habentur כָּרִי et רָצִים (« cursores ») : potuerunt iidem ab aliquo suo officio dici « cursores », qui ab origine primitus dicebantur Phelethi. Secundum hos textus videntur iidem fuisse כְּרֵתִי atque כָּרִי; cave tamen ne, vocum similitudine pellectus, affirmes aut Cretenses fuisse aut Cares. Adverte item, qui e tribu כרתי primum seligebantur praetoriani, eosdem ex alia postmodum tribu כָּרִי omnino diversa potuisse conscribi. Illud satis probabiliter affirmabis, fuisse illos non Hebraeos, fuisseque unam cohortem, non duas, cum unicus semper dux eis adscribatur. Erant custodes corporis regis.

CEROS (קֵרֹס, Κάδης Esdr. 2,44; קֵירֹס, Κιράς Neh. 7,47 Vulg. 48), Nathinaeus, cuius filii duce Zorobabel ex captivitate redierunt.

CERVUS, CERVA. 1. Cervus et cerva in hebraeo אַיָּל, אַיָּלָה s. אַיֶּלֶת audiunt; in reliquis linguis semiticis simili nomine designantur, quod etiam a versionibus orientalibus constanter retinetur. Vulgata ubique *cervus* explicat, exc. Lam. 1,6, ubi tamen pro massorethico אֵילִים melius cum LXX (κριοί) et Vulgata (*arietes*) אֵילִים videtur legendum esse. Pariter LXX fere semper ἔλαφος interpretantur (exc. Gen. 49,21; Hab. 3,19). Utraque versio graeca, et latina etiam יְעֵלִים in Ps. 103 [104],18 ἐλάφους et cervos explicat, quos S. Hieronymus alibi melius *ibices* dicit (1 Reg. 24,3; Iob 39,1. V. IBEX). *Hinnulus* vero cervi עֹפֶר הָאַיָּלִים vocatur (Cant. 2,9.17; 8,14).

De nominibus hebraicis v. *F. Hommel*, Namen d. Säugeth. 279 s. 283. 391-393. Cf. *P. de Lagarde*, Mitteilungen I. 105; *Ios. Halévy*, Journ. asiat. Sér. VII. T. 13, 388; *Th. Nöldeke*, Sitzungsber. d. Berl. Akad. d. Wiss. 1882, 1190 etc.

2. Cervus in Scriptura inter animalia munda recensetur (Deut. 14,5) atque cibum etiam Salomoni acceptum praestabat 3 Reg. 4,23 hebr. 5,3; cf. Deut. 12, 15. 22; 15,22). Describitur animal gracile ac velox (Gen. 49,21; 2 Reg. 22,34; Ps. 17[18],34; Cant. 2,9. 17; 8,14; Is. 35,6; Hab. 3,19), cuius pulchritudini personae dilectae comparantur (Prov. 5, 19), ac sicut per capreas ita et per hinnulos cervorum filiae Ierusalem in Cantico adiurantur (2,7; 3,5). De partu cervae difficili ac mirabili Dominus Iobum interrogat (Iob 39,1-4; cf. Ps. 28,9); catulorum autem amantissima exhibetur, quos non deserit nisi extrema inopia coacta (Ier. 14,5).

3. De cervo currente ad fontes aquarum (Ps. 41[42],2) Patres et interpretes antiquiores, sicut et scriptores veteres multas narrarunt fabulas ex Physiologo haustas. At demptis fabulis factum ipsum cervi (vel cervae, si femininum אַיָּלָה propter formam in verbo adhibitam legendum praeferas) ad fontes aquarum properantis, in antiquis sculpturis assyriacis figuratum (*G. Rawlinson*, Five great monarchies *ed.* 4 I. 519), et venatoribus satis notum, nihil videtur habere fabulosi, neque rationes criticae relinquendum esse cervum convincunt. — De titulo autem Ps. 21[22] « *super cervam aurorae* » (Vulg. pro susceptione matutina) consulantur probati auctores.

4. Nomine hebraico non cervum, sed potius caprae silvestris seu ibicis vel gazellarum speciem designari censuerunt *Rosenmüller* (ad *Bochart*, Hieroz. II. 233 s.; sed cf. eiusd. Bibl. Alterth. IV. 2,165 s.), *Hommel* (l. c.) aliique. Verum auctoritas veterum interpretum absque gravi ratione non videtur relinquenda; quae quidem ratio in re praesenti inde non potest desumi, quod hodie cervi in Palaestina non adeo frequentes inveniantur. Nam imprimis licet rari sint, nihilominus ibidem exsistunt, praesertim in regione montis Thabor, ubi *Hasselquist*, *Tristram* aliique cervum damam invenerunt (*Dama vulgaris* Brookes). Praeterea idem *Tristram* ex ossibus in ditione palaestinensi repertis pristina aetate tres alias cervi species ibi exstitisse concludit, scil. *Cervus elaphus* Linné, *C. tarandus* L., *C. alces* L. Insuper Aelianus cervos in silvis Syriae haud adeo raros testatur (Hist. anim. 5,56), atque ex monumentis antiquis tum in Babylonia et Assyria, tum in Aegypto cervos sat multos exstitisse apparet. Denique animal venationi adeo obnoxium, praesertim deficientibus silvis in regione paulatim defecisse nil est quod miremur. Aliae vero rationes pro significatione *capreae* vel *ibicis* ex usu nominis arabici *iyyal* pro gazellis, vel ex textu Cant. 2,7 petitae rem multo minus evincunt. Itaque nomine אַיָּל in Scriptura revera genus cervi designari omnino probabile videtur.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. I. 880-900, *ed. Rosenm.* II. 233-264; *Frd. Hasselquist*, Reise 342; *Fr. I. Schoder*, Hierozoici specimen III. 47-63; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2,165-170; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griech. u. Röm. 217-223; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talmuds 111-113; *H. B. Tristram*, Natural Hist. of the Bible *ed.* 8,99-101; *id.* Fauna and Flora of Palest. 4; *I. G. Wood*, Bible Animals 208-215; *P. Cultrera*, Fauna biblica 231-237; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. *ed.* 3 p. 261; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 III. 430-5. 459-73; *O. Keller*, Thiere d. klass. Alterth., Innsbruck 1887, 73-101. 348-63; *G. Loreta*, La zoologia nella Bibbia 378-81. — De cervis apud Assyrios et Aegyptios cf. *A. H. Layard*, Monuments of Nineveh I. 35. 44. 50. 53; *G. Rawlinson*, Five Great Monarchies *ed.* 4 I. 224-6; *Frd. Delitzsch*, Assyr. Thiernamen 51 s.; *W. Houghton* in Trans. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, 342-5. 381 s. — *R. Hartmann* ap. *I. Duemichen*, Resultate I. 30; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 90 (fig. 356 n. 9). 95; *W. M. Fl. Petrie*, Medum, London 1892, pl. 27.

L. FONCK.

CESELETHTHABOR (כִּסְלֵת תָּבוֹר) i. e. lumbi vel fiducia Thaboris; Χασελωθαίθ), oppidum in confinibus Issachar et Zabulon prope radices occidentales montis Thabor, probabilius idem quod Casaloth tribus Issachar (19,18). Apud *Flav. Ios.* Bell. iud. III. 3,1 vocatur vicus Exaloth (Ἐξαλώθ) in Magno campo situs i. e. in planitie Esdrelon; apud *Euseb.* Onom. *ed. Lag.* 218,55 Ἐξάλους; 223,58 Ἀχεσελώθ, Χσαλούς; 302, 57 Κεσελάθ; 302,

64 Χασελλούς, Χεσσαλούς; locis correspondentibus apud S. Hieronymum Chasalus, Achaseluth, Chaselath; Eusebius et S. Hieronymus vicum ponunt 8 mil. pass. a Diocaesarea (Sepphori) orientem versus, sed rectius dicendum erat : inter orientem et meridiem. Hodie vicus vocatur *Iksal* ad occidentem montis Thabor.

Cf. *Guérin*, Galilée I. 108; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 365, 366; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XVI. 1893, p. 46; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 165; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 9; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 627. 628; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 326.

CESIL urbs (Ios. 15,30) v. BETHUL.

CESION (קְסִיּוֹן, Κισών), urbs tribus Issachar filiis Gerson levitici generis tradita (Ios. 19,20; 21,28 ; loco parallelo 1 Par. 6,72[57]) legitur Cedes (קֶדֶשׁ, Κέδες ; ad eandem urbem Issachar *F. de Hummelauer* etiam Ios. 12,22 referri censet. Hodie est *Tell Abū Qudeis* inter *Ledjdjūn*, *Rummāne* et *Zerʿīn*.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. II. 48. 69; *Legendre*, Carte de la Palestine; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 616; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 19 cum dubitatione.

CETEI (Κιτιεῖς, quorum rex Perses (Perseus) a Romanis victus est (1 Mach. 8,5), sunt Macedones. Alias Vulgata adhibet vocem Cethim (v. CETHIM).

CETHAEA (חתית, Κεττάία) legitur Ez. 16,3. 45, ubi pater Ierusalem Amorrhaeus et mater Ierusalem Cethaea dicitur seu rectius Hethaea. De sensu textuum (cf. *Knabenbauer* in Ez. 16,3. 45; de populo v. HETHAEUS, HETHAEI.

CETHIM, CETTHIM, (כתים, כתיים; Κήτιοι, Κίτιοι, Κιτιεῖς, Κεττιείμ, Κεττιείμ etc.) est nomen populi, qui cum Elisa, Tharsis, Dodanim inter filios Iavan parentis Ioniorum recensetur (Gen. 10,4; 1 Par. 1,7). Sensu strictiore hoc nomen designat Cyprum insulam (*Flav. Ios.* Ant. I. 6,1; *S. Epiph.* Cypri episcopus adv. haeres. 30,25; cf. *Gesen.* Thesaur. p. 726), in qua urbs Citium (Κίτιον) vestigium nominis effert, ut notat *S. Hieronymus*, Quaest. hebr. in Gen. 10 : « Cethim sunt Citii, a quibus usque hodie quoque urbs Cypri Citium nominatur ». Sensu latiore Cethim appellantur insulae maris Mediterranei orientalis (Num. 24,24; Is. 23, 1. 12; Ier. 2,10; Ez. 27,6) et etiam regiones maritimae adiacentes, siquidem 1 Mach. 1,1 Alexander M. egressus esse dicitur de terra Cethim et 1 Mach. 8,5 Macedones vocantur Cetei (Κιτιεῖς). Immo Dan. 11,30 naves Kittim (hebr.) intelleguntur naves Romanorum; LXX et Vulgata ex rei eventu Romanos textui inseruerunt; cf. *Knabenbauer* ad h. l.

CETHLIS (כתלישׁ, Μαχχώς, A Χαθλώς), urbs tribus Iuda in secunda provincia Sephelae (Ios. 15,40), hodie ignota.

CETRON (קְטִרוֹן, Κέδρων), urbs Zabulon, ex qua Chananaei non sunt expulsi (Iud. 1,30). Non recensetur in enumeratione urbium Zabulon (Ios. 19,10-16). Eadem esse putatur quae Cateth seu Cathed; legitur enim Ios. 19,15 : Cateth et Naalol, nostro autem loco Iud. 1,30 : Cetron et Naalol. Mutato ר in ת et omisso ון quod bis sibi succedebat propter sequens וְנַחֲלָל nomen Cetron in Cateth mutari facile potuit (*Keil; de Hummelauer* in Iud. 1,30). Aliis etiam Cartha Ios. 21,34 eadem videtur. Ceterum situs ignotus est.

CETHIM v. CETHIM.

CETURA (קְטוּרָה, Κετούρα), uxor seu concubina Abrahae, quae ei sex filios peperit : Zamran, Iecsan, Madan, Madian, Iesboc, Sue (Gen. 25,1.6; 1 Par. 1,32.33); ab illis descendunt Arabes, qui dicuntur Ceturaei.

CETUS (al. *cete*). **1.** Cetus dicitur in Vulgata hebr. תַּנִּין, quod varias habet significationes (v. DRACO). A S. Hieronymo plerumque *draco* i. e. serpens explicatur; sed aliquoties, ubi de animalibus ingentibus « quae moventur in aquis » sermo est, merito *cetus* redditur (Gen. 1,21 *cete grandia*; Is. 27,1; Iob 7,12, ubi fortasse crocodilus designatur [v. LEVIATHAN]. Cf. Dan. 3,79 κήτη, *cete*). Eodem sensu in Ps. 148,7 תַּנִּין, videtur adhiberi, ubi in Vulg. *draco* exponitur; iuxta ali-

quos etiam Lam. 4,3, ubi in textu hebraico *Kethib* תַּנִּין et *Qeri* תַּנִּים legit (Vulg. *lamiae*) vera lectio תנינים habuit, cetos designans; sed probabilius ibi de canibus aureis feminis sermo est (v. CANIS AUREUS).

2. Nomine vero ceti in Scriptura generatim magnae beluae marinae cetaceae significantur, ex quibus [praesertim *Delphinus delphis* Linné (longitudine duorum metrorum), secundum *Tristram* etiam *D. tursio* Fabricii, et *Phocaena communis* Lesson (item longit. 2 metr.) in mari Mediterraneo, in Rubro vero *Halicore Dugong* Quoy et Gaimard (longit. 3-3,5 metr.) inveniuntur. In historia creationis praeter ista animalia etiam alia cetacea multo maiora, velut balaena, 16-20, immo 22-24 metrorum longitudinem attingens, aliaque « cete grandia » vocantur.

3. Etiam piscis ille grandis, qui deglutivit Ionam prophetam (Ion. 2,1), in Evangelio κῆτος, *cetus* appellatur (Matth. 12,40). Quod sensu generaliore de magno aliquo pisce maris Mediterranei intellegendum est, v. gr. de *Carcharia glauco* Cuvier (longit. 3,5-4,5 metr.) vel de *Zygaena malleo* Shar (longit. 2,5-4 metr.). V. PISCIS.

Cf. *Sam. Bochart,* Hierozoicon *ed. Rosenm.* III. 775-784; *H. O. Lenz,* Zool. d. all. Griechen u. Römer 252-254; *L. Lewysohn,* Zool. d. Talmuds 153 s.; *W. Houghton* in Trans. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, 351 s. 378; *Fr. Hommel,* Namen d. Säugethiere 393 s.; *H. B. Tristam,* Nat. hist. *ed.* 8,151 s.; *Leunis-Ludwig,* Synopsis I. 1 *ed.* 3. p. 278 s., *A. E. Brehm,* Tierleben *ed.* 3, III. 582-622; *P. Cultrera,* Fauna biblica 39-42; *Ph. L. Martin,* Naturgesch. d. Thiere I. 1, 598-622; *O. Keller,* Thiere des klass. Alterth., Innsbruck 1887, 211-35. 416-30; *G. Loreta,* La zoologia nella Bibbia 29 s. 266. 496-506.

L. FONCK.

CHABRI (*Vulg.* Iudith 8,9; LXX 6,15 Ἀβρί, 8,10 Σαβρί, 10,6 Χαβρί), filius Gothoniel, unus ex tribus principibus (ἄρχοντες) seu presbyteris (πρεσβύτεροι) Bethuliae urbis ab Holoferne obsessae.

CHABUL terra (אֶרֶץ כָּבוּל, LXX ὅριον i. e. terminus, quasi hebraice legerint גְּבוּל) est regio viginti urbium in terra Galilaeae, quas Salomon Hiram regi Tyri tradidit (3 Reg. 9,13). Secundum contextum nomen explicandum erit ex eo, quod urbes Hiram regi non placuerunt; verum genuina interpretatio nondum innotescit. Assertum Flavii Iosephi (Ant. VIII. 5,3) Chabalon in Phoenicum lingua significare id quod minus placet (οὐκ ἀρέσκον) est mera coniectura solidis rationibus carens. Melius fortasse *Hillerus* (Onomast. V. T. p. 435): כְּהָבִיל sicut id quod evanuit, tamquam nihil. Neque maiorem lucem affundunt coniecturae recentiorum v. g. *Ewald* (Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3 III. p. 400), qui insuper affirmat nomen regionis derivari a Cabul urbe tribus Aser (Ios. 19,27), interpretationem *sicut nihil* postea esse superadditam. Alias coniecturas recenset *Gesenius,* Thesaur. p. 656. — Sitae erant illae viginti urbes in terra *Galil.* (3 Reg. 9,11 hebr.), quae septemtrionalem partem tribus Nephthali comprehendebat et circulus gentium vocabatur (cf. 4 Reg. 15,29; Is. 9,1 [8,23] et vide CEDES 1); a Flavio Iosepho l. c. dicuntur Tyro finitimae. Unde dubium non est quin fuerint urbes Chananaeorum (2 Reg. 24,7) i. e. magnam partem a gentibus habitatae. Ex 2 Par. 8,2 discimus easdem a Hiram Salomoni redditas esse, a Salomone melius exstructas et filios Israel illuc translatos ad incolendum (cf. *Keil* in 3 Reg. 9,13 et 2 Par. 8,2). Consentit Flav. Iosephus l. c. asserens Hiram regem, cum urbes ipsi displicuissent, nuntiis ad Salomonem missis dixisse sibi non opus esse civitatibus. Inepte itaque aliqui recentiores (*Riehm-Baethgen,* Handwörterbuch des bibl. Altert. I. 251) 2 Par. 8,2 deprehendunt inversionem veritatis ex posteriore erronea traditione explicandam. — A regione Chabul distinguenda non videtur urbs eiusdem nominis; v. CABUL.

CHAEREAS (Χαιρέας), praefectus militaris Gazarae praesidii muniti, frater Timothei (vide s. v.); cum Iudas Mach. Gazaram expugnaret, ambo illi duces occisi sunt (2 Mach. 10,32. 37).

CHALAL (כְּלָל, Χαλήλ), unus de filiis Phahath Moab, qui in exsilio uxores alienigenas duxerant (Esdr. 10,30).

CHALANNE (כַּלְנֵה, כַּלְנֵה, Χαλάννη),

urbis Nemrod in terra Senaar (Babylonia), enumerata cum Babylon, Arach, Achad (Gen. 10,10) et cum Emath (Am. 6,2). Plerique coniiciunt eandem esse quae Is. 10,9 nominatur Calano (כַּלְנֵה, Χαλάνη et addunt LXX ibi turrim babylonicam aedificatam esse). Fortasse est *Kulunu*. *Kullani* urbs Babyloniae meridionalis quae a Theglathphalasar III. expugnata fuit anno 738 in expeditione, in qua etiam a rege terrae Hamath tributum accepit (cf. *Schrader-Whitehouse*, *Hommel*, *Delitzsch*, *H. Sayce* ; eadem *Kulunu* commemoratur in annalibus Sargonis, qui eam cepit (cf. *Schrader-Whitehouse*). Nomen urbis semiticum traditur fuisse *Zirlab*; eam autem esse hodiernum *Zerghul* in Babylonia meridionali ad ripam orientalem *Shat el-Hai* alii affirmant (*Oppert*), alii addubitant (*Delitzsch*). *Rohling* et *Vigouroux* retinent opinionem antiquiorem Calano seu Chalanne esse urbem Ctesiphontem (Seleuciam) ad orientem Tigridis Elam versus (Targum hieros.; *S. Ephrem*, Opera omnia, Romae 1737 I. p. 154; *S. Hieron.* ad Am. 6,2; *Bochart*, Phaleg 4,18), quae opinio ex inscriptionibus cuneiformibus neque impugnatur neque commendatur. Alii denique coniiciunt Chalanne esse hodiernum *Niffar*, assyriacum *Nipuru* (*Rawlinson*, *Spruner-Menge*, *Finzi*). Vide etiam CHENE.

Cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 78. 79. II. 74. 143; *Hommel*, Die semitischen Voelker I. 463; *Delitzsch*, Paradies p. 225. 226; *H. Sayce*, Fresh Light from the ancient documents, p. 45; *Oppert*, Expèdition en Mésopotamie I. 269; *Rohling*, Der Prophet Iesaia 1872, p. 69; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, I. 359; G. *Rawlinson*, Biblical Topography 1887, p. 29; *Spruner-Menge*, Atlas antiquus III; *F. Finzi*, Ricerche per lo studio dell' antichità Assira, p. 13.

CHALCHAL v. CHALCOL.

CHALCOL (כַּלְכֹּל, Χαλκάδ) enumeratur inter sapientes, quibus Salomon sapientior praedicatur (3 Reg. 4,31; hebr. 5,11); idem erat ex posteris Zare filii Iuda (1 Par. 2,6; *Vulg.* Chalchal. LXX Χαλχάλ).

CHALDAEA, CHALDAEI (כַּשְׂדִּים, Χαλδαία. Χαλδαῖοι). Chaldaeorum meminit Iob 1,17; sed his fortasse nomen est a Cased Gen. 22,22, quem inclytae genti Chaldaeorum immerito tribuunt aliqui ob solam nominum similitudinem. Abraham Gen. 11,28. 31 (cf. 15, 7; Neh. 9,7; Iudith 5,6 s.; Act. 7,4 narratur egressus esse de Ur Chaldaeorum (v. UR). Cf. etiam CHUS. Postea de illis silet Scriptura usque ad tempora Nabuchodonosor, regis Chaldaeorum : 4 Reg. 24,2; 25; 2 Par. 36,6. 17; Esdr. 5,12; Is., Ier., Ez., Dan. passim; Baruch 1,2; 6,40; Hab. 1,6. Monumenta assyriaca praeter Babyloniam proprie dictam seu regionem Akkad norunt ad oram sinus Persici regionem *Kaldu* vel *Kaldi*, cuius finibus continebatur etiam urbs Ur (*Mughair*). Cum autem Assyrii saepenumero, ubi Babylonii utebantur litera sibilanti, substituerint liquidam, forma hebraea *Kasdim* probabilius proxime accedit ad nativam nominis in Babylonia formam. Fines gentis bellicosissimae septemtrionem versus diversis temporibus diversi exstiterunt. Quandoque nomen ipsam Babyloniam includit.

Diuturna exstitit Chaldaeorum cum Assyriis concertatio, quod utraque gens Babylonem suam facere niteretur. Theglathphalasar (III.) II. (745-727), occasione sumpta turbarum Babylone exortarum, 729 regnum Babylone ipse suscepit et a regulis Chaldaeae tributa exegit, inter quos erat Merodach Baladan, filius Baladan (4 Reg. 20,12; Is. 39,1), cuius provincia ab antecessore aliquo Iakin vocabatur Bit-Iakin. Sed, ubi mortuo Salmanassare IV. (727-723) Sargon II. (722-705) Assyriae rex factus est, Merodach Baladan, « rex Chaldaeorum », Babylone potitus est et Chumbanigam, regem Aelam, sibi foedere iunxit. Contra quos Sargon 721 incerto, immo fortasse adverso proelio decertavit. Idem vero 710, fusis primum Aramaeis ac postea Aelamitis, tanto terrore Chaldaeos perculit, ut Merodach Baladan Babylone in proprios fines se receperit. Sargon a sacerdotibus Babylonis honorifice exceptus deosque veneratus regnum ipse 709 suscepit. Interim Merodach Baladan in Chaldaea castris canalibus undique

cinctis « veluti in latebris alitum aquatilium » se continebat. Sed magna suorum strage facta in urbem suam Dur Iakin reiicitur, urbs incendio absumitur, rex cum suis captus esse affirmatur, tamen brevi post libertate rursum fruitur. Sennacherib 704-681, ubi patri in Assyria successit, sollemni ritu Babylonis regnum sibi assumere neglexit. Mox Hagises seu Marudukzikirsumi rebus Babylone potitur, sed post mensem cedit Merodach Baladano, qui tamen solis novem mensibus regnavit, dein proelio ab Assyriis fusus cum sociis suis Aramaeis et Aelamitis, captis uxoribus et universa supellectili, in paludes primum ac postea in Aelamitiden aufugit. Sennacherib, ut Babylonios sibi devinciret, Belibum seu Belibni e regum Babyloniorum stirpe aliqua prognatum, sed in Assyriorum aula educatum illis regem concessit 702-699. Eundem tamen mox sive quod minus fidus sive quod segnior esset, in Assyriam deportavit suumque proprium filium Assurnadinsum regem Babylone instituit 699-693. Suzub, regulus Chaldaeus, victus fuga se subduxit. Vastato regno Bit Iakin, cui cognati Merodach Baladani tum imperabant, decrevit Sennacherib 694 antiquum hunc suum inimicum in ipsa Aelamitidis latibula persequi. Classis per captivos Phoenices in sinu Persico exstruitur, locus invaditur terra marique, tamen Merodach Baladan hostium manus evasit totaque expeditio in cladem versa est, ubi Challusu rex Aelam Assyrios tergo aggressus Babyloneque potitus Assurnadinsumum captivum abduxit Suzubumque, cui regium nomen Nirgalusizib, in eius locum suffecit. Cui post octodecim menses proelio capto et in Assyriam abducto sufficitur alter Suzub Chaldaeus (Musizib-Marduk 692-688), qui tandem et ipse captivus in Assyriam migravit. Quod Sennacherib post haec neque alium quemquam regem instituerit, neque regnum ipse sollemni ritu capessiverit, ideo h. l. Canon Ptolemaei scribit interregnum 688-680. Asarhaddon 680 (in Assyria 681)-668 regium Babylone honorem sibi reservavit, filium Merodach Baladani, cuius nominis lectio anceps, seditionem attentantem facile repressit, ornandae Babyloni plurimam curam impendit. Cuius filius Assurbanipal Babyloni fratrem Samassumukin (668-648) praefecit, qui 652 coniuravit cum Nabubelzikri, Merodach Baladani nepote, cum Ummanigas Aelamitarum rege, Psammeticho rege Aegypti, Phoenicibus, Arabibus, fortasse etiam cum Manasse rege Iuda. Verum Aelamitarum res mox 650 bello civili pessum ierunt, Chaldaea ad obsequium est revocata, cives Babylonis fame exasperati Samassumukinum in flammas coniecerunt. Regiam Babylone dignitatem iam ipse Assurbanipal suscepit assumpto, uti videtur, novo nomine regio Kandalaan 647-625. Eo aut superstite aut vix mortuo Chaldaei insurrexerunt, Nabopolassar (Nabupalusur 625-604) cum exercitu contra illos missus se eis iunxit, factusque est dynastiae chaldaeae caput, quae dynastiae assyriacae Babylone successit. Anno 607 vel 606 Ninive a Medis, opem fortasse ferentibus Babyloniis, destructa est. Babyloniis cesserunt provinciae omnes, quae inter Tigrin flumen Taurumque montem continebantur. Patri successit Nabukudurusur 604-562 (v. NABUCHODONOSOR), huic filius Avil Maruduk 561-560 (v. EVILMERODACH), qui a sororis marito Nergalsarusur occisus est (559-556). In cuius filii Labasi Maruduk adhuc infantis locum suffectus est Nabunaid (554-538), non regio sanguine natus, vir ornandorum templorum perquam sollicitus, sed rei publicae administrandae impar. Cuius filium etiam Belsarussur monumenta commemorant (v. BALTASSAR 2). Cyrus a Babyloniis veluti liberator videtur esse receptus, paucisque diebus post moritur Nabunaid. Is regni Chaldaeorum finis. — An Chaldaei aut gens aliqua eorum affinis scripturae cuneiformis auctores exstiterint, non liquet. Illis fortasse auctoribus tribuendae incantationes, omina, observationes astrologicae et astronomicae; cf. *F. Lenormant,* La magie chez les Chaldéens et les origines accadiennes, Paris 1874. Reapse astrologia et auguria Chaldaeorum postmodum ita propria habebantur, ut apud antiquos astrologi et augures simpliciter Chaldaei audirent (cf. Dan. 2,2. 4).

Cf. C. P. *Tiele*, Babylonisch-assyrische Geschichte, Gotha 1886 et 1888; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test., London 1885 et 1888; Zeitschr. für Keilschriftforschung, Leipzig 1884 et 1885; Zeitschr. für Assyriologie, Leipzig 1886 ss.; *A. Delattre*, Les Chaldeens, in Revue des questions historiques XXI. 1877 p. 536 ss.

CHALE (כָּלַח, Χαλάχ), una ex quattuor urbibus assyriacis, quae a Nemrod Babylonio, filio Chus, conditae sunt et civitatem magnam Ninive efformant; quattuor illae partes sunt Ninive sensu strictiore accepta, Rechoboth Ir (*Vulg.* plateae civitatis), Chale, Resen (Gen. 10, 11. 12). Chale assyriace est *Kalach* ad confluentem Tigridis et Zab superioris et ad meridiem Ninive sita, nunc *Nimrûd*. Rex Assurnasirhabal 885: « Antiqua urbs Kalach », inquit, « quam Salmanassar (i. e. Salmanassar I. c. 1300) Assyriae rex, antecessor meus, fundaverat, ea urbs conciderat et deperierat: eam urbem ego reaedificavi » (cf. *Schrader-Whitehouse*). Ex hoc tamen effato concludere non licet, ante 1300 eam urbem nullatenus exstitisse: dicuntur reges eas etiam urbes fundare, quas iam exsistentes amplificant et muniunt (*F. de Hummelauer* ad h. l.).

De ruinis, situ et historia Chale v. *Rawlinson*, The five great Monarchies *ed.* 2 I. p. 200 ss. II. p. 57. 91. 196. 230. Praeterea cf. *Delitzsch*, Paradies p. 261; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. 80 ss.

CHALI (חֲלִי, Ἀλέφ), oppidum tribus Aser (Ios. 19,25). Fortasse *Khirbet 'Alia* in media fere tribu Aser prope vicum *Ma'lia*.

Cf. *Guérin*, Galilée II. 62; *Legendre*, Carte de la Palestine; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. in tabula geogr. Galilée p. 648/649; sed *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 231 hanc situs determinationem valde incertam esse iudicat.

CHAM (חָם, Χάμ), filius Noe natu minimus Gen. 5,31; 6,10; 7,13; 9,18. 22; 10,1; 1 Par. 1,4. Si nomen שֵׁם derives ab altitudine et nomen יֶפֶת ab expansione, nomen חָם merito explicabis a calore, ut in prima Noachidarum patria Sem obtinuerit montana, Cham tractum inferiorem et calentem, Iaphet desertum. Neque inde admittere cogeris, nomina primitus e lingua semitica esse deprompta, sed potuerunt in illam postmodum verti, sono non vero significatione mutata. Aegyptii antiquitus suam regionem appellabant *Keme-t* i. e. terram nigram, quod nomen hebraicae linguae adaptatum reapse sonat חָם. Hinc Aegyptus Ps. 77[78],51; 104[105],23. 27; 105[106],22 vocatur « terra Cham », quod nomen Hebraeis, potius quam vocem *Keme-t*, in memoriam revocabat Cham, patrem Mesraim. Perperam inde inferat quis, aut ipsum Cham aut eius posteros colore cutis exstitisse nigros. Gen. 9,20-27 irreverentia Cham in patrem Noe admissa punitur in filio Chanaan. Qui Gen. 10,6-20 et 1 Par. 1,8-16 recensentur posteri Cham, incolebant potissimum Arabiam, Aethiopiam, Aegyptum, Chanaanitiden, Phoenicen, Syriam. Semel tantum 1 Par. 4,40 aliqui eius posteri non nomine gentilicio, sed universaliore nomine Cham designantur, nisi tamen ibi de altero quodam Cham agatur a priore distinguendo. — Quod aliquando crederentur tribus familiis gentium e Noe prognatarum correspondere tres familiae linguarum, invaluit *linguarum chamiticarum* appellatio. An tota primitus posteritas Cham unica locuta sit lingua a semiticis et iapheticis plane diversa, ignoramus. Postmodum certe aliqui eius posteri loquebantur linguis chamiticis (Aegyptii etc.), alii semiticis (posteri Chanaan).

CHAMAAL (בַּמְהֵל, Βαμαήλ), unus ex filiis Iephlat de tribu Aser (1 Par. 7,33).

CHAMAAM (כִּמְהָם et 2 Sam. 19,41 כִּמְהָן; Χαμαάμ), unus de filiis Berzellai Galaaditis (2 Reg. 19,37. 38. 40, hebr. 19,38. 39. 41; cf. etiam 3 Reg. 2,7). Apud Flavium Iosephum scribitur Ἀχίμανος, var. Ἀχάμανος (Ant. VII. 11,4 *ed. Niese*). Ad eundem fortasse refertur Ier. 41,17; v. s. v. seq.

CHAMAAM (כִּמְיָהָם *Kethib*, sed in multis mss. כִּמְהָם; cf. *B. Kennicott*, Vet.

Test. hebr., Oxford 1776-1780 II. p. 151; LXX Γαβηρωχαμάα, sed cum multis var.), locus quidam iuxta Bethlehem, apud quem Iudaei per aliquod tempus substiterunt, antequam a facie Chaldaeorum in Aegyptum emigrarent (Ier. 41,17). Vulgata vertit : et sederunt peregrinantes בְּגֵרוּת in Chamaam; sed istud ἅπαξ λεγόμενον בְּגֵרוּת ex etymo גוּר = *peregrinari* potius significat : in diversorio. Unde iam *Calmetus* et recentiores communiter vocem interpretantur de publico diversorio, quod Chamaam, filius Berzellai, in communem utilitatem erexerit vel quod saltem a Chamaam proprietario istius terrae nomen duxerit; insuper coniiciunt, Chamaam istam terram a Davide dono accepisse pro servitiis, quae Berzellai Davidi praestiterat.

Alii vero pro גֵרוּת legere malunt גְּדֵרוֹת — *caulae;* quae coniectura fulcitur tum ab Aquila, qui vertit ἐν τοῖς φραγμοῖς i. e. in septis, tum a Flavio Iosepho, qui locum Μάνδρα i. e. septum ubi pecora includuntur seu caulam appellari refert (Ant. X. 9,5).

CHAMAELEON. 1. Inter « polluta de his quae moventur in terra » chamaeleon a S. Hieronymo, sicut a LXX (χαμαιλέων) recensetur, ubi textus hebraicus כֹּחַ nominat (Lev. 11,30). Ex reliquis versionibus chaldaica et samaritana vocem hebraeam retinent, Peshitta חוּלדָא i. e. talpam intellegit, eandemque Arabes manuscripti (ap. *Bochart*), editi vero magnae lacertae speciem (*ḥirdawn*), Graecus venetus denique σαῦραν i. e. lacertam in genere explicant. Praeter nomen in Scriptura nihil de hoc animali habetur.

2. Uti versiones, ita et auctores de significatione nominis כֹּחַ quam maxime inter se dissentiunt. Etymologiam nominis a *robore* dicti secutus *Sam. Bochart* « lacertorum in Arabia maximum et validissimum », *waral* dictum, interpretatur. Alii alias coniecturas praeferunt, quibus ostium apertum relinquitur. Id unum videtur certum, כֹּחַ esse speciem lacertarum, de quibus in versiculo legis citato sermo est. Sed cuinam ex 44 palaestinensibus lacertilium speciebus, quas *H. B. Tristram* in catalogo suo enumerat (Fauna and Flora of Pal. 148-154), honor כֹּחַ biblici adiudicandus sit, et num praeferendus sit ille quem ipse *Tristram* « cum optimis criticis » aptiorem censet, *Varanus arenarius* Duméril et Bibron (Nat. hist. *ed.* 8,262) seu *Psammosaurus scincus* Merrem (*Tristram,* Fauna 148), qui secundum plures auctores est veterum crocodilus terrestris (v. CROCODILUS), haud facile quis dixerit, ac deficientibus argumentis probabilibus in medio praestat relinquere.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. IV. 3, *ed. Rosenmüller* II. p. 493-7; *I. D. Michaelis*, Supplem. ad lex. hebr. p. 1221; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2 p. 260 s.; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talmuds p. 223-5; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3 p. 549; *A. E. Brehm*, Tierleben, *ed.* 3 *Pechuel-Loesche* VII. p. 118-20; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. der Thiere II. 1 p. 55-7; *H. Ch. Hart*, Animals of the Bible p. 56 s.; *I. G. Wood*, Bible animals, *new ed.* p. 539 s.

3. *Chamaeleon*, quem LXX et Vulgata intellegunt, est lacertae species ex subordine *Vermilinguium* seu *Leptoglossarum* (*Chamaeleo vulgaris* Daudin), quae praesertim in Africa septemtrionali, sed etiam in Palaestina, sicut in Arabia, Syria, Asia minore atque in Hispania meridionali (per accidens etiam in Sicilia; *P. Cultrera*, Fauna biblica 341) frequens invenitur. Multa de eo mirabilia multaeque fabulae a veteribus ac recentioribus referuntur, quae longum est hic enarrare, quamvis iam Democritus animalculum hoc curiosum « peculiari volumine dignum existimaverit, mendaciis Graeciae vanitatis pleno » (*Plin.* XXVIII. 8,112; cf. VIII. 33,120-2). In S. Scriptura secundum plerosque auctores non nomine כֹּחַ, sed תִּנְשֶׁמֶת videtur designari, quod S. Hieronymus *talpam* exponit. V. TALPA.

Cf. *S. Bochart* o. c. IV. 6, *ed. Res* p. 503-9; *F. Hasselquist*, Reise in Pal. *ed. C. Linnaeus*, Rostock 1762, p. 348-51; *Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2 p. 265-7; *H. O. Lenz*, Zool. d. alten Griechen u. Römer p. 430-2; *Tristram*, Nat. Hist. p. 262 s.; *id.*, Fauna p. 154; *P. Cultrera*, Fauna bibl.

p. 339-41; *Leunis-Ludwig* l. c. p. 569 s.; *A. F. Brehm* l. c. p. 168-77. *Ph. L. Martin* l. c. p. 112-8; *P. Ascherson* in Verhandl. d. Berl. Ges. f. Anthrop. 1887 p. 343 s.; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, p. 125 s.; *H. Ch. Hart* l. c. p. 57-9; *I. G. Wood* l. c. p. 534-9; *G. Loreta*, La zoologia nella Bibbia p. 136 s.

L. FONCK.

CHAMOS (כְּמוֹשׁ, Χαμώς), deus Moabitarum Num. 11,29; Iud. 11,24; 3 Reg. 11,7. 33; 4 Reg. 23,13; Ier. 48,7. 13. 46). Moabitae populus Chamos appellantur Num. 21,29, et Chamos dicitur abominandum illud idolum quod Moabitae colunt (4 Reg. 23,13 secundum hebr.). Fuisse deum primarium iam ex nomine populi Chamos colligitur et indicatur etiam modo quo Ieremias loquitur: « ibit Chamos in transmigrationem, sacerdotes eius et principes eius simul, confundetur Moab a Chamos; vae tibi Moab; periisti popule Chamos » (48,7. 13. 46). Apud Ammonitas, quorum deus alias Moloch dicitur, etiam pro Moloch nomen Chamos esse usurpatum, elucet ex Iud. 11,24, ubi Iephte Ammonitis dicendum curat per nuntios : nonne ea quae possidet Chamos deus tuus tibi iure debentur? Et Chamos revera indolem Moloch prae se ferre (vel generatim non esse nisi aliud nomen pro Baal) etiam concluseris ex eo quod Mesa, rex Moab, in summa necessitate constitutus « arripiensque filium suum primogenitum obtulit holocaustum super murum » (4 Reg. 3,27); et ad eiusmodi sacrificia etiam alludi Am. 2,1 aliquorum est opinio. In inscriptione Mesae etiam Chamos (כמש) designatur, qui populum Moab, uti eum ira commotus Israelitis opprimendum permisit, ita eum a subiectione liberat; in eius honorem Mesa incolas urbium Israel anathemate percutit; ibi quoque Chamos loquitur iubens regem descendere et pugnare contra Horonaim etc. — Uti apud Israelitas nomina virorum componuntur cum nomine Dei (El, Iahwe), ita apud Moabitas cum Chamos; Chamosgad nomen est patris Mesae; Chamosnadab (in inscriptione assyriaca) etc.

Cf. *P. Scholz*, Goetzendienst und Zauberwesen, Regensburg 1877, p. 176-182; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 III. 80.

CHANAAN (כְּנַעַן, Χαναάν), filius Cham. An is Gen. 10,6 et 1 Par. 1,8 ideo quartus recenseatur, quod fuerit fratrum minimus natu, vel fortasse quod maximus natu cum esset (cf. Gen. 9,18), ob patris impietatem Gen. 9,25-27 primatu suo exciderit, non liquet. Est pater gentium Gen. 10,15-18 recensitarum, quae per Syriam quidem mox aliis gentibus miscebantur, continuam vero obtinebant regionem a Sidone usque Gomorrham (Gen. 10,19). Phoenices suam regionem Chanaan, se ipsos Chananaeos vocabant (cf. Is. 23,11; Matth. 15,22); vox chananaeus evasit nomen mercatoris (Iob 40,30 *Vulg.* 25; Prov. 31,24), quod Chananaei seu Phoenices mercaturam exercerent. Aegyptiis Chanaan ad orientem isthmi incipiebat complectebaturque Phoenicen (*W. M. Müller*, Asien u. Europa nach altägyptischen Denkmälern, Leipzig 1893, p. 205 ss.). Assyrii vero hoc nomen ignorabant, vocabantque totum eum tractum *māt akharri* — occidentem. Illum igitur tractum continuum promisit Deus patriarchis eorumque semini Gen. 17,8 etc., qui erat ad occidentem Iordanis (Num. 32,30. 32; 33, 51; 34,2; 35,10. 14), Philisthaeam includebat et ad Sidonem usque pertingebat (Ios. 13,3 ss.). Cuius fines Num. 34,3-12 et Ios. 15 ss. accurate describuntur. Consule articulos, qui singularum tribuum fines describunt et PALAESTINA.

Hanc terram semini Abraham promissam incolebant aliquae etiam gentes, quae non essent Chanaane ortae. Amalecitae videntur a meridie penetrasse in Negeb Num. 13,30(29), et fortasse alibi etiam in valles aliquas 14,25. Reliquiae aboriginum videntur fuisse Raphaim, quos cis Iordanem tantum in finibus Ephraim (Ios. 17,15; sed cf. LXX) offendimus, et Pherezaei, qui in montibus reperiebantur (Ios. 11,3; 17,15). Ipsorum Chananaeorum variae distinguebantur familiae; montes incolebant Hethaei, Iebusaei, Amorrhaei (Num. 13,30; Ios. 11,3); Hevaei circa fines Sidoniorum radicesque montis Hermon potissimum reperiebantur (Ios. 11,3; Iud. 3,3; 2 Reg.

Paris
CHANAAN
tributim descripta
Notae
Termini tribuum
Fines areae de finibus Juda, Ephraim, Aser et Issachar et concessi Simeon, Dan et Manasse
Pagus communitatis sacerdotum, pro finibus quae praeerant a Beniis
I-VI M Provinciae mensis Juda
I-III N Provinciae Sephelae Juda
Munitiones Tyriorum
Munitiones Israelitarum et Chananaeorum
Munitiones Philisthaeorum
Hermon
Leontis Fl.
Tyrus
Libanus
Bethanath
Jegu
Anec
Achsaph
Rama
Cenereth
Madon
ZABULON
Astaroth
Edrei
Samaron
Dor
Megiddo
ISSACHAR
Lebonah Fl.
Thanaec
Jebleam
Bethsan
MANASSE
Thersa
Sichem
EPHRAIM
Gazer
Accaron
BENJAMIN
Jericho
Azotus
Jerusalem
Ascalon
Gedera
Odollam
Egion
Lachis
Gaza
Hebron
Bethsur
Dabir
Arad
Bethlehem
Bethsamus
Bethgamul
Ar Moab
Qir Moab
Rogma
MARE SALIS
MARE GALILAEAE
MARE MORTUUM
Jordanis
Jordan Fl.
Arnon Fl.
Jabbok
Jaezer
Rabbath Ammon
Heshbon
Redaba
RUBEN
Mareth
Kiriathaim
Bethsimus
Bethsimus
Bethsimus

24,7 ; Gergesaei ubi habitaverint nescimus; Chananaei tandem, quibus hoc nomen arctiore acceptione tribuebatur, planitiem obtinebant secus mare et circa Iordanis fluenta (Num. 13,30; 14,25; Ios. 17,16. 18; Iud. 1,19), et ob plurimos currus ferreos (cf. Ios. 11,4. 6. 9; Iud. 4; 5,14. 28) Hebraeis terrori erant. Horum omnium nomina propria, tam quae in S. Scriptura quam quae in monumentis reperiuntur, sunt semitica; lingua Phoenicum linguae hebraeae erat perquam affinis. Morum magna erat licentia (Lev. 18,3. 24 ss.), quare a Chananaeorum conjugiis (cf. Gen. 28,1. 6. 8) severe interdicebantur Hebraei (Ex. 34, 16; Deut. 7,1 ss.), ne in similem luxuriam et in idololatriam pellicerentur (Iud. 2). De Chananaeorum superstitionibus cf. BAAL. Moyses devicit Chananaeum regem Arad, qui habitabat in Negeb (Num. 21). Quoad sequentia bella v. IOSUE. Quo viro mortuo tribus Iuda et Simeon fines sibi a Iosue assignatos, excepta Philisthaea, occupaverunt; contra Philisthaeos ancipite marte plures regum Iuda dimicaverunt, donec illi tandem 323 a. Chr. regno Syriae absorpti sunt (v. PHILISTHAEI). Permanserunt praeterea Iebusitae in Ierusalem Iud. 1,21), quos David expulit 2 Reg. 5,6-9. Plures urbes chananaeae in aliarum tribuum finibus factae sunt tributariae (Iud. 1, 27-36), quod confirmavit Salomon 3 Reg. 9,21; 2 Par. 8,8.

CHANAANA (כְּנַעֲנָה, Χαναανά), pater Sedeciae cuiusdam pseudoprophetae tempore Achab (2 Par. 18,10).

CHANANA (כְּנַעֲנָה, Χαναανά), Beniaminita ex filiis Balan (1 Par. 7,10).

CHANANI (כְּנָנִי, Χωνενί), levita tempore Esdrae (Neh. 9,4). LXX coniungentes nomen praecedens Bani cum Chanani interpretantur υἱοὶ Χωνενί.

CHANATH v. CANATH.

CHAOS Luc. 16,26 explicatur χάσμα i. e. hiatus, vorago. Inter locum, ubi Lazarus in sinu Abraham recumbit, et inter locum, ubi dives ille helluo in flamma cruciatur, est intervallum seu hiatus, vorago « ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint neque inde huc transmeare », ut Abraham ait. Et χάσμα hoc magnum firmatum est. Simul ipsa locutione Abraham enuntiatur immutabilitas et perennitas utriusque conditionis.

CHARACA (εἰς τὸν Χάρακα), nomen loci transiordanici in terra Galaad, quem Iudaei, qui vocantur Tubianaei, incolebant (2 Mach. 12,17). Censet *Patrizi* nomen esse appellativum (ὁ χάραξ castra munita, syrochaldaice כרכא arx) atque Characa non aliam esse, quam illam munitionem Datheman (vide s. v.), cuius mentio fit loco parallelo 1 Mach. 5,9; supponendum igitur erit Datheman appellatione antonomastica *munitionem*, *keraka* appellari consuevisse idque ex libro primo Mach. suadetur, in quo semel tantum nomen Datheman profertur (1 Mach. 5,9), ter autem appellativum : munitio, τὸ ὀχύρωμα (5,11. 29. 30). Alii tamen huic solutioni non acquiescunt et nomen proprium urbis distinctae agnosci volunt; eius autem situm coniiciunt esse *el-Ḥarāk* in *Wādi el-Ghar* inter *Djebel Ḥaurān* et *Tell ʿAshtare* (Astarothcarnaim); ita *Riess*, *Furrer*. Haud procul ab *el-Ḥarāk* inter meridiem et orientem invenitur *el-Kerak*, quem situm pro Characa praeferendum esse censet *Legendre*.

Contra utrumque situm (*el-Ḥarāk* et *el-Kerak*) maxima difficultas est, quod 2 Mach. 12,17 Characa 750 stadia (circa 140 km) inde i. e. a Casphin (*Khisfīn?*) distare dicitur. Haec difficultas tanta est, ut aliqui pro 750 legendum esse coniiciant 75 stadia (*Furrer*). Alia via solvendi difficultatem pateret, si forte textum graecum ita vertere liceret : inde i. e. a Casphin, progressi 750 stadia scil. a Ierusalem, venerunt in Characa. Poterat enim auctori sacro commemoratione dignum videri, quanto intervallo a Ierusalem in illa expeditione transiordanica abfuerint; quo admisso cessaret difficultas, quoniam uterque locus supra pro Characa indicatus circa 150 km in linea recta a Ierusalem abest (*I. P. van Kasteren*).

Cf. *Patrizi*, De consensu utriusque libri Mach. 1856, p. 276; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 9; *Furrer* in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XIII.

1890 p. 200; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 577-579; *I. P. van Kasteren* in litteris ad editorem huius Lexici missis.

CHARADRIUS (al. charadrios, al. charadrio; v. *Vercellone*, Var. lect. Vulg. Lev. 11,19; Deut. 14,18).

1. In catalogo avium immundarum charadrius bis commemoratur (Lev. 11,19; Deut. 14,18). Nomen eius hebraicum אַנָּפָה, quod S. Hieronymus cum LXX γαραδριός explicavit, versio samaritana *hirundinem*, arabica in Polyglottis *psittacum*, alia arabica aquilae genus, Peshitta אנפא retentis signis hebraicis, Onkelos אבי, Targ. hierosol. אבניתא. Graecus venetus τὴν θυμοτρῖδα (ἡ, θυμώτρια) interpretantur.

2. Cum Scriptura nihil praeter nomen et additum « iuxta genus suum » de hac ave referat, neque ex veterum auctoritate significatio nominis constet, satis difficile videtur speciem illius determinare. Nomen quidem, at non significatio, etiam ex linguis assyriaca (*anpatu*; *Frd. Delitzsch*, Ass. Handw. 104b) et syriaca (אנפא) noscitur. *Sam. Bochart* interpretationem versionis graecae et latinae potius lectioni אנפה tribuendam censet, cum charadrius sit avis in *ripis* (אנף) degens, atque ipse ex etymo nominis (אנף) avem aliquam valde *iracundam* intellegit, fortasse arabum *zummag*, aquilae genus, cui ab ira nomen est (Hieroz. II. 334-342, *ed. Rosenm.* III. 97-106). Quae valorem coniecturae satis ingeniosae non excedere patet, licet eadem etymologia Graeco veneto atque interpretibus arabibus et talmudicis placuerit; neque magis psittacum, alteram avem irascibilem, intellegendum esse probabis, quem etiam Physiologus charadrium videtur appellare, nec denique ardeam, quam *Rashi* pluresque recentiores anapham ab irascendo dictam supponunt.

3. *Charadrius* interpretis graeci ac latini (germ. *Regenpfeifer, Charadrius pluvialis* s. *auratus* Linné) in Palaestina satis communis est; praeter ipsum multae aliae species ex familia Charadriidarum ibidem inveniuntur. Est avis celebris praesertim in Physiologi fabulis, cui inter alia aegris sanitatem aut mortem praenuntiare tribuitur. Etiam in picturis aegyptiacis charadrii species inter alias aves agnosci potest (*Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 114; III. 326 s.).

Cf. *L. Lewysohn*, Zool. d. Tamulds 169 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, 241-243; *id.* Fauna and Flora of Pal. 109. 128-31; *I. G. Wood*, Bible Animals 468-74; *P. Cultrera*, Fauna biblica 323; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3 p. 469; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 VI. 64-72; *Ph. Martin*, Naturgesch d. Thiere. I. 2,456-8; *G. Loreta*, La zoologia nella Bibbia p. 126.

L. FONCK.

CHARAN. 1. Charan (חָרָן, Χαρράν), unus ex filiis Dison ducis Horraei (Gen. 36,26; 1 Par. 1,41). *Dillmann* (ad Gen. 36,26) coniicit nomen explicandum esse a כַּר — agnus, aries.

2. Charan urbs Mesopotamiae (Iudith 5,9; Act. 7,2. 4) v. HARAN.

3. Charan urbs quae est in medio itinere contra Niniven (Tob. 11,1) i. e. media fere inter Ecbatana et Ninive, sed propinquior urbi Ninive et in confinibus Mediae et Assyriae, ut *Gutberlet* (Buch Tobias 1877 p. 269-271) evolvit tum ex contextu tum ex comparatione diversorum textuum. Diversitas autem textuum tanta est, ut ipsum nomen urbis quale fuerit, determinari nequeat. Itala scribit Charam et etiam Caracha, cod. Sinait. Κασερίν, alii graeci codices Χαισάρεια, Peshitta Basri vel Kasri; cod. Vatic. praetermisso nomine urbis legit : μέχρις οὗ ἐγγίσαι αὐτοὺς εἰς Νινευή.

CHARCAMIS (כַּרְכְּמִישׁ; LXX Ier. 26,2 Χαρμείς, alias nomen non exprimunt), urbs fortasse maxime principalis terrae Khatti (Hethitarum; v. HETH). Sennacherib gloriatur de Charcamis ditioni Assyriorum subiecta (Is. 10,9); expugnationem urbis et subiectionem terrae Khatti factam esse anno 717 a rege Sargon (722-705) annales assyriacae testantur; verum non necessario huius expugnationis mentio Is. 10,9 ingeritur, siquidem Assyrii saepius cum terra Khatti bella gesserunt et Charcamis iam regi Theglathphalasar quotannis centum talenta solvere debebat (cf. *Sayce*, Alte Denkmäler im Lichte neuer Forschung p. 130). Apud Charcamis iuxta Euphra-

tem pugna illa commissa est, qua anno quarto Ioakim (Eliacim) regis Iuda Pharao Nechao fusus fugatusque est a Nabuchodonosor duce copiarum Nabopolassar patris sui (Ier. 46,2; cf. 2 Par. 35,20).

Charcamis, assyriace Gargamis vel Kargamis, ex iis quae inscriptionibus cuneiformibus docemur, iam non potest censeri eadem ac Circesium iuxta confluentem Chaborae (*Khabur* v. HABOR) et Euphratis, quod nominis similitudine quam maxime suaderi videbatur (*Bochart*, *Calmet*) neque *Mabbōgh*-Hierapolis (*G. Rawlinson*, *Maspero*), quod Syrus et Arabs 2 Par. 35,20 commendant, neque *Qal'at el-Nidjm* seu castellum stellarum (*Noeldeke*) a *Mabbōgh*-Hierapoli orientem versus in ripa dextera Euphratis, sed probabilissime *Djerābīs*-Europos (Εὔρωπος) aquilonem versus a *Mabbōgh*-Hierapoli et a fluvio *Sādjūr* in dextera Euphratis ripa (*G. Smith*, *Delitzsch*, *Sayce*, *Schrader-Whitehouse*, *Vigouroux*).

Cf. *Bochartus*, Phaleg 4,21; *Calmet* in Is. 10,9 et 4 Reg. 23,29; *G. Rawlinson*, The five great monarchies 1879 II. 67; *Maspero*, De Carchemis oppidi situ et historia antiquissima; *Noeldeke* in Goettinger Nachrichten 1876, 11. 13 ss.; *G. Smith* apud *Delitzsch*, Paradies 265 ss.; *Sayce*, The Academy 1876, 291. 455; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. II. 74. 75; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 IV. 137-139; eiusdem auctoris Mélanges bibl. *ed.* 2 p. 385-400.

CHARCHAS (כַּרְכַּס, Θαρεβά), septimus ex septem eunuchis Assueri (Esth. 1,10).

CHARISMATA. I. De natura, fine, duratione charismatum in genere. II. De singulis charismatis in specie. III. De dono linguarum et interpretationis sermonum.

I. *De natura, fine, duratione charismatum in genere.* **1.** *Nomen.* Charisma (χάρισμα) in N. T. sensu latiore dicitur omne donum divinum hominibus ex benevolentia (χάρις formaliter) datum (cf. Rom. 1,11; 1 Cor. 7,7; 2 Cor. 1,11); praesertim designantur hoc nomine beneficia gratiae ad oeconomiam salutis per Christum acceptae pertinentia (cf. Rom. 5,16 s.; 6,23; 11,29) facultatesque ad vitam christianam et munus ecclesiasticum necessariae (cf. 1 Cor. 1,7; 1 Tim. 4,14; 2 Tim. 1,6). Sensu vero strictiore et quasi technico charismata dicuntur dona quaedam supernaturalia gratuita, quae operationem Spiritus Sancti in ecclesia manifestant, tribuendo quibusdam fidelibus facultates ad varias operationes extraordinarias principaliter ad bonum totius ecclesiae peragendas. Quae quidem dona per Ioelem prophetam praenuntiata (2,28 s.; cf. Act. 2,16 ss.) et a Christo Domino crediturís promissa (Marc. 16,17 s.; cf. Matth. 10,1.8; Marc. 3,15; 6,7. 13; Luc. 9,1.6; Io. 14,12), primum tamquam signum adventus Spiritus Sancti Hierosolymis in festo pentecostes in Apostolis et discipulis apparuerunt (Act. 2,4-13). Saepius deinde commemorantur in Actibus (10,44-46; 19,6; cf. 8,18), a S. Petro (1 Petr. 4,10 s.) et praesertim a S Paulo (Rom. 12, 6-8; 1 Cor. 12-14; Gal. 3,5; Eph. 4,7-12), qui eadem etiam *spiritualia*, πνευματικά (1 Cor. 12,1; 14,1) et *spiritus*, πνεύματα (1 Cor. 14,12. 32) appellat.

2. *Conceptus.* Ad conceptum charismatis in sensu strictiore, quem unice respicimus, ex verbis Scripturae imprimis pertinet, ut sit donum divinum supernaturale. Negant hoc praesertim Rationalistae aliique recentioris aetatis auctores, qui charismata aut omnino naturalia dona autumant (*Eichhorn*, *Paulus*, *Schrader*, al. apud *Englmann*, Charismen, Regensburg 1848, p. 72 ss.; item critici recentiores communiter), aut quaedam naturalia, quaedam supernaturalia (*Rückert* ib.), aut ita supernaturalia, ut vera indoles supernaturalis nimis debilitetur vel etiam fere destruatur (*Baur*, *Neander*, *Schulz* ib.). Contra omnes istos doctrinam catholicam aperte testantur omnes textus citati, eamque unanimis Patrum et theologorum consensus confirmat.

Pariter certum est, charismata esse dona prorsus *gratuita;* non enim propter aliquam exigentiam naturae aut meritum aliquod personae, sed ex liberrimo suae voluntatis beneplacito Spiritus Sanctus dividit singulis prout vult (1 Cor. 12,11). Atque haec quidem nota licet

omnibus gratiis supernaturalibus communis sit et ex ipsa notione supernaturalitatis sequatur, specialiter tamen charismatis tribuitur, ita ut a theologis per antonomasiam *gratiae gratis datae* vocari soleant; non enim ad propriam sanctificationem, ut gratia gratum faciens, sed ad utilitatem ecclesiae charismata principaliter conferuntur Cf. *S. Thomas*, Sum. th. I. 2ae q. 111, a. 1, ad 3.

Porro gratiae istae gratis datae non omnibus, sed *quibusdam* tantum fidelibus tribuuntur, qui vel unum vel plura dona accipiunt. Id ex tota tractatione praesertim S. Pauli et ex historia ecclesiae constat; cf. Const. Apost. 8,1; *M.* 1,1061. (Caput istud cum secundo et parte tertii censetur magna ex parte desumptum ex opusculo *Hippolyti*, De Charismatis, deperdito; cf. *Funk*, Apost. Const., Rottenburg 1891, p. 136; *id.* in Tüb. Theol. Quartalschr. LXXV. 1893, 594).

Tribuuntur autem charismata tum iustis, tum peccatoribus, uti apparet ex verbis Christi Matth. 7,22 s. et S. Pauli 1 Cor. 13,1-3; cf. Num. 22-24 (Balaam); Io. 11,49-52 (Caiphas). Rationem explicat *Suarez*, De Grat., Proleg. III. c. 4, n.10.

Iamvero pneumatici, seu illi qui charismatis praediti sunt, hisce donis accipiunt *facultates ad certas quasdam operationes extraordinarias* in ecclesia peragendas. Quaenam sint istae operationes, ex dicendis de singulis donis patebit. Dicimus autem omnes illas operationes esse *extraordinarias*. Minus enim probanda videtur sententia eorum qui aliquibus charismatis ab apostolo enumeratis facultates ad *ordinarium* ecclesiae ministerium vel magisterium per se pertinentes tribui supponunt. Ita censent *S. Thomas* in Rom. 12 et in 1 Cor. 12; cf. I. 2ae q. 111, a. 4; *Salmeron*, *Tolet.*, *Estius*, *Iustiniani*, *Corn. a Lap.*, *Reithmayr*, *Bisping* etc.; etiam *Englmann*, qui in op. cit. de charismatis ceteroquin multa optime tractat, itemque *Seisenberger* in *Wetzer* u. *Welte*, Kirchenlexicon *ed.* 2 III. 81 art. « *Charismen* » ad extraordinarium charismatum characterem non satis videntur attendere. Iuxta Scripturam enim, quamvis munere ordinario in ecclesia fungentes saepe charismata acceperint, ipsa tamen charismata per se ordinaria illa munera non respiciebant. De donis omnino extraordinariis iuxta omnes sermo est apud S. Marcum et S. Lucam ll. cc.; talia etiam supponit apostolus Paulus. Etenim iam ipsa descriptio quam de charismatis dat 1 Cor. 12,7 « manifestatio Spiritus ad utilitatem », extraordinariam potius donorum indolem designare videtur. Praeterea nullo discrimine indicato varia charismata enumerat, ex quibus pleraque iuxta omnes sunt dona omnino extraordinaria; inter quae si etiam ordinaria ministeria commemorare voluisset, certe praecipua, de quibus alibi agit, episcopatum et diaconatum, non debuit omittere. Denique quoad dona apostoli et doctoris, de quibus praesertim dubium oriri posset, extraordinaria indoles ex antiquissimo post ss. libros scripto christiano, *Doctrina* scil. *duodecim apostolorum* (de qua cf. *ed. Funk*, Patr. apost. *ed.* 2, Tubingae 1901, p. VI. ss.; *Minasi*, Roma 1891), satis clare apparet, uti ex dicendis patebit. Cf. *R. Cornely* in 1 Cor. 12. 14.

Ex dictis colligimus, dona quae ad munera ordinaria in ecclesia gerenda per se pertinent, charismata in sensu strictiore iuxta mentem apostoli dici non posse.

Quodsi quaeritur, quaenam relatio intercedat inter facultates istas per donum acceptas et vires naturales pneumatici, certe falsum est charismata nihil vel fere nihil superaddere viribus naturalibus, vel tamquam conditionem necessariam praesupponere congruentem dispositionem et indolem facultatis naturalis. Verum autem videtur, Spiritum Sanctum, sicut in aliis gratiae donis naturam perficit, ita in his quoque saepe naturalem indolem respicere et charisma huic indoli conforme impertiri, distribuendo talenta « unicuique secundum propriam virtutem » (Matth. 25,15). Sed de his potius consulendi sunt theologi, sicut etiam de alia quaestione, utrum istae vires ac facultates per charisma acceptae per modum *habitus permanentis* in pneumatico fuerint, an potius per modum *actus transeuntis*. Cf.

S. Thomas 2. 2ae q. 171, a. 2, et q. 178, a. 1, ad 1; *Bellarm.* De Grat. et Lib. Arb. 1,10; *Suarez,* De Grat. Prol. III. cc. 4. 5 etc. Notasse sufficiat, donis prophetiae, patrandi miracula similibusque licet ratio habitus vere permanentis ipsis non competat (*S. Thom.* ll. cc.), nihilominus iuxta mentem apostoli aliquid de ratione habitus tribuendum esse, quatenus motiones illae transeuntes Spiritus Sancti, ad usum doni necessariae, saepius in iisdem pneumaticis se manifestabant et quasi ab ipsorum arbitrio pendebant; cf. 1 Cor. 14,18. 19. 27. 28. 30. 32.

3. *Finis.* Ad *finem* charismatum quod spectat, apostolus illum ipso suae tractationis initio indicat dicens : « unicuique datur manifestatio (φανέρωσις) Spiritus ad utilitatem (πρὸς τὸ συμφέρον) » (1 Cor. 12,7). Finis igitur omnium illorum donorum est imprimis *manifestare Spiritum,* utique Spiritum Dei in singulis fidelibus operantem (cf. v. 3). Hunc scopum proximum largitionis charismatum indicant ipsa Ioelis praenuntiatio et promissio Christi Domini, hunc exempla in Actibus relata confirmant. Eundem Patres saepe declarant, ex quibus *S. Chrysost.* relate ad varia charismata « dabat gratia », inquit, « sensile quoddam argumentum illius operationis (Spiritus Sancti)... et hoc externis notum faciebat Spiritum Sanctum in ipso loquente esse » (in 1 Cor. hom. 29,1; cf. De Util. lect. Script. 4, *M.* 61,239; 51,92). Similiter loquuntur *Oecum., Theophyl., Ambrosiaster* et al., praesertim *S. Aug.* (in Ps. 130,5; 147, 19; serm. 267-271; Civ. D. 18,49. *M.* 37, 1706. 1929; 39,1229 ss.; 41,612).

Porro manifestatio illa Spiritus secundum S. Paulum dirigitur *ad utilitatem.* Haec autem utilitas primo et per se non est bonum illius, in quo fit manifestatio, sed illorum quibus fit, i. e. totius ecclesiae. Quod apparet ex comparatione, quam apostolus verbis mox citatis subiungit (1 Cor. 12,12 ss.) quamque etiam alibi agens de charismatis repetit (Rom. 12,4 s.; Eph. 4,4. 12) de corpore humano, cuius singula membra vario munere funguntur ad commune totius corporis bonum. Item in 1 Cor. 14, comparatione inter prophetiam et donum linguarum instituta, ex maiore quam ecclesiae affert utilitate prophetiam ostendit praestantiorem, ex fine sapientissime cuncta diiudicans. Idem in scriptis Patrum saepe inculcatur; cf. praesertim *S. Clem.*, I Cor. 48,5 s.; ep. 1. De virg. 11,10 apud *Funk,* Patr. apost. *ed.* 2 I. 162; II. 11).

Atque varia ea quidem ac multiplex pro varietate donorum utilitas ecclesiae ex charismatis proveniebat, simul autem eadem una ex omnibus, quod indubitabilis praesentiae Spiritus Sancti manifestatio magnum fidelibus solatium ac gaudium afferre debebat. Huius vero solatii ac gaudii ipsi quoque pneumatici profecto participes erant, et sic charisma praeter communem totius ecclesiae utilitatem iam aliquam ipsi recipienti propriam afferebat. Quod etiam illa comparatione cum corpore eiusque membris innuitur, cum certe singula membra ex eo quod munere suo recte fungantur, ipsa quoque pro se utilitatem et fructum percipiant. Verum haec utilitas propria nonnisi secundarium charismatis finem constituit. Cf. *Suar.* l. c. 4 n. 7.

Infideles autem charismata in Scriptura enumerata eatenus tantum respicere videntur, quatenus vel tamquam sigilla veritatis fidei eos ad conversionem disponant (cf. Act. 2,12) vel incredulitatem eorum manifestent (1 Cor. 14,21-23) atque confundant et sic ad conversionem eos adducant (ib. 24 s.). In hac autem relatione ad infideles primarium et principalem finem charismatum non esse reponendum, merito colligimus ex saepius memorata de corpore humano comparatione, qua S. Paulus doctrinam suam illustrat, quippe cum infideles ad corpus ecclesiae non pertineant.

4. *Duratio.* Iam quoad *continuatam* charismatum *durationem,* certe in primis ecclesiae temporibus frequentiora erant, quando arbor novella atque tenera maiore optimi agricolae cura indigebat (*S. Chrysost.* in inscript. Act. 2,3. *M.* 51,81). Non modo in libris sacris (ll. cc.), sed etiam a scriptoribus priorum trium saeculorum satis frequenter varia dona adhuc in ecclesia vigentia commemorantur. Ita *dona prophetica* atque *visiones* et *discretio spi-*

ritaum declarantur in *Doctr. duod. apost.* 10,7; 11; 13; 15,1. 2 (*Funk.* Patr. apost. *ed.* 2 I. 24 ss.); *S. Barn.* ep. 16,9 (*F.* I. 88); *S. Clem.* I Cor. 48,5. 6 (ib. 162); *S. Ign.* ad Philad. 7,2 (ib. 270; *Herm.* Past. mand. 11 (ib. 502 ss.; *S. Clem.* ep. 1. De virg. 11,10 (*F.* II. 11); *S. Iust.* Dial. c. Tryph. 7. 39. 82 (*M.* 6,492. 560. 609); *S. Iren.* adv. haer. II. 32,4; V. 6,1 (*M.* 7,829. 1137); *S. Hippol.* De charism. Const. Ap. 8,1 *M.* 1,1065; cf. sup.; *Orig.* c. Cels. 1,46 (*M.* 11,745; *S. Cypr.* De mortal. 19; ep. 11,3. 4; 16,4; 39,1; 57,1. 2; 66,10 (*ed. Hartel.* 1,309. 497 s. 520. 582. 651. 734); cf. ep. 75 (*Firmiliani*; *Pont. Diac.* in Vita Cypr. 12. 13 (ib. 1,816; 2, CII.); *Novat.* Trin. 29 (*M.* 3,944); cf. *Tertull.* De an. 9 (*ed. Reifferscheid-Wissowa* 1, 310).

Sunt qui putent *S. Irenaeum* adv. haer. V. 6,1 de tempore apostolico tantum loqui (cf. *Englmann* 160. 296). Sed consideranti tum ipsa verba (ἀκούομεν.. λαλούντων) et usum linguae graecae sive classicum (cf. *Kühner*, Aust. Gram. II. p. 629. § 484,1; *Krüger*, Gr. Gramm. *ed.* 5. § 47,10,11 ss.; *Curtius-v. Hartel ed.* 17. § 229 B. Anm. 2; *Schmidt*, Synon. I, 12 p. 274 etc.) sive scripturisticum (cf. *Winer-Moulton*, Gram. N. T. 3 p. 436; *Buttmann*, N. T. Spr. p. 144. 258; *Blass*, Gramm. *ed.* 2 p. 105; *Grimm*, Lex. N. T. etc.) sive recentiorem (cf. *W. Schmid*, Der Atticismus in s. Hauptvertr. v. Dionys v. Hal. bis auf d. zweiten Philostr., Stuttgart 1887; *E. A. Sophocles*, Greek Lex. of the Rom. and Byzant. Periods from B. C. 146 to A. D. 1100, Boston 1870), tum locos parallelos S. Irenaei (II. 31,2; 32,4), tum testimonium *Eusebii* (H. E. 5,7. *M.* 20,448) et *Nicephori* (H. E. 4,13. *M.* 145,1006), multo probabilius videbitur sanctum episcopum Lugdunensem de sua aetate testimonium ferre. Cf. Zeitschr. f. kath. Theol. XIX. 1895,377-80.

Dona *eiciendi daemones* et *sanandi morbos* commemorantur a *S. Iust.* Apol. II. 6; Dial. c. Tryph. 30. 76. 85. 121 (*M.* 6,453. 540. 653. 676. 757); *Minuc. Fel.* Octav. 27 (*M.* 3,325); *Tatian* c. Graec. 16 (*M.* 6,841); *Theoph. Ant.* ad Autol. 2,8 (*M.* 6,1061 s.); *S. Iren.* adv. haer. II. 32,4 (*M.* 7,829); *S. Hippol.* De char. (l. c. *M.* 1, 1061); *Tertull.* Apol. 23. 27. 32. 37; ad Scap. 2,4 (*M.* 1,413. 433. 447. 463. 700. 703); cf. de cor. mil. 11 (*M.* 2,92); *Orig.* c. Cels. 1,6. 25. 46; 2,8; 3,24. 36; 7, 4. 8. 67; 8. 43. 44. 58 (*M.* 11,665. 708. 745. 808. 948. 968. 1425. 1432. 1516. 1581 bis. 1605); *S. Cypr.* Quod idola dii non sint 7; ad Demetr. 15 (*ed. Hartel* 1, 25. 361); *Novat.* Trin. 29 (*M.* 3,944).

Varia alia dona et *miracula* testantur *S. Clem.* I Cor. 48 (l. c.); *S. Ign.* ep. ad. Smyrn. inscript. (*Funk.* I. 274); *S. Clem.* ep. 1. De virg. 11,10 (l. c.); *S. Iust.* Dial. c. Tryph. 82 (M. 6,669); *S. Iren.* II. cc.; *S. Hippol.* I. c.; *Orig.* c. Cels. 1, 2. 46; 2,8; 7,8; in loan. tom. 20,28 (*M.* 11,656. 745. 808. 1432; 14,653); *S. Cypr.* ad Donat. 5; De laps. 24-26; De mortal. 19 (*ed. Hartel* 1,7. 254. 309); *Novat.* l. c.; cf. *Tertull.* adv. Marc. 5,8 (*M.* 2,489); *Euseb.* H. E. 3,37 (*M.* 20,293).

Rariora autem saeculis procedentibus charismata fuisse eadem testimonia ostendunt, cum praesertim *Orig.* saepe vestigia (ἴχνη) tantum donorum superesse dicat (c. Cels. 1,2. 46; 2,8; 7,8; 8,58 etc.). Saeculo vero quarto *S. Chrysost.*, *S. Aug.* aliique haud semel diserte affirmant, charismata et miracula suo tempore cessasse in ecclesia (cf. *S. Chrys.* De incompr. Dei nat. hom. 1,2; in inscript. Act. 2,3; in Mat. hom. 32,7; in Io. hom. 24,1. *M.* 48,702; 51,81; 57,387; 59,143; *S. Aug.* De vera relig. 25,47. *M.* 34,142). Sed etiam tunc temporis quaedam dona charismatica ecclesiae collata esse ex aliis libris eorumdem Patrum et ex scriptis aliorum apparet. Cf. *S. Chrysost.* in Ps. 110,4; in Mat. hom. 4,1; in Rom. hom. 14,7 (*M.* 55,285; 57,41; 60,533); *S. Aug.* Retract. I. 13,7; Civ. Dei 22,8 (*M.* 32,604; 41,760); *Arnob.* adv. Gent. 1,44. 45 (*ed. Reifferscheid* 29); *Lact.* Div. inst. 2,16; 4,27; 5,22 (*ed. Brandt* 1,170. 384. 477); *Euseb.* H. E. 5,16. 17. 28; 6,11. 29. 40; 7,7 etc. (*M.* 20,464. 473. 513. 541. 588. 601. 648); *S. Hilar.* Trin. 8,30 s. (*M.* 10, 257); *S. Basil.* in Is. 3,102 (*M.* 30,284); *S. Cyril. Hier.* Cat. 4,13. 14; 5,11; 13,3. 23. 40; 16,12; 17,37; 18,23 (*M.* 33,472 bis. 517. 773. 800. 821. 933. 1012. 1044) etc. Plura cf. ap. *Englmann* p. 170 ss.

Sicut autem in prioribus saeculis, ita etiam in posterioribus nullo umquam tempore charismata verae Christi ecclesiae defuisse ostendunt Acta et Vitae Sanctorum, de quibus cf. *Bolland.*, Acta Sanctorum (Antwerp. 1643 ss.; nunc

continuantur); *Benedict. XIV.* De serv. Dei beatif. III. 42-48; *J. Görres*, Christl. Mystik, Regensb. 1837, II. 187 etc.

II. *De singulis charismatis in specie.* Iam ad brevem descriptionem singulorum charismatum veniamus; de quibus cf. praesertim *R. Cornely* in 1 Cor. 12-14.

1. *Numerus.* Ad numerum eorum quod attinet, apostolus 1 Cor. 12,8-10 novem tantum nominat; sed immerito haec enumeratio supponitur esse completa (*S. Thom.* in 1 Cor. 12 lect. 2; 1. 2ae q. 111, a. 4), cum ex aliis locis alia dona illis novem superaddenda esse pateat (1 Cor. 12,28-30; 14,26; Rom. 12,6-8; Eph. 4,11), atque plura etiam praeter illa dona in ss. libris nominata dari posse ex historia ecclesiae et vitis Sanctorum appareat. Ex S. Scriptura autem haec videntur inter charismata recensenda : 1. donum apostoli, sermo sapientiae; 2. d. evangelistae; 3. d. doctoris, sermo scientiae; 4. d. prophetae; 5. d. discretionis spirituum; 6. d. exhortationis (παράκλησις); 7. d. psalmi; 8. d. linguarum; 9. d. interpretationis sermonum; 10. d. fidei; 11. gratiae sanitatum; 12. operationes virtutum; 13. opitulationes; 14. gubernationes. — De singulis quid in re tam obscura (cf. S. *Chrys.* hom. 29 in 1 Cor. *M.* 61,239) probabilius dicendum videatur, paucis exponamus.

2. *Apostolus. Sermo sapientae.* Nomine *apostolorum*, qui primum inter charismaticos locum obtinent, non pauci intellegunt exclusive ipsos duodecim apostolos a Christo Domino electos (*Ad. Maier*, *Bisping*, *A. Schäfer*; — *Meyer-Heinrici* 1 Cor. *ed.* 6, *Meyer-W. Schmidt* Eph. *ed.* 9.). Ad quam sententiam accedere videntur omnes qui hoc charisma apostolicum explicant tamquam fontem et complexum omnium aliorum charismatum (*S. Chrys.*, *Oecum.*, *Theophyl.*, *S. Thom.*; *Englmann* 101, *Seisenberger* l. c. 82). At constat imprimis, nomine « apostoli » tum in Scriptura tum in scriptis primitivae ecclesiae designari non tantum duodecim discipulos, verum etiam latiore sensu comites illorum aliosque insigniores evangelii praedicatores. Cf. Act. 14,4. 13; 1 Cor. 15,7; Phil. 2,25; 1 Thess. 2,7 (cf. 18); cf. Rom. 16,7; 2 Cor. 8,23; 11,13; Apoc. 2,2; — *Doctr. duod. apost.* 11,3-6 (*Funk* I. 26); *S. Iren.* adv. haer. II. 21,1; *Orig.* in Io. tom. 32,10; *Euseb.* Hist. eccl. 1,12 (*M.* 7,779; 14, 785 s.; 20,119). Praesertim ex *Doctrina duodecim apostolorum* clare apparet, apostolos sensu latiore fuisse christianos speciali charismate insignitos, qui abdicatis bonis suis unice praedicando verbo Dei et instruendis ecclesiis recenter fundatis incumbebant. Cf. *Funk* not. in Doctr. l. c.; *Mînasi*, La dottrina dei dodici apostoli, Roma 1891, p. 31 ss. 229 ss. Iam vero in verbis D. Pauli isti evangelii praecones apostolis omnino adnumerandi sunt (cum *Theod.*, *Est.* etc.), immo ipsi potissimum nomine « *apostolorum* » videntur intellegendi, cum S. Paulus agat de donis extraordinariis, quibusdam fidelibus collatis neque munus aliquod ecclesiasticum per se respicientibus.

Cum vero ex altera parte isti apostoli ab evangelistis et doctoribus distinguantur et primum semper locum obtineant (Eph. 4,11; 1 Cor. 12,28 s.), videtur charismati apostolico amplius aliquid in praedicatione evangelii praestandum fuisse. Atque id quidem haud improbabiliter in eo ponitur, quod apostoli vi proprii sui charismatis christianos, primis iam fidei elementis ab evangelistis et doctoribus imbutos, in profundiorem mysteriorum cognitionem introducebant. Dicimus autem *vi proprii sui charismatis*, quia nihil impedit quominus iidem apostoli aliis quoque donis insigniti etiam officio evangelistae vel doctoris dicantur functi esse.

Explicationem datam innuere videtur *S. Ioannes Dam.* (in Eph. 4,11. *M.* 95, 841) : « alius quidem apostolicum donum accepit et arcanam dispensationis (οἰκονομίας) sapientiam annuntiat ». Sapientiam hanc inter perfectos se loqui apostolus ipse profitetur, Dei scilicet sapientiam in mysterio (1 Cor. 2,6 s.), eamque mysteriorum cognitionem a simplici scientia et ea quam incipientes accipiunt fidei notitia distinguit (1 Cor. 3,1 s.; 13,2). Quare fundamento non caret sententia, secundum quam donum *sermonis sapientiae*, quod in prima enumeratione primo loco recensetur (1 Cor. 12,8), unum

idemque dicitur cum dono apostolatus, quod in secunda enumeratione primum locum occupat (1. Cor. 12,28 s.); atque ita bene *S. Chrys.* cum suis, *Theod.*, *Oecum.*, *Theoph.*, sermonem sapientiae apostolis potissimum attribuunt (in 1 Cor. 12,8). De apostolatu cf. etiam *E. Haupt*, Zum Verständnis d. Apostolats im N. T. I. II. Halle 1895-96; *H. Monnier*, La notion de l'apostolat, Paris 1903.

3. *Evangelista.* Charisma *evangelistae* (Eph. 4,11) in hoc videtur fuisse, quod apostolici viri gratia divina incensi « relicta patria peregre proficiscentes munus obibant evangelistarum, iis qui fidei sermonem nondum audivissent, Christum praedicare satagentes » (*Euseb.* Hist. eccl. 3,37; cf. ib. 5,10; *Orig.* c. Cels. 3,9. *M.* 20,293. 455; 11,931). Relate ad apostolos evangelistae magis praeparatorium laborem obibant, primum de Christo nuntium afferentes, uti etiam ex narratione Act. 8,5-17 de opere Philippi *evangelistae* (Act. 21,8) apparet. A doctoribus autem distingui videntur evangelistae eo quod ipsi « circumeuntes praedicabant », doctores vero « per unamquamque civitatem et vicum erant deputati » ibique considebant, catechumenos et neoconversos instruentes (*Theod.* in Eph. 4,11. *M.* 82,535). Neque obstat quod Philippus evangelista Caesareae domicilium habuisse legatur (Act. 21,8; cf. 8,40); nam uti antea pertransierat civitates, ita certe etiam tunc non modo in illa civitate, sed etiam in regionibus circumiacentibus evangelium praedicabat, vel etiam aliis donis instructus officium doctoris agebat. Cf. *Felten* in Act. 21,8.

4. *Doctor. Sermo scientiae.* Charismate *doctoris* instructi probabilius facultatem accipiebant explicandi apto modo catechumenis et neophytis veritates fidei christianae omnibus scitu necessarias (cf. Gal. 6,6). Haec autem cognitio veritatum imperfecta ab apostolo nomine « scientiae » (γνῶσις) a « sapientia » (σοφία) distingui et sic nomine « *sermonis scientiae* » facultas doctoris designari videtur, uti ex dictis de sermone sapientiae concludere licet; eadem facultas Rom. 12,7 *doctrina* (διδασκαλία) vocatur. Cum autem donum hoc in primo catalogo (1 Cor. 12,8) secundum locum teneat et ante prophetiam enumeretur, in aliis locis S. Scripturae, in quibus magis ad ordinem et gradum dignitatis inter charismata attenditur, doctores semper prophetis postponuntur (1 Cor. 12,28 s.; Eph. 4,11; Act. 13,1; Rom. 12,6 s.) idemque ordo in *Doctr. duod. apost.* apparet (13,2; 15,1. 2 apud *Funk* I. 30 s. 34). Quare doctores inferiorem prophetis gradum habuisse videntur; eos autem simul cum ipsis prophetis honore saltem episcopis et diaconis aequales fuisse vel etiam praestitisse ex *Doctr.* 15,1. 2 colligimus; cf. *Funk* in h. l., *Minasi*, p. 37. 42. 91. 234, qui tamen nimis arctis limitibus officium doctorum circumscribere videtur, restringendo illud ad declarationem vaticiniorum et typorum Veteris Legis Novam respicientium.

Ex iisdem vero *Doctrinae* verbis intellegimus, officium doctorum distinctum fuisse ab ordinario ministerio ecclesiastico, quamquam etiam ipsis ordinariis ecclesiae ministris munus docendi et exhortandi fideles incumbebat (cf. Hebr. 13,7; Eph. 4,11). Neque in omnibus ecclesiis doctores fuisse videntur, id quod de prophetis *Doctrina* 13,4 expresse declarat; ubi vero aderat « doctor verus », a fidelibus sustentandus erat, similiter ac « propheta verus » (*Doctr.* 13,1. 2; cf. *Funk* in h. l. p. 31; *Minasi* l. c.). Sicut autem in *Doctr. duod. apost.*, ita etiam in aliis scriptis primae aetatis christianae doctores saepe commemorantur, praesertim in Pastore *Hermae*, sive soli (Past. Mand. IV. 3,1. apud *Funk* 478), sive cum apostolis (ib. Sim. IX. 15,4; 16,5; 25,2. *F.* 606. 608. 620), sive cum apostolis, episcopis, diaconis (ib. Vis. III. 5,1. *F.* 440 s.), atque ut a falsis doctoribus caveant, fideles admonentur (*S. Clem.* ep. 1. De virg. 11. *F.* II. 9 ss.; cf. 2 Petr. 2,1 ss.).

5. *Propheta.* Iam ad donum *prophetiae* veniamus. Prophetarum in N. T. munus praecipuum hoc erat, ut fidelibus *loquerentur in spiritu*, i. e. a Spiritu Sancto inspirati, « ad aedificationem et exhortationem et consolationem » (1 Cor. 14,3; cf. vv. 30. 32; 1 Thess. 5,19 s., 2 Petr. 1,21; *Doctr. duod. apost.* 11,7 et *Funk* in h. l. p. 28; *Minasi* p. 33). Interdum vero Spiritus S. prophetis etiam res futuras com-

municabat (cf. Act. 10,10. 11,27 s.; 13, 2; 16,6. 7. 9; 18,9; 20,23; 21,4. 10 s.; 22,17-21; 27,23 s.; Gal. 2,2; Eph. 3,3.5; 1 Tim. 4,1. 14; 2 Petr. 1,14) et abscondita cordis manifestabat (cf. 1 Cor. 14, 24 s.; Act. 5,1-11; *S. Iren.* adv. haer. V. 6,1. *M.* 7,1137); unde etiam nomine *revelationis* (ἀποκάλυψις) (1 Cor. 14,6. 26) hoc idem charisma propheticum designari videtur. Per exhortationem autem suam inspiratam prophetae ad fidelium profectum non modo in virtutibus, sed etiam in cognitione aliquid conferebant (1 Cor. 14,31). Insuper secundum *Doctr. duod. apost.* in Eucharistia celebranda precationibus inspiratis devotionem fidelium excitabant, cum eis liceret « gratias agere quantas vellent », formulis scil. consuetis praetermissis impulsum Spiritus Sancti tantum sequendo (*Doctr.* 10,7; cf. *Funk* in h. l. p. 25; *Minasi* p. 30); praeterea ad obiectum exhortationis propheticae pertinebat inter alia, excitare fideles ad opera charitatis erga pauperes (*Doctr.*. 11, 9. 12. *F.* 28 ss.). Insuper ex 1 Cor. 14,24 s. patet, prophetiam etiam ad arguendos et convertendos infideles utilitatem praebuisse

Merito igitur S. Paulus propter multiplicem hanc utilitatem donum propheticum quam maxime fidelibus commendat (1 Cor. 14,1 ss.) et praesertim pro usu huius doni, quod frequentissimum inter fideles videtur fuisse, practicas regulas statuit (ib. v. 29 ss.; cf. Rom. 12,6). In *Doctr. duod. apost.* autem fidelibus praecipitur, ut non modo sustentent prophetas, verum etiam primitias de omnibus eis tribuant : « ipsi enim sunt summi sacerdotes (ἀρχιερεῖς) vestri » (*Doctr.* 13, 3. *F.* 32; *Minasi* p. 37 s.).

Sed « quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum » (1 Io. 4,1; cf. Matth. 7,15. 22; 24,11. 23 ss.; 2 Petr. 2, 1 ss. etc.), monentur etiam christiani, ut probent « spiritus, si ex Deo sint » (1 Io. 4,1) neve veros prophetas simul cum falsis spernant (1 Thess. 5,19 ss.). Tamquam criterium autem ad dignoscendum verum prophetam a falso, imprimis valet illud, quod S. Paulus initio suae tractationis pro omnibus charismatis proponit (1 Cor. 12,3; cf. 1 Io. 4,1-3). Simile quid pro prophetia speciatim indicare videtur Rom. 12,6, cum moneat illa utendum « secundum rationem fidei (κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως) », ita scil. ut nihil in prophetica exhortatione discrepet a regula et norma fidei (ita *Est.*, *Iustin.*, *Calm.*, *Bisp.* al.); forte minus convenienter plures ἀναλογίαν sumunt pro mensura et proportione (= μέτρον) fidei unicuique datae (cf. *A. Schäfer* in h. l.). In *Doctr. duod. apost.* generatim statuitur iuxta verbum Domini (Matth. 7,16), quod « ex moribus cognoscetur pseudopropheta et propheta » et aliqua criteria specialiter indicantur (*Doctr.* 11,8 ss. *F.* 28 ss.; cf. *Herm.* Past. Mand. XI. *F.* 502 ss. Cf. *Minasi* p. 33. 234. 248).

6. *Discretio spirituum.* Cum dignoscere spiritus res sit ardua viribusque naturalibus absque errandi periculo vix perficienda, auctor charismatum Spiritus S. altero dono *discretionis spirituum* facultatem tribuebat omnem errorem in hac probatione ope divina vitandi. Haec autem facultas ordinarie simul cum dono prophetico conferebatur, ita ut exhortatione ab uno vel pluribus prophetis completa ceteri diiudicarent (1 Cor. 14,29; cf. *S. Clem.* ep. 1. de virg. 11,10. *F.* II. 11). Quare *discretio spirituum* tamquam complementum prophetiae consideranda est ad praecavenda eius pericula.

7. *Exhortatio.* Illud vero quod S. Paulus Rom. 12,8 simul cum prophetia enumerat donum *exhortandi,* ita videtur a prophetia distingui posse, ut ille qui exhortatur (ὁ παρακαλῶν) argumentum et motiva in exhortando ipse potius propriae mentis operatione conquirat et seligat, a charismate suo nonnisi maiorem ad movendum et instruendum efficaciam accipiat, dum e contrario prophetia revera exhortatio inspirata dici possit (cf. Act. 13,15; 1 Tim. 4,13).

8. *Psalmus.* Aliquo modo ad propheticum charisma accedere videtur etiam illud quod apostolus 1 Cor. 14,26 nomine « *psalmi* » laudat : quod existimamus illis fidelibus datum fuisse, quibus Spiritus S. canticum aliquod ad laudem Dei in lingua vulgari celebrandam inspirabat. Cf. Luc. 1,46 (Magnificat). 67 (Benedictus); Eph. 5,18 ss.; *Euseb.* Hist. eccl. 5,28; 7,24. 30; *Tertull.* adv. Marc. 5,8 (*M.* 20,

512, 693, 713; 2,191); Conc. Laod. can. 59 (*Harduin*, Conc. 1,791).

De *dono linguarum* et *interpretationis sermonum*, quae similiter ac prophetia et discretio spirituum intime inter se connectuntur, mox accuratius tractandum erit.

9. *Fides. Sanitates. Virtutes.* Ex aliis charismatis tria specialiter ad miracula videntur pertinere : fides, gratiae sanitatum, operationes virtutum. *Fides* (1 Cor. 12,9) enim cum Patribus graecis a plerisque interpretibus intellegitur de fide « signorum, non dogmatum » qua scil. quis, supposita fide theologica, cum certa fiducia confidit Deum sub datis circumstantiis miraculum patraturum. Atque hanc fidem miraculorum ab apostolo intellegi Patres illi recte concludunt ex 1 Cor. 13,2; cf. Matth. 17,20; Marc. 11,22; Luc. 17,6.

Gratiae autem *sanitatum* (χαρίσματα ἰαμάτων (1 Cor. 12,9. 28. 30) ipso nomine satis manifeste declarantur; erant scil. varia charismata quibus certis fidelibus facultas conferebatur aegrotos variis modis miraculosis sanandi. *Operationes* vero *virtutum* (ἐνεργήματα δυνάμεων) (1 Cor. 12,10. 28. 30) similiter complectuntur varia charismata ad omnia alia opera miraculosa variis modis patranda. Videntur autem gratiae sanitatum, operationes virtutum, charisma fidei tamquam specie diversa inter se distinguenda, non intellegendo scil. fidem ut genus, duo alia ut species eius. Inconveniens enim videtur dicere, apostolum in eadem enumeratione genus et species nullo indicato discrimine permiscere; et certe Dei omnipotentia praeter fidem illam miraculorum effectricem aliis etiam modis vim patrandi miracula fidelibus communicare potuit (cf. Act. 5,15; 19,12).

10. *Opitulationes. Gubernationes.* Restant duo charismata nomine opitulationum et gubernationum designata. *Opitulationes* (ἀντιλήμψεις) (1 Cor. 12,28) videntur intellegenda dona extraordinaria Spiritus Sancti, quibus aliqui ad curam infirmorum pauperumque specialiter instruebantur. Hisce donis probabiliter ornatus fuit is *qui tribuit* (ὁ μεταδιδούς) (Rom. 12,8; cf. Luc. 3,11; 1 Cor. 13,3; Eph. 4,28), scil. qui distribuit eleemosynas pauperibus, et *qui miseretur* (ὁ ἐλεῶν) (Rom. 12,8; cf. 1 Cor. 13,3), scil. qui solatio, consilio, auxilio miseris ac praesertim infirmis succurrit.

Gubernationes (κυβερνήσεις) (1 Cor. 12,28) videntur fuisse dona extraordinaria, quibus is *qui praeest* (ὁ προιστάμενος) (Rom. 12,8) ad administrandas res temporales vel etiam dirigendas ecclesias in rebus externis instruebatur. Ad eadem dona opitulationum et gubernationum etiam pertinere videtur charisma *ministerii* (διακονία) (Rom. 12,7), sive de ministratione « in exercitio corporali » (*Tolet.*; similiter *Iustin.*) sive de alia quacumque ministratione in ecclesia intellegitur; non autem de munere ordinario diaconi explicandum videtur, quia inter charismata proprie talia nominatur.

11. *Variae classes.* Haec sunt quae de charismatis maiorem habere probabilitatem videntur. Ex dictis autem colligimus, quid de distributione donorum in varias classes dicendum sit. Ex ipsa sua indole charismata in quattuor classes distinguenda censemus : quarum *prima* continet dona ad *docendum* potissimum data, scil. charisma apostoli s. sermonis sapientiae, evangelistae, doctoris s. sermonis scientiae; ad *alteram* classem pertinent dona ad *exhortandum* praecipue atque ad aedificandos fideles et arguendos infideles collata, nempe charismata prophetiae, discretionis spirituum, exhortationis, psalmi, linguarum, interpretationis sermonum; *tertiam* classem constituunt gratiae ad *confirmandam* doctrinam fidei praesertim concessae, nimirum donum fidei, charismata sanitatum, operationes virtutum; *quarta* denique classis continet charismata opitulationum et gubernationum, ad *curam rerum externarum* specialiter donata.

III. *De donis linguarum et interpretationis.* De donis linguarum et interpretationis cum controversia maiore studio agitata fuerit erroresque pervulgati sint maiore generalitate, exemplum atque doctrinam apostoli secuti aliquanto accuratius de hisce donis agemus. Exponendum erit imprimis, quid de natura et fine utriusque doni censendum sit iuxta verba D. Pauli, quippe qui

solus inter sacros auctores ex professo de hisce donis tractât; comparanda deinde erunt verba aliorum librorum sacrorum; denique consulendae sunt antiquorum Patrum scriptorumque ecclesiasticorum sententiae variorumque auctorum opiniones.

1. *Doctrina S. Pauli.* Apostolus donum linguarum vocat *genera linguarum* (γένη γλωσσῶν) (1 Cor. 12,10. 28); *linguas* (γλῶσσαι) (ib. 13,8; 14,22; cf. 12,10 ἑρμηνεία γλωσσῶν); *linguam* (γλῶσσα) (ib. 14,19. 26). Usum huius doni nominat *linguis loqui* (γλώσσαις λαλεῖν) (ib. 12,30; 14,5. 6. 23. 39; cf. 13,1); *lingua loqui* (γλώσσῃ λαλεῖν) (ib. 14,2. 4. 13. 18 [A D E F G It. Vulg.]. 27); *orare lingua* (προσεύχεσθαι γλώσσῃ) (ib. 14,14); *orare spiritu* (προσεύχεσθαι τῷ πνεύματι) (ib. 14,15); *psallere spiritu* (ψάλλειν τῷ πνεύματι) (ib.); *benedicere spiritu* (εὐλογεῖν ἐν πνεύματι) (ib. 14,16); *gratias agere* (εὐχαριστεῖν) (ib. 14,17; cf. v. 16); *sermonem dare per linguam* (λόγον διδόναι διὰ τῆς γλώσσης) (ib. 14,9; cf. v. 19). Donum autem *interpretationis sermonum* vocat ἑρμηνεία (A D * διερμηνια) γλωσσῶν (ib. 12,10; id. add. v. 28 in Vulg. Clem., Syr. [codd.], Arm.); usum huius doni appellat *interpretari* (διερμηνεύειν) (ib. 12,30; 14,5. 13. 27) atque eum qui hoc donum accepit dicit *interpretem* (διερμηνευτής) (ib. 14,28).

Iamvero ex doctrina apostoli imprimis quoad *naturam* doni linguarum seu glossolaliae concludimus, illud fuisse *verum charisma Spiritus Sancti;* quod pluribus hic non est probandum.

Concludimus praeterea glossolaliam fuisse *veram locutionem, audibiliter et articulate prolatam;* quod pariter certum videtur. Nam quod fuerit locutio audibilis, apparet ex ipsa voce λαλεῖν, quae proprie « sonum edere, vocem emittere » significat (*Grimm,* Lex. N. T. s. v.), in oppositione ad silere, σιγᾶν, quo non-usus doni designatur (1 Cor. 14,28), ex comparatione cum instrumentis musicis (ib. 14,7. 8) etc. Nec obstat quod ib. v. 2 dicitur *nemo audit* glossolalum. Sensus enim est, neminem verba glossolali intellegere, uti saepe verbum audiendi (ἀκούειν) adhibetur (cf. Gen. 11,7; Matth. 13,15 s.; Marc. 8,18 etc.) et hic ab ipso S. Paulo explicatur (1 Cor. 14,16). *Veram* autem *locutionem articulatam* postulant omnino expressiones λόγον διδόναι (ib. 14,9) et λόγους ἐν γλώσσῃ (ib. 14,19), quibus apostolus usum glossolaliae designat; λόγος enim numquam sonum inarticulatum significat, sed veram dictionem quae aliquam cogitationem exprimit (cf. *Grimm,* Lex. N. T. s. v.; *Cremer* it.; *Schmidt,* Synonym. I. 1,20. 38. 44. 55). Difficile etiam intellectu foret, quidnam interpreti post locutionem inarticulatam praestandum fuisset ad aedificationem ecclesiae (1 Cor. 14,5. 13. 27. 28), et quomodo talis locutio non iam humana, ad Deum tamen directa (ib. 14,2) « rationabile obsequium » constitueret (Rom. 12,1). Praeterea oratio, psalmus, benedictio, gratiarum actio per donum linguarum peracta (1 Cor. 14,14-17) veram locutionem exprimunt.

2. Ex iisdem autem apostoli verbis cognoscimus, obiectum huius locutionis non fuisse praedicationem evangelii aut explicationem doctrinae christianae, sed *orationem ad Deum* directam, sive precando (προσεύχεσθαι) sive laudando (ψάλλειν) sive gratias pro beneficiis agendo (εὐλογεῖν, εὐχαριστεῖν) (ib.). Quod etiam primis huius capitis verbis exprimi videtur : « qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo » (ib. 14,2), praesertim cum ad talem locutionem alius fidelis convenienter respondere debeat « Amen » (ib. 14,16).

Orationem vero suam glossolalus non in statu quietae reflexionis fundebat, neque duce ratione sua naturali verba praemeditata proferebat, sed a Spiritu Sancto modo extraordinario ductus ac motus, *in statu* quodam *ecstatico* orabat atque magnalia Dei celebrabat. Quamvis igitur in illo statu altissimam quandam de Deo rebusque divinis cognitionem acciperet, eam tamen non ita intellectu suo attingebat, ut postmodum sibi aut aliis rationem de rebus cognitis reddere potuisset. Id ex verbis apostoli colligimus : « ad aedificationem ecclesiae quaerite ut abundetis. Et ideo qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur » (ib. 14,12 s.) i. e. iuxta veriorem explicationem, donum interpretandi precibus a Deo impetret. Itaque sine hoc dono glos-

solalus nihil ad aedificationem ecclesiae conferre potuit; quod etiam indicatur ib. vv. 4. 5. 6, et illa prohibitione v. 28 : « si autem non fuerit interpres, taceat in ecclesia ». Ecstaticum illum glossolali statum etiam clarius indicant verba apostoli v. 14 : « Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est (τὸ πνεῦμά μου προσεύχεται, ὁ δὲ νοῦς μου ἄκαρπός ἐστιν) ». Spiritus (πνεῦμα proul distinguitur contra mentem (νοῦς est animus altiore principio spirituali, charismate scil. Spiritus Sancti instructus, et per hoc charisma ab ipso Spiritu Sancto motus et impulsus; mens vero est facultas intellectiva naturalis, quae veritates cognoscit easque et sibi et aliis explicare potens est (cf. *Grimm*, op. cit. s. v.). Glossolalus igitur per charisma suum a Spiritu Sancto impulsus orat, sed ratio eius sine fructu est, quia cessante illo impulsu iam non potest sine alio dono ea quae locutus est sibi aut aliis explicare (cf. 2 Cor. 12,4). Sive igitur illud ἄκαρπος sumitur sensu passivo (*S. Chrysost.*, *Estius*, etc.) sive activo (*Theod.* etc.), integrum manet quod diximus : ideo enim glossolalus audientibus fructum afferre nequit, quia ipsa eius mens sensum verborum non ita intellexit, ut sibi aut aliis rationem de iis reddere possit. Quod vero haec ecstasis mentis in glossolalo non fuerit perfecta amentia, qualem v. gr. *Tertull.* de ecstasi montanistica describit (De An. c. 9 *ed. Reifferscheid-Wissowa* 1,310; cf. adv. Marc. 5,8. *M.* 2,491), sed cum cognitione rerum divinarum et conscientia sui coniuncta, apparet ex 1 Cor. 14,4 : « qui loquitur lingua, semetipsum aedificat » et v. 28 : « si non fuerit interpres, taceat in ecclesia ».

3. Eadem autem necessitas interpretationis ad hoc ut glossolalus ecclesiam aedificet, idemque apostoli praeceptum v. 28 ulterius ostendit, sine interpretatione *verba per donum linguarum prolata ab auditoribus non esse intellecta*. Quod pariter S. Paulus supponit interrogando v. 6 : « si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero? », itemque comparando v. 7 linguis loquentem musico tibicini sive citharoedae, qui sonis instrumenti sui debitam in altitudine et fortitudine et intervallis distinctionem non dat ideoque nullam melodiam dignoscibilem et intellegibilem perficit; vel v. 8 tubicini, qui tuba signum canit militibus ignotum (ἄδηλον). Ex quibus v. 9 concludit : « ita et vos per linguam nisi manifestum sermonem (εὔσημον λόγον, qui cognitus sit audienti) dederitis, quomodo scietur (γνωσθήσεται) id quod dicitur? eritis enim in aera loquentes ». Uti ex hac conclusione et ex ipsis verbis satis apparet, vis prioris comparationis (v. 7) est in hoc quod in illis instrumentis musicis indistincte sonantibus nulla habeatur melodia quae *dignoscatur* (γνωσθήσεται), laetane sit an tristis, huiusne an illius cantus etc., et similiter glossolalus sine interpretatione loquens sonos tantum aliquos proferat auribus audientium non dignoscibiles. Non videtur autem comparatio illa ulterius urgeri posse, quasi maior quaedam nescio quae similitudo inter glossolaliam et istam musicam intercedat. Quod praeter alia dictis de vera per donum linguarum prolata locutione articulata omnino repugnare videtur, praesertim cum S. Paulus in eodem contextu usum huius doni per « λόγον διδόναι » (v. 9) designet. Licet igitur *J. Görres*, Christl. Mystik. 2,149 ss. varia exempla talis musicae mysticae afferat, hoc ad donum linguarum apud S. Paulum non videtur transferendum.

Verba autem glossolali ab auditoribus non esse intellecta insuper etiam ostendit alia comparatio quam apostolus addit de linguarum varietate (v. 10 s.), qua declarat glossolalum auditoribus esse tamquam *barbarum*, quia eum non intellegunt. Merito igitur eodem sensu exponimus illud v. 2 : « nemo enim audit; spiritu autem loquitur mysteria » et explicationem quam ipse apostolus v. 16 subiungit : « quoniam quid dicas nescit ».

4. Iam vero si rationem quaerimus, cur verba glossolali ab audientibus non fuerint intellecta, verbis apostoli nulla videtur satisfacere nisi quod glossolali vere *linguis alienis locuti* sint. Rationem hanc S. Paulus iam ipso nomine huius doni indicat : *genera linguarum* (γένη γλωσσῶν) (1 Cor. 12,10. 28), cui paral-

lela est expressio *genera linguarum* (γένη φωνῶν) (ib. 14,10), quae certe varias gentium linguas designat; nam illis linguis loquens « *barbarus* » vocatur (ib. v. 11); cf. *Clem. Al.* Strom. 1,21. *M.* 8,880 : « dicunt autem Graeci esse quinque apud se dialectos,... innumerabiles autem esse voces (φωνάς) barbarorum nec dici dialectos, sed linguas (γλώσσας) ». Verbis autem citatis (1 Cor. 14,10 s.) is qui per donum linguarum sine interpretatione in coetu fidelium loquitur, cum peregrino comparatur, qui incolis regionis alienae, si ignoraret eorum linguam suamque ipsis ignotam loqueretur, certe barbarus foret. Quae comparatio aperte supponit, tum glossolalum, tum peregrinum istum lingua audientibus ignota loqui, sed sub aliis omnino circumstantiis : istum ex naturali sua scientia in terra aliena, glossolalum vero in coetu fidelium ex charismate ipsi collato. Falso igitur ex hac comparatione arguunt aliqui (*Baur*, *Billroth*, *Rückert*, *Bisp.*) contra linguas alienas in glossolalia adhibitas.

Praeterea glossolalus ne audientibus sit barbarus, iuxta consilium apostoli petere debet donum interpretationis (1 Cor. 14,12 s.); interpretari autem in Scriptura uno loco excepto (Luc. 24,27) semper significat de lingua peregrina in patriam transferre. Cf. ἑρμηνεύειν Iob 42, 17ᵇ (*Swete*); Esdr. 4,7; Io. 1,39 (*Tischdf.*) 43; 9,7; Hebr. 7,2; διερμηνεύειν 2 Mac. 1, 36; Act. 9,36; μεθερμηνεύειν Matth. 1,23; Marc. 5,41; 15,22. 34; Io. 1,39 (*Westc.-Hort*). 42; Act. 3,36; 13,8.

Insuper S. Paulus de dono linguarum adducit verba Isaiae, in quibus propheta Dominum describit *per balbutientes labiis et in lingua aliena* ad populum rebellem locuturum ad puniendam scil. irrisionem prophetarum suorum per Assyrios, qui lingua Iudaeis ignota utentes mox in captivitatem eos abducturi erant (Is. 28,11-13; cf. vv. 7. 10). Hoc vaticinium apostolus applicat ad donum lingarum, vocans eos quos propheta « balbutientes labiis » dixerat, mutata expressione ἑτερογλώσσους, homines lingua peregrina utentes (1 Cor. 14, 21). Iam si non supponeret, dono linguarum vere linguas alienas proferri, nulla apparet ratio, cur illud vaticinium hic attulerit concludens ex eo ad hoc charisma (ὥστε αἱ γλῶσσαι ib. v. 22) et verba prophetae in particulari illa expressione mutans.

Denique idem concludendum videtur ex verbis *si linguis hominum loquar et angelorum* (ib. 13,1), ubi per aliquam hyperbolen summum qui excogitari possit doni linguarum gradum ponit, sicut vv. 2. 3 alia charismata in summo gradu commemorat. Ordinarium igitur donum linguarum una vel altera hominum lingua uti supponit, eaque peregrina, cum ab auditoribus non intellegatur.

Nec obstat quod, si linguae alienae in glossolalia adhibitae essent, saltem ii homines quorum lingua adhibebatur, glossolalum intellegerent, et sic iam non foret verum quod « nemo audit » (ib. 14,2). Etenim apostolus sexto fere a fundata Corinthiorum ecclesia anno illis scribens minime supponere debuit, aliquem forsitan ex auditoribus in coetu fidelium linguas peregrinas glossolali intellegere, quia tunc praeter incolas civitatis et regionis circumiacentis vix alia membra in ea ecclesia erant; ideo absolute dicit, neminem intellegere glossolalum. Quodsi per accidens talis peregrinus adfuisset, is certe verba glossolali intellegere potuisset.

5. Atque haec de natura doni linguarum ex S. Paulo sufficiant. *Finis* vero huius doni ex verbis eiusdem apostoli generatim erat idem atque in aliis charismatis, ut sit signum manifestativum praesentiae Spiritus Sancti, ad utilitatem ecclesiae (ib. 12,7). Haec autem utilitas ecclesiae obtinebatur directe quidem, quatenus testimonium adeo evidens praesentis inter ipsos Spiritus Sancti magnopere omnes consolari debuit et confirmare; indirecte vero, quatenus accedente dono interpretationis excitabantur ad laudem divinam novasque de rebus divinis cognitiones accipiebant (cf. ib. 14, 2. 5. 12. 13 etc.).

Praeterea secundario, sicut charismata generatim, ita etiam donum linguarum ad utilitatem ipsius loquentis dabatur; id necessario colligimus tum ex eo quod glossolalus semetipsum aedificat (ib. 14,2. 4. 14-17), tum ex eo quod

apostolus privatim nemine praesente hoc dono utatur idemque aliis permittat (ib. vv. 18 s. 28).

Respectu infidelium autem donum linguarum iuxta S. Paulum est « *in signum* εἰς σημεῖον » (ib. v. 22). Cum vero apostolus in vaticinio Isaiae, ex quo hanc conclusionem deducit, magna libertate sensum prophetae propriis suis verbis exprimat, addendo « et nec sic exaudient me » (ib. v. 21), videtur iuxta mentem ipsius signum hoc ita esse intellegendum, ut manens quidem verum sigillum veritatis fidei, infideles tamen non ad conversionem adducat, sed potius incredulitatem eorum manifestam reddat, immo etiam ad irrisionem eos excitet. Talis est enim effectus, quem ex usu huius doni respectu infidelium provenientem ipse apostolus mox describit (ib. v. 23). Utique usum istum, ex quo talis fructus minime appetendus provenit, non laudat neque approbat; immo graviter admonet fideles, ne suo modo agendi pueri efficiantur sensibus (ib. v. 20). Sed verbis apostoli certo videtur constare, finem aliquem huius doni directe conversionem infidelium respicientem alienum esse a mente ipsius (ib. v. 21 s.); regulae etiam, quas mox proponit (ib. vv. 26-28), unice usum doni inter fideles respiciunt. Indirecte vero signum hoc ad conversionem infidelium aliquid conferre poterat, quatenus eos confusione afficiebat atque ita humiliatos melius ad accipiendam veritatem disponebat.

Quoad *donum interpretationis* ex dictis sequitur, illud esse verum complementum doni linguarum et in hoc consistere, quod vel ipse glossolalus vel alius ex praesentibus, dono extraordinario Spiritus Sancti instructus, lingua vernacula ea exponat, quae in linguis alienis per glossolaliam prolata fuerunt.

6. *Ceteri textus S. Scripturae.* Iam expositam apostoli doctrinam cum *ceteris locis S. Scripturae* breviter comparemus. Certe tum S. Marcus (16,17) tum S. Lucas (Act. 2; 10; 19) agunt imprimis de vero charismate Spiritus Sancti. Deinde iuxta S. Marcum ad signa (σημεῖα) quae « eos qui crediderint sequentur » (l. c.), pertinet etiam ut linguis loquantur novis γλώσσαις λαλήσουσιν καιναῖς (ib.). Nova autem lingua aliqua vocari potest, non tantum absolute, si antea non exsistebat, sed etiam relative ad loquentem, si eam antea non novit. Ita linguae peregrinae relate ad glossolalum novae dici possunt, et sic conceptus doni linguarum ex S. Paulo expositus verbis evangelii conformis est.

Nec minus bene idem concordat cum dictis S. Lucae in Act. c. 10 et 19. Cum eadem adhibeatur expressio atque in 1 Cor. 12-14, et circumstantiae omnes identitatem doni suadeant, nulla apparet ratio hanc identitatem in dubium vocandi.

Sed quid ad narrationem de primo festo pentecostes (Act. 2)? Imprimis certum est, expressione *loqui variis linguis* (λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις) (Act. 2,4) significari donum Spiritus Sancti, quo discipuli et alii in coenaculo congregati vere loquebantur linguis diversarum gentium (cf. ib. vv. 6. 8. 11). Constat etiam, obiectum huius locutionis fuisse laudem Dei (ib. v. 11) ex impulsu Spiritus Sancti celebratam (ib. v. 4). Insuper effectus huius locutionis erat stupor et admiratio audientium, et quorumdam irrisio (ib. v. 12 s.). Quare ex hac parte nihil identitati obstare videtur. Eundem etiam finem doni apud S. Lucam et S. Paulum invenimus; illud fortasse ex S. Luca addere possumus, signum hoc multos infideles audientes admiratione et stupore affectos attentiores reddidisse meliusque ad ipsam praedicationem verbi Dei audiendam dispositos (ib. v. 12).

7. Nec obstat identitati charismatis, quod audientes Hierosolymis verba loquentium discipulorum intellegebant. Nam cum Arabes et Graeci et Romani aliique viri religiosi audirent glossolalos (ib. vv. 9-11), nihil mirum quod Arabes intellegerent arabicos sermones et Graeci graecos et Romani latinos; Arabes autem etiam graeca et latina verba intellexisse, et sic de aliis, gratis in textum infertur. Sed fortasse glossolali in pentecoste praedicabant? At laudes Dei ex impulsu Spiritus Sancti celebrare (ib. vv. 4. 11 non est praedicare evangelium, praesertim cum iuxta verba textus omnes 120 praesentes vel saltem magna eorum pars

linguis loquerentur (ib. vv. 3 s.; cf. 1,15), et cum inciperent loqui antequam multitudo convenisset (ib. 2,6). De praedicatione S. Lucas agit ib. vv. 14 ss., relatis verbis quibus Petrus adstantes allocutus est. Quae quidem verba, in una lingua sive graeca sive syro-chaldaica (cf. Act. 22,2) prolata, omnes praesentes etiam absque dono linguarum et interpretationis intellegere poterant, cum omnes gentes enumeratae (ib. 2,9-11) intra limites imperii Romani continerentur, in quo graeca lingua maxime erat pervulgata, et omnes adstantes essent « in Ierusalem habitantes (κατοικοῦντες) Iudaei » (ib. vv. 5. 13; cf. vv. 22. 36).

Quare prorsus idem esse donum linguarum putamus, de quo in variis Scripturae locis sermo est.

8. *Sententia Patrum* de hac identitate charismatis ni fallimur unanimis est. Eundem fere Patrum consensum, si unum alterumve excipias, in hoc invenimus, quod glossolalia sit loqui variis gentium linguis. Cf. *S. Iren.* Adv. haer. III. 12,1; 17,2; V. 6,1 (cf. sup. not.) (*M.* 7,892. 929. 1137); *Tertull.* adv. Marc. 5,8 (*M.* 2,490); *Orig.* in Rom. 1,13; cf. in Exod. hom. 13,2 (*M.* 14,860; 12,388); *S. Cyrill. Hier.* Cat. 14,7; 17,16 s. (*M.* 33,832. 987); *S. Philastr.* haer. 104 (*M.* 12,1217); *S. Greg. Naz.* Or. 44,1 (*M.* 36, 608); *S. Greg. Nys.* or. de Spir. S. (*M.* 46,698); *Ambrosiaster* in 1 Cor. 14 (*M.* 17,253); *S. Ioan. Chrys.* Quod Chr. sit Deus 7; De Pentec. hom. 1,4; 2,2; De Util. lect. Script. 4; in Act. hom. 4. 24. 40; in 1 Cor. hom. 29. 35. 36 (*M.* 48, 822; 50,459. 467; 51,92; 60,43. 183. 284; 61,239. 295. 305); *S. Hieron.* ep. 41 (al. 54) ad Marcel.; 120 (al. 150) ad Hedib. (*M.* 22,474. 993); *S. Aug.* in Io. Tract. 6,10; 39,5; in ep. Io. tr. 6,3. 10; in Ps. 18,10; 54,10 s.; 130,5; 147,19; serm. 80,5; 87,7; 99,10; 175,3. 4; 266,2; 267-271; 352,2; Civ. D. 18,49; c. lit. Petil. 2,32 (*M.* 35,1429. 1683. 1991. 2025; 36, 161. 636; 37,1706. 1929; 38,497. 535. 601. 946; 39,1225. 1229 ss. 1550; 41,612; 43,284). Quodsi idem S. Doctor uno in loco (De Gen. ad lit. 12,8 s. *M.* 34,460) dicit Pharaonem, cum somnia sua Iosepho narraret, linguis locutum esse, verum de dono linguarum conceptum locutionis non intellectae applicat ad verba Pharaonis nec ab ipso nec a sapientibus Aegypti intellecta. *S. Cyrill. Al.* Glaphyr. 2; in Ioel. 35; in 1 Cor. 12. 14 (*M.* 69,79; 71,377; 74,885. 889); *Theodoret.* in 1 Cor. 12. 14 (*M.* 82,320. 337); *S. Leo M.* serm. 75 (al. 73) in Pent. 2 (*M.* 54,401); *S. Maxim. Taur.* serm. 49.50 de Pent.; serm. 77 (*M.* 57,634. 636. 687); *S. Greg. M.* in Evang. hom. 30,4 (*M.* 76,1222); *S. Ioh. Dam.* in 1 Cor. 12. 14 (*M.* 95,663); *Oecum.* in Act. 2,4; 19,6; in 1 Cor. 12. 14 (*M.* 118,64. 248. 811. 841); *Theophylact.* in 1 Cor. 12. 14 (*M.* 124,709. 733).

Aliam explicationem, quod apostoli sua lingua patria loquentes intellecti sint ab omnibus, ac si audientium linguis locuti fuerint, commemorant *S. Greg. Naz.* (l. c.), qui communem praefert, et *V. Beda* (in Act. 2,3; retract. in Act. 2,6. *M.* 92,947. 999), qui utrumque charismatis modum apostolis tribuere videtur. Aliam hanc explicationem tenent *Basil. Seleuc.* (Or. 37,1. *M.* 85,389), *Ernald. Abb. Bon.* (De op. Chr. card. *M.* 189,1675). Ab aliquibus ita etiam exponuntur verba cit. *S. Greg. Nys.* (*M.* 46, 698).

9. Fideles autem linguis locutos esse in oratione ecstatica, sat multi Patres expresse affirmant: *S. Iren.* Adv. haer. III. 17,2; *S. Chrysost.* (ll. cc.); *Ambrosiaster*, *S. Ioh. Dam.*, *Oecum.*, *Theoph.* (ll. cc.); *S. Max. Taur.* (serm. 77); cf. *Tertull.* l. c. Quoad *finem* vero doni linguarum multi Patres consentiunt cum *D. Aug.*, qui passim (ll. cc.) repetit charisma hoc esse signum praesentiae Spiritus Sancti et symbolum unitatis ecclesiae catholicae linguis omnium gentium loquturae. Ita inter alios *S. Iren.*, *S. Cyr. Hier.*, *S. Greg. Naz.*, *S. Chrys.*, *S. Cyr. Al.*, *S. Greg. M.* (ll. cc.).

Respectu vero infidelium *S. Chrys.* (hom. cit. in 1 Cor.), *S. Greg. Naz.* (or. 41,15. *M.* 36, 449), *Ambrosiaster* (l. c.), *S. Ioh. Dam.* (l. c.) aliique inculcant, donum linguarum non ad conversionem eorum praecipue collatum esse, sed ad confusionem et perturbationem (εἰς ἔκπληξιν *S. Chrys.*).

Aliqui autem ex iisdem Patribus praeter finem istum symbolicum statuunt

aliunde, nempe conversionem gentium per praedicationem evangelii, idemque tenent quidam alii Patres, qui finem symbolicum non commemorant. Ita rem intellegere videntur *Orig.* (ll. cc.), *S. Chrysost.* in uno loco (Quod Christus sit Deus 7. *M.* 48,822 ; *S. Hier.* ll. cc.), *Theod.* ll. cc. ; *S. Max. Taur.* serm. 49. 50; sed serm. 77 id. de oratione sumit). Quamvis certe etiam ad praedicationem donum linguarum apostolis conferri potuerit, sicut pluribus postea Sanctis, S. Scriptura tamen hoc non videtur indicare.

10. Restat ut breviter aliquas saltem *ex variis recentiorum auctorum de dono linguarum sententiis* indicemus, de quibus facile erit ex dictis iudicare; plura si quis desiderat inveniet apud *Englmann* p. 359 ; *A. Hilgenfeld*, Die Glossolalie in d. alt. Kirche, Leipzig 1850; *R. Cornely* (in 1 Cor. p. 411) aliosque auctores infra citandos. « Linguam » de membro corporis intellegentes plures praesertim ex acatholicis donum explicant de sonis confusis et inarticulatis (*Bardili*, *Eichhorn*, *Dav. Schulz*, *H. A. W. Meyer*, *Lic. K. Schmidt* in *Herzog* Realenc. *ed.* 2,17,570 e. a.; contra hanc explic. cf. etiam *S. Chrys.* hom. 1 in Oziam. *M.* 56, 99). Pauci « γλῶσσα » de idiotismis, expressionibus obsoletis, peregrinis interpretantur (*Bleek* in Stud. u. Krit. 1829, 3; 1830, 45; *Baur* ib. 1838. 618; *Heinrici* in 1 Cor 12; 14). Longe plerique « linguam » pro sermone sumunt, sed charisma explicant vel de oratione ecstatica in lingua vernacula divini Spiritus impulsu agitata et inflammata (*Herder*, *Hase*, *Neander*, *Olshausen*, *Mach* e. a.; similiter quoad Act. 10. 19 et 1 Cor., non autem quoad Marc. 16 et Act. 2, *Grimm* Lex. N. T. s. v. γλῶσσα, *Felten*, Ap. Gesch. p. 76); similiter *E. H. Plumptre* in *Smith*, Dict. of the Bible III. 1555 glossolaliam in omnibus textibus explicat, addens verba hebraica et aramaica aliaque indistincta tali orationi exstaticae intermixta fuisse; inter charisma Act. 2 descriptum et aliud Act. 10; 19; 1 Cor. 14 distinguendum censet cum aliis etiam *J. Belser* (in Theol. Quart. LXXVII. 1895, 85 ss. et Beiträge z. Erkl. d. Apostelgesch., Freiburg 1897, 17), donum Act. 2 de locutione in linguis alienis, alterum de modo quodam miro loquendi in Spiritu, nunc intellegibili (Act. 10), nunc non intellecto (1 Cor. 14) explicans. Alii donum de sermone in lingua aliqua universali et centrali exponunt (*Billroth* in 1 Cor., *Oswald* [ap. Englm. 373] ; *Bisping* in 1 Cor.; *Kaulen*, Sprachverwirrung c. 19); vel de praedicatione in una lingua quae ab omnibus intellegatur (*M. Agreda*, Myst. civ. D. *ed. Clarus* 2,198); eumdem modum saltem quoad aliquos casus et praesertim quoad orationem Petri Act. 2, 14 ss. admittunt *Silvius* aliique in 2. 2ae q. 176, a. 1; *Bened. XIV*, De serv. D. beat. 8,48 n. 8; *Englmann* op. cit. p. 347, eumque *Suarez* dicit verisimilem. Permulti autem, admittentes linguas alienas dono linguarum adhibitas, putant apostolos et fideles etiam iuxta S. Scripturam illo charismate instructos esse ad praedicandum et docendum (*S. Thom.* in 1 Cor. et 2. 2ae q. 176; cf. 1. 2ae q. 111, a. 4; *Salmeron* in Act. 2 et 1 Cor. 14; *Suar.* l. c. n. 47 ss.; cf. De fid. d. 8, s. 2, n. 7; De SS. Euch. d. 83, s. 1, n. 21; *Corn. a Lap.* in Act. 2 et 1 Cor. 14; *Bened. XIV.* l. c., al.). Atque haec quidem opinio, quam plerique auctores ascetici (cf. *Da Ponte* part. 5, med. 23, punct. 6; *Lohmann*, Betr. *ed.* 4. 1,582, al.), catechetici (cf. *Schmitt*, Erkl. d. Deh. Kat. *ed.* 4. 1,408; *Schuster-Holzammer*, Handb. 2,506 e. a.), homiletici (cf. *Pottgeisser*, Pred. *ed.* 3 p. 382; *Scherer*, Bibl. f. Pred. 5,987; *Zollner*, Katech. Pred. 1,498 e. a. m.) atque annotatores in Act. et 1 Cor. (cf. *Loch* et *Reischl*; *Allioli*) tuentur, in multis regionibus fere communis evasit. Eandem explicationem tamquam alterum doni linguarum gradum statuit *Englmann* (p. 341), qui primum gradum de oratione ecstatica variis linguis ad Deum facta, eo fere modo quo in superioribus declaratum est, satis accurate exponit. Sed uti plus semel diximus, huius secundi gradus seu glossolaliae ad praedicationem collatae nullum videtur in S. Scriptura fundamentum haberi.

Sententiae autem nostrae superius declaratae plus minusve consentiunt praeter alios *Caietan.* in Act. 2 et 1 Cor. 12. 14; *Estius* in 1 Cor. 12. 14; *Ad. Maier* it.; *Döllinger*, Christenthum u. Kirche, Regensb. 1860, III. 5, p. 333; *Weinhart* in Act. 2,4 et 1 Cor. 12, 10; 14; *Seisenberger* in *Wetzer* u. *Welte*, Kirchenlex. *ed.* 2 III. 81 art. *Charismen*; *Le Camus*, L'œuvre des apôtres, Paris 1891, p. 15; *J. Knabenbauer*, Stimmen XLI. 1891, 582; *M. Meschler*, Gabe des h. Pfingstf. *ed.* 2. p. 198; *R. Cornely*, Introductio I. *ed.* 2, p. 295; III. *ed.* 2, p. 445; in 1 Cor. 14.

L. FONCK.

CHARITAS (ita in Vulgata; alias caritas). Deus charitas est; hisce Ioannes apostolus quae sit habitudo Dei erga genus humanum designat (1 Ioan. 4,8. 16). Quam Dei charitatem ipsa creatione testatam esse docemur : diligis omnia quae sunt et nihil odisti eorum quae

fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti (Sap. 11,25); pusillum et magnum ipse fecit et aequaliter cura est illi de omnibus (Sap. 6,8). Cernitur charitas haec expressa in horto voluptatis, in quo hominem posuit, in misericordia protoparentibus peccantibus concessa, in promissionibus Abraham factis, in singulari illa providentia qua populum Israel protexit; haec dicit Dominus : filius meus primogenitus Israel (Ex. 4,22), quibus verbis uti singularis praecellentia populi electi statuitur, ita quoque reliquas nationes Deo caras esse significatur; cum enim Israel sit filius primogenitus, alii populi quoque ut filii designantur. Id quod prorsus congruit ei quod legimus Ier. 3,19 : ego autem dixi : quomodo ponam te in filios! i. e. Deus statuerat Israeli prae reliquis filiis, prae aliis populis, eminentissima quaeque conferre dona et beneficia. Quare patet falsum esse quod aliqui contendunt defuisse Veteri Testamento notionem charitatis Dei in omnes gentes. Quod falsum esse ex vaticiniis quoque messianis apparet quibus pax et salus et benedictio omnibus gentibus praedicitur. Utique singulari modo Deus populum electum diligere dicitur Ex. 19,5; Deut. 4,37 : quia dilexit patres tuos; 7,8 : quia dilexit vos Dominus; 7,13; Prov. 8,31; Eccl. 24,13; Is. 1,2; Ier. 13,11; 31,3. 20; Os. 11,4 etc.; praeterea in universum dicitur : dominator Dominus Deus, misericors et clemens, patiens et multae miserationis (Ex. 34,6; Num. 14,18); cf. Ps. 145,8; Sap. 1,6 φιλάνθρωπον πνεῦμα; 11,24 : misereris omnium, quia omnia potes etc.; Ez. 33,11 : vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat; cf. 18,23. 32 etc.

Verum excellentissimum charitatis suae in homines documentum et testimonium dedit Deus in novo foedere : sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam (Ioan. 3,16) et : commendat autem charitatem suam Deus in nobis (in nos), quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est... qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit (Rom. 5,8; 8,32)? et : in hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum ut vivamus per eum; in hoc est charitas; non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris (1 Ioan. 4,9.10). Qua propitiatione efficimur filii Dei : videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus (1 Ioan. 3,1); Deus enim, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo et conresuscitavit et consedere fecit in caelestibus in Christo Iesu (Eph. 2,4 s.; 3,19; 2 Thess. 2,15). Porro eadem Dei in nos charitas excellentissimo modo manifestatur dono Spiritus sancti, qui ut arrha et pignus salutis nobis datur : charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (Rom. 5,5; 8,23; 2 Cor. 1,22). Eadem quoque charitas elucet in tribulationibus et castigationibus quas Deus immittit : quem enim diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit (Hebr. 12,6). Et charitatem Dei in omnes extendi, uti iam patet ex creatione et redemptione per Christum, ita quam maxime clare enuntiatur, quia Salvator noster Deus omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire (1 Tim. 2,4). Eandem Dei in nos charitatem docet Christus iam eo quod Deum constanter vocat patrem nostrum et nos iubet orare : Pater noster (cf. Matth. 5,45. 48; 6,1. 4. 6. 8. 9. 14. 15. 18. 26); ipse Pater amat vos (Ioan. 16,27) et Pater noster qui est in coelis solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos (Matth. 5,45). Praeclarissime quoque Christi in nos charitas declaratur et verbis eius et operibus et passione ac morte et institutione Ecclesiae : sicut dilexit me Pater et ego dilexi vos (Ioan. 15,9); ego sum pastor bonus; bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis (Ioan. 10,11); maiorem hac dilectionem nemo habet,

ut animam suam ponat quis pro amicis suis (Ioan. 15,13 : Iesus autem pro nobis impis et peccatoribus, cum inimici essemus, mortuus est (cf. Rom. 5,6-10). Et quali charitate omnes amplectatur parabolis quoque docuit (Luc. 15,4-32).

Uti Dei in nos charitas egregie in s. litteris demonstratur, ita quoque inculcatur quam necessario a Deo exigatur nostra in eum charitas. Quod praeceptum gravissimis verbis ponitur : diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua Deut. 6,5; 10,12; 11,13. 22; 30,6. 16. 20; Ios. 22,5), quod mandatum Christus primum et maximum esse declaravit (Matth. 22,36 s.; Marc. 12,28 s.). Deus quippe est summum bonum in se, summum bonum quoad nos; unde : diligam te Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum et refugium meum et liberator meus (Ps. 17,2. 3) et : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges Ps. 15,2 et : quid enim mihi est in caelo et a te quid volui super terram? defecit caro mea et cor meum; Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum (Ps. 72,25. 26). Quare : diligite Dominum omnes sancti eius (Ps. 30,24). Cuius dilectionis praemium et corona est ipsa Dei in nos dilectio et protectio : ego diligentes me diligo (Prov. 8,17), oculi Domini super timentes eum, super iustos (Ps. 33,16; Eccli. 4,13; 34,19) et diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum (Rom. 8,28), et oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum (1 Cor. 2,9; Is. 64,4). Deus quoque diligendus propter beneficia nobis collata, quam rationem efficacissime et brevissime complectitur Ioannes : nos ergo diligamus Deum quoniam Deus prior dilexit nos (1 Ioan. 4,19). Haec est autem charitas Dei, ut mandata eius custodiamus; qui enim servat verbum eius, vere in hoc charitas Dei perfecta est; si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo; haec enim est charitas, ut ambulemus secundum mandata eius (1 Ioan. 2,5. 15; 5,3; 2 Ioan. 6). Quae apostoli doctrina eodem modo a Christo est proposita : qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me; qui autem diligit me diligetur a Patre meo; si quis diligit me sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus; qui non diligit me, sermones meos non servat (Ioan. 14,21 s.; 15,10).

Charitati in Deum intime connexa est atque ex ea necessario consequitur, immo unam cum ea constituit virtutem charitas erga alios, charitas in proximum; nam : si diligamus invicem, Deus in nobis manet et charitas eius in nobis perfecta est; et : si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere; si quis dixerit quoniam diligo Deum et fratrem suum oderit, mendax est, et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum (1 Ioan. 4,11. 12. 20. 21). Quod mandatum Christus tamquam suum mandatum, tamquam novum mandatum quam maxime nobis cordi esse voluit (cf. Ioan. 13,34 s.; 15,12), quod mandatum dicit secundum post primum illud de dilectione Dei et simile, atque : in his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae (Matth. 22,39. 40; Marc. 12,31). Quae in proximum charitas etiam in vetere lege praecipitur; Lev. 19,17 : non oderis fratrem tuum in corde tuo; non quaeras ultionem nec memor eris iniuriae civium tuorum, καὶ ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν, ego Dominus. Cum Israelitae deberent esse separati et segregati a gentibus, iste proximus primo et per se est contribulis, est Israelita; verum ibi tamen nullo modo sistebatur; nam : advenam non contristabis neque affliges eum (Ex. 22,21) et : si habitaverit advena in terra vestra, non exprobretis ei, sed sit inter vos quasi indigena et diligetis eum quasi vosmetipsos (Lev. 19,33. 34). Quodsi iubentur ingressi terram palaestinensem delere gentes, id fit in poenam scelerum illarum gentium, a quarum sceleribus ut sibi caveant ipso hoc admonentur supplicio quod in illas exsequi iubentur; quare perperam aliqui inde inferunt doceri odium in gentes (cf. Lev. 18,24. 25; 20,23; Deut. 7,1-8). Pharisaei quidem ac legis doctores ex eo quod foedera cum alienigenis lege prohibebantur, quod Deus promit-

tebat se fore inimicum inimicis Israel, quod pacem facere cum Ammonitis et Moabitis vetabantur (cf. Ex. 23,22; Num. 25,17; Deut. 7,2; 25,19) etc. colligebant: odio habebis inimicum tuum (cf. Matth. 5,43). Verum id perperam inferebatur legi plane contrarium. Nam quid observari oporteat docetur Ex. 23,4 : si occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, reduc ad eum; si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis sed sublevabis cum eo, et in universum Lev. 19,17; quibus adde Iob 31,29. 30 et Prov. 24,17 : cum occiderit inimicus tuus, ne gaudeas et in ruina eius ne exsultet cor tuum, et v. 29 : ne dicas : quomodo fecit mihi, sic faciam ei, et 25,21 : si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, da ei aquam bibere; prunas enim congregabis super caput eius (cf. Rom. 12,20). Hisce adiungenda sunt exempla Ioseph Gen. 45,1 et David 1 Reg. 24,7 etc.; neque obstant psalmi qui dicuntur imprecatorii, de quibus vide *Cornely,* Introd. II. 2 p. 120 ss. et cf. Sap. 12,19.

Falsam illam scribarum illationem quam rabbini quoque recoquebant (cf. *Knabenbauer,* Comment. in Matth. *ed.* 2 I. p. 252), Christus plane repudiat : ego autem dico vobis : diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui solem suum oriri facit etc. (Matth. 5,44; Luc. 6,27; 23,34; Rom. 12,20) et addit rationem sublimissimam ex Dei natura petitam, qua simul elucet quomodo haec charitas ex charitate Dei oriatur et una cum ea sit virtus. Quomodo haec charitas exercenda sit docuit parabola de Samaritano (Luc. 10,30), docuit dicens : amen dico vobis : quamdiu fecistis uni ex his minimis mihi fecistis (Matth. 25,40) et : qui recipit vos, me recipit etc. (Matth. 10,40 s.), docuit, dum in ultimo iudicio ex operibus charitatis aut exercitis aut omissis neglectisque aut ad vitam beatam vocaturum se dicit suos aut alios ad ignem aeternum abiecturum (Matth. 25,34-46). Quare ad opera charitatis exercenda frequens est in s. litteris adhortatio; cf. 2 Cor. 8,8. 24; Gal. 5,13 : per charitatem spiritus servite invicem; 6,10 : operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei (indicatur esse ordinem quendam officiorum charitatis); 1 Thess. 1,3; Philem. 7; Hebr. 10,24; Iac. 1,27 : religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est : visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum et 1 Ioan. 3,17 : qui habuerit substantiam huius mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Charitatis est offensiones ignoscere, aliis deferre et sese accommodare, sedulo vitare ne iis scandalum vel offensio praebeatur; quem in finem ea quoque aliquando oportet omittere quae alias licite et merito fierent; charitas aedificat, non quaerit quae sua sunt (cf. Rom. 14,1-20; 1 Cor. 8,1. 9 s.; 2 Cor. 2,8 et praeterea Rom. 12,10; 1 Cor. 16,14; Eph. 4,2; 1 Thess. 4,9; 2 Thess. 1,13; 1 Petr. 1,22 etc.).

Huius charitatis naturam, operationes, laudes nemo melius descripsit ac celebravit apostolo Paulo 1 Cor. 13,1-13, qui locus est iubilus et hymnus charitatis, reginae omnium virtutum, quae si adest, nihil deest ornamenti, quae si abest, cetera ornamenta iam nihil reputantur, quae excellentior est aliis virtutibus theologicis, quae una nunquam desinit, sed in aeternum permanet. Quare charitas merito appellatur lex regalis (Iac. 2,8), vinculum perfectionis (Col. 3,14, i. e. summa quaedam in se continens omnem perfectionem et comprehensio atque complexio perfectionis), finis praecepti (1 Tim. 1,5), plenitudo legis (Rom. 13,10; Gal. 5,14), fructus Spiritus Sancti (Gal. 5,22). Cum itaque tanta sit eius et excellentia et necessitas, non mirum est tot inveniri in s. litteris admonitiones et incitamenta, ut charitatem servemus, in ea crescamus atque Christum et apostolos commendare nobisque apprecari ut haec charitas in nobis sit et augeatur : manete in dilectione mea (Ioan. 15,9 s.), sectamini charitatem (1 Cor. 14,1), elegit nos Deus, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate,... in charitate radicati et fundati, ut possitis scire supereminentem scientiae charitatem

Christi Eph. 1,4; 3,17. 19 et corpus Ecclesiae aedificatur et crescit in charitate (Eph. 4,16), et : hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet (Phil. 1,9) et : volo vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis, ut consolentur corda instructi in charitate (Col. 2,1. 2 ; et nos oportet esse indutos lorica fidei et charitatis (1 Thess. 5,8) et apostolus precatur, ut Dominus dirigat corda nostra in charitate Dei (2 Thess. 3,5), praecipit Timotheo, ut sit exemplum fidelium in charitate, ut sectetur charitatem (1 Tim. 4,12; 6,11; 2 Tim. 2,22) etc. etc. et perfecta charitas eiicit timorem (1 Ioan. 4,18).

Cum tanta sit excellentia charitatis, ab ea deficere damno et accusationi vertitur gravi : habeo adversum te quod charitatem tuam primam reliquisti (Apoc. 2,4), et ratio cur homines crediturí sint signis ac prodigiis mendacibus antichristi assignatur : eo quod charitatem veritatis non receperunt (2 Thess. 2,9. 10) et ipse Christus a pseudoprophetis multos iri seductum ait : quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum (Matth. 24,11. 12). Quare summopere desiderandum est cum Iuda apostolo : charitas adimpleatur (Iud. 2).

I. KNABENBAUER.

CHARMEL legitur in Vulgata Is. 29, 17; 32,15. 16 et appellative intellegendum est de campo frugifero vel regione culta et amoena ; cf. s. v. CARMELUS.

CHARMI (כַּרְמִי; Χαρμί, Χαρμεί).

1. Filius quartus Ruben, progenitor familiae Charmitarum (Gen. 46,9; Ex. 6,14; Num. 26,6; 1 Par. 5,3).

2. Pater illius Achan qui turbavit Israel et peccavit in furto anathematis, filius Zabdi filii Zare de tribu Iuda (Ios. 7,1. 18; 1 Par. 2,7). Eius nomen legitur inter filios Iuda 1 Par. 4,1; sed probabilius idem Charmi filius Zabdi intellegitur, tum quia filius Iuda eius nominis non innotescit tum quia ex quinque filiis Iuda 4,1 recensitis solus Phares stricto sensu filius est, Hesron autem generatione secunda, Hur quarta, Sobal sexta a Iuda descendunt.

3. Charmi (Χαρμίς), filius Melchiel, unus ex tribus principibus (ἄρχοντες) seu presbyteris (πρεσβύτερου) Bethuliae urbis ab Holoferne obsessae (*Vulg.* 6,11; 8,9; LXX 6,15; 8,10; 10,6 ; in Vulgata. 6,11 mendose legitur : Charmi qui et Gothoniel.

CHARSENA (כַּרְשְׁנָא; LXX aliter legunt), unus ex septem principibus in aula Assueri (Esth. 1,14).

CHASELON (כֶּסְלוֹן, Χασλών), pater Elidad ex tribu Beniamin (Num. 34,21).

CHASLUIM v. CASLUIM.

CHASPHIA (כַּסְפְּיָא; LXX ἐν ἀργυρίῳ τοῦ τόπου), pagus quidam haud longe ab Ahava fluvio situs inter Babylonem et Ierusalem (Esdr. 8,17), sed hucusque ignotus. Vide EDDO.

CHEBBON (כַּבּוֹן, Χαβρά), urbs in campestribus Iuda (Ios. 15,40); recensetur in secunda provincia Sephelae. Probabilius eadem est quae 1 Par. 2,49 Machbena (מַכְבֵּנָה, Μαχαβηνά) vocatur, cuius pater (i. e. dominus) erat Sue. Correspondere videtur vicus hodiernus *el-Qubeibe* in colle sterili et saxoso ex ruinis antiquis exstructus, unius horae spatio ab Eleutheropoli distans inter meridiem et occidentem.

Cf. *Dillmann* ad Ios. 15,40; *Legendre* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible II. 643; *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV.

CHEBRON (1 Mach. 5,15) v. HEBRON.

CHELEAB (כִּלְאָב, Δαλουία), secundus filius David in Hebron, ex Abigail natus (2 Reg. 3,3); loco parallelo 1 Par. 3,1 appellatur Daniel (דָּנִיֵּאל, Δαμιηλ). Aliqui censent Daniel esse verum nomen et formam Cheleab corruptione ortam (*Levesque* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible s. v. Cheleab), alii vero putant formam Daniel corruptione ortam esse ex vero nomine Cheleab (*E. L. Curtis* apud *Hastings,* Dict. of the Bible s. v. Daniel 1). Virum illum binomium fuisse suspicatur *F. de Hummelauer* ad 2 Reg. 3,3.

CHELEUL legitur in LXX Iudith 1,6 (Χελεούλ, A Χελεούδ, אַ Χεσλαιουδα, Χελαιούδ, Itala Chelleuth, Vulgata omitt.). Itala vertit : Et collegerunt se gentes multae ad bellum filiorum Chelleuth. Ex textu non apparet, utrum illae gentes multae cum Nabuchodonosor sociatae fuerint an cum Arphaxad neque apparet, utrum filios Cheleul adiuverint an impugnaverint. Vix dubium est, quin textus corruptione laboret. Coniicit *De Moor* (Livre de Judith 1895 p. 34) in textu originali fuisse בְּנֵי חִילוֹ, ita ut sensus sit multas gentes sese consociasse cum filiis *exercitus sui* (scil. regis Nabuchodonosor = Assurbanipal).

CHELIAU (כְּלוּהִי *Kethib*, כלוהו *Qeri;* Χελκία), unus ex filiis Bani, qui uxores alienigenas duxerant (Esdr. 10, 35).

CHELION (כִּלְיוֹן, Χελαιών), filius Elimelech et Noemi, maritus Orphae (Ruth 1,2. 5; 4,9).

CHELLUS (Χελλούς, Vulgata omittit) recensetur inter regiones trans Iordanem (i. e. ab occidente Iordanis sitas), ad quas Nabuchodonosor nuntios misit deditionem postulaturos (Iudith 1,9). Enumeratio a Ierusalem meridiem versus procedit ad Betane, Chellus, Cades et torrentem Aegypti. Ex opinione Relandi Chellus eadem est quae apud geographos graecos et romanos Elusa inter Bersabee et Cadesbarne sita, cuius nomen hebraicum חֲלוּצָה fuisse supponitur (cf. *Neubauer*), hodie *Khalasa*. Idem censent *Riess*, *Legendre*. Nullo autem modo admittendum est, quod aliqui (*Winer, Riess*, *Wilson*, *Pinches*) existimant, Chellus eandem esse ac terram Cellon (Iudith 2,13; LXX 2,23), ut ex contextu huius loci elucet; v. CELLON.

Cf. *Reland*, Palaestina p. 717; *Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 410; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 9; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 398. 647; *Winer*, Bibl. Realwörterb., *ed.* 3 I. 224; *Wilson* in *Smith-Fuller*, Dict. of the Bible I. 563; *I. A. Pinches* in *Hastings*, Dict. of the Bible I. 375.

CHELMAD (כֶּלְמַד, Χαρμάν) in praeclara descriptione commercii Tyriorum recensetur inter emporia Mesopotamiae (Ez. 27,23). *Bochartus* vocem refert ad urbem magnam Mesopotamiae Charmanden, de qua Xenophon (Anab. I. 5, 10) et Sophaenetus (apud Stephanum Byzant. s. v. Χαρμάνδη); idem censet *Movers,* qui Charmanden Xenophontis in ripa Euphratis dextera ibi fere ponit, ubi via palmyrena ab occidente Euphratem attingit. *G. Smith* et *Delitzsch* agnoscunt Kilmad Ezechielis in urbe *Kalwadha* prope Baghdad; assentit *Riess*. — De aliis explicationibus satis coactis, quae nomen loci omnino non agnoscunt, sed mutata punctatione massorethica attributum vocis praecedentis Assur efformant (*Ioseph Kimchi*, *Hitzig*, *Cornill*) vide *Knabenbauer* in Ez. 27,23. *Mez* ad Targum provocans legit כָּל־מָדַי omnis Media, *Halévy* נִמְרוֹד Nimrod.

Cf. *Bochartus*, Chanaan 1,18; *Movers*, Phoenizier II. 3,251; *G. Smith* in Transactions of the Society of Bibl. Archaeology I. 1872 p. 61; *Delitzsch*, Paradies p. 206; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 9; *Mez*, Geschichte der Stadt Harrân 1892 p. 34; *Halévy* in Rev. des Études Juives XIII. 174.

CHELMON nominatur Iudith 7,3 cum Dothain et Belma in descriptione itineris, quo Holofernes cum exercitu suo Bethuliam obsidendam cinxit : venerunt per crepidinem montis usque ad apicem, qui respicit super Dothain, a loco qui dicitur Belma usque ad Chelmon, qui est contra Esdrelon (ἕως Κυαμῶνος ἥ ἐστιν ἀπέναντι Ἐσδρηλώμ). Cum ex textu graeco 7,3 Dothain (*Tell Dōthān*), Belma (*Bīr Bel'ame*) et Kyamon triangulum forment, quo Holofernes Bethuliam a tribus partibus oppugnabat, insuper vero Kyamon a facie Esdrelon fuisse dicatur, merito tertius hic terminus agnoscitur vicus *Yāmūn* 6 km a *Djenīn* (Engannim) inter septemtrionem et occidentem (*Riess, Brunengo*, *Khalil Marta, Fahrngruber, Liévin de Hamme*, *Zanecchia, Legendre*).

Cum de situ Bethuliae opiniones maxime diversae sint, etiam pro Chelmon seu Kyamon varii situs proponuntur : vicus *Qumiye* inter Hermon minorem et montem Gelboe (*Schultz*, *Ritter*, *Guérin*), vel *Tell Qaimūn* ab oriente

Carmeli prope Cisonem torrentem (*Fährengruber*, *Guérin*).

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 20*; *Brunengo* in Civiltà Cattolica 1888, Serie XIII. 9 p. 532; *Khalil Marta*, Intorno al vero sito di Betulia in Terra Santa, Firenze 1887 n. 9 et 10; *Fährengruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 160 (vel *Yamun* vel *Tell Qaimun*); *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897 III. 266; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. in Tabula geogr. Samarie p. 408/409; *Legendre*, Carte de la Palestine; *Schulz* in Zeitschr. d. D. Morgenl. Ges. III. 1849 p. 58; *Ritter*, Erdkunde XV. 424; *Guérin*, Samarie I. 307 (vel *Qumiye* vel *el-Fule*), II. 243 (*Tell Qaimun*).

CHELUB (כֶּלֶב, ὁ Χελούβ), pater Ezri praefecti agricolarum tempore Salomonis (1 Par. 27,26).

CHENE (כְּנֶה, Χαναά) recensetur in descriptione commercii Tyriorum inter emporia Mesopotamiae (Ez. 27,23). Plerique censent esse eandem urbem cum Chalanne et Calano (vide s. vv.) et merito quidem; scribitur enim in uno codice כַּלְנֵה apud *de Rossi* et ita rescribendum esse censent *Houbigant* et *Cornill* ad h. l.

Cf. *I. B. de Rossi*, Variae Lect. Vet. Test. III. p. 147; *Knabenbauer* ad Ez. 27,23. Alias coniecturas v. apud *Genesius-Buhl*, Handwörterbuch *ed.* 13 p. 376.

CHERESH v. BAGBACAR.

CHERUB (כְּרוּב, Χερούβ, Χαρούβ), urbs chaldaica, de qua aliqui Israelitae duce Zorobabel in Iudaeam redierunt, qui originem suam israeliticam ex genealogiis demonstrare non poterant (Esdr. 2,59; Neh. 7,61); v. ADON.

CHERUB, **CHERUBIM** (כְּרוּב, plur. כְּרוּבִים vel ut plurimum in Pentateucho כְּרֻבִים; χερούβ, χερουβίμ). Nomen hoc ipsum ex hebraeo (in quantum nobis servatum) explicari nequit. Aliqui ex Assyriologis contendunt vocem assyriam karubu significare excelsum, magnum, benedictum (cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 39; *Delitzsch*, Paradies p. 154), quae utique notio angelis bene convenit. Nam Cherubim angelos esse intellegendos certum esse debet. Neque enim esse Ch. mera figmenta mentis neque nuda symbola (uti recentioribus quibusdam acatholicis placet), iam efficitur ex Gen. 3,22.24; talia enim non ponuntur ante paradisum ad custodiendam viam ligni vitae et ad hominem arcendum, si forte illam repetere tentaret viam. Inde quoque statim consequitur Ch. esse praedita intellectu et pertinere ad ordinem homine superiorem; idem consequitur ex comparatione quam adhibet Ezechiel 28,14-16, qua pro ipsis asseritur ordo quidam vitae sublimis ac praestantissimus. Iam vero si exsistere dicuntur et ad ordinem homine superiorem pertinere, secundum ea quae ceteroquin in s. litteris nobis offeruntur, necessario consequitur Ch. angelis adnumerari debere, id quod cum variis locis in Apoc. prorsus congruit (cf. 4,6; 5,6. 8. 14; 6,1; 7,11; 14,3; 15, 7; 19,4). Vocantur apud Ezechielem חַיּוֹת, viva, viventia; proin cum quadam epitasi designantur vita eximia praedita. Prope Deum assistunt, gloriam Dei portant apud Ezechielem, iis custodia arboris vitae est demandata, figuris quoque exprimebantur in templo et super propitiatorium i. e. eo in loco quo populus cum Deo reconciliabatur et unde Deus mandata sua populo communicare voluit, ergo ibi ubi Deus se tamquam Deum viventem et populo suo vitam largientem exhibet. Quae omnia si consideraris, merito dixeris eos angelos et singulari plenitudine vitae i. e. participatione vitae Dei ornari et peculiarem quandam habitudinem prae se ferre ad hominis vitam gratiae, ad eius immortalitatem et gloriam.

Atque haec vitae *vivorum* copia symbolice exprimitur eo modo quo apud Ez. describuntur. In eorum figura cernebatur facies hominis, leonis, bovis, aquilae; omne corpus plenum erat oculis (Ez. 1, 10; 10,12). Quid sibi vult hoc loco facies, פָּנִים? Utique multi explicant de vultu, de facie proprie dicta; sed certum est voce hebr. hanc unam notionem minime exigi. Eius enim significatio latius patet; designat partem visibilem et exteriorem rei vel hominis, habitum, aspectum, dis-

positionem, figuram, formam, uti iam *Pradus* contendit et recentiores quoque affirmant (cf. *Gesenius*, Thes. p. 1110; *Fürst* s. v.; *Gesenius-Buhl*, Handwb. *ed.* 13 p. 667). Quare vi verbi minime opus est fingere in uno capite quattuor vultus aut quattuor larvas (uti nuper voluit *Schmalzl*), vel quod magis esset portentosum, in uno collo quattuor capita; sed, ut iam olim dixit *Pradus*, unumquodque unico tantum capite unicoque vultu erat praeditum, quaternis autem formis animalium insignitum. Atque ex quo tempore effossae sunt statuae assyro-chaldaicae alatae, vultu humano insignitae, ceterum leonis vel bovis figuram referentes (quas *Kirub* appellatas esse *Lenormant* dicit asserens se nomen hoc in aliqua tabula assyriaca legisse; cf. Origines de l'histoire I. p. 118), vix dubitari poterit quin descriptio prophetae optime iis imaginibus illustretur. In illa igitur symbolica repraesentatione coniunguntur, quaecumque praeclarissima in quovis genere viventium reperiuntur; qua coniunctione symbolice eximia illorum virtus exprimitur. Illa enim quattuor animantium genera regiam inter suos obtinent dignitatem; unde quadruplici forma insigniti Cherubim apparent maxima vi intellegendi, summa potentia et fortitudine, mira celeritate et promptitudine.

Quali forma imagines Cherubim supra propitiatorium fuerint, incertum est. Id solum scimus alas super propitiatorium fuisse extentas operientes illud et vultus inter se aspexisse (Ex. 25,20; 37,9); « inde praecipiam et loquar ad te supra propitiatorium ac de medio duorum Cherubim qui erunt super arcam testimonii cuncta quae mandabo per te filiis Israel » (Ex. 25,22). Quibus verbis declaratur, cur saepius dicatur Iahwe sedens super Cherubim (cf. 1 Reg. 4,4; 2 Reg. 6, 2; 1 Par. 13,6; Is. 37,16; Ps. 79,2; 98,1). Ea autem locutione et repraesentatione significatur Deo assistere angelos eosque esse eius voluntatis exsecutores (cf. Dan. 7,10), et explicatur cur thronus Dei apud Ezechielem quattuor Cherubim vectus exhibeatur. Quattuor illa animalia in Apoc. quamvis formam ab Ez. descriptam in memoriam revocent, tamen alter describuntur: primum enim simile leoni, alterum vitulo, tertium habens faciem hominis, quartum simile aquilae volanti; singula habebant alas senas et in circuitu et intus plena sunt oculis (cf. Ez. 10,12); etiam in Apoc. throno Dei assistunt (4,6).

De Cherubim vide *Zschokke*, Theologie der Propheten; *B. Schaefer* in periodico Katholik I. 1880 p. 384 et in Kirchenlexicon *ed.* 2 s. v.; *Nikel*, Lehre des A. T. über Cher. und Seraphim; *Knabenbauer*, Comment. in Ez. p. 36.; *Schmalzl*, Das Buch Ezechiel p. 27.40.

I. KNABENBAUER.

CHESLON (כְּסְלוֹן, Χασλών), oppidum Iuda in termino septemtrionali tribus Iuda occidentem versus (Ios. 15,10). Transit terminus a monte Seir (v. SEIR 3) iuxta latus montis Iarim (v. s. v.) ad aquilonem in Cheslon et descendit in Bethsames (*'Ain Shems*). Nomen conservatur in hodierno vico *Keslā* inter Bethsames et Cariathiarim. Ab Eusebio ponitur in Beniamin, a S. Hieronymo in Iuda, ab utroque appellatur vicus pergrandis in finibus Ierusalem (Onom. *ed. Lag.* 302,47; 113,4). In enumeratione urbium montis Iuda (Ios. 15,48 s.) praetermittitur. Hodiernum nomen arabicum *Keslā* formam hebraicam כְּסִלוֹן vel potius כִּסְלוֹן supponere videtur.

Cf. Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XVI. 1893 p. 46; *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 201; *Guérin*, Judée II. 11; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 25. 26; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 389; *F. de Hummelauer* ad Ios. 15,10, qui textum corrigendum censet.

CHIDON v. AREA 2.

CHIUS (Χίος), insula in Archipelago iuxta litus Ioniae. Situs optime elucet ex ipsa narratione itineris, quo S. Paulus Corintho Hierosolyma rediens ex ordine Asson, Mitylenen, Chium, Samum, Miletum attigit (Act. 20,15). Chii insulae urbs principalis eodem nomine Chius vocabatur; portum habebat amplum ac maxime securum (*Strabo* XIV. 1,35). A Romanis pro tempore saltem, antequam provinciae constituerentur, agnosceba-

tur Chios libera (*Plin.* V. 31,136). Hodie appellatur *Sakiz*.

CHLOE (Χλόη), nomen mulieris 1 Cor. 1,11. S. Paulus Corinthiis dicit de eorum contentionibus se certiorem esse redditum per testes fide dignos scil. per eos qui sunt Chloes (ὑπὸ τῶν Χλόης). Recentiores tenent hoc nomine designari familiam christianam Corintho, ut videtur, oriundam, quae Ephesum venerat. Coniecturas veterum vide apud *Cornely* in h. l.

CHOBA (Χωβά). **1.** Urbs quam Iudaei munitionibus firmarunt contra Holofernem Iudith 4,4 graece; Vulgata 4,3. 4 nomen omittit). Syrus pro Choba substituit circuitum (kikkar) Iordanis; conferri potest in textu breviore Vulgatae 4, 3: omnem Samariam per circuitum usque Iericho. Probabilius tamen Choba eadem urbs est quae Chobai (Χωβαί), ad quam Ozias princeps Bethuliae nuntios misit de clade Holofernis, imperans ut fugientes hostes persequerentur (Iudith 15,4 graece; Vulgata 15,5 nomen omittit). Situs determinari nequit.

2. Urbs ad quam usque exercitus Holofernis fugiens a filiis Israel caesus est (Iudith 15,5 graece; Vulgata 15,6: ad extremitatem finium suorum). Haec Choba a nonnullis supponitur esse Hoba (Gen. 14,15), quae est ad laevam i. e. ad septemtrionem Damasci (*Wolff*, Das Buch Iudith 1861 p. 184); aliqua confirmatio huius opinionis in eo cernitur, quod Damasci et finium eius mentio fit tamquam termini persecutionis (Iudith 15,5 graece). Alii eam haud longe a Bethulia quaerunt. Quodsi Choba 2 eadem est quae Hoba, merito censebitur esse vicus *Kūbūn* a Damasco septemtrionem versus; v. HOBA.

CHOBAI v. CHOBA 1.

CHOBAR (כְּבָר, Χοβάρ), fluvius in terra Chaldaeorum, ad cuius ripas Ezechiel inter exsules degens caelestibus visionibus ad munus propheticum vocatus est (Ez. 1,1. 3; 3,15. 23; 10,15. 20. 22; 43,3). Ex Ez. 3,15 nobis innotescit nomen oppidi cuiusdam, quod exsules iuxta fluvium Chobar incolebant, Tel Abib (תֵּל אָבִיב, Vulgata: acervus novarum frugum, LXX μετέωρος?). Sine dubio nomen proprium retinendum est cum Aquila, Symmacho, Theodotione. Vestigium huius urbis nondum repertum est; at nomina urbium e voce Tel (*collis*) formata permulta sunt in Mesopotamia, Assyria, Syria (*Assemani*, Bibl. orient. III. 2 p. 784; cf. *Delitzsch*, Paradies p. 342: Til-abni, Til-barsip, Til-bari, Til-garimmu, Tilsamhuri etc.) Remanet igitur ad fluvium Chobar determinandum illud unum: in terra Chaldaeorum i. e. Babylonia (*Knabenbauer* ad. Ez. 1,3; *Rawlinson*, *Delitzsch*, *Schrader-Whitehouse*). Qualis autem fluvius vel canalis designetur, dirimi nequit. *Brunengo* probabile censet intellegi *Nahr Malcha* fluvium regium, magnum illum canalem, quo Nabuchodonosor Euphratem et Tigridem coniunxit; tempore Plinii (VI. 26,120) traditio aliqua ferebat istum canalem diductum esse opere Gobaris praefecti provinciae. — Ceterum quidquid est de variis coniecturis, saltem hoc unum constat Chobar fluvium non esse cum *Hitzig*, *Keil*, *Reuss* aliisque quaerendum in Mesopotamia superiore et omnino distinguendum a fluvio Habor (Chaboras, *Khabūr*), qui apud Circesium in Euphratem influit; v. HABOR.

Cf. *Bochart*, Phaleg 1,8; *G. Rawlinson*, The five great monarchies 1879 III. 56; *Delitzsch*, Paradies p. 47. 48. 184; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. II. 119; *Brunengo*, L'impero di Babilonia e di Ninive II. p. 264; *Pannier* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 709.

CHODCHOD est vox hebraica כַּדְכֹּד, quam S. Hieronymus in textu Ezechielis (27,16) retinuit, ubi de gemmis ex Syria Tyrum allatis sermo est. Eandem vocem hebraicam in prophetia Isaiae (54,12), ubi propugnacula gloriosae ecclesiae messianicae ex ea gemma constare dicuntur, Vulgata *iaspidem* explicat. Pariter LXX in hoc textu ἴασπιν, in altero autem iuxta codicem Vaticanum et Marchalianum (Q ap. *Swete*) χορχόρ, iuxta Alexandrinum κορχορυς exhibent. Symmachus in loco Isaiae καρχηδόνιον vertit, atque haec explicatio *Braunio* aliisque satis probabilis visa est. Ac primo aspectu non omnino videtur abicienda, cum eadem carchedonia gemma a para-

phrasta Chaldaeo in libro Exodi כדכדנא et כדכדונא (28,16; 39,11; cf. Esth. 1,2) appelletur, quae etiam in Peshitta nomine כרכדנא (Ex. 28,19; 39,12; Ez. 28, 13) videtur designari, neque prorsus absonum videri debeat, iam in textu Isaiae nomen gemmae occurrere ab urbe Carthaginiensium derivatum, quae c. a. 850 a Chr. fundata supponitur. Carchedonius autem, etiam Theophrasto (De lap. 3,18 ss.) et Plinio (XXXVII. 7,92 ss.) aliisque notissimus, species nobilis carbunculi audiebat, quae ex regione garamantica Africae interioris per Carthaginienses populis occidentalibus et orientalibus afferebatur. At cum Tyriis ex Syria potius allata dicatur (Ez. 27,16) et nomen gemmae non iam intellectum ab interpretibus posterioribus cum simili carchedonio notissimo facile confundi potuerit, *chodchod* potius nomen semiticum esse et nobilem gemmarum speciem designare dicamus antiquis interpretibus nobisque ignotam. *Iaspis* non videtur convenire, cum alio nomine designetur (v. IASPIS). Plures *rubinum* vel *carbunculum* vel similem lapillum arabice *karkand* dictum coniciendo supponunt.

Cf. *I. Braun,* De vest. sacerd. Hebr. II. 11, 507; *W. Gesenius*, Thesaurus 660 a; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1, 46 s.; *P. de Lagarde*, Reliq. juris eccles. X. (esse chalcedonium).

L. FONCK.

CHODORLAHOMOR (כְּדָרְלָעֹמֶר, Χοδολλογομόρ), rex Aelam, reges Pentapoleos (Sodoma etc.) duodecim annos habuerat tributarios. Qui cum anno tertio decimo defecissent, anno decimo quarto cum Amraphel rege Sennaar, Arioch rege Ponti et Thadal rege gentium illos bello devicit in Valle Siddim, capto etiam Lot filio fratris Abraham. Qui recedentes insecutus et inopinantes adortus liberavit Lot praedamque recuperavit Gen. 14. Nomina regum aelamitarum quorumdam constant voce *kudur*, addito alicuius numinis nomine : v. g. Kudur Nachundi vel Kudur Nanchundi, Kudur Mabug. Aliquod vero Aelamitarum numen habet nomen *Lagamar,* ut nomen Chodorlahomor reapse sit nomen aelamiticum. Aelamitas antiquitus in Mesopotamia inferiore imperasse docent documenta. Narrat c. 650 Assurbanipal Assyriae rex, ante 1635 annos, ergo c. 2285 regem Aelam Kudur Nanchundi ex Erech abstulisse simulacrum deae Nanae, quod ipse rursum recuperaverit. Praeterea habetur Kudur Mabug, qui non soli regioni Iamutbal imperabat, quae est Aelamitidis pars Tigrin attingens, sed etiam Martu, quo nomine venit Syria cum Chanaanitide. Qui successorem atque sane etiam filium habuisse videtur Kudur Lagamar regem Iamutbal; alterum vero filium Rivagu vel Eriaku (= Arioch) instituit regem Larsae (= Ellasar), qui alias etiam urbes subegit, non tamen Babylonem. Kudur Lagamar Gen. 14 narrari Pentapolitas, qui et ipsi regionem Martu incolebant, habuisse tributarios, quis miretur? Eriaku tandem devictus est a Hammurabi, qui quinquaginta quinque annis regnavit Babylone. Is Larsam reduxit Siniddinam, cuius familia ibidem ante Aelamitas videtur regnasse. Porro hos reges fuisse recentiores quam Kudur Nanchundi suggerit ratio, dum hic simulacra deorum abduxerit, illos regionis sanctuaria studiose ornavisse, ut credi possint diutius iam in ea regione consedisse. Quos si recentiores esse admittas neque tamen multo posteriores, poteris defendere Chodorlahomor regnasse inter 2250 et 2200. Cf. Revue biblique V. 1896 p. 600 s.; VIII. 1899 p. 487; IX. 1900 p. 128.

CHOEROGRYLLUS. 1. Eo nomine vocatur in versione latina et septuagintavirali (χοιρογρύλλιον) animal hebraice שָׁפָן dictum, quod in Lege inter animalia immunda recensetur, utpote ruminans, sed ungulam non dividens (Lev. 11,5; Deut. 14,7). Idem animal in petris refugium suum habere a Psalmista dicitur (Ps. 103[104],18, *Vulg.* herinaciis), pariterque in Proverbiis, ubi inter « quattuor minima terrae, et ipsa sapientiora sapientibus » cum formica, locusta, stellione etiam « plebs invalida » huius animalis recensetur (30,26, *Vulg.* Lepusculus).

2. Choerogryllus versionis graecae et latinae, quam vocem etiam Coptus et Aethiops retinent, proprie hystricem

germ. *Stachelschwein*, gall. *porc-épic*), alias vero murem iaculum videtur designare. Peshitta et Targum Proverbiorum הגנסא i. e. hyracem (*Brun*) vel murem iaculum (*Levy*) vel cuniculum (*Gesenius*) vel cuniculum vel choerogryllum (*Payne Smith*), Onkelos et Targum hierosol. in Pentateucho טבדא (טבידא) i. e. cuniculum, Graec. ven. ἐχῖνος i. e. erinaceum (*Igel*), versio arabica Saadiae in Polyglottis *wabr* i. e. hyracem interpretantur. In Psalmo 103 codices versionis graecae Vaticanus, Sinaiticus, psalterium Veronense χοιροχουλλίοις, Alexandrinus vero et psalterium turicense ac correctio codicis Sinaitici λαγώοις i. e. *leporibus* exhibent (ap. *Swete*; cf. S. Hier. ep. 106 ad Suniam et Fret. n. 65 *M.* 22, 861 s.)

3. Sicut versiones veteres, ita etiam auctores antiquiores et ex parte etiam recentiores in diversissimas de *shafan* biblico opiniones abierunt, atque cuniculo, erinaceo, muri iaculo aliisque patrocinati sunt. At reiectis istis candidatis, recentiores plerique merito *Hyraci syriaco* Schreber (germ. *Klippdachs*, angl. *Coney*) ex ordine *Lamnunguium*, nomen et locum nostri *Shafan* adiudicarunt. Rationes praecipuae sunt, quia hyrax, cuniculo satis similis, ab Arabibus meridionalibus eodem nomine *ṭufan* designatur (*Fresnel* in Journ. asiat. Ser. III. t. 5 [1838], p. 514); deinde incola est petrarum, in Palaestina maxime communis (*H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8, 75-77; *id.* Fauna and Flora of Pal., London 1884, 1 s.); praeterea gregatim vivens « plebem » constituit, sed « invalidam » neque viribus ad se defendendam praeditam, callidam tamen, quae in petras praeruptas secedens cubile suum accessu difficile reddit, et a custodibus in vicinia positis de quocumque periculo admonita, hostem prudenter vitare scit atque effugere (*Tristram* ib.). Denique etiam ruminare sicut lepus sensu latiore dici potest; licet enim stomachum simplicem habeat nec proprie ac stricte ruminet, labiorum tamen et maxillarum motibus ruminantia imitatur, et secundum externam speciem, quam Moyses populo legem statuens respiciebat, a quocumque ruminare diceretur.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. 1,1002-17, *ed. Rosenm.* II. 409-29; *I. I. Scheuchzer*, Physica sacra 2,397-9; *Sam. Oedmann*, Verm. Samml. 4,48-56; 6,20-7; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2,213-22; *W. Gesenius*, Thesaurus ling. hebr. 1467; *U. J. Seetzen*, Reisen *ed. F. Kruse*, II. 229 s.; *K. Ritter*, Erdkunde XIV. 247. 333; XV. 1,596; *E. Robinson*, Neuere bibl. Forsch. 507; *L. Lewysohn*, Zoologie des Talmuds 110 s.; *J. G. Wood*, Bible animals 312-8; *Fr. Hommel*, Namen d. Säugethiere 322. 384; *P. Cultrera*, Fauna biblica 224-7; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3 p. 232; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 III. 120-8; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere I. 1, 578-80; *G. Loreta*, La zoologia nella Bibbia 102-6.

L. FONCK.

CHOLA (Χωλά, Χωδά) urbs, ad quam Ozias princeps Bethuliae nuntios misit de clade Holofernis, imperans ut fugientes hostes persequerentur (Iudith 15,4 graece; Vulgata 15,5 nomen omittit). Situs ignotus est. *Relandus* coniicit esse urbem Culon (Ios. 15,59 LXX) montis Iuda, *Fritzsche* urbem Holon (Ios. 15,51) in meridiana provincia montis Iuda, *Wolff* urbem Gaulon seu Golan (v. GAULON), a qua nomen habet regio Gaulanitis, hodie *Djōlān* ad orientem lacus Tiberiadis et Iordanis superioris; cum de persecutione hostium a Bethulia fugientium agatur, haec ultima coniectura saltem conformior est contextui, quam priores. *Kautzsch* solam coniecturam a *Fritzsche* propositam memorat.

Cf. *Relandus*, Palaestina p. 729. 731; *Fritzsche*, Kurzgefasstes exeg. Handbuch zu den Apokryphen II. 1853 p. 202; *O. Wolff*, Das Buch Iudith 1861 p. 183; *Kautzsch*, Die Apokryphen und Pseudepigraphen des Alten Test. 1900 I. p. 162.

CHOLERA (χολέρα) Eccli. 31,23 et 37,33 denotat tormina seu colicos dolores, quibus homines gulosi torquentur et ab intemperantia deterrentur. LXX eandem vocem adhibent Num. 11,20 pro זָרָא i. e. fastidium, *Vulg.* nausea.

CHOLHOZA (כָּל־חֹזֶה, Χολεζέ, Χαλαζά), nomen viri Neh. 3,15; 11,5; utrum de duobus an de eodem viro hisce locis agatur, non liquet.

CHONENIAS (כְּנַנְיָה, כְּנַנְיָהוּ; Χωνενία, Χωνενίας), princeps levitarum, qui

arcam Dei de domo Obededom in Ierusalem portabant (1 Par. 15,22. 27). LXX eum faciunt concentus musici moderatorem (ἄρχων τῶν ᾠδῶν): Vulgata interpretatur : prophetiae praerat ad praecinendam melodiam, princeps prophetiae. Verum quidem est vocem מַשָּׂא i. e. *portatio* sensu translato etiam *oraculum* et *cantum* significare. Sed contextus potius sensum proprium portationis suadet. Idem, ut videtur, Chonenias et filii eius praeter ministeria sacra etiam officiis scribarum et iudicum fungebantur (1 Par. 26,29).

CHONENIAS (*Kethib* כוֹנַנְיָהוּ, *Qeri* כְּנַנְיָהוּ vel כְּנַנְיָהוּ. Χωνενίας). **1.** Levita tempore Ezechiae regis, praefectus horreorum (2 Par. 31,12. 13).

2. Levita tempore Iosiae regis (2 Par. 35,9).

CHORRAEI v. HORRAEI.

CHORUS v. MUSICA.

CHRISTIANUS (Χριστιανός). Ex Act. 11,26 discimus, Barnabam et Saulum Antiochiae Syriae docuisse turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiae discipuli Christiani (Codex Sinaiticus* Χρηστιανούς praebet eo loco). Nomen eodem modo formatum est a nomine Christi, uti Herodiani (Matth. 22, 16 etc.), Carpocratiani, Simoniani (cf. Hegesipp. apud *Eus.* Hist. eccles. 4,22), Ἀττικιανὰ (ἀντίγραφα) formatione et Romanis et Graecis eo tempore usitata. Eo designantur asseclae Christi. Nomen inditum est a gentilibus; nam Christifideles inter se vocabant discipulos, fratres. Bene scribit *Blass* : « vanissima ipsaque specie argumenti destituta sunt, quae contra fidem huius testimonii Lucani a quibusdam sunt prolata; etenim ne poterat quidem Antiochiae secta novicia ex Graecis maximam partem composita communem notitiam effugere, neque, cum esset in vulgus nota, nomine apud vulgus carere » (Acta Ap., editio philol., Göttingen 1895 p. 137). Eo nomine utitur Agrippa quoque (Act. 26,28) non sine ironia compellans Paulum, quod brevi tempore se velit reddere Christianum. Eo utitur Petrus eo modo, ut appareat hoc nomen ipsum iam fuisse crimen, quo quis accusatus poenas daret : nemo vestrum patiatur ut homicida aut fur aut maledicus aut alienorum appetitor; si autem ut Christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine (1 Petr. 4,15. 16). Etiam h. l. codex Sinaiticus* praebet Χρηστιανος. Atque gentiles saepe Chrestianos dixisse, constat ex Tertulliano (Apol. 3) et Lactantio (Inst. div. I. 1,4). Illis enim nomen Χριστος ignotum erat, sed familiare Χρηστος.

CHRISTUS (מָשִׁיחַ) unctus (cf. Lev. 4,3. 16; 2 Sam. 1,21). Est cognomen regum theocraticorum, qui Christi, uncti vocantur, christus Domini, christus Iahwe. Unctione enim a propheta facta rex quandoque nomine Dei constituebatur et consecrabatur (1 Reg. 9,16; 10,1 : unxit te Dominus super hereditatem suam in principem; 15,1; 16,3; 16,13 ungitur David in regem; 2 Reg. 2,4; 3 Reg. 1,34. 39 Sadoc unxit Salomonem; 19,15 Elias ungit Hazael regem super Syriam etc.). Ea unctione proin consecratio, missio quaedam a Deo et adiutorium divinum ad opus Dei peragendum significabatur. Quare Cyrus quoque christus Domini dicitur (Is. 45,1) et iam patriarchae, a Deo vocati, protecti, qui revelationes divinas acceperunt, eo nomine insigniuntur (Ps. 104,15). Modo autem insigniore tribuitur ei qui est iure praecipuo rex populi Dei a Deo missus, Salvator, qui in humana sua natura est unctus divinitate, qui est rex, pontifex, propheta, proinde eximio modo ratione munerum quoque Unctus est appellatus. Ad hunc unum refertur nomen Ps. 2,2 et Dan. 9,25. 26. Ceterum vide s. v. IESUS CHRISTUS.

CHRONOLOGIA. I. Chronologia technica. In arte temporis computandi omnes gentes sideribus duci solent secundum illud Gen. 1,14 : « Fiant luminaria in firmamento caeli ..... et sint in signa et tempora et dies et annos ». Quo loco duae illae nominantur temporis mensurae, quae luce et calore solis distinguuntur : dies et anni. Atque dies quidem, cuius labores nocte revertente terminati cum requie necessaria commutantur, ad tempus metiendum non adhiberi vix potuit. Quae autem dies ho-

minis corpori, eadem toti terrae praestat annus. Hiems enim rediens cum arborum herbarumque vigorem coerceat, rerum naturae debitam affert quietem. Quapropter omnes gentes et in dies et in annos dividunt tempus neque inter se discrepant nisi de diei vel anni initio. Alii enim a tempore matutino diem, annum a vere, alii diem a tempore vespertino, ab autumno annum incipere putabant. Hodierna temporis ratio, qua nos a media nocte diei et ab hieme anni initium ducimus et ea qua astronomi principium diei astronomici a meridie et principium anni siderei suo modo definiunt, ab hominibus doctis sunt institutae, non ab antiquissimis temporibus traditae. Cum autem quanta sit inter hiemem noctemque, inter ver et tempus matutinum, inter autumnum et vesperum similitudo, fugere neminem possit: omnes fere gentes a partibus similibus diei et anni initia ducunt.

Mox autem, ut et dies et anni in minores dividerentur temporis partes, necessitas postulabat. Agricolae enim non potuerunt quin varias anni partes computarent, primum quidem aestatem et hiemem tum ver et autumnum. Annus igitur in duas vel quattuor partes dividebatur. Porro revertens luna plena tum agricolis tum nautis breviorem temporis mensuram praebebat et ex variis lunae mutationibus homines grata laboris interstitia cepisse facile concipitur. Ita annus in menses, mensis in hebdomadas dividi potuit.

Atque ipsius diei partes tam manifeste percipiuntur, ut homines neque arte adhibita neque consensu meridiem mediamque noctem, mane vesperumque distinxerint. Postea autem cum artes et scientia hominum vitam ornarent, homines et diem et noctem in duodenas horas diviserunt, quas vel gnomonis umbra vel aqua arenaque effluente metiebantur; qua dierum in duodenas horas divisione utrum duodecim mensium numerum imitati sunt an casu sint usi, pro certo nemo dicere potest.

Haec temporis divisio natura duce inventa facillima fuit. Summa autem difficultate variae hae temporis mensurae inter se coniunguntur. Tres enim illi circuitus, solis et annua et quotidiana conversio et lunae ambitus, commensurabiles non sunt. Quae difficultas eo maior est, quod calendarium usui vitae civilis et ecclesiasticae accommodatum fracturis mensium ac dierum carere debet, ita ut eius mensis nonnisi integros dies contineat et annus nonnisi integros menses diesque; iamvero annus astronomicus fracturam mensis et fracturam diei in se continet, itemque mensis astronomicus (lunatio) fracturam diei. Ex hac incommensurabilitate efficitur, ut menses et dies intercalari debeant. Qua intercalatione recte facienda tota temporis computandi ars eaque difficillima continetur. Ex historia calendarii ecclesiastici apparet, quam difficile fuerit diem mensemque anno rite affigere, ne festi dies paulatim omnes anni partes percurrerent.

Israelitas quidem, qui cum excultissimis quibusque antiquitatis gentibus, Aegyptiis, Babyloniis, Graecis, Romanis, frequens commercium habebant illorumque iugo identidem subiecti tenebantur, ab iis in ipsa temporis computandi ratione aliqua accepisse veri simillimum est. Quamobrem quae singularum harum gentiûm rationes fuerint, brevissime videtur esse exponendum.

1. *Veterum Aegyptiorum* annus erat mobilis annus solaris 365 dierum, cuius initium milenis quadringenis sexagenis annis tria tempora inundationis, germinationis et messis retrogradiens percurrebat (cf. *A. Erman,* Aegypten 1885 II. p. 469). Annus duodecim menses tricenorum dierum et quinque dies ad supplementum inservientes (ἐπαγομένα) continebat. Hebdomas autem quamquam in vita communi locum non habuit, apud astrologos tamen in usu fuit, qui singulis eius diebus singulas ex septem sphaeris caelestibus illo tempore notis praefecerant. Diei initium solis ortu fuisse videtur. Dies naturalis in duodenas mutabiles horas erat divisus, similiter nox naturalis. — In veterum Aegyptiorum monumentis nonnulli annorum cycli commemorantur. Inter quos est Apis cyclus viginti quinque annorum, quibus expletis Apis bos sanctus occidebatur; peracto cyclo viginti quinque annorum,

quorum singuli 365 dies numerabant, lunae mutationes seu phases in eosdem iterum dies inciderunt. Cyclus Sirii 1461 annos aegyptiacos seu 1460 Iulianos continebat, quibus peractis ortum Sirii heliacum iterum in primum diem primi mensis Thoth incidere opinabantur; astronomice autem haec periodus 1424 annis conficitur. De cyclo Phoenicis et alio quodam diuturniore 36525 annorum nihil certi constat. Illud vero notatu dignum est, quod per decretum Kanopi die 7. Martii a. 238 a. Chr. editum statuebatur post ternos annos communes annus intercalaris 366 dierum (cf. *R. Lepsius,* Das bilingue Dekret von Kanopus, Berlin 1866).

2. *De Babyloniorum arte* temporis computandi ex nonnullis inscriptionibus cuneiformibus, prout a *I. N. Strassmaier*, et *I. Epping* indagatae sunt, nova discimus quibus coniecturae quaedam antiquiores e medio tolluntur; cf. Stimmen aus Maria-Laach XXXIX. 1890 p. 225 ss. et : Astronomisches aus Babylon, Freiburg 1889 p. 183 ss. Ut ex tabellis ibidem explicatis intellegitur, et dies et nox ternas in partes, vigiliis similes, dividebantur, earum singulae in sexagenas partes harumque singulae iterum in sexagenas etc.; quae partes nostro modo computandi cum quaternis horis, quaternis minutis, quaternis secundis congruunt et propter computum etiam ulterius in sexagenas partes eodem ordine subdividebantur. Dies initium duxisse videtur a solis occasu, annus ab autumno. Annus erat lunaris soli accommodatus seu ligatus, duodecim continens menses undetricenorum vel tricenorum dierum. Ad intercalandum mensem tertium decimum Babylonii, ut *Epping* coniecit, cyclo utebantur undecim annorum seu 136 mensium, inter quos quattuor fuerunt menses intercalares. In hoc igitur cyclo componuntur Trieteris seu cyclus trium annorum cum uno mense intercalari et Octaeteris seu cyclus octo annorum cum tribus mensibus intercalaribus, de quibus cyclis statim plura dicemus, quando de Graecis sermo erit. Unde ex iis, quae *Strassmaier* et *Epping* de cyclo babylonico protulerunt, concludendum videbatur et Tricteridem et Octaeteridem iam ante Graecorum aetatem Babyloniis notas fuisse et ex utraque eos cyclum 11 (3 + 8) annorum cum 4 (1 + 3) mensibus intercalaribus composuisse, quem cyclum postea apud Graecos Meton ad maiorem perfectionem adduxit. Verum ex recentioribus inquisitionibus apparet, apud Babylonios tempore Arsacidarum et probabilissime etiam Seleucidarum cyclum 19 annorum in usu fuisse (cf. *Fr. X. Kugler*, Babyl. Mondrechnung 1900 p. 210). — Luna prima apparente apud Babylonios mensis cepit initium, quod quam accuratissime computabatur, ut tabellae ab *Epping* explicatae demonstrant. Periodus chaldaica 18 annorum non calendarium, sed eclipses spectat praefiniendas.

3. *Graeci* diem a solis occasu coepisse videntur. Divisionem diei in horas duodecim teste Herodoto (2,109) a Babyloniis acceperunt. Quae horae cum semper inter solis ortum et occasum continerentur, erant mutabiles (ὧραι καιριαῖαι) seu alio anni tempore alia erant longitudine. Hebdomas seu periodus septenorum dierum astrologiae peritis forte ab Aegypto innotuit, in vita tamen communi sola periodus denorum dierum commemoratur. Menses erant duodecim, quibus alia in aliis Graeciae partibus fuerunt nomina. Dies mensium alternis vicibus (ut videtur) numerabantur 29 vel 30.

Annus igitur erat 354 dierum seu annus lunaris, neque vero annus lunaris liber seu solutus, sed soli accommodatus seu *ligatus*, quippe qui intercalato suis temporibus mense tertio decimo etiam ad solem referebatur. Intercalatio Solonis tempore fiebat trieteride (τριετηρίς); cum enim annus lunaris solari brevior esset circiter undecim diebus, tertio quoque anno mensis interponebatur. Verum cum haec intercalatio iusto minor esset, Cleostratus circa a. 536 a. Chr. octaeteride (ὀκταετηρίς) uti coepit; dum igitur per trieteridem tertio quoque anno unus mensis seu pro novenis annis terni menses intercalabantur, Cleostratus iam pro octonis annis ternos menses intercalabat; anni intercalares eiusmodi cycli octo annorum erant annus tertius, quintus, octavus.

Verum a. 432 a. Chr. *Meton* cognovit intercalationem per duas octaeterides tanto fere modum excedere, quanto una trieteris iusto brevior esset. Quamobrem binas octaeterides cum singulis trieteribus in unum coniungens celeberrimum illum, qui *Metonis* vocatur, cyclum 19 annorum instituit. Continebat is cyclus 235 menses, quorum 110 erant cavi (κοῖλοι) seu 29 dierum, reliqui 125 pleni (πλήρεις) sive 30 dierum. Ex his 19 annis erant 12 anni communes 12 mensium et septem anni intercalares (ἐμβόλιμοι) 13 mensium; intercalares erant annus tertius, 5., 8., 11., 13., 16., 19. Est igitur Metonis cyclus nihil aliud nisi perfectior evolutio cycli illius, quo testibus *Strassmaier* et *Epping* iam Babylonii usi erant.

Hic Metonis cyclus cum contineat 6940 dies, a sole differt $9\frac{1}{3}$ horis, a luna $7\frac{1}{3}$ horis i. e. $9\frac{1}{2}$ horis longior est quam 19 anni solares et $7\frac{1}{2}$ horis longior quam 235 menses (lunationes). Quod mendum *Calippus* plus minusve cognovit et corrigere conatus est; cyclo Metonis quater adhibito diem omisit atque ita cyclum 76 annorum seu 27759 dierum instituit. Verum hic quoque cyclus plus 14 horis longior fuit quam solis cursus et sex fere horis longior quam lunae cursus.

Itaque *Hipparchus* hoc proposuit, ut cyclo Calippi quater adhibito iterum dies omitteretur; quod si fieret, cyclus cum lunae cursu fere congrueret. Hi Calippi et Hipparchi cycli a Metonis cyclo re vix differunt, cum easdem mensium longitudines eosdemque annos intercalares habeant. Utrum id quod proposuerant Calippus et Hipparchus, ut cyclo 19 annorum compluries repetito dies omitteretur, factum sit necne, comperiri iam non potest.

4. ***Apud Romanos*** noctem in quattuor divisam fuisse vigilias constat (vide s. v. HORA). Diem totidem habuisse partes pro certo probari nequit. Diem et noctem in duodenas horas dividendi morem Romani a Graecis acceperunt. Horae autem, cum a solis ortu et occasu numerarentur, erant mutabiles secundum anni tempora, ut ex Vitruvio, qui multa solariorum genera descripsit, colligitur; Vergilius quoque vere solum et autumno horas eadem dicit esse longitudine (vide s. v. HORA). Pro hebdomade octonos numeratos esse dies ex nundinis, quae nono quoque die erant, cognoscitur.

Menses et annus quales initio regni romani fuerint, certum non est. Numae Pompilii tempore annus videtur fuisse annus lunaris soli accommodatus seu ligatus i. e. duodecim menses lunares continens cum decimo tertio mense intercalari. Pares numeros funestos esse opinati annum lunarem constituerunt 355 dierum loco 354 neque menses lunares alternis vicibus in dies vel 29 vel 30 diviserunt, sed potius in 29 dies, exceptis quattuor illis plenis voce memoriali MILMO significari solitis, qui 31 dies habebant, et ultimo mense Februario inferis sacro 29 dierum. Annum a mense Martio coeptum esse ex nominibus Septembris, Octobris, Novembris, Decembris cognoscitur.

Intercalatio mensis decimi tertii non ex lege cycli cuiusdam fiebat, sed magis arbitrario modo quando caelo observato visum erat. Quam primum luna prima apparuerat, praeco publice annuntiabat seu calabat, unde hic dies Calendae vocabatur. Idus lunam significabant plenam seu mensem medium; in mensibus plenis Idus erant die 15., in mensibus cavis non die 14., quippe qui numerus funestus esset, sed die 13. Nonae semper erant nono die ante Idus.

Decem virorum tempore (circa 300 u. c.), ut annus lunaris longitudine solarem exaequaret, mensis Mercedonius (a mercede solvenda dictus), qui 22 vel 23 erat dierum, secundo quoque anno intercalabatur idque factum esse videtur post diem 23. Februarii.

Iulius Caesar autem pro anno lunari solarem substituit. Mense Mercedonio sublato duodecim menses tam longos fecit quam nunc sunt, dierum 365; quarto autem quoque anno post septimum Kalendas Martias (23. Febr.) binos instituit sextos Kalendas Martias (24. et 25. Febr.), unde illud: bissexto Kalendas Martias. Idus autem et Nonae suum locum tenuerunt. Horae diei computabantur a media nocte ad mediam noctem, sed usu populari et communi etiam a solis ortu ad occasum, uti Plinius (H. 77,188) testatur: « ipsum diem alii ali-

ter observavere... Umbri a meridie in meridiem, vulgus omne a luce ad tenebras, sacerdotes Romani et qui diem finiere civilem... a media nocte in mediam » (cf. *Martialis*, Epigr. 4,8; *Expositor*, 4. series, vol. IV. p. 396. 397; *Knabenbauer* ad Marc. 15,25). — Annus denique computabatur a bruma (seu solstitio hiemali) ad brumam.

5. *Iudaei* cum ante dispersionem suam praeter sacras nullas habuerint litteras, non satis constat, quid ex variis illis tempus computandi rationibus aliarum gentium receperint. — Horam partem diei fuisse ex libris ante exsilium scriptis colligi non potest, quamquam circa a. 120 ante exsilium solarium Achaz regis commemoratur. Christi autem aetate tempus inter solis ortum et occasum in 12 horas divisum erat, quae alio anni tempore alia videntur fuisse longitudine; hora tertia, sexta, nona orationi tribuebantur. Nox Iudaeorum ante aetatem occupationis romanae tres saltem vigilias, Christi tempore quattuor certe habebat (v. HORA). Dies secundum Moysis legem vespere incipiebat; quo tempore coeperit patriarcharum aetate, dubium est (v. DIES). Vestigia hebdomadis septem dierum iam habentur in Cosmogonia mosaica et in historia Iacob patriarchae; in lege mosaica hebdomas quiete sabbatica servari iubetur (v. HEBDOMAS). Menses aetate Patriarcharum saltem duodecim fuisse constat. Ex lege mosaica non liquet, utrum annus fuerit solaris an lunaris soli accommodatus seu ligatus; hoc tamen manifestum est, non fuisse annum lunarem absolutum seu liberum, cum menses lege certa temporibus anni affigerentur. Aetate graeco-macedonica annum fuisse lunarem soli accommodatum seu ligatum ex testimoniis Philonis, Flavii Iosephi, Eusebii, S. Epiphanii, Talmudis colligitur. Mensis a luna prima coeptus est. Ceterum v. MENSIS. — Anni civilis initium semper autumno fuisse videtur, annus religiosus seu ecclesiasticus legis mosaicae a vere initium duxit. Intercalatio mensis decimi tertii secundum Talmudicos fiebat arbitrario quodam modo, quandocunque observato caelo opus videretur; attamen S. Cyrillus Alexandrinus et S. Epiphanius cyclum apud Iudaeos usitatum commemorant 84 annorum ex Calippi cyclo 76 annorum et Octaeteride compositum, qui annos intercalares 28 + 3 = 31 haberet (v. ANNUS).

I. G. HAGEN.

II. Chronologia biblica. 1. ***Chronologia Veteris Testamenti.***

1) Chronologia patriarcharum. Tempus a creatione Adam usque ad diluvium Gen. 5,3 ss. spatio vitae decem patriarcharum determinatur atque ita describitur, ut accurate notetur quo vitae anno quivis pater genuerit filium. Eodem modo tempus a diluvio usque ad Abraham Gen. 11,10 ss. annis generationis singulorum positis exhibetur. Unde videri posset temporis spatium a creatione Adam usque ad Abraham sine magno labore posse assignari. Attamen varia obstant quominus ad certam annorum rationem perveniatur. Primo enim in textibus duorum illorum capitum hebraeo, samaritano, graeco numerus annorum apparet alius et alius; quae diversitas numerorum iam conspectui subiicitur :

	hebr.	sam.	gr.
Genuit Adam natus annos	130 —	130 —	230
Seth	105 —	105 —	205
Enos	90 —	90 —	190
Cainan	70 —	70 —	170
Malaleel	65 —	65 —	165
Iared	162 —	62 —	162
Henoch	65 —	65 —	165
Mathusala	187 —	67 —	167 (al. 187)
Lamech	182 —	53 —	188
Noe	500 —	500 —	500
usque ad diluvium	100 —	100 —	100
Quare ab Adam usque ad diluv	1656 —	1307 —	2242

	hebr.	sam.	gr.
Biennio autem post diluvium genuit Sem natus annos	100 —	100 —	100
Arphaxad	35 —	135 —	135
Καινᾶν	—	—	130
Sale	30 —	130 —	130
Heber	34 —	134 —	134
Phaleg	30 —	130 —	130
Reu	32 —	132 —	132
Sarug	30 —	130 —	130
Nachor	29 —	79 —	179 (al. 79)
Thare	70 —	70 —	70
Egreditur Abraham de Haran natus	75 —	75 —	75
Unde a biennio post diluvium usque ad egressum Abrahae de Haran	365 —	1015 —	1245.

Iam hac ipsa diversitate enascuntur variae quaestiones. Quisnam ex hisce textibus numeros praebet sinceros? et cum duo textus necessario debeant errores continere, si unum dixeris genuinum, facile quis intulerit omnes tres textus esse incertos nullique esse fidendum. Atque ut ab eo incipiamus quod certum videtur, numerus annorum qui a diluvio usque ad egressum Abrahae recensetur in textu hebr. et consequenter in Vulgata certo est erroneus. Exhibentur enim solum anni 367, vel cum Abraham egressus sit annos 75 natus, usque ad nativitatem Abrahae fluxerunt anni 292. Iam vero Sem vixit postquam genuit Arphaxad quingentis annis; Arphaxad natus biennio post diluvium vixit 438 annis; Sale natus anno 37 post diluvium vixit 433 annis; Heber natus post diluvium anno 67 vixit annis 464; Phaleg natus anno 102 post diluvium vixit annis 239; Reu natus a diluvio anno 131 vixit annis 239; Sarug natus 163 anno a diluvio vixit 230 annis; Nachor natus 193 anno a diluvio vixit annis 148. Und conficitur haec annorum series :

Sem mortuus est a diluvio anno	502
Arphaxad	440
Sale	470
Heber	531
Phaleg	340
Reu	370
Sarug	393
Nachor	341

Unde cum Abraham natus sit anno a diluvio 292, egressus de Haran anno a diluvio 367, eius tempore superstites erant omnes eius maiores a Sem et deinceps; insuper Abraham annos 100 natus genuit Isaac i. e. anno 392 post diluvium; Isaac genuit Iacob anno 452 a diluvio; unde tempore Iacob etiam superstites erant Sem, Sale, Heber.

Verum id ipsa narratione sacra excluditur. Nulla enim in historia Abraham et filiorum eius mentio fit de antiquis illis patriarchis. Insuper in familia Abraham idololatria invaluit : trans fluvium habitaverunt patres vestri, Thare pater Abraham et Nachor servieruntque diis alienis (Ios. 24,2). Sed incredibile est superstitibus Sem et Arphaxad et Sale et Heber invaluisse in stirpe electa ita idololatriam, ut Abraham anno a diluvio 367 debuerit egredi a cognatione sua i. e. a Sem, Arphaxad, Sale, Heber, Reu, Sarug; incredibile Sem patriarcham, testem diluvii, quiete spectasse idololatriam in sua progenie serpentem neque aliud eius tempore superfuisse remedium, nisi ut Abraham relinqueret regionem illam et societatem patriarcharum.

Neque tamen inde sequitur numeros graecos posse censeri sinceros. Id iam ex historia Abraham satis concluditur. Nam Abraham centum annos natus iam non putat se posse gignere : putasne centenario nascetur filius (Gen. 17,17)? item censet Sara : dominus meus vetulus est (Gen. 18,12) et sacer auctor quoque rem positam esse praeter vires naturae indicat : erant autem ambo senes (Gen. 18, 11); insuper fidem qua Abraham Deo filium promittenti credit summopere laudat apostolus : contra spem in spem credidit.. nec consideravit corpus suum

emortuum cum iam fere esset centum annorum (Rom. 4,18. 19). Iam ex textu graeco Nachor avus Abraham genuit annos 179 natus, proavus Sarug genuit natus 130 annos; iam si avus et proavus generare poterant ea aetate, incredibile est apud nepotem censeri rem talem quae centenario solo miro Dei interventu contingere possit. Item dies vitae Abrahae fuerunt 175 anni, et mortuus est in senectute bona provectaeque aetatis et plenus dierum (Gen. 25,7. 8); id quod pariter haud recte diceretur; nam ex textu graeco pater eius aetate 205 annorum, avus 304, proavus 330 annorum e vita decessit; unde aetas Abraham iam non dici posset senectus bona etc.; vel saltem nulla esset ratio cur mors ea aetate obita triplici modo tamquam in senectute matura designaretur. A quo incommodo ne textus quidem samaritanus liber est, in quo Sarug proavus dicitur genuisse natus 130 annos et mortuus aetate 230 annorum, quae aetas mortis pariter in hebr. refertur.

Dein quaeri potest, sitne enumeratio plena et integra? Apud LXX cernitur in genealogia post diluvium Cainan, cuius etiam S. Lucas 3,36 mentionem facit; unde nonnemo dixerit vere fuisse Cainan filium Arphaxad, qui tamen in aliis textibus deest. Num fortasse in ista enumeratione plures omittuntur? Id multis non videtur improbabile. Nam in aliis genealogiis haud raro membra quaedam omitti omnino certum est. Ita Subael 1 Par. 26,24 erat tempore Davidis praepositus thesauri; eius autem genealogia refertur haec : Subael filius Gersom filii Moysi. Genealogia Esdrae, quae Esdr. 7, 1 s. refertur ab Aaron usque ad Esdram praebet membra solum quindecim; sed si confertur 1 Par. 6,3-14 ab Aaron usque ad Iosedec i. e. usque dum Dominus transtulit Iudam et Ierusalem per manus Nabuchodonosor enumerantur membra viginti et unum, et Saraias (filius Azariae filii Helciae) qui Esdr. 7,1 tamquam pater Esdrae enumeratur, 1 Par. 6,14 pater est Iosedec; unde apparet in genealogia Esdrae membra deesse haud pauca. In genealogia Moysis solum recensentur Levi, Caath, Amram (Ex. 6,16 s.), sed in genealogia Iosue multo plures : Ioseph, Ephraim, Beria, Thale, Thaan, Laadan, Ammiud, Elisama, Nun, qui habuit filium Iosue 1 Par. 7,22. Unde iterum patet in genealogia Moysis enumerationem minime esse completam. Id quod ex eo quoque liquet, quia, dum solum tres filii Levi et octo eius nepotes recensentur, tamen numerus levitarum ascendit ad viginti duo millia masculini generis in exitu ex Aegypto (Num. 3,39). Legimus Ios. 7,18 : Achan filius Charmi filii Zabde filii Zare de tribu Iuda; sed si narratio ibi tradita inspicitur, videmus Zare esse aliquam cognationem tribus Iuda, Zabdi autem nomen familiae vel domus in ea cognatione; immo Iosue 22, 20 Achan filius Zare solum appellatur. Notum est in genealogia Matth. 1,8 legi : Ioram genuit Oziam; et tamen vere advertit S. Hilarius : Ioras Oziam genuisse scribitur, cum quartus ab eo sit. Quae exempla facile possent augeri. Unde sunt qui opinentur etiam Gen. cap. 5 et 11 assumi posse membra esse omissa et si v. g. dicitur : vixit Heber triginta quattuor annis et genuit Phaleg, intellegi posse : genuit eum a quo postea descenderit Phaleg (*Vigouroux, Brucker, Pannier,* Genealogiae biblicae p. 242. 281); vel quod aliis praeplacet, aliqua membra decursu temporis et incuria scribarum esse omissa. Haec sententia de membris omissis admitti debet quicumque demum numeri assumantur ab iis qui et diluvium universale accipiunt et primum regem Aegyptiorum ad annum 3892 a. Chr. referunt (uti *Kaulen*, in Kirchenlexicon s. v. Aegypten; immo alii ex catholicis quoque primum regem Aegyptiorum anno 4157 a. Chr. attribuunt, uti *Güttler*). Alius quoque modus excogitatus est, ut inter diluvium et Abraham longe maius acquireretur temporis spatium, quam textu hebr. concedi videretur. Nova haec explicatio ita proponitur : Sem genuit Arphaxad et familia seu gens Arphaxad vixit in linea recta per annos 500 postquam Arphaxad est genitus genuitque filios et filias; familia autem Arphaxad exstincta linea recta exsistebat in linea quadam secundaria per 35 annos et genuit Sale qui factus est heres promissionis et familia seu gens Sale exsistebat in linea recta per 303 annos a

nativitate Sale; et ita porro. Qua ratione inter diluvium et nativitatem Abraham id temporis spatium exsurgit, ut eius explicationis patroni ponant diluvium anno 4293 a. Chr. et nativitatem Abrahae anno 1626 a. Chr. (cf. *Dumax*, Révision et Reconstitution de la Chronologie biblique et profane, deuxième époque, Paris 1886, p. 137).

Quaesitum quoque est, unde discrimen illud inter numeros textuum hebr. et graeci originem duxerit. Sunt qui opinentur interpretes alexandrinos, utpote longa illa tempora regum aegyptiacorum apud Manethonem haud ignorantes numeros auxisse additis fere in omni generatione centum annis; idem Samaritanos quoque praestitisse, sed solum pro tempore post diluvium. Hoc utique modo maius habetur spatium post diluvium. At haec computatio aliis premitur difficultatibus. Nam ex monumentis tum aegyptiacis tum babylonicis et assyriacis tempora ante Abraham aliquo modo innotescunt; neque tamen iis hominibus tale vitae spatium assignatur, ut ullo modo probabile sit tempus generationis usque ad annos vitae 130 esse dilatum. Etsi enim omnino assumi potest fuisse homines multos longaevos — nam ultra centum annos hodie quoque reperiuntur — tamen eos non generasse nisi 130 annos natos incredibile videtur. — Alii existimarunt numeros τῶν LXX primitus in textu quoque hebr. positos fuisse; ei autem computationi subesse opinionem fore ut mundus per sex dies Dei i. e. per sex millia annorum exsistat; quare Phaleg (pars dimidia) vita esse functum anno 3000 a mundo creato secundum eam computationem Christum venisse anno 5500 a mundo creato et Christianos contra Iudaeos apocrypham illam Dei ad Adam promissionem attulisse : post dies quinque et dimidium diem veniam ad te redimendum; idcirco Iudaeos adulterasse numeros, ut ostenderent Messiam nondum venisse (ita *P. de Lagarde*). Verum recte advertit *Bickell* nobis nihil esse traditum de controversiis quae primis saeculis de tempore adventus Messiae essent agitatae et promissionem illam solum legi in arabica quadam ad Genesin catena (cf. Zeitschrift f. kath. Theologie, Innsbruck 1879 p. 393).

Demum etiam alia via inita est, ut ostendatur numeros textuum hebr., sam., graeci pro tempore a creatione usque ad diluvium inter se plane congruere : exprimere scil. textum hebr. annos 1656 solares; annos autem textus graeci 2242 esse annos religiosos novem mensium (quorum quisque 30 dies habeat), unde efficiantur dies 605 340 i. e. anni 1657; numerum autem annorum textus samarit. ita erui : annos textus graeci esse habitos annos non novem, sed septem mensium; inde vero ex mensibus (2242 × 7) 15694 effici annos solares 1307 i. e. numerum textus sam. Longius quoque eius sententiae patroni, *Chevallier, Dumax* progressi sunt; etiam periodos illas longissimas quas Aegyptios Babyloniosque prisco illi tempori assignasse veteres tradunt ad annos reducunt solares 1656 hoc modo : assignari apud Aegyptios periodos 31900, quo numero non annos exhiberi sed parvas periodos dierum 19 (vel accuratius 19,07); inde vero effici annos 1665 solares; apud Chaldaeos vero proferri numerum 43200, ex quo numero secundum eundem modum efficiuntur anni 2256 vel 2242 solares (numerum vero 43200 enasci ex eo quod 120 periodi magnae quae sari appellantur auctae sint 360 vicibus; nam *saros* consistit 360 partibus minoribus quae sossi vocantur; eodem modo ex 88 *saris* ortae sunt 31900 periodi minores; saron autem constare dicunt 231 mensibus lunaribus vel annis fere $18\frac{1}{2}$ vel diebus 6794 vel 6830; cf. *Dumax* l. c. époque antédiluvienne p. 145 ss.).

Verum consideratis hisce omnibus dici debet *certam* quandam chronologiam de primis illis temporibus usque ad Abraham statui non posse neque ex s. litteris neque ex monumentis aliis. Id unum ex iis, quae recenti tempore ex aliorum populorum monumentis reperta sunt, statui potest spatium 4000 annorum ab Adam usque ad Christum esse nimis angustum; atque nihil inveniri in s. litteris quo prohibeamur spatium illud longius assumere.

Nunc erit inquirendum possitne ab Abraham et deinceps certa statui temporum computatio. Abraham annos 75 na-

tus egressus est de Haran (Gen. 12,4); vir centum annorum genuit Isaac; Isaac natus erat 60 annos quando Esau et Iacob in lucem editi sunt (Gen. 25,26); Iacob autem Aegyptum ingressus : dies peregrinationis meae, inquit, centum triginta annorum sunt (Gen. 47,9). Unde a nativitate Abraham usque ad ingressum familiae Iacob in Aegyptum anni numerantur 290 vel a vocatione eius anni 215. Porro Ex. 12,40 : habitatio filiorum Israel qua manserunt in Aegypto fuit 430 annorum et 3 Reg. 6,1 : factum est ergo 480. anno egressionis filiorum Israel de terra Aegypti aedificari coepit domus Domino, qui annus erat quartus regni Salomonis. Unde a nativitate Abraham usque ad annum quartum Salomonis regis efficiuntur anni 1200. Utinam singuli numeri sine controversia constarent! Verum ne unus quidem est qui non in disceptationem vocetur.

Ita *Chevallier*, *Dumax* tempus a vocatione Abraham usque ad exitum ex Aegypto contineri dicunt annis 244 solaribus. Ad eiusmodi computationem adducti sunt assumentes pro vita patriarcharum et Moysis annum quem vocant religiosum, abrahamiticum et qui sit annus lunaris septem mensium. Eo modo numerum 430 annorum quem cum LXX accipiunt de commoratione in Chanaan et Aegypto imminuendum esse vel potius explicandum esse aiunt de eiusmodi annis septem mensium. Verum quidem est, si res in universum spectatur, annum aliter apud alios esse computatum. Nam, uti *Plinius* refert (Nat. hist. VII. 48, 155), annum alii aestate determinabant et alterum hieme, alii quadripertitis temporibus, sicut Arcades quorum anni trimestres fuere, quidam lunae senio ut Aegyptii. Et *Lactantius* quoque annum quattuor mensium apud Aegyptios in usu fuisse dicit (Instit. div. 2,12), item S. *Augustinus* idque apud plerosque scriptores historiae reperiri addit (Civ. D. XV. 12,1) et Acarnanas annum habuisse ait sex mensium. Atque annum septem mensium pro historia Abraham, Isaac, Iacob esse assumendum varia ratione probare conantur (cf. *Dumax* l. c. troisième époque p. 53 s.). At iste modus computandi admitti nequit. Nam secundum eum Abraham natus 56 annos iam nullam habere posset ex rei natura spem gignendi, ita ut cum Deo promittenti filium crederet magnam, immo eximiam ostenderet fidem. Et Abraham dicens : putasne centenario nascetur filius et Sara nonagenaria pariet (Gen. 17,17)? revera miraretur quod vir 56 vel 57 annorum posset filium generare. Verum hodiedum potentiam generandi viro inesse affirmant usque ad annum 70-75! Quomodo ea aetate posset dici senex (cf. Gen. 18,11. 12)? et quae apostolus Paulus de corpore emortuo et de spe contra spem dicit evaderent plane inania. Quare hoc unum iam sufficit, ut annus ille septem mensium vel dierum 206 non admittatur.

2) Chronologia Exodi, Iosue, Iudicum.

Dubium movetur de tempore commorationis in Aegypto. Nam numerus annorum 430 refertur apud LXX ad commorationem in Aegypto et Chanaan, quam sententiam etiam Paulus apostolus adoptasse multis videtur (Gal. 3,17); unde putant ad commorationem in Aegypto solum annos 215 pertinere. Attamen haec immerito statui videntur. Textus enim LXX ita conformatus est, ut suspicionem moveat; in codice Vat. ita legitur : ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἣν κατῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χαναάν etc. Verum ita textus est ineptus; nam Abraham, Isaac, Iacob qui in Chanaan habitabant ante ingressum in Aegyptum, non possunt vocari filii Israel; et textus manet ineptus etsi in aliis exemplaribus legitur ἣν κατῴκησαν αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν. Dein inepte quoque ponitur ἐν γῇ Χαναάν ultimo loco. Quare textus hic corruptus esse videtur. Neque pro eo merito adducitur Paulus. Dicit enim l. c. legem esse latam post 430 annos; quae verba ex contexta oratione ita intellegenda sunt, ut post promissiones datas spatium illud temporis fluxerit; eaedem autem promissiones repetebantur usque ad ingressum Iacob in Aegyptum; unde apostolus dicit periodo promissionum transacta legem esse datam post 430 annos (cf. *Patritius*, Comment. in Act. p. 47; *Beelen*, in Act. *ed.* 2 p. 161). Dein numerus ille 430 annorum fulcitur Gen. 15,13 : scito prae-

noscens quod peregrinum sit semen tuum in terra non sua et subiicient eos servituti et affligent quadringentis annis; verumtamen gentem cui servituri sunt ego iudicabo et post haec egredientur cum magna substantia. Quae verba de commoratione in Chanaan non intellegi possunt: nam sermo est de semine, de posteris Abraham; sermo de terra aliena, sed terra Chanaan iam erat Abraham et semini eius promissa; quod dicitur de servitute, afflictione, de iudicio in gentem cui servituri sunt, de egressu non potest dici nisi de posteris in Aegypto commorantibus. Neque obstat quod dicitur v. 16 : generatione autem quarta revertentur huc; cum enim Abraham viverit per annos 175, Ismael 137, Isaac 180, Iacob 147, certe eo loco Gen. 15,16 generatio sumi potest, immo debet pro spatio annorum centum. Ista longior commoratio suadetur quoque genealogia Iosue, in qua Iosue recensetur octavus ab Ephraim (1 Par. 7,22; cf. supra). Neque omittendus est numerus filiorum Israel in egressu, quo pariter longior commoratio suadetur. Quare numerus 430 retinendus esse videtur.

Quartus porro annus Salomonis dicitur esse annus 480 post egressum ex Aegypto; ita in textu mas.; apud LXX autem scribitur annus 440; aliter Flavius Iosephus qui tamen sibi minime constat; nam pro tempore ab exitu ex Aegypto usque ad aedificationem templi bis assignat annos 592 (Ant. VIII. 3,1 et X. 8,5), bis autem 612 (Ant. XX. 10,1; c. Ap. 2,2); aliorum quoque computationes maxime variant. Hos v. g. enumerat *Lederer* Die biblische Zeitrechnung p. 31 : *Clemens Alex.* statuit annos 567, *Eusebius* 610, *Iulius Africanus* 740, *Theophilus Ant.* 602, *Syncellus* 650, *Philostratus* 713, *Sulpicius Severus* 588, *Capellus* 580, *Petavius* 520, *Vignoles* 648, *Seyffarth* 880, *Roeckerath* 580, *Raska* 540 etc. Varietas haec explicatur ex eo quod tempus Iosue et Iudicum aliter ab aliis computatur. De temporis Iosue duratione nihil in s. litteris reperitur. In libro Iudicum quidem tempus oppressionum et singulorum Iudicum accurate traditur; at cum nesciatur qui iudices eodem tempore in varia terrae parte munere suo functi sint, tempus aliter ab aliis determinatur; praeterea non assignatur tempus seniorum post Iosue ad Chusan (Iud. 2,7; 3, 8). In tanta itaque opinionum varietate, quarum nulla certis rationibus firmari potest, optimum erit numerum illum retinere qui in textu hebr. effertur. Neque enim ostendi potest eum esse arte quadam consulto effictum. Opinati quidem sunt eum esse ortum ex eo quod generationes 12, quarum cuivis anni 40 sint attributi, ab egressu usque ad Salomonem essent numeratae. Sed ostendi nequit pro eo tempore generationes assignari 12; nam ab Aaron usque ad Sadoc qui unxit Salomonem 1 Par. 6,3-8 numerantur 11 generationes (indene LXX 440?); alias etiam pauciores recensentur; ita a Nahasson principe Iuda (Num. 1, 7; 2,3 etc.) usque ad David solum nominantur Salma, Booz, Obed, Isai (1 Par. 2,11. 12; Ruth 4,20). Quomodo singulis eius periodi eventibus tempus conveniens adscribi possit et qui synchronismi tempore Iudicum apte statuantur, vide apud *Cornely,* Introd. II. 1 p. 227.

3) Chronologia regum.

Pro tempore regum in s. litteris anni traduntur per quos quivis rex regnaverit. Sed traduntur semper anni integri formula consueta v. g. quadraginta et unius anni erat Roboam cum regnare coepisset, decem et septem annos regnavit (3 Reg. 14,21); solum de tribus regibus Israel qui non per annum integrum regnarunt adnotatur Zambri regnasse septem diebus, Zachariam sex mensibus, Sellum uno mense. Si itaque anni integri computantur qui ab anno quinto Salomonis usque ad expugnationem Samariae traduntur, reperiuntur pro regno Iuda 295 anni, pro Israel 276. Cum spatium illud temporis pro regno utroque sit idem, patet in numeris aliqua esse quae correctione indigeant. Sed statim quisque videt reges nullatenus semper per totos annos 17, 3, 41, 25, 8 etc. regnasse; verum saepe debuisse quandam anni partem pro toto anno esse computatam. Id v. g. statim deprehenditur in secundo post Salomonem rege; qui in octavo decimo anno Ieroboam coepit regnare et tribus annis regnavit et dormivit cum patribus suis

et Asa filius eius regnavit pro eo et hic regnavit anno vigesimo Ieroboam regis (3 Reg. 15,2. 9); unde evidens est Abiam non per tres annos integros regnasse. Unde simul patet tempus a Salomone usque ad expugnationem Samariae non posse determinari facta summa annorum, per quos reges regnarunt. Qua animadversione iam aliqua in numeris discrimina disparere nemo negabit.

Atque fieri quoque potuit, ut pater filium in regni consortium assumeret et anni illi per quos simul regnarunt utrique attribuerentur; ita Azarias lepra percussus Ioatham filio administrationem regni commisit (4 Reg. 15,5); unde quaeri potest sitne duorum regum tempus ex numeris 52 et 16 determinandum. Porro interregna quandoque esse statuenda etiam non videtur improbabile; demum, ut alibi, ita hic quoque aliquos numeros culpa amanuensium esse corruptos facile quivis concesserit. Insuper notant annum in Iuda inceptum esse mense Nisan, in regno Israel mense Tishri et partem anni utrimque in computatione temporis regni pro anno integro esse numeratam. Hisce subsidiis adhibitis tempora regum Iuda et Israel inter se componere alii utique aliter tentarunt. Ad quae tempora determinanda etiam consulenda sunt monumenta assyriaca; praeprimis canon vel laterculus qui eponymorum canon appellatur, in quo scil. pro annis singulis is magistratus adscriptus est qui anno quasi nomen dedit, et laterculi regales; eos descriptos leges apud *Schrader* (Keilinschr. und Alt. Test. *ed.* 2 p. 470 s.). Ut autem certus annorum numerus ex illis laterculis colligi possit, inservit quod ad nomen *Purilsagali* adscriptum ibi legitur : mense Sivan sol eclipsin passus est. Quae solis defectio evenit, uti artis astronomicae periti repererunt, die 15. Iunii anni 763 a. Chr. Unde facile in illis laterculis anni singuli pro nominibus singulis et eventibus assignatis determinantur.

Ex monumentis assyriacis docemur inscriptione Salmanassar II. in pugna apud Karkar Achab regem Israel aliosque esse devictos, quae pugna ad annum 854 calculo instituto refertur (sub eponymo scil. Dajan-Asur). Pariter iisdem docemur Iehu regem Israel anno 842 tributum solvisse eidem regi Salmanassar II. Cum haec tamquam omnino certa statuantur, videndum erit qua ratione tempus regum Iuda et Israel secundum numeros in s. litteris traditos constitui possit. Si duo illa ob oculos habentur : partem anni computari pro toto, initium anni sumi in Iuda a mense Nisan, in Israel a Tishri, satis commode omnia congruunt. Sed adverti debet regnum Amri computandum esse, ut 12 fere anni habeantur, a morte Ela, quo tempore « fecit sibi regem omnis Israel Amri » (3 Reg. 16,16); verum populus occiso Zambri divisus est in duas partes; media pars sequebatur Thebni, sed pars Amri demum praevaluit; quare quod dicitur anno 31 regis Asa regnasse Amri, id intellegatur oportet de regno in universum Israel devicto Thebni (3 Reg. 16,16-23). Porro assumi potest Achab per 3 annos simul cum patre Amri regnasse, ita ut annus 38 Asa regis Iuda computetur tamquam annus quo Achab solus regnare inceperit (3 Reg. 16,29). Ioram autem cum patre Iosaphat aliquo tempore simul regnasse, s. litteris 4 Reg. 8,16 clare indicatur. Hisce considerationibus adhibitis *Lederer* sine ulla mutatione numerorum biblicorum periodum describit regum utriusque regni usque ad Iehu (l. c. p. 122-129). Singula prosequi non est huius loci; computationem eius vide in tabellis adiectis.

Verum nolo tacere aliter ab aliis rem proponi. A sententia communiter recepta Achab interfuisse pugnae apud Karkar anno 854 et Iehu anno 841 vel 842 tributum solvisse regi Salmanassar II. recedit *Fl. de Moor* (Extrait de Muséon, 1893). Concedit utique quod negari nequit in inscriptionibus illis Salmanassar II. legi AKHAB, legi quoque IAHOVA (Schrader ita ex assyriaco nomina exhibet : A-ha-ab-bu, Ia-u-a). At contendit incuria scribae qui nomina peregrina ex aliis sibi notis efformarit Achab esse scriptum pro Ioachaz et Iehu pro Ioas; proinde alios esse statuendos synchronismos. Nomen scil. Achab scribae notum fuisse ex inscriptionibus alicuius

Tabella 1. Tempus regum Iuda

	Lederer	Neteler	De Moor	Zschokke	Raska	Alker	Keil	Kamphausen	Merx	A. Schæfer	Brandes
Roboam.....	929-912	933-917	984-967	975-957	990-974	932-916	975-958	938-921	967-950	976-959	929-912
Abiam	912-909	917-915	966-964	957-955	973-971	915-913	957-955	921-918	950-948	959-957	912-910
Asa.....	909-869	915-875	964-923	955-914	971-931	914-872	955-914	918-877	948-909	957-916	910-869
Iosaphat.....	868-845	875-851	924-899	914-889	931-907	872-848	914-889	877-852	909-883	916-893	869-848
Ioram	848-841	851-847	901-893	889-884	909-902	853-841	891-884	852-843	883-876	893-886	848-841
Ochozias.....	841	847	892	883	902	841	884	843-842	876	886	841
Athalia	841-838	847-841	891-886	883-877	901-895	840-835	883-877	842-837	876-869	886-879	841-835
Ioas.....	838-799	841-802	885-845	877-838	895-856	835-796	877-838	837-797	869-829	879-839	835-798
Amasias.....	801-773	804-776	845-816	838-810	857-829	796-768	838-810	797-777	829-800	839-809	798-793
Azarias	787-736	787-736	804-752	809-757	828-777	789-738	810-759	777-736	800-748	809-757	793-749
Ioatham	750-735	739-724	752-732	757-741	776-761	749-734	758-742	750-735	748-732	757-741	749-741
Achaz.....	742-727	724-709	745-729	741-726	761-746	734-719	742-727	735-715	732-716	741-726	741-727
Ezechias.....	727-698	710-682	729-700	726-698	746-718	727-690	727-698	714-686	716-687	726-684	727-698
Manasses.....	698-643	696-642		698-643	717-663	704-650	698-643	685-641	687-642	684-642	698-643
Amon.....	643-641	641-640		643-641	663-642	650-639	643-641	641-639	642-640	642-640	643-641
Iosias.....	641-611	640-610		641-610	641-611	638-608	641-610	639-608	640-609	640-609	641-610
Ioachaz.....	3 menses	610		610	3 menses	3 menses	3 menses	608	609	609	610
Ioakim.....	610-599	609-599		610-599	610-600	607-597	610-599	608-597	609-598	609-599	610-599
Ioachin	3 menses	3 menses		3 menses	3 menses	3 menses	3 menses	597	598-597	599-98	599
Sedecias	599-588	598-588		599-588	600-590	596-586	599-588	597-586	597-586	598-558	599-586

Tabella 2. Tempus regum Israel

	Lederer	Neteler	De Moor	Zschokke	Raska	Alker	Keil	Kamphausen	Merx	A. Schæfer	Brandes
Ieroboam	929-908	934-913	984-962	975-953	990-969	933-912	975-953	938-916	967-946	976-955	929-908
Nadab.....	908-907	914-913	962-960	953-952	970-969	911-910	953-952	916-914	946-945	955-954	908-907
Baasa.....	906-883	913-890	960-936	952-930	969-946	910-887	952-930	914-891	945-922	954-931	907-884
Ela.....	883-882	890-889	936-934	930-929	946-945	887-886	930-929	891-890	922-920	931-930	884-883
Zambri	7 dies	889		7 dies		7 dies	7 dies	890	7 dies	930	883
Amri	882-871	889-878	934-928	929-918	945-934	886-875	929-918	890-879	918-913	930-919	883-874
Achab	874-853	(853) 878-857?	928-906	918-897	934-913	875-854	918-897	878-857	913-890	919-899	874-853
Ochozias.....	853-852	859-858	906-904	897-896	914-913	853-852	897-896	856-855	890-889	899-898	853-852
Ioram.....	852-841	858-847	904-892	896-883	913-902	852-841	896-884	854-843	889-876	898-886	852-841
Iehu.....	841-816	847-820	892-864	883-856	901-874	841-814	883-856	842-815	876-847	886-856	841-813
Ioachaz.....	816-802	819-803	865-848	856-840	873-857	813-797	856-840	815-798	847-831	856-840	813 799
Ioas.....	802-787	805-790	848-832	840-824	858-813	797-782	840-824	798-782	831-815	840-824	799-796
Ieroboam II..	789-749	790-750	831-790	824-783	800 842-(790)	792-752	824-783	782-741	815-774	824-771	796-756
Zacharias	sex mens.	750	766-765	772	790	sex mens.	772	741	762	771	756
Sellum	1 mens.	749	1 mens.	771	790		1 mens.	741	761	771	755
Manahem	748-738	749-738	765-755	771-761	789-780	(740) 751-742	771-760	741-738	761-751	770-759	755-738
Phaceia.....	738-737	738-737	754-753	761-758	779-778	740-739	760-759	738-736	751-749	759-758	738?
Phacee	749-731	740-721	752-732	758-738	777-750	739-730	759-739	736-730	749-729	758-742 1)	750?
Osee.....	730-722	713-705	732-723	730-722	749-741	730-722	730-722	730-722	719-710	733-729 729-721	730-722

1) Menahem II. 742-733

A quibus et ubi statuantur interregna, patet ex serie numerorum interrupta, si v. g. post 729 sequitur 719 et sim.

regis ante Salmanassar. Verum quidem est nomina peregrina apud Assyrios non accurate efferri; ita legitur Sirlai Israel; at nescio sitne opinio proposita audacior. Qualem chronologiam *Fl. de Moor* statuat vide in tabellis.

Ab Athalia in regno Iuda et ab Iehu in Israel usque ad expugnationem Samariae satis difficile numeri annorum inter se componuntur. Si anni integri numerantur efficiuntur pro eodem temporis spatio in regno Iuda anni 165, in Israel 143. Ex monumentis assyriacis docemur, anno octavo Theglathphalasar regis Menahem ei solvisse tributum eodemque anno i. e. 738 a. Chr. Azariam regem Iuda fuisse etiam superstitem; anno duodecimo Theglathphalasar i. e. 734 a. Chr. nominantur Achaz et Phacee. Haec igitur in ordinanda temporis ratione considerare oportet. Neque tamen id ab omnibus conceditur; nam *Fl. de Moor* l. c. p. 20 s. asserit quae in annalibus Theglathphalasar de tributo a Menahem praestito legantur pertinere ad Assurdan III. qui idem sit cum Phul et totam illam de expeditione et victoriis narrationem, quae ad Assurdan referri debeat, esse perperam insertam annalibus Theglathphalasar. Si hoc constaret, utique aliter de ratione temporis ordinanda iudicandum foret. Eversionem Samariae evenisse sexto anno Ezechiae regis, nono anno Osee regis Israel, anno 722 vel 721 a. Chr. communissime assumitur. Verum quam vario modo series temporis constituatur, vide infra. In numeris, uti nunc leguntur reperiri menda, ex illis ipsis quae in hodierno textu leguntur facile ostenditur. Ita fieri nequit, ut Azarias regnare inceperit anno 27. Ieroboam II. regis (4 Reg. 15,1). Ieroboam enim regnare incepit anno 15. Amasiae, qui per annos 29 regnavit; eo autem interfecto « tulit universus populus Iudae Azariam annos natum sedecim et constituerunt eum regem pro patre suo Amasia » 4 Reg. 14,21; 2 Par. 26, 1); proinde Azarias incepit regnare anno Ieroboam non 27., sed 15.; vel aliter res est componenda. Filium a patre esse in regni consortium assumptum, ex ipsis numeris quandoque colligitur. Ita Ioachaz rex Israel incepit regnare anno 23. Ioas regis regnavitque per annos 17; proinde usque ad annum 40. Ioas; et tamen filius Ioachaz regis dicitur incepisse regnare anno 37. Ioas regis (4 Reg. 13,1. 10). Legimus 4 Reg. 14,19 : dormivit Ieroboam cum patribus suis regibus Israel et regnavit Zacharias filius eius pro eo; ex quo consueto narrandi modo certe non indicatur intercessisse longius tempus inter Ieroboam et filium eius. Attamen Ieroboam incepit regnare anno 15. Amasiae et regnavit per annos 41 (4 Reg. 14,23) i. e. regnavit usque ad annum 27. Azariae; nihilominus legimus 4 Reg. 15,8 : anno 38. Azariae regis Iuda regnavit Zacharias filius Ieroboam super Israel; unde alii statuunt interregnum, alii Ieroboam regi non 41, sed 51 annos regni adscribunt. Hisce exemplis iam cernitur rem esse satis obscuram; quare alius ab aliis arripitur exitus. Neque id adeo mirum est textu hodierno a se ipso quandoque dissidente. Scribitur Ioatham regnasse 16 annis (4 Reg. 15,33); sed v. 30 : coniuravit et tetendit insidias Osee filius Ela contra Phacee et percussit eum regnavitque pro eo *vigesimo* anno Ioatham; sed 17,1 : anno duodecimo Achaz regis Iuda regnavit Osee filius Ela in Samaria; quare alii censent ab anno quarto Achaz (qui esset annus 20. Ioatham, nisi ante 4 annos e vivis excessisset!) usque ad 12. Osee debuisse pugnare, donec tandem rerum potiretur.

Ab expugnatione Samariae usque ad expugnationem Ierusalem (722-588 vel 586 secundum alios) i. e. ab anno sexto Ezechiae regis usque ad annum undecimum Sedeciae anni numerantur facta summa temporis regni octo regum centum triginta quattuor. Ex monumentis assyriacis patet invasionem Sennacherib evenisse anno 701; proinde non anno 14. Ezechiae, uti hodie legitur 4 Reg. 18,13 et Is. 36,1. Ceterum ex ipsa narratione de morbo Ezechiae qui anno 14 eius regni contingebat clare elucet invasionem factam esse postea; nam ibi dicitur : et de manu regis Assyriorum eruam te et civitatem istam et protegam eam (Is. 36,6); idque pariter ex eo sequitur quod post morbum Ezechias ostendit thesauros legatis babylonicis, quos tamen thesauros postea impendere

debuit, cum Sennacherib ei indixisset 300 talenta argenti et 30 talenta auri (4 Reg. 18,14; 19,13; Is. 38,6; 39,2). Unde explicari facile possit ordo inversus duarum narrationum, deprehenditur ex ordine rerum in libro Isaiae (cf. *Knabenbauer,* Com. in Is. I. p. 593 ss.). Post Ezechiam regnarunt Manasses annis 55, Amon 2, Iosias 31 annis, Ioachaz 3 mensibus, Ioakim annis 11, Ioachin 3 mensibus et 10 diebus (2 Par. 36,9); undecimo anno regis Sedeciae mense quarto capta est civitas Ierusalem a Chaldaeis. Anno quarto Ioakim annuntiat Ieremias : et servient omnes gentes istae regi Babylonis 70 annis (Ier. 25,11). Capta a Medis et Persis urbe Babylonis Daniel intellexit numerum istum esse completum (Dan. 9,2), anno scil. quo Cyrus dominationem in Babylonios acquisivit (2 Par. 36,22; Esdr. 1,1). Unde 70 anni numerantur ab anno 606 usque ad annum 538 utroque termino incluso. Aliter tamen Zach. 1,12, ubi initium capitur a ruina urbis (588-519, 518).

Quomodo tempora regum aliter ab aliis computentur, vide in tabellis adiectis.

4) Chronologia ab exsilio.

Anno 537 mense septimo reduces ex exsilio aedificaverunt altare Dei Israel (Esdr. 3,1. 2); anno 536 mense secundo opus Domini coeptum est urgeri et templi fundamenta iacta sunt; verum mox insidiis Samaritanorum effectum est ut opus impediretur usque ad annum secundum Darii regis Persarum. Eo autem anno per prophetas Aggaeum et Zachariam opus templi aedificandi promotum est, ita ut anno sexto Darii die 3. mensis Adar templum compleretur (Esdr. 5,1 ss.; 6,15; cf. Agg. 1,1 ss.). Anno septimo Artaxerxis I. Esdras a Babylone novam duxit coloniam in Ierusalem (de eo et de quaestione temporis vide s. v. ESDRAS); anno vigesimo eiusdem regis Nehemias se contulit in Ierusalem eique tandem contigit ut muri Ierusalem restituerentur (Neh. 2,1 s.). Anno 32. Artaxerxis reversus est ad regem, sed post aliquod tempus (in fine dierum; post annum?) iterum rediit in Ierusalem. Atque haec sunt quae de ratione temporis usque ad aetatem Machabaeorum in libris historicis notantur.

Ultima temporis designatio in libro Nehemiae continetur 13,6 : anno 32. Artaxerxis regis i. e. anno 432 a. Chr. Altera quae sequitur 1 Mach. 1,1 iam est de victoria qua Alexander Macedo percussit Darium Codomannum regnumque Persarum evertit; id quod refertur ad annum 331 a. Chr.; sacer auctor narratione sua festinat ad ea quae populo Dei sub Antiocho Epiphane acciderunt, qui regnavit in anno 137. regni Graecorum (1 Mach. 1,11). Uti in libris historicis et propheticis tempus designabatur nominibus regum Iuda et Israel, postea nominibus regum exterorum, ita in libris Mach. anni numerantur secundum epocham vel aeram Seleucidarum, quae originem ducit a victoria quam Seleucus Nicator reportavit de Nicanore anno 312; unde primus eius aerae annus computatur a die 1. Octobris 312; annus itaque 137. regni Graecorum est tempus a 1. Oct. 176 — 1. Oct. 175. Abominandum idolum super altare Dei aedificavit rex die 15. mensis Casleu anno 145 i. e. 168 a. Chr. Mathathias defunctus est anno 146 i. e. 167-166 a. Chr. Sanctuarium a gentibus profanatum iterum consecratum est 25. die mensis noni i. e. Casleu anni 148 i. e. 165 a. Chr. (1 Mach. 1,57; 2,70; 4, 52). Antiochus rex mortuus est anno 149 i. e. 164 a Ch. (6,16) et ita in primo libro Mach. plurimis locis secundum eandem aeram anni computantur usque ad annum, quo occisus est Simon, ad annum 177 et mensem undecimum i. e. usque ad Februarium 135 a. Chr.

Eadem aera in secundo quoque libro Mach. adhibetur; ita 1,7 anno centesimo sexagesimo nono i. e. 144-143 a. Chr. et 1,10 anno 188 i. e. 125-124. Sed in numerandis annis discrimen deprehenditur inter primum et alterum librum. Priore enim libro, qui hebraice erat conscriptus, aera videtur incipi more Iudaeorum a mense Nisan; altero qui graece erat scriptus a mense Tishri (cf. *Cornely,* Introd. II. 1 p. 464. 466).

2. ***Chronologia Novi Testamenti.*** Plerumque in s. libris tempus generali quodam modo designatur; ita in diebus Herodis regis (Matth. 2,1; Luc. 1,5) vel ratione habita rei antea narratae : in diebus illis (Matth. 3,1; Luc. 2,1; Act.

6,1; 8,1; 12,1). Neque tamen desunt qui hos tempus multo accuratius declaratur; ita Luc. 3,1 anno 15. imperii Tiberii Caesaris etc.; Ioan. 2,20 quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc; ita nomina festorum dierum aliaque praesertim in Act. Nihilominus non inter omnes de vera temporis ratione convenit.

1) Chronologia evangeliorum.

Si primo illa colligimus quae ex ipsis evangelicis narrationibus consequuntur, adventus magorum saltem uno anno post nativitatem Iesu ponendus erit. Id sequitur ex eo quod Herodes qui diligenter didicit a magis tempus stellae quae apparuit eis occidi iussit pueros bethlehemiticos a bimatu et infra secundum tempus quod exquisierat a magis (Matth. 2, 7. 16). Cum Iesus ministerium suum publicum inciperet erat quasi annorum triginta. Initium hoc computari videtur a baptismo (Luc. 3,23), quem suscepit postquam Ioannes iam per aliquod tempus, quod nequit accuratius definiri, praedicavit; incepit autem Ioannes praedicare anno 15. imperii (τῆς ἡγεμονίας) Tiberii Caesaris. Porro certum omnino videtur in vita Iesu publica quattuor paschata esse numeranda; proinde ministerium eius annos tres aliquanto excessisse. Post baptismum enim versabatur per 40 dies in deserto; tum uno alterove die versabatur prope Ioannem Baptistam et primos sibi acquisivit discipulos; mox revertitur in Galilaeam, die tertio factae sunt nuptiae in Cana; postea descendit Capharnaum; ibi mansit non multis diebus; tum ascendit in urbem ad pascha, quod designatur ratione temporis: quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc (Ioan. 2,20). Post pascha versatur in Iudaea, revertitur autem in Galilaeam eo tempore, uti videtur, quo in Iudaea et Samaria dici potuit: adhuc quattuor menses sunt et messis venit (Ioan. 4,35), qui reditus a synopticis refertur (Matth. 4,12; Marc. 1,14; Luc. 4, 14), postquam Ioannes Baptista erat traditus in carcerem. Iam Luc. 6,1 ipsa re — discipuli vellebant spicas — et lege quoque (Lev. 23,14) significatur tempus post pascha; unde ratione habita (Ioan. 4,35) longioris commorationis in Iudaea declaratur hic alterum pascha, quod probabilissime etiam Ioan. 5,1 indicatur. Tertium pascha indubie habetur Ioan. 6,4 circa tempus multiplicationis panum (Luc. 9,12 s. cf. Matth. 14,15; Marc. 6,34); quartum est pascha passionis.

Sententia haec de vita publica Christi trium annorum et aliquot mensium (ex tempore Eusebii et Hieronymi evasit satis communis. Alii autem annos vitae publicae statuunt duos et aliquot menses. Veteres aliqui unum solum profitentur annum, neque tamen ad aliquam traditionem apostolicam provocant, sed potius allegant » ut praedicarem annum placabilem Domino « (Is. 61,2) vel Iesum agnum anniculum (Ex. 12,5) nominant. Hanc sententiam de uno anno defendit potissimum *I. van Bebber*, Zur Chronologie des Lebens Iesu, Münster 1898, eique adstipulatus est *Belser* (Biblische Zeitschrift I. 1903 p. 55. 160). Inter alia in id potissimum incumbunt, ut Ioan. 6,4 delendum esse contendant pascha; volunt legendum esse: ἦν δὲ ἐγγὺς ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων i. e. festum tabernaculorum. Sed iam ex ipso evangelio haec opinio refutatur. Nam post multiplicationem panis legimus: 7,1 post haec autem ambulabat (περιεπάτει ergo diutius) Iesus in Galilaea, non enim volebat in Iudaea ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere. Et nunc narrat evangelista, i. e. post longiorem illam in Galilaea commorationem: ἦν δὲ ἐγγὺς ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, ἡ σκηνοπηγία; unde fieri nequit, ut iam 6,4 idem tempus assignaverit. Accedit quod ex Marco 6,39 discubuerunt ἐπὶ τῷ χλωρῷ χόρτῳ super gramen viride, quod ea in regione tempore paschatis utique invenitur, vero circa festum tabernaculorum iam diu aestu aestatis exaruerat. Quare haec hypothesis de uno anno nullam habet probabilitatem.

Pontius Pilatus erat procurator Iudaeae 26-36 p. Chr.; eo tempore Iosephus Caiphas erat pontifex. Haec inter omnes constant; cetera quae ad tempus accurate determinandum requiruntur in controversiam vocantur. Sententia est satis communis Herodem regem mortuum esse anno ab urbe Roma condita 750 (cf.

ASIA MINOR, GRAECIA, ITALIA
Modulus 1:7 500000
0 50 100 200 300 400 K
I. Iter S. Pauli Apostoli
II. Iter S. Pauli Apostoli
III. Iter
IV. Iter
GALLIA CISALPINA
Liguria
Corsica
Sardinia
MARE TYRRHENUM
Sicilia
MARE IONIUM
MARE ADRIATICUM
ILLYRICUM
Dalmatia
ITALIA
ROMA
Tres Tabernae
Forum Appii
Tarracina
Minturnae
Capua
Puteoli
Neapolis
Capreae
Brundusium
Apulia
Sinus Tarentinus
Messana
Rhegium
Aetna M.
Syracusae
Ichynum Pr.
Melita I.
Hippo
Carthago
Syrtis minor
Tripolis
Oea
Leptis magna
Ptolemais
Arsinoe
Cyrene
Phycus Pr.
Darnae
Berenice
MAREMEDITERRANEUM
Sinus Gallicus
Sinus Ligusticus
Sinus Adriaticus
Sinus Ionius
Sinus Cretaicus
Sinus Cyrenaicus
Sinus Syrticus
Sinus Hadrumetinus
Sinus Carthaginiensis
Sinus Numidicus
Sinus Mauretanicus
Sinus Gaditanus
Sinus Tyrrhenus
Sinus Siculus
Sinus Messeniacus
Sinus Laconicus
Sinus Argolicus
Sinus Saronicus
Sinus Corinthiacus
Sinus Euboicus
Sinus Pagasaeus
Sinus Thermaicus
Sinus Strymonicus
Sinus Thracicus
Sinus Propontidis
Sinus Ceramicus
Sinus Cilicius
Sinus Issicus
Sinus Cyprius
Sinus Pamphylicus

Schürer, Geschichte des jüd. Volkes im Zeitalter I. Ch. *ed.* 3 I. p. 415) i. e. anno quarto a. Chr.; alii anno 3, anno 1 a. Chr., anno 1 p. Chr.; quare de anno nativitatis Christi iam ex hoc capite varia statuuntur (cf. *Riess,* Das Geburtsjahr Chr. 1880 et 1883). Plurimorum sententias a saeculo 2. usque ad 14. profert *Patritius*, de Evangeliis lib. 3 diss. 19 n. 245; a quibus nativitas Iesu attribuitur anno imperii Augusti 40, 41, 42, 43, 44, 45 (sed frequentissime 41, 42); ipse sine ulla haesitatione assignat septimum annum ante aeram vulgarem, ab urbe condita 747, alii statuunt 748 (*Cornely,* Introd. III. p. 285), alii 749 i. e. anno 5 ante aeram vulgarem (*Schanz*, Kirchenlexicon III. p. 339). Neque res certo dirimi potest ex aliis quae in sacris libris continentur. Nam disceptatur quomodo Luc. 3,1 annus 15. intellegendus sit, utrum scil. de anno quo collega imperii et consors tribuniciae potestatis pro provinciis constitutus est, id quod anno 764 vel 765 vel 766 u. c. factum esse statuunt, an de anno mortis Augusti computatio sit instituenda i. e. 767 u. c.; quare annus ille 15. erit vel annus 778 vel 779 vel 780 vel 781; *Patritius* tamquam certum statuit annum 778. Verum etsi de eo anno omnino constaret, tamen non adeo multum iuvaremur, quia nescimus, quo tempore post inceptam Ioannis praedicationem Iesus ad baptismum venerit. Primo paschate vitae publicae dicunt Iudaei: 46 annis aedificatum est templum hoc. Iam Herodes anno 18 inceperat templum magnificentius exstruere i. e. anno 734-735 u. c. 20-19 a. Chr.; unde primum pascha ad annum 780-781 erit referendum i. e. ad annum 27 vel 28 p. Chr. De anno emortuali Christi neque veteres neque recentiores consentiunt. Veterum opiniones refert *Patritius* l. c. diss. 19; iisque assignantur anni imperii Tiberii 15. 16. 17. 18. 19. A recentioribus vero assignantur anni p. Chr. 29. 30. 31. 33. 34. 35. Neque quidquam certi colligi potest ex eo quod dies mortis inciderit in feriam sextam, in diem 15. Nisan. Nam novilunium vel dies primus mensis determinabatur non astronomice sed ex nova luce lunae conspecta. Id quod etiam statim patet ex variis recentiorum sententiis, quamvis alii statuant diem 15. Nisan potuisse incidere in feriam sextam solummodo anno 30 et 31 et 34 (cf. Kirchenlexicon); verum ex computatione a *Riess* facta dies 15. Nisan incidit in feriam sextam solum anno 33 et 36 et 40. Sed nonne ex ipsa sententiarum varietate satis elucet computationem omnem esse satis dubiam? At mortem Christi non potuisse incidere in annum 34 et vix in annum 33, satis ostendi potest ex iis quae in Act. et Gal. referuntur, secundum quae omnino constare videtur conversionem Pauli evenisse anno 34 vel 35 p. Chr.

2) Chronologia Actuum apostolorum.

Post resurrectionem Christus per dies 40 se praebuit apostolis vivum, apparens eis et loquens de regno Dei (Act. 1,3); tum ascendit in caelos; die pentecostes i. e. quinquagesimo post pascha missus est Spiritus sanctus (Act. 2,1) et evangelium praedicari coeptum est. Certa temporis nota in Act. non exprimitur usque ad 11,28; fames illa quam Agabus praedixit facta est sub Claudio i. e. anno 44 vel intra annos 44-48 (v. AGABUS); proinde eo anno vel aliquo tempore antea Paulus et Barnabas profecti sunt Ierusalem; Herodes Agrippa qui Iacobum fratrem Domini occidit et Petrum diebus azymorum misit in carcerem, mortuus est anno 44 (Act. 12,23). Primum iter apostolicum Pauli Act. 13, ad quod Antiochiam reversus missus est a Spiritu sancto, referendum erit ad annum 45. Ab Antiochia navigavit Cyprum, praedicabat Salaminae in synagogis, perambulabat universam insulam usque Paphum; a Papho navigavit Pergen Pamphyliae et inde venit Antiochiam Pisidiae; ibi diutius praedicabat; nam persecutione a Iudaeis concitata apostolus quidem profectus est Iconium, sed Antiochiae reliquit discipulos optime in fide institutos, quippe qui non obstante persecutione replerentur gaudio et Spiritu sancto (13,52); dein multo tempore commoratus est Iconii (14,3); inde se contulit ad civitates Lycaoniae, Lystram et Derben et universam in circuitu regionem et evangelium praedicabat. Diutius quoque eum ibi versatum esse ipsa narratione proditur (14,18 s.). Relegens

iter Iconii, Antiochiae confirmabat discipulos, constituebat per singulas ecclesias presbyteros, transibat Pisidiam, praedicabat in Perge; tum descendit in Attaliam indeque navigavit Antiochiam. Unde saltem tres anni videntur requiri, ut omnia haec commode fieri potuerint. Primo hoc itinere confecto Antiochiae moratus est tempus non modicum cum discipulis. Tum ascendit Ierusalem ad concilium apostolorum (cf. Act. 14,27-15,4 s.). Hoc iter idem est de quo scribit Gal. 2,1 s.; unde simul discimus iter hoc factum esse annis septemdecim post conversionem (Gal. 1,18; 2,1); concilium autem illud habitum esse anno 51 p. Chr. est sententia satis certa (cf. *Cornely*, Introd. III. p. 344; *Felten*, Apostelgeschichte p. 46.), quae etiam ex subsequentibus computationibus confirmatur.

Reversus Antiochiam Paulus mox se ad secundum iter apostolicum accinxit (15,36 ss.). Peragravit Syriam, Ciliciam, Lycaoniam, Phrygiam, Galatiae regionem, Mysiam; deinde visione habita Troade transivit in Macedoniam et per Neapolim, Philippos, Thessalonicam, Berocam, Athenas pervenit Corinthum. Tempus quo Corinthi advenit, indicatur 18,2, cum dicatur Aquilam et Priscillam nuper προσφάτως venisse ab Italia, eo quod praecepisset Claudius discedere omnes Iudaeos a Roma. Decreti huius Suetonius quoque mentionem facit (*Claud.* 25; *Orosius* illud editum esse scribit anno 9. Claudii (Hist. 7,6; *M.* 31,1075) i. e. anno 49-50; sed rectius attribuetur anno 51, quo scil. anno Agrippa II., qui amicitia Clau permultum fruebatur, Romam reliquerat. Unde dici potest Paulum anno 52 Corinthum advenisse. Sedit ibi per annum et sex menses docens verbum Dei (18,11); Gallione autem proconsule Achaiae insurrexerunt Iudaei in Paulum etc. Sed Iunius Annaeus Gallio, frater Senecae philosophi, tempore mortis Claudii (13. Oct. 54) Romae erat, unde eo tempore iam functus erat magistratu; unde quod Act. 18,12 narratur, anno 53 accidisse probabilissimum est (cf. *Cornely, Felten* l. c.). Paulus autem post illam accusationem dies multos moratus est Corinthi; deinde per Ephesum, Caesaream, Ierusalem reversus est Antiochiam; id quod ante aestatem anni 54 vix fieri potuit. Antiochiae autem facto aliquanto tempore (18,23) profectus est perambulans ex ordine Galaticam regionem et Phrygiam, confirmans omnes discipulos et peragratis superioribus partibus venit Ephesum, in qua urbe per biennium et tres menses operi evangelico incumbebat (19,8. 10). Tumultu ab argentariis excitato Paulus per Macedoniam profectus est in Graeciam; ubi cum fecisset menses tres (20,3), reversus est Philippos; inde post dies azymorum navigavit Troadem et iter instituit navale in Phoeniciam, et inde in Ierusalem. Ad quae spatium fere annorum quattuor insumptum esse certe non erit a veritate alienum. Unde anno 58 in Ierusalem tempore pentecostes apostolus in vincula coniectus et Caesaream perductus est (23,33). Felix procurator Iudaeae a Claudio nominatus est anno 52; quare Paulus recte dicere potuit: ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens etc. 24,10. At biennio expleto accepit successorem Felix Portium Festum; volens autem gratiam praestare Iudaeis Felix reliquit Paulum vinctum (24,27). Quo tempore autem Felix Romam redierit, ex duobus colligitur: Felix reversus a primoribus Iudaeorum qui Caesarea Romam profecti sunt accusatus est dedissetque poenas iniuriarum, nisi Nero fratris Pallantis precibus supplicibus multa indulsisset (*Iosephus*, Ant. XX. 8,9). Pallas autem anno 62 veneno interiit. Ipse Iosephus post annum aetatis sextum ac vigesimum Romam venit, ut sacerdotes quosdam quos Felix Romam miserat causam suam apud Caesarem dicturos liberaret; iam narrat se natum esse primo anno Caii Caesaris i. e. anno 36 p. Chr. (cf. Vita 1. 3); proinde Romam venit anno 62 vel 63. Paulus autem mox a Festo Romam missus est, ubi per biennium captivus erat; sed certe in libertatem vindicatus est, antequam anno 64 persecutio Neronis in Christifideles erumperet. Unde verno tempore 61 Paulus Romam pervenisse censendus erit. Tempus itaque Act. extenditur a resurrectione Domini usque ad annum 63-64 p. Chr.

I. KNABENBAUER.

CHRYSOLITHUS. 1. Chrysolithus dicitur in Vulgata gemma hebraice תַּרְשִׁישׁ vocata, quae prima fuit in quarto ordine inter lapillos rationalis iudicii (Ex. 28, 20; 39, 13); eadem in descriptione opulentissimi regis Tyri ab Ezechiele commemoratur (28,13) atque saepius in visionibus propheticis occurrit (Ez. 1,16 *Vulg.* quasi visio maris; 10,9; Dan. 10,6), sicut etiam in Cantico manus dilecti dicuntur « tornatiles aureae, *cinctae chrysolithis* » (*Vulg.* plenae hyacinthis 5,14), ubi fortasse ungues in digitis chrysolithis comparantur. Pariter in Apocalypsi septimum civitatis caelestis fundamentum chrysolithus (χρυσόλιθος 21,20) vocatur. LXX interpretes ter item χρυσόλιθος reddiderunt (Ex. ll. cc.; Ez. 28,13), bis vocem hebraicam retinuerunt (θαρσεῖς Cant. 5,14; Ez. 1,16), sicut Theodotion in textu Danielis, ubi LXX θαλάσσης vertunt (cf. Vulg. Ez. 1,16); semel carbunculum explicant (ἄνθρακος Ez. 10, 9). Similiter Iosephus Flavius (Ant. III. 7,5) gemmam illam rationalis χρυσόλιθον vocat. Nomen hebraicum ab urbe Tartesso derivatum multis hispanicam huius gemmae originem videtur innuere, quod tamen perperam urgeri bene notat *Fr. de Hummelauer* (in Exod. 28,13).

2. Chrysolithi a Plinio dicuntur ex Aethiopia mitti « aureo fulgore tralucentes » (XXXVII. 9,126), id quod in nomine ab auro dicto indicatur; idem vero eandem gemmam etiam *fumidam* seu fumi colorem referentem appellat (ib. 7, 101), easque in Hispania quoque inveniri refert (ib. 9,127). Multi propter hunc aureum fulgorem a Plinio in aethiopicis chrysolithis memoratum eo nomine potius topazium, non vero chrysolithum recentiorum designari censuerunt. At nullo id argumento solido probatur; immo etiam chrysolithus recentiorum, quae est *olivini* species, non modo viridem olivarum colorem, verum etiam flavum auri fuscumque et rarius rubrum ostendit, atque etiam nunc in regione a Plinio designata, scilicet in Aegypto superiore, et in aliis etiam provinciis, praesertim in India, frequenter invenitur locumque suum inter gemmas pretiosas retinet. Nulla igitur ratio videtur haberi pro chrysolitho veri nominis quae omnibus S. Scripturae textibus satis bene convenit, aliam gemmam substituendi.

Cf. *S. Epiphan.*, De 12 gemmis n. 10; *Fr. Rueus*, De gemmis 2,7; *I. Braun*, De vest. sacerd. Hebr. II. 17 n. 574 ss.; *J. J. Bellermann*, Die Urim und Thummim, Berlin, 1824, 58-64; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1,40 s.; *K. E. Kluge*, Handb. d. Edelsteinkunde 299. 354-6; *Leunis-Senft*, Synopsis III. 1 p. 673-7; *Naumann-Zirkel*, Elem. d. Mineralogie *ed.* 13. p. 633-35.

L. FONCK.

CHRYSOPRASUS, χρυσόπρασος, in Apocalypsi decimum caelestis Ierusalem fundamentum vocatur (21,20). Nomen ab auro et porro (πράσον) accepit, eo quod viridem porri sucum in aureum colorem exeuntem referat. Plinius eo nomine lapillum indicum describit, cuius genus vicinum chrysoberyllis appellat, « sed pallidius et a quibusdam proprii generis existimatum » (XXXVII. 5,77; cf. 8, 113 s.); cum huic gemmae eam amplitudinem tribuat, « ut cymbia etiam ex ea fiant, cylindri quidem creberrime » (l. c. 8,113), multis auctoribus distinguenda videtur ab ea chalcedonii specie viridi, quam recentiores chrysoprasum appellarunt, quae plerumque sat parvam habet amplitudinem ac praesertim in Silesia provincia invenitur. Quaenam vero species eodem nomine ab antiquis intellecta fuerit, non satis liquet.

Cf. *Fr. Rueus*, De gemmis 2,10; *K. E. Kluge*, Handb. d. Edelsteinkunde 396-9; *Leunis-Senft*, Synopsis III. 1 p. 563.

L. FONCK.

CHUB (כוּב) legitur Ez. 30,5 in oraculo contra Aegyptios et gentes eis vel subiectas vel foederatas. Qualis populus ista voce significetur, incertum est. Fortasse textus mendo laborat et pro Chub legendum est vel נוּב Nubii, ut Arabs habet vel לוּב Libyes, ut legisse haud improbabiliter censentur LXX vertentes Λίβυες, etsi dubium remanet quamnam vocem hebr. ita reddiderint. Syrus et Chaldaeus retinent hebr. Chub; Aquila, Symmachus, Theodotion reddunt Χουβάλ. Cum in uno codice apud *de Rossi* legatur כנוּב Chenub, *Movers*

(Phoenizier II. 2 p. 483) coniicit designari regionem *Kinyps* a fluvio *Kinyps* irrigatam, ad cuius ostium in utraque ripa erat colonia Phoenicum Leptis magna (*Herod.* 4,198; *Plin.* Nat. Hist. V. 4, 27) inter Tripolim et promontorium Cephalae sita. Alias coniecturas vide apud *Knabenbauer* ad l. c. Omnibus perpensis emendatio ליב (Libyes LXX) maxime commendatur, quamquam nihil certi statui potest.

CHUN urbs v. BEROTH 2.

CHUS (כּוּשׁ, Κούς), filius Cham, cuius posteritas enarratur Gen. 10,6 ss. et 1 Par. 1,8 ss. V. AETHIOPIA. Ex eo, quod Nemrod Cushita Babyloniae imperaverit, nata est disquisitio de Cushitis Babyloniae finitimarumque regionum, cuius plurima capita hucusque solis nominum assonantiis constant. Illud tamen effecerunt monumenta cuneiformia, tempore Sennacherib ad orientem Assyriae incoluisse gentem *Kassi*, iisdem locis ubi scriptores graeci norunt Cossaeos. Apud Herod. 3,49; 6,119 Susiana audit γῆ vel χώρη Κισσίη etc. Aliunde *Kaldu* vel *Kasdu* (כַּשְׂדִּים) apud Babylonios nomen erat Chaldaeorum, quos valde probabile est eosdem esse atque eos, quos modo diximus, *Kassi*. Quodsi igitur in his nominibus lateat nomen Chus, aegypt. *Kesh*, insignis habetur confirmatio eius, quod Gen. 10,8 affirmatur, Cushitas antiquitus Babyloniae imperasse. Cf. *C. P. Tiele*, Babylonisch-assyrische Geschichte, Gotha 1886, I. 62. 70 s. 486 s. 490.

CHUS, CHUSI (Χούς, A Χουσεί) oppidum iuxta torrentem Mochmur nec procul ab Ecrebel inter meridiem et orientem Bethuliae situm (Iudith 7,18 LXX; Vulgata omittit nomina Chus, Ecrebel, Mochmur; Itala scribit Chus, Etrebel, Machur; cf. *P. Sabatier*, Vetus Italica I. p. 762). Ex opinione, quam *Wolff* defendit, Chus est hodiernus vicus *Djūrish*, qui per *Wādi Makhfuriye* seu torrentem Mochmur ab *'Aqrabe* (Ecrebel) separatur. Sed ab aliis (*Riess*, *Conder*, *Smith*, *Grove-Wilson*, *Zanecchia*), Chus haud improbabiliter agnoscitur vicus *Qūza* vel *Kūza* 9 km a *Nābulus* (Sichem) meridiem versus et 8 km ab *'Aqrabe* occidentem versus.

Cf *Wolff*, Das Buch Iudith 1861 p. 163; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 9; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 285. 286; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. V; *Grove-Wilson*, Bible Atlas 1900 p. 87; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 513.

CHUSA (Χουζᾶς), procurator (ἐπίτροπος) Herodis Antipae, maritus Ioannae piae mulieris, quae Christo Domino ministrabat de facultatibus suis et summo mane diei Resurrectionis una cum Maria Magdalene et Maria Iacobi ad sepulcrum properavit (Luc. 8,3; cf. 24,10).

CHUSAI (חוּשַׁי, Χουσί) Arachites i. e. oriundus de Archi urbe (v. ARCHI), amicus David regis et simulatus assecla Absalomis, qui apud Absalomem contra consilia Achitophel praevalens Davidi tempus cogendi copias procuravit (2 Reg. 15,32. 37; 16,16. 18; 17,5-15; 1 Par. 27,33). Idem probabilius est qui in Vulgata 3 Reg. 4,16 vocatur Husi, cuius filius Baana unam ex praefecturis salomonicis administrabat; certe nomen (hebr. LXX) est prorsus idem.

CHUSAN RASATHAIM (כּוּשַׁן רִשְׁעָתַיִם, Χουσαρσαθαίμ), rex Aram Naharaim, qui brevi post mortem Iosue Israelitas per octo annos oppressit et ab Othoniel primo iudice Israel devictus est (Iud. 3,8. 10). In Vulgata dicitur rex Mesopotamiae et rex Syriae. Sed notat *F. de Hummelauer* ad h. l. : « Aram Naharaim nequaquam idem est, quod vulgo Mesopotamia,... Babyloniam excludebat... Multo magis excluditur Assyria strictiore sensu accepta, quae ne ad Mesopotamiam quidem pertinebat. Aram Naharaim complectebatur omnem regionem ad occidentem medii Euphratis, fere ad terram s. usque, et partem regionum ad orientem fluminis sitarum, fere ad Chaboram fluvium usque. — Ergo nomen *Chusan Rasathaim* nequaquam inter reges Babyloniae aut Assyriae quaerendum, immo ab horum nominibus prima fronte alienum dignoscitur ».

CHUSI (כּוּשִׁי, Χουσί). **1.** Nuntius a

Ioab missus, qui David regem certiorem fecit de clade et morte Absalomis (2 Reg. 18,21-32). Vocatur semper cum articulo הַכּוּשִׁי, si excipias v. 21 in fine.

Unde multi putant non esse nomen proprium, sed gentilicium : *Cushita*, *Aethiops*, fortasse mancipium aethiopicum (*Keil*). Attamen versiones omnes et Flavius Iosephus (Ant. VII. 10,4. 5) nomen proprium reddiderunt. Eum fuisse alienigenam aliqui ex circumstantiis narrationis inferunt, quia scil. Achimaas alter nuntius regione melius cognita celerius ad regem pervenit; sed recte notat *F. de Hummelauer* ad h. l. aliam viam per planitiem Iordanis, qua Achimaas usus est, fuisse faciliorem quidem, sed de se longiorem; hoc supposito facile fieri potuit, ut Chusi etsi per breviorem currens tamen ab Achimaas cursu faciliore praeveniri potuerit.

2. Chusi filius Iemini (Ps. 7,1 in titulo) i. e. Beniaminita; alias non commemoratur, sed ex indole huius psalmi supponendus est assecla Saulis et calumniator David regis.

3. Proavus Iudi principis in aula Ioakim (Eliacim) regis Iuda (Ier. 36,14). Putant aliqui nomina Iudi (Iehudi, Iudaeus) et Chusi (Cushi, Cushites) non esse propria, sed appellativa; concludunt enim ex lege Deut. 23,8[9] istum virum vocari Iehudi, quia ex progenitoribus cushitis descendens nunc demum generatione tertia Iudaeus sit effectus. Lex quidem illa solum fertur de Idumaeis et Aegyptiis; sed quia Cushitae cum Aegyptiis fere iuncti sunt, de iis quoque applicari fortasse poterat. Ita simul declaratur, cur de isto principe genealogia adeo explicita afferatur (cf. *Scholz, Hitzig, Graf*); alii contradicunt (*Naegelsbach, Keil*).

4. Chusi pater Sophoniae prophetae (Soph. 1,1); de maioribus Sophoniae vide s. v. EZECIAS.

5. Chusi Iudith 7,18 LXX v. CHUS.

CHUTHAEI (אַנְשֵׁי־כוּת, οἱ ἄνδρες Χούθ) v. CUTHA.

CIBI. Protoparentibus et in eis toti generi humano Deus dedit post creationem in escam omnem herbam afferentem semen super terram et universa ligna (arbores) quae habent in semetipsis sementem generis sui (Gen. 1,29). Carnes quidem explicite in cibum dantur solum post diluvium (Gen. 9,2. 3); at cum etiam ante diluvium greges haberentur et vita nomadum et pastorum ageretur, vix probabile videtur eos omnes solum lacte gregum usos esse (cf. Gen. 4,20). Manducare panem dicitur notione generali et est idem ac cibum capere, coenam vel convivium agere; si itaque denominatio a parte potiore desumpta esse censeri potest, recte dixeris pani partes praecipuas apud Israelitas esse attributas inter genera escarum. Conficiebatur panis ex farina triticea et hordeacea. Grana quoque tritici hordeique cum spicis tosta comedebantur (cf. hebr. קָלִי Lev. 23,14; Ios. 5, 11; 1 Sam. 25,18; 2 Sam. 17,28 etc.). Far quoque et milium adhibebantur ut alia cerealia (cf. Is. 28,5; Ez. 4,9). Comedebantur legumina : lentes (Gen. 25,25 : lentis edulio Esau vendidit primogenita), fabae (2 Reg. 17,28; Ez. 4,9); nomine generali יֶרֶק *viride* designantur olera (cf. Deut. 11,10; 1 Reg. 21,2; Prov. 15, 17 hebr.) et quae Israelitae in deserto desiderabant : in mentem nobis veniunt cucumeres et pepones porrique et caepe et allia (Num. 11,5); haec in sua quoque terra colebant (cf. Is. 1,8; quorum mentio frequens est apud Talmudicos). Inter alimenta praecipua lac connumerari debet, lac vaccarum, ovium, caprarum; חָלָב est lac recens et dulce; חֶמְאָה lac spissum (butyrum?); David affert fratribus suis in exercitu Saul decem formellas casei חֲרִיצֵי הַחָלָב i. e. segmenta lactis; לְבוּנָה lac coagulatum, caseus (?); caseum notum fuisse constat quia in urbe Ierusalem reperitur φάραγξ τῶν τυροποιῶν (*Flav. Ios.* Bell. iud. V. 4,1); lac vero camelarum interdictum erat (Deut. 14,7; ceterum cf. Deut. 32, 14; Iud. 4,19; 5,25; Iob 20,17; Prov. 27,27; 30,33). Cum Palaestina haud raro vocetur terra fluens lacte et melle (Ex. 3,8. 17; 13,5; 33,3 etc.), mel quoque inter delicias reputandum erit (cf. Cant. 5,1; Prov. 25,27; Luc. 24,42). Variis

pomorum generibus regio abundabat : olivis, ficubus, arboribus punicis, amygdalis, moris, palmis, iuglandibus, pistaciis (cf. Gen. 43,11; Deut. 24,20; 2 Reg. 15,30; 3 Reg. 4,25; Eccl. 12,5; Cant. 2,5; 5,1; Ioel 1,12; Am. 7,14 etc. etc.). Conficiebantur placentae ex ficuum aridarum massa, uvae passae (cf. 1 Reg. 30, 12; 2 Reg. 16,1; 1 Par. 12,40 etc.). Carnibus quoque vescebantur vitulorum, agnorum, caprarum, haedorum, ovium, boum; cibus Salomonis nobis describitur : per singulos dies decem boves pingues et viginti boves pascuales et centum arietes excepta venatione cervorum, caprearum atque bubalorum et avium altilium (3 Reg. 4,23). Iam Rebecca novit artem carnes haedorum parandi in modum carnis ferinae ex venatione allatae (Gen. 27,9). Columbas et turtures esse in cibum adhibitas non memoratur quidem; verum vix poterit dubitari, quandoquidem etiam ad sacrificia inserviebant. Gallinarum vero mentio non fit nisi in Novo Testamento Matth. 23,37; in Vulgata quidem ter gallus legitur Iob 38,36 et Prov. 30,31 et Is. 22,17; at nullibi in hebr.). In escam inserviebant pisces quoque (quorum recordatione in deserto cruciabantur Num. 11,5); eos suppeditabat lacus Tiberiadis et Tyrii quoque eos inferebant (Neh. 13,16; Matth. 14,17; 15,34; Luc. 24,42; Ioan. 6,9. 11; 21,9). Pauperes vescebantur quoque locustis tostis vel aqua coctis et sale conditis (cf. Lev. 11,22; Matth. 3,4; Marc. 1,6). Ciborum condimentum erat sal, sinapi, cyminum, coriandrum, mentha, anethum, ruta (cf. Iob 6,6; Esdr. 4, 14; Eccli. 39,31; Is. 28,25. 27; Matth. 13,31; 23,23; Luc. 11,42 etc.). Ad acuendam cibi appetentiam utilis erat capparis (Eccl. 12,5; cf. *Schegg,* Bibl. Archaeologie p. 240). Parare cibos feminarum erat (cf. Gen. 18,6 s.; 27,9; 1 Reg. 8,13; 28,24; 2 Reg. 13,8); sed quandoque viri quoque escas coquunt (cf. Gen. 25,29; 27,4; 4 Reg. 4,38 s.; Is. 44,16) sicut mentio est coqui 1 Reg. 9,23 et Luc. 17,8.

Verum non omnibus vesci licuit; vide s. v. CIBI VETITI.

CIBI VETITI. Ratio prohibitionum eiusmodi non aliunde petenda est, sed ex ipsis s. litteris exquirenda. Idque eo magis quia simul cum illis prohibitionibus clare assignatur et quia ex illa ratione prohibitiones originem ducere ac determinari ostendi potest. Ratio autem haec redditur : ego enim sum Dominus Deus vester; sancti estote quia ego sanctus sum (Lev. 11,44); ego Dominus Deus qui separavi vos a ceteris populis; eritis mihi sancti quia sanctus sum (Lev. 20,24. 25) et similiter Ex. 20,31 Deut. 14,21. Quia itaque ipsi separati sunt a gentibus et Deo consecrati, « separate ergo et vos iumentum mundum ab immundo et avem mundam ab immunda, ne polluatis animas vestras in pecore et avibus et cunctis quae moventur in terra quae vobis ostendi esse polluta » (hebr. quae vobis separavi ad immundum, ut immundum Lev. 20,25). Deus igitur determinat quae sint munda et immunda. Mundum est « omne quod habet divisam ungulam et ruminat in pecoribus; omne quod habet pinnulas et squamas » (Lev. 11,3. 9; Deut. 14,6. 9); quae proinde ex animalibus terrestribus et aquaticis uno ex hisce carent immunda sunt ideoque non sunt comedenda. Munda enumerantur Deut. 14,4; immunda Lev. 11,4-8; Deut. 14,7. 8. Ex avibus viginti species immundae declarantur Lev. 11, 13-20; Deut. 14,12-19. Pariter immundis accensentur animalcula quadrupedia repentia et quaecumque reptant super terram Lev. 11,20. 23. 41. 42; item immunda fiunt esculenta et potulenta, si cibi vel vasa morticinis immundorum tacta fuerint Lev. 11,32-34; « carnem quae a bestiis fuit praegustata non comedetis, morticinum et captum a bestia non comedent nec polluentur in eis » (Ex. 22,31; Lev. 22,8); pariter prohibetur caro bovis qui aliquem ita percussit ut mors sequeretur Ex. 21,28.

Alia praecepta dantur ut res Deo sacrae pro reverentia Deo debita ab omni usu profano arceantur. Horum itaque praeceptorum observatione homo suam erga Deum reverentiam declarat abstinendo ab iis quae aliquo modo Deo consecrata sunt. Ita « nec sanguinem nec adipem omnino comedetis » Lev. 3,17; 7,26; 17,10-14; 19,26; Deut. 12,16. 23;

pariter carnem cum sanguine comedere prohibetur Gen. 9,4. Ratio autem in eo cernitur quia « ego dedi illum (sanguinem) vobis ut super altare in eo expietis pro animabus vestris et sanguis pro animae piaculo sit » (Lev. 17,11). Quia igitur sanguis speciali ratione per sacrificium ad Deum refertur et quasi res Dei efficitur, homo in reverentiam rei Deo sacrae ab eo debet abstinere. Ex eadem ratione praecipitur : « adipem ovis et bovis et caprae non comedetis » (Lev. 7,23). Haec enim animalia praecipue offerebantur in sacrificiis et adipes debebant cremari igne altaris; ergo adipes speciali ratione tamquam res Dei considerabantur; unde : « si quis adipem qui offerri debet in incensum Domini comederit peribit de populo suo » Lev. 7,25; cf. Lev. 3,4. 9. 10; 4,8. 9; 7,3; 8, 16. 25. Cum primitiae quoque Domino sacrae essent, ex messe nihil licuit comedere antequam primitiae messis, manipulus spicarum, pro toto populo Deo essent oblatae Lev. 23,10-14 et simile praescribitur pro arboribus frugiferis, ita ut fructus unius anni Domino essent sanctificandi Lev. 19,23 s.; Alia abstinentiae praecepta spectant sacrificia vel ex eis oriuntur, ut sacrificia debito honore peragantur. Eiusmodi est abstinentia a pane fermentato in coena paschali et per septem dies sollemnitatis azymorum (vide AZYMA); varia quae a sacrificiis derivantur solis permittebantur sacerdotibus Ex. 29,34; Lev. 6,26 s. Num. 18,8 s.; ex sacrificiis pacificis quae usque in diem tertium supererant igne debebant cremari et qui ausus fuisset ea comedere « profanus erit et impietatis reus, portabitque iniquitatem suam, quia sanctum Dei polluit et peribit anima illa de populo suo » Lev. 19,6-9. Abstinebant quoque a nervo ischiadico animalium ob memoriam sacram, quia angelus quocum Iacob luctabatur per noctem tetigit nervum femoris Iacob et obstupuit (Gen. 32,32). Uti omnis idololatria et superstitio severe interdicebatur, ita quoque prohibebatur esus carnium idolis immolatarum (Ex. 34,15), quia eiusmodi carnes epularum sacrificalium comedere significaret foedus inire cum diis (Ex. 23,32; cf. 1 Cor. 10, 14-22). Quare viri pii et religiosi ab omnibus carnibus ex mensa idololatrarum quandoque abstinebant, ne periculum incurrerent comedendi vel diis immolatas carnes vel carnes cum sanguine vel carnes immundas (cf. Tob. 1,12; Iudith 12,2; Dan. 1,8 s.). Ter quoque prohibetur : non coques hoedum in lacte matris suae (Ex. 23,19; 34,26; Deut. 14,21); quae prohibitio cum Ex. l. c. coniungatur cum mentione primitiarum frugum, videtur esse data quia gentiles quandoque solebant frugibus collectis hoedum in lacte coquere et tali lacte inter magicas formulas aspergere arbores, agros, hortos ad fertilitatem conferendam. Fuisse usum quendam idololatricum etiam indicari videtur eo quod in aliquibus codicibus LXX additur ad Deut. 14,21 : qui enim hoc facit quasi talpam sacrificat, et Samaritanus addit ad Ex. 23,19 : haec est abominatio Deo Iacob. — Praeterea qui se voluit consecrare Deo peculiari ratione, uti nasiraeus, « a vino et omni quod inebriare potest abstinebit » etc. Num. 6,3; quod praeceptum quandoque etiam ei datur quae mater futura erat alicuius nasiraei (cf. Iud. 13,4).

Iam si quaeritur quaenam sit ratio distinctionis inter munda et immunda, aliqua colligi possunt ex notione qua populus dicitur sanctus Deo. Cur sanguinem et carnem cum sanguine comedere prohiberentur, vidimus; ex eo consequitur prohibitio morticini, animalis a bestiis discerpti vel bovis qui propter percussionem hominis lapidandus erat; praeterea cum morticinum per se ingerat notionem immundi, etiam patet populum Deo sanctum haud decere illo vesci vel uti cibis qui morticino fuerint infecti; pariter dedecet eidem quasi cum feris accumbere mensae. Aliae prohibitiones dabantur quia quaedam animalia gentibus vicinis erant sacra et in sacrificiis idololatricis offerebantur (vide ad Is. 66,17), aliae ut populus separaretur a commercio et mensis alienigenarum, uti enuntiatur Lev. 20,24 : « separavi vos a ceteris populis », aliae certe idcirco, ut obedientia sua et observatione praeceptorum Dei Deo exhiberent debitum obsequium et sibi continuo conscii essent se regi a Deo et eius subiectos

esse voluntati. Propter eum enim finem Deus iam in paradiso protoparentibus legem tulit de cibo quodam vetito (Gen. 2,17; cf. ARBOR scientiae boni et mali) et haec ratio divini dominii et humanae obedientiae indicatur, dum praecepto dato subiungitur : ego sum Iahwe (Lev. 22,8; cf. Lev. 11,44. 45; 20,24. 26). — Non defuerunt qui alias rationes excogitarent, haec mandari bonae valetudinis causa vel ob naturalem quendam horrorem, vel quia animalia prohibita sint quaedam naturalia quasi symbola scelerum. Quae rationes etsi ad unam alteramve speciem referri possunt, tamen neque ad omnes extenduntur neque in s. litteris ullo modo indicantur. Pariter reiiciendum est quod quidam rationalistarum hodie statuunt ex analogia cum aliquibus populis, prohibitiones derivari ex cultu religioso defunctorum (Totemismus, germ. *Ahnenkult*, cultus religiosus maiorum; ad id enim progrediuntur rationalistae ut dicant, quia nomina hominum saepius ab animalibus petantur, ideo tribus derivari ab istis animalibus et ea animalia coli ut progenitores et interdici ab esu).

Quoniam de esu carnium una eademque lex Lev. 11 et Deut. 14 traditur, subiungimus schema utriusque legis, quo et convenientia et diversitas textuum illustratur; de quaestione, uter textus dicendus sit antiquior, vide *F. de Hummelauer*, Comm. in Ex. Lev. p. 423 et Comm. in Deut. p. 322 ss.

SCHEMA LEGIS DE ESU CARNIUM

LEV. 11.	DEUT. 14.
Titulus legis positivus v. 2ᵃ : « Haec sunt animantia, quae comedere debetis ».	**Titulus legis negativus** v. 3 : « Ne comedatis, quae immunda sunt ».
A. PECORA v. 2ᵇ-8.	A. PECORA v. 4-8.
[Deest.]	**Lex positiva particularis** v. 4-6 : « Hoc est animal quod comedere debetis : Bovem et ovem et capram, cervum et capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardalum ».
Lex positiva generalis v. 3 : « Omne quod habet divisam ungulam et ruminat in pecoribus, comedetis ».	**Lex positiva generalis** v. 6 : « Omne animal, quod in duas partes findit ungulam et ruminat, comedetis ».
Lex negativa generalis v. 4ᵃ : « Quidquid autem ruminat quidem et habet ungulam, sed non dividit eam... non comedetis illud et inter immunda reputabitis ».	**Lex negativa generalis** v. 7ᵃ : « De his autem, quae ruminant et ungulam non findunt, comedere non debetis »...
Lex negativa particularis v. 4ᵇ : « sicut camelus et cetera »... v. 5 : « Choerogryllus qui ruminat ungulamque non dividit, immundus est »; v. 6 : « lepus quoque : nam et ipse ruminat, sed ungulam non dividit »; v. 7 : « et sus : qui, cum ungulam dividat, non ruminat »; v. 8 : « Horum carnibus non vescemini nec cadavera contingetis, quia immunda sunt vobis ».	**Lex negativa particularis** v. 7ᵇ : « ut camelum, leporem, choerogrillum; haec quia ruminant et non dividunt ungulam, immunda erunt vobis »; v. 8 : « Sus quoque, quoniam dividit ungulam et non ruminat, immunda erit; carnibus eorum non vescemini et cadavera non tangetis ».
B. AQUATILIA v. 9-12.	B. AQUATILIA v. 9-10.
Lex positiva generalis v. 9 : « Haec	**Lex positiva generalis** v. 9 : « Haec

sunt quae gignuntur in aquis et vesci licitum est. Omne quod habet pinnulas et squamas tam in mari quam in fluminibus et stagnis, comedetis.

Lex negativa generalis v. 10 : « Quidquid autem pinnulas et squamas non habet, eorum quae in aquis moventur et vivunt, abominabile vobis » ; v. 11 : « exsecrandumque erit; carnes eorum non comedetis et morticina vitabitis » ; v. 12 : « Cuncta quae non habent pinnulas et squamas in aquis, polluta erunt.

C. ALITES v. 13-25.

[Deest.]

Lex negativa particularis enumerans 20 species avium rapacium v. 13 : « Haec sunt quae de avibus comedere non debetis et vitanda sunt vobis : Aquilam et gryphem et haliaeetum » ; v. 14 : « et milvum ac vulturem iuxta genus suum » ; v. 15 : « et omne corvini generis in similitudinem suam » ; v. 16 : « struthionem et noctuam et larum et accipitrem iuxta genus suum » ; v. 17 : « bubonem et mergulum et ibin » ; v. 18 : « et cygnum et onocrotalum et porphyrionem » ; v. 19 : « herodionem et charadrion iuxta genus suum, upupam quoque et vespertilionem ».

Lex negativa generalis de alitibus polypodis v. 20 : « Omne de volucribus, quod graditur super quattuor pedes, abominabile erit vobis » ; et repetitur v. 23 : « Quidquid autem ex volucribus quattuor tantum habet pedes, exsecrabile erit vobis ».

Lex positiva generalis et particularis de alitibus (עוֹף) polypodis v. 21 : « Quidquid autem ambulat quidem super quattuor pedes, sed habet longiora retro crura, per quae salit super terram » ; v. 22 : « comedere debetis, ut est bruchus in genere suo et attacus atque ophiomachus ac locusta, singula iuxta genus suum ».

Eadem lex explicatur v. 23-25.

Additamenta de pecoribus v. 26 : « Omne animal quod habet quidem un-

comedetis ex omnibus, quae morantur in aquis : Quae habent pinnulas et squamas, comedite » ;

Lex negativa generalis v. 10 : « quae absque pinnulis et squamis sunt, ne comedatis, quia immunda sunt ».

C. ALITES v. 11-20.

Lex positiva generalis de avibus minoribus (צִפּוֹר) v. 11 : « Omnes aves mundas comedite ».

Lex negativa particularis enumerans 20 species avium rapacium v. 12 : « Immundas ne comedatis : aquilam scilicet et gryphem et haliaeetum » ; v. 13 : « ixion et vulturem ac milvum iuxta genus suum » ; v. 14 : « et omne corvini generis » ; v. 15 : « et struthionem ac noctuam et larum atque accipitrem iuxta genus suum » ; v. 16 : « herodium ac cygnum et ibin » ; v. 17 : « ac mergulum, porphyrionem et nycticoracem » ; v. 18 : « onocrotalum et charadrium, singula in genere suo, upupam quoque et vespertilionem ».

Lex negativa generalis de alitibus polypodis v. 19 : « Et omne quod reptat et pennulas habet, immundum erit et non comedetur ».

Lex positiva generalis de alitibus (עוֹף) polypodis v. 20 : « Omne quod mundum est comedite ».

[Deest.]

[Deest.]

gulam, sed non dividit eam nec ruminat, immundum erit; et qui tetigerit illud, contaminabitur »; v. 27 : « Quod ambulat super manus, ex cunctis animantibus quae incedunt quadrupedia, immundum erit; qui tetigerit morticina eorum, polluetur usque ad vesperum »; v. 28 : « Et qui portaverit huiuscemodi cadavera, lavabit vestimenta sua et immundus erit usque ad vesperum; quia omnia haec immunda sunt vobis » (cf. v. 39 s.).

D. REPTILIA v. 29-45.

In his (v. 24. 25. 28. 31-40) fuse tractatur de *morticinis*, quorum non solum esus prohibetur, sed tactus tam immediatus quam mediatus.

Subscriptio legis v. 46 : « Ista est lex animantium ac volucrum et omnis animae viventis, quae movetur in aqua et reptat in terra, ut differentias noveritis mundi et immundi et sciatis quid comedere et quid respuere debeatis » (cf. v. 44. 45 : monetur populus ut sit sanctus).

[Deest.]

[Deest.]

Lex negativa generalis prohibens esum *morticinorum*, sed permittens, ut a non-Hebraeis comedantur v. 21ª : « Quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino qui intra portas tuas est, da ut comedat aut vende ei ».

Clausula legis v. 21ᵇ : « Quia tu populus sanctus Domini Dei tui es » (cf. v. 2).

Appendicula legis v. 21ᶜ : « Non coques hoedum in lacte (adipe) matris suae » (verbotenus idem Ex. 23,19; 34, 26).

CIBSAIM v. IECMAAM.

CICER FRIXUM enumeratur inter cibaria Davidi fugienti eiusque militibus ab amicis oblata (2 Reg. 17,28). Licet cicer inter legumina veterum honorabilem locum habuerit (cf. *V. Hehn*, Kulturpfl. u. Hausthiere *ed.* 6 p. 210-6; *A. de Candolle*, Origine des plantes cultivées, 258-60), in textu sacro tamen ex solo errore locum videtur obtinuisse. In eodem enim versiculo bis קָלִי i. e. frixum seu tostum occurrit; prima vice a S. Hieronymo ut alibi *polenta*, a LXX ἄλφιτον explicatur; iterum in fine, probabiliter ex mero librarioli errore, repetitur atque cum LXX et Peshitta aliisque delendum est. De קָלִי v. POLENTA.

L. FONCK.

CICONIA semel tantum in Vulgata occurrit pro hebr. עָגוּר, quod in textu de avibus migratoriis Ier. 8,7 cum סִיס (*Kethib* סוּס) (Vulg. *hirundo*) copula ו unitum legitur. Idem nomen hebraicum cum eodem altero סיס (סוס) sine copula coniunctum habetur Is. 38,14, ubi gemitus Ezechiae ad mortem aegrotantis cum voce avis pipientis (אֲצַפְצֵף) comparatur. In Vulgata hoc loco *pullus hirundinis* explicatur, apud LXX solummodo χελιδών, a Peshitta *hirundo pipiens*, si-

militer in Targum chaldaico *hirundo capta et pipiens*, a Saadia *grus*. Apud Ieremiam vero LXX pro סִיס וְעָגוּר vertunt χελιδὼν ἀγροῦ, στρουθία (cod. B ℵ A Q etc.), forte retento post χελιδών hebraico αγουρ, quod postea quis στρουθία exposuerit; Peshitta et Targum *grus et hirundo* explicant.

2. De significatione vocis עָגוּר magna habetur inter auctores priores et recentiores controversia. Probabilius videtur dici imprimis עָגוּר non esse *ciconiam;* ea enim potius hebraico nomine חֲסִידָה audit, quod in Vulgata plerumque *herodius* exponitur (v. HERODIUS). Deinde in textu Isaiae vox עָגוּר, quam LXX et S. Hieronymus non agnoscunt, vix videtur esse authentica, sed vel ex glossa propter Ier. 8,7 addita, vel ex altera voce corrupta (v. *A. Klostermann* in Theol. Stud. u. Krit. 1884, 161). In textu vero Ieremiae עָגוּר probabilius videtur *gruem* (*Grus cinerea* Bechstein, ordinis *Grallarum*) designare, inter aves migratorias etiam in Palaestina imprimis conspicuam et antiquis Assyriis ac maxime Aegyptiis notissimam.

Cf. *Sam. Bochart,* Hieroz. II. 68-80, *ed. Rosenm.* II. 614-32; *I. D. Michaelis,* Supplem. ad lex. hebr. 1832 s.; *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Alterth. IV. 2,342 s.; *W. Gesenius,* Thesaurus ling. hebr. 990; *H. O. Lenz,* Zool. d. alt. Griech. u. Röm. 368-73; *L. Lewysohn,* Zool. d. Talmuds 169; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. *ed.* 8,239-41; *id.* Fauna and Flora of Pal. 126 s.; *I. G. Wood,* Bible Animals 474-8; *P. Cultrera,* Fauna biblica 268-270; *Leunis-Ludwig,* Synopsis I. 1 *ed.* 3 p. 477; *A. E. Brehm,* Tierleben *ed.* 3 VI. 506-28. — De Assyriis et Aegyptiis cf. *R. Lepsius,* Denkmäler 2,17. 50. 70; *I. Duemichen,* Resultate 1,9; *R. Hartmann* ib. p. 30; *Wilkinson-Birch,* Manners and Customs 3, 325 s.; *A. Erman,* Aegypten 587 s.; *W. Houghton* in Trans. Soc. Bibl. Arch. VIII. 1884, 88-90. — Cf. HERODIUS.

L. FONCK.

CIDARIS, vocabulum persicae originis, legitur in Vulgata Ex. 28,4; Lev. 8,9; 16,4; Zach. 3,5 pro tiara pontificis, Ez. 21,26 pro tiara regis seu diademate. Correspondet locis citatis vox hebr. מִצְנֶפֶת (a rad. צָנַף *obvolvit*). Eadem vox in Vulgata etiam vertitur tiara (Ex. 28,37. 39; 29,6) et mitra (Ex. 39,26. 30 et Eccli. 45,14, de quo textu vide *Cowley and Neubauer*, The original Hebrew of a portion of Ecclesiasticus, Oxford 1897 p. 24). LXX modo vertunt μίτρα, modo κίδαρις. Quae de cidari seu tiara pontificis dicenda sunt, vide s. v. PONTIFEX.

CILICIA (Κιλικία), provincia maritima Asiae minoris, occidentem versus contigua Pamphyliae, septemtrionem versus contigua Lycaoniae et Cappadociae, orientem versus contigua Syriae. Recensetur inter regiones, quas Holofernes subegit (Iudith 1,7; 2,12. 15 [LXX 2,21. 25]; 3,1). Seleucidarum imperio parebat (1 Mach. 11,14; 2 Mach. 4,36). De Cilicia erant quidam disputantes cum Stephano (Act. 6,9). Eius urbs praecipua erat Tarsus ad Cydnum sita, patria S. Pauli apostoli (21,39; 22,3; 23,34), qui initia apostolatus sui cum Barnaba in variis regionibus Syriae et Ciliciae exercebat (Gal. 1,21). Concilio apostolorum Hierosolymis peracto decretum in Ciliciam quoque sicuti Antiochiam Syriae transmissum est ad ethnico-christianos (15,23); deinde post separationem a Barnaba Paulus cum Sila iter secundum apostolicum aggrediens Syriam et Ciliciam perambulabat (15,41). Caesarea Romam ad Caesarem iter faciens iuxta litus Ciliciae navigavit (27,5).

Ciliciae partes distinguebantur occidentalis, quae ab asperitate montium Tracheotis, Cilicia Trachea seu aspera vocabatur, et orientalis, quae maiore saltem ex parte campis bonoque agro abundans Cilicia campestris audiebat (*Strabo* XIV. 3,1; 5,1; *Plin.* V. 27,91-93). Cilices a principibus indigenis regebantur, quorum titulus erat Syennesis i. e. princeps nobilis, sed ex ordine imperiorum orientalium pro tempore florentium Assyriis, Chaldaeis, Persis, Seleucidis parebant. Collabente Seleucidarum regno Cilicia Trachea erat sedes praecipua piratarum, qui mare Mediterraneum infestabant, Cilicia campestris aliquamdiu regno Tigranis adiuncta erat. A Pompeio denique Cilicia Romanis subiecta est;

attamen nonnisi tempore Hadriani imperatoris propria provincia romana fuisse censetur; saltem probabilissimum est eam ante Hadrianum fuisse provinciae Syriae attributam. Iudaeos ibidem fuisse, ut ex Actis apostolorum colligitur, etiam testatur *Philo* (Legat. ad Caium §. 36 *ed. Mangey* II. 587).

De Cilicia generatim cf. *Ritter*, Erdkunde XIX. p. 3-414; *Ramsay*, Hist. Geogr. of Asia Minor p. 361 s. 383 s. et saepius; *Beurlier* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 761-767.

CILICIUM (שַׂק, σάκκος). Vox latina significat tegumentum vel stragulum contextum ex pilis caprearum ciliciarum i. e. e Cilicia oriundarum, quae est regio Asiae minoris meridionalis inter Pamphyliam et Syriam. In Vulgata ea voce exprimitur שַׂק, LXX σάκκος et designatur genus quoddam vestimenti atri et asperi quod sacci instar corpori adhaeret et a lugentibus et poenitentiam agentibus in signum luctus et doloris induitur. Est itaque vestis lugubris; cf. Gen. 37,34 Iacob morte Ioseph nuntiata indutus est cilicio lugens filium; 2 Reg. 21,10; 3 Reg. 21,27 Achab scidit vestimenta sua et operuit cilicio carnem suam; 4 Reg. 6,30 viditque omnis populus cilicium quo vestitus erat ad carnem intrinsecus; 1 Par. 21,16; Ps. 34,13; 68,12 posui vestimentum meum cilicium; Iudith 4,9 induerunt se sacerdotes ciliciis etc.; item apud prophetas, Ier. 4,8 accingite vos ciliciis; 6,26; Lament. 2,10. 1 Mach. 2,14 etc. et Matth. 11,21; Luc. 10,13 olim in cilicio et cinere sedentes poeniterent (Tyrii et incolae Sidonis, si apud eos factae fuissent virtutes quae factae sunt in Corozain et Bethsaida).

CINA קִינָה, Ἰκάμ, Α Κινά, oppidum in meridiana plaga tribus Iuda (Ios. 15, 22). Nomen fortasse explicandum est a Ceni seu Cinaeis, qui in Negeb sedes fixerant et complures urbes tenebant (cf. Iud. 1,16; 1 Reg. 27,10; 30,29). Est ignota. Onom. solum nomen commemorat. *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 162. 163 Cina componit cum *Yaqīn* inter Hebron et *Zīf* (Ziph); sed alii melius *Yaqīn* referunt ad Accain (vide s. v.).

CINAEI (קִין, הַקִּינִים, הַקְּנִי, הַקִּינִי; Κεναῖος, Κιναῖος et 1 Reg. 27,10; 30,29 Vulgata: Ceni scil. meridies Ceni, urbes Ceni, LXX τοῦ Κενεζί, populus, cuius historia inde ab Abraham usque ad Davidis aetatem saepius cum historia populi electi connectitur. Cinaei nominantur primi inter decem illos populos, qui tempore Abrahae terram promissam a fluvio Aegypti usque ad Euphraten incolebant (Gen. 15,19). In vaticinio de Israel Balaam vidit Cinaeum quoque iuxta Amalecitas et allusionem facit a nomine populi collectivo Cin (קַיִן) ad eius habitaculum in alta rupe instar nidi (קֵן, LXX νοσσιά) exstructum (Num. 24,21. 22). Ex Iud. 1,16; 4,11 et Num. 10,29-32 discimus Cinaeos quosdam, filios Hobab cognati Moysis, in deserto Sinai habitasse, inde cum Israelitis velut duces per desertum profectos esse et post ingressum in terram promissam sedes in Negeb ad meridiem urbis Arad praemii loco accepisse. Aliqui vero ex iis in Palaestinam septemtrionalem emigrarunt, inter quos erat Haber Cinaeus, qui iuxta Cedes Nephthali tabernacula fixerat et pace fruebatur non solum cum Israelitis, sed etiam cum Iabin rege Asoritarum (Iud. 4,11. 17; 5,24). Etiam tempore Saulis (1 Reg. 15,6) et Davidis (1 Reg. 27,10; 30,29) Cinaei sedes illas in extremo meridie seu Negeb acceptas obtinebant. Ex textu denique satis obscuro 1 Par. 2,55 aliqui colligunt Cinaeos cum filiis Iuda matrimoniis permixtos fuisse et cum Rechabitis quoque nexum genealogicum habere; sed pro Cinaeis fortasse substituendi sunt lancearii (a קַיִן *lancea*; cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Num. p. 197).

Cuius originis Cinaei fuerint, non satis liquet, quoniam in tabula ethnologica Gen. 10 non nominantur. Hoc unum dici potest eos Madianitis accensendos esse; Hobab enim, qui phylarcha erat alicuius tribus Cinaeorum in deserto Sinai habitantis, legitur Num. 10,29 Madianita fuisse. Recentiores aliqui opinati sunt Cin seu Qain (קַיִן) progenitorem Cinaeorum eundem esse cum Cain (קַיִן) filio primogenito Adam, Cinaeos

igitur esse Cainitas, qui ex diluvio feliciter evaserint; sed ut hoc loco a quaestione de diluvio abstrahamus, sacer textus coniecturae illi nullum fundamentum praebet nisi meram nominis similitudinem.

CINGULUM. Cingulum sacerdotale describitur Ex. 39,29; ceterum vide s. v. SACERDOS, LUMBARE. Homo accinctus ad operandum et ambulandum expeditus est; cingulum pertinet ad ornatum viri et cum arcte corpori adhaereat, symbolum quoque est arctae unionis (cf. Ier. 13,11). Hac triplici ratione intellegitur, quod Isaias de Messia dicit: et erit iustitia cingulum lumborum eius et fides cinctorium renum eius (11,5). Hisce enim et expeditus est ad operandum, hisce quam maxime ornatur, haec intime animo eius inhaerent. — Cum cingulum vestes diffluentes et sinuosas constringat et coarctet, cingulum symbolum quoque evadit coactionis, qua libertas et agendi ratio coerceatur dominio alterius. Ea notione habetur Is. 23, 10: transi terram tuam quasi flumen, filia maris; non est cingulum ultra tibi i. e. ex hebraeo: colonia Tyriorum, Tartessus, iam libera est et sine ullo impedimento pro lubitu agere et possessiones pro se acquirere potest, cum Tyriorum dominatio conciderit, qua non sibi, sed illis acquirere cogebatur.

CINIFES (ciniphes) Ps. 104 [105],31 (כִּנִּים) v. SCINIFES.

CINIS. Ad usum lustrationis adhibebatur cinis qui residuus erat ex combustione vaccae rufae cum ligno cedrino, hyssopo coccoque bis tincto (Num. 19, 6 ss.); vide s. v. LUSTRATIONIS AQUA. De quo cinere etiam apostolus loquitur (Hebr. 9,13). Cinis aptum est symbolum ad fragilitatem vilitatemque designandam; unde Gen. 18,27: loquar ad Dominum, cum sim pulvis et cinis; Eccli. 10,9: quid superbit terra et cinis? 17, 31: omnis homo terra et cinis. Quare quod nil valet, citissime aufertur, cineri comparatur: memoria vestra comparabitur cineri, dicit Iob amicis suis accusatoribus (13,12) et Isaias: et erunt populi quasi de incendio cinis (33,12) i. e. potestas Assur in cinerem, in nihil redigetur. Cum in luctu induantur vestimenta aspera et pro ornatu potius atra exquirantur, etiam cineres ad luctum exprimendum inserviunt. Lugentes enim cinerem capiti aspergunt (2 Reg. 13,19; Iudith 4,16; 7,4; 9,1; Esth. 4,1. 3; 14, 2; Iob 16,16; Is. 58,5; 61,3); unde qui ad poenitentiam et luctum admonentur, iubentur accingere sese cilicio et conspergere se cinere (Ier. 6,26; 25,34; cf. Lament. 2,10; Ez. 27,30). Eius luctus indicium et signum est etiam sedere in cinere; ita secundum hebr. Iob afflictus sedebat in cinere (2,8); rex Ninive agens poenitentiam sedit in cinere (Ion. 3,6). Daniel rogat et deprecatur in ieiuniis, sacco et cinere; et Iob: ago poenitentiam, inquit, in favilla et cinere (42,6); cf. Dan. 9,3; 1 Mach. 3,47; Matth. 11, 21; Luc. 10,13: in cilicio et cinere poenitentiam egissent Tyrii, si tot miracula Christi vidissent. — Ut cineres ab altari holocaustorum removerentur, parandi erant lebetes ad suscipiendos cineres (Ex. 27,3; 38,3) et cineres in certo loco erant effundendi (Lev. 1,16; 4,12).

CINNAMOMUM, קִנָּמוֹן, κιννάμωμον inter aromata ad oleum sanctum praeparandum ordinata locum habet (Ex. 30, 23). Aromati huic pretioso Sapientia se comparat (Eccli. 24,20 gr. 15), eiusque odore mulier male fida domum suam dicitur implere (Prov. 7,17); atque etiam in horto, cui Sponsa in Canticis comparatur, cinnamomum cum aliis optimis aromatibus inveniebatur (Cant. 4,14). Pariter inter merces pretiosas erat, quas negotiatores Babyloni apocalypticae afferebant (Apoc. 18,13). Versiones antiquae in interpretatione vocis hebraicae satis inter se consentiunt; LXX ubique κιννάμωμον vertunt, Onkelos et Targum קִנָּמוֹן et קִינְמָא, pariterque textus et versio samaritana קנמן et Peshitta קונמא, neque in reliquis discrepantia apparet. Simili consensu auctores antiquiores et recentiores, hebraeis quibusdam exceptis (*R. Ben Melech, Saadias, Maimonides* de ligno *aloes* exponunt) nomen de aromate veterum intellegunt, quod Graecis et Latinis eadem appellatione a Phoenicibus accepta (*Herod.* 3, 111) κίννάμον et *cinnamum* atque etiam

κιννάμωμον et *cinnamomum* dicitur, et variis speciebus distinctum cum casia aliisque celebrem inter aromata locum occupabat atque in unguentis et in suffitu adhibebatur (*Theophr.* Hist. pl. IV. 4,14; IX. 4,2; 5,1; 7,2; Fragm. IV. De odorib. 4, 17; 6,28. 30; 7,32. 34; 8,35; *Dioscur.* Mat. med. I. 13; *Plin.* X. 33,97; XII. 13. 51; 18,82-98 etc.). Etiam cinnamomum, sicut casia, in Arabia et India, atque secundum Plinium etiam in Aethiopia nasci credebatur originemque pariter fabulosam ex mendaciis phoeniciis habebat (*Herod.*, *Plin.* ll. cc.; cf. *F. C. Movers*, Phoenicier III. 1,105 s.). Recentioribus aroma cinnamomum dictum est cortex arboris indicae ex ordine *Lauracearum*, *Cinnamomum zeylanicum* Nees ab Esenbeck dictae = *Persea* s. *Laurus cinnamomum* Linné. A casia non specie, sed odoris suavitate et nobilitate maiore videtur differre. Num vero antiqui idem prorsus aroma eo nomine designarint, cum certitudine vix poterit definiri.

Cf. praeter auctores in art. CASIA laudatos *Garcia ab Horto*, Aromatum historia *ed. C. Clusius* ed. 4, l. 15 p. 55-64; *I. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Contin. 219-24; *Bald.* et *Mich. Campi*, Spicilegio botanico, Lucca 1654; *Scheuckius*, De Cinnamomo, Ienae 1670; *I. H. Slevogt*, De Cinnamomo, ib. 1707; *G. W. Wedel*, De Cinnamomo, ib. 1707; *Chr. L. Goeller*, De Cinnamomo, Trajecti ad Rh. 1709; *M. Hiller*, Hierophyt. I. 440-8; *O. Celsius*, Hierobot. II. 350-9; *I. de Loureiro*, Flora Cochinchinensis *ed. C. L. Willdenow* I. Berlin 1793. 305 s.; *M. J. Nogueira da Gama*, Memoria sobra o Loureiro Cinnamomo. Lisboa 1797; *L. Th. Leschenault de la Tour*, Notice sur le cannellier de l'île de Ceylon, St. Denis (Bourbon) 1821; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1,270-3; *C. Sprengel* in Dioscur. 1,13; *W. Heyd*, Gesch. d. Levantehandels im Mittelalter, Stuttgart 1879 II. 659-65; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 292; *R. Sigismund*, Die Aromata, Leipzig 1884, 23-32; *P. Schegg*, Bibl. Archaeologie 224 s.

L. FONCK.

CIRCUMCISIO. Deus cum statueret pactum cum Abraham eumque patrem multarum gentium fore polliceretur, signum huius pacti instituit : « hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos et semen tuum post te : circumcidetur ex vobis omne masculum : et circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos... eritque pactum meum in carne vestra » (Gen. 17,10-13). Circumcidebatur infans octavo die a nativitate (Gen. 17,12; Lev. 12,3; 1,59; 2,21; Act. 7,8; Phil. 3,5), etiam si dies ille in sabbatum inciderct (Ioan. 7,23). Circumcisione infans foederis Dei particeps populo theocratico inserebatur ideoque simul cum hac caerimonia nomen accipiebat (cf. Luc. 1,59; 2,21), qui mos aliquo modo iam cernitur eo quod nomen Abram mutatur in Abraham tum, quando a Domino iubetur circumcisionem assumere (Gen. 17,4). Circumcisione assumpta alienigenae quoque populo Dei accensebantur et ad pascha celebrandum admittebantur (Ex. 12,44. 48); ii postmodum vocabantur proselyti iustitiae. Qui ex genere iudaico erant, ad eam legem severe tenebantur : masculus cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo quia pactum meum irritum fecit (Gen. 17,14; cf. Ex. 4,24-26). Atque legem illam esse accurate observatam inde videmus, quod omnes viri qui egressi sunt de Aegypto erant circumcisi; qui autem per 40 annos migrationis in deserto nati erant, circumcidebantur simulac terram promissam ingressi sunt (Ios. 5,2-9) et circumcisi demum ablata ignominia servitutis aegyptiacae populus Deo sacer censebantur. Quoniam circumcisio signum erat foederis cum Deo, Antiochus Epiphanes qui Iudaeos ad idololatriam adducere conabatur, iussit trucidari eos qui pueros circumcidebant (1 Mach. 1,63. 64); atque ex ipsis Iudaeis haud pauci duce et fautore et impulsore Iasone pontifice mores graecos imitati gymnasio exstructo ludis palaestrae sese dabant et signum foederis Dei delere cupientes faciebant sibi praeputia (1 Mach. 1,15. 16; 2 Mach. 4,7-17); cf. *Flav. Ios.* Ant. XII. 5,1; hic est qui vocatur ἐπισπασμός, de quo vide *Ugolini*, Thes. Ant. XXII. p. 1168 s.; Studien und Kritiken 1835 p. 657; *Friedreich*, Zur Bibel II. p. 158. Quantopere vero Iudaei et pii et suae gentis studiosi ritum hunc retinuerint, elucet tum tempore Machabaeorum

(1 Mach. 2,46), tum initio rei christianae, quando ritum cum gentibus imponere multi contendebant et Paulus apostolus persecutionibus erat obnoxius quia circumcisionem non praedicabat (Act. 15, 1 s.; 21,21; Gal. 5,11; 6,12.13), quamvis ipse tamen Timotheum circumciderit, ut scil. sine impedimento Iudaeis posset praedicare (Act. 16,3).

Cum itaque circumcisio sacrum esset signum foederis cum Deo et eo foedere Israelitae sese merito considerarent populum Dei electum et regnum sacerdotale (Ex. 19,5), facile intellegitur, cur esse incircumcisum reputaretur ab iis maximum opprobrium (cf. Iud. 14,3; 15, 18; 1 Reg. 14,6; 17,26. 36; Ez. 28,10; 31,18; 32,19 s.). Porro, uti signum pacti cum Deo, erat simul symbolum iustitiae. Nam Abraham Deus signum hoc foederis dedit, postquam ei dixit : ambula coram me et esto perfectus (Gen. 17,1) et docente apostolo in Abraham circumcisio erat signaculum iustitiae fidei (Rom. 4, 11). Quam rationem symbolicam praeclare expositam legimus, dum sermo fit de circumcisione praeputii *cordis* (Deut. 10,16) et : circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum etc. (Deut. 30,6) et : auferte praeputia cordium vestrorum, viri Iuda (Ier. 4,4). Quare qui scelesti sunt et Deo obedientiam detrectant, reprehenduntur tamquam incircumcisi mente, auribus, cordibus (Lev. 26,41; Ier. 6,10; 9,26; Act. 7,51). Signum autem tale elegit Deus quod ipsum vitae et propagationis generis humani fontem attingat eamque vim ad cuius abusum maxima concupiscentia vir sollicitatur eventibus utique tristissimis. Unde Deus hoc pacto se custodem et vindicem vitae rectique ordinis revelat hominemque ita sibi devinctum exhibet, ut summa illa libido legi Dei subiecta quasi evadat pignus et documentum obedientiae in omnibus Deo Domino praestandae. Atque revera circumcisio erat sponsio sollemnis obedientiae Deo facta; unde in lege mosaica homo ea fiebat debitor universae legis faciendae (Gal. 5,3). In novo foedere filii Dei consecramur in baptismo, quo vetus homo peccati moritur et novus ad vitam iustitiae surgit (Rom. 6,3 s.); quare in regno Christi circumcisio iam nihil valet, ita ut apostolus dixerit Galatis : si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit (Gal. 5,2).

Metaphora usitata dicitur circumcisio pro Iudaeis, sicut praeputium pro gentibus; ita Christus dicitur minister circumcisionis i. e. esse missum ad edocendos Iudaeos iisque salutem offerendam (Rom. 15,8); eodem modo sermo fit de evangelio praeputii i. e. quod gentibus annuntiatur, de apostolatu circumcisionis (Gal. 2,7 s.); immo apostolus quandoque nomen hoc olim sacrum et ad populum Dei designandum factum Iudaeis negat, eos vocans concisionem (κατατομήν) : « nos enim sumus circumcisio (περιτομή) qui spiritu servimus Deo » (Phil. 3,2. 3); vera enim circumcisio est cordis in spiritu (Rom. 2,29).

Dubium non est quin aliae quoque gentes habuerint circumcisionis morem. Id de Aegyptiis monumenta luculentissime testantur ipsis signis hieroglyphicis (cf. *Ebers*, Aegypten und die Bücher Mose's 1868 p. 279). Idem refert Herodotus, uti de Aegyptiis, ita de Colchis et Aethiopibus (2,104). Neque opus est asserere Abraham primum eum morem induxisse a Deo edoctum. Nam sicut Deus alias res iam exsistentes adhibuit in signa peculiaria (cf. Gen. 3,14; 9,13), ita potuit usum iam alibi usurpatum ad particularem significationem evehere eumque singulari consilio Abraham praecipere. Sufficienter quoque Israelitae a vicinis gentibus distinguebantur; nam consuetudinem eam non habebant Chananaei (Gen. 34,15), Philisthaei, Ammonitae, Moabitae, Edomitae (cf. Ier. 9,25 hebr.; *Flav. Ios.* Ant. XIII. 9. 1; XV, 7. 9).

Circumcisionem factam esse cultris saxeis discimus Ex. 4,25 et Ios. 5,2 : eo tempore ait Dominus ad Iosue : fac tibi cultros lapideos et circumcide filios Israel (cf. dissert. de cultris circumcisoriis apud *Ugolini*, Thes. Ant. XXII. p. 1082 ss.). Cur circumcisio sit in morem inducta, variae afferuntur rationes ex sanitate, munditie corporis, maiore fertilitate, imminutione libidinis petitae. Ita iam Philo ait ea averti morbum molestissimum, carbunculum quem vocant, foveri corporis munditiem, haberi sym-

bolum puritatis animi, prolem gigni numerosiorem (Opera *ed. Mangey* II. 211 ss.). Verum alii negant utilitatem illam libidinis imminutae et fertilitatis auctae.

I. KNABENBAUER.

CIS (קִיש, Κείς). **1.** Vir de tribu Beniamin, pater Saul primi regis Iudaeorum (1 Par. 8,33; 9,39; 12,1; 26,28; 1 Reg. 14,51). Cum asinae a grege deerrassent, misit Cis filium Saul, ut eas quaereret; qui eo itinere ad Samuel prophetam venit et ab illo rex unctus est (1 Reg. 9, 1 ss.; 10,1 s.). Sepulcrum Cis eiusque familiae erat in Sela urbe Beniamin (2 Reg. 21,14 et v. SELA). Eiusdem mentio fit Act. 13,21 (Κείς).

2. Filius Iehiel seu Iehuel, unus ex maioribus Saul regis (1 Par. 8,30; 9,36). De difficultate genealogica v. ABIEL 1.

3. Levita ex stirpe Merari tempore Davidis, frater Eleazari levitae (1 Par. 23,21. 22), pater Ierameel (1 Par. 24,29); cum Eleazar filios non haberet, filii Cis cum filiabus Eleazari matrimonia inierunt.

4. Levita ex stirpe Merari tempore Ezechiae regis (2 Par. 29,12).

5. Unus ex maioribus Mardochaei (Esth. 2,5; 11,2); cum Mardochaeus fuerit Beniaminita, Cis ille fortasse idem est ac pater Saul.

CISON (קִישׁוֹן i. e. inflexus, tortuosus; Κισῶν, Κισσῶν, Κεισῶν), torrens, qui planitiem Esdrelon percurrens ad sinum Ptolemaidis fertur. Ad torrentem Cison Sisara, dux copiarum Iabin regis Asor, a Barac et Debbora fusus fugatusque est (Iud. 4,7. 13; 5,21 et v. CADUMIM); cuius victoriae mentio quoque fit Ps. 82 [83],14 (*Vulg.* Cisson). Ad eundem torrentem Elias interfecit prophetas Baal (3 Reg. 18,40). Ex opinione nonnullorum Cison est etiam ille torrens, qui est contra Ieconam in termino Zabulon (Ios. 19, 11; sed v. IECNAM). Eusebius et S. Hieronymus torrentem Cison iuxta montem Thabor esse dicunt (Onom. *ed. Lag.* 272, 69; 110,22), unde antiqua opinio invaluit Cisonem ex monte Thabor originem ducere. Dubium non est, quin Cison sit hodiernus *Muqaṭṭa'*. Ad eum per multos torrentes aquas suas pluviales demittunt montana Samariae, Carmelus, colles Galilaeae inferioris, mons Thabor, Hermon minor, montes Gelboe; praeterea aquas satis copiosas addunt permulti fontes in meridiana praesertim parte planitici Esdrelon scaturientes v. g. prope *Djenīn* (Engannim) et *Ledjdjūn* (Mageddo). Cison igitur non unam habet originem, sed ex multis rivis coalescit, quorum duo remotissimi seu primi in vicinia *Djenīn* et iuxta montem Thabor oriuntur. Hieme aquis abundat, sed aestate quoque interdum magno impetu intumescit. Perennitatem nonnisi sex vel septem km ab ostio acquirit, ibi fere ubi planitiem Esdrelon relinquens angustias inter Carmelum et colles Galilaeae perrumpit.

Cf. *Robinson*, Palaestina III. 472-477; *Sepp*, Ierusalem *ed.* 2 II. 89. 533 ss.; *I. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 162. 214; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 26. 28. 34. 106; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897 III. 87. 194. 285; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 680.

CISTERNA, fossa excavata ad aquam imbrium colligendam. Cum fontes aquae vivae, ideoque putei in Palaestina rarius reperiantur, necesse erat cisternas fodere, in quas aquae pluviales ex tectis domorum etc. colligebantur (cf. *Flav. Ios.* Ant. XII. 14,6). Os cisternae lapide claudi solebat (Gen. 29,2). In vestibulo domorum construi solebant (2 Reg. 17,18), praeterea in agris et campis ad greges adaquandos (Gen. 21,30) et Ozias effodit cisternas plurimas eo quod haberet multa pecora (2 Par. 26, 10). Cisterna erat operienda; si quis eam non operuerit, cecideritque bos aut asinus in eam, reddet dominus cisternae pretium iumentorum (Ex. 21,33. 34). Cisternae, nisi effarcirentur caementis, aquam haud bene servabant et aqua illa, utpote stagnans, facile corrumpebatur; quare intellegitur quod ait Ieremias : me dereliquerunt (ait Dominus) fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas (i. e. perforatas, lapidibus scil. diffractis et disiectis, quibus cisternae muniri solebant ne aqua humo absorberetur), quae continere non valent aquas. Quoniam aqua

tantae est necessitatis, facile oriebantur lites inter pastores de puteis et cisternis (Gen. 21,25; 26,15 ss.). Hoste appropinquante cisternae et fontes obturari solebant (4 Reg. 3,25; 2 Par. 32,3); idem quandoque vindictae causa fiebat (Gen. 26,15). Cisternae quae erant absque aqua, inserviebant ad captivos concludendos; ita Ioseph in cisternam proiectus est Gen. 37,22, pariter Ieremias, qui a servo Aethiope inde ereptus est (Ier. 38,6 s.; unde cf. Lament. 3,53 : lapsa est in lacum vita mea et posuerunt lapidem super me).

CITHARA vide s. v. MUSICA.

CLASSIS v. NAVIGATIO.

CLAUDA v. CAUDA.

CLAUDIA (Κλαυδία), matrona christiana, de qua scribit Paulus ad Timotheum : salutat te Eubulus et Pudens et Linus et Claudia (2 Tim. 4,21). Censetur ab aliquibus Britanna et uxor Pudentis (cf. Acta Sanctorum, tom. IV. Maii mensis p. 296).

CLAUDIUS (Κλαύδιος). **1.** Tiberius Claudius Drusus Nero Germanicus, Romanorum imperator (41-54 p. Chr.) omnes Iudaeos Roma discedere iussit (Act. 18,2), qua occasione Aquila et Priscilla venerunt Corinthum. Eius decreti *Suetonius* meminit hisce : Iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit (Claudius 25); at decretum hoc non diu constitisse elucet pariter ex Act. 28,17 ss. Fames, quae Claudio regnante in Palaestina facta est, praedicta erat ab Agabo (Act. 11,28); v. AGABUS.

2. Claudius Lysias, tribunus cohortis romanae (Act. 23,26); v. LYSIAS 2.

CLAVIS. 1. De forma clavium et serarum nihil traditur in s. libris. Aod egressus e cubiculo Eglon regis clausit portam post se et obseravit (Iud. 3,23 hebr.). Quomodo clauserit, non dicitur; narratur vero servos opus habuisse clavi ad aperiendum. Dicit S. Augustinus : tale clausurae genus fuit quod sine clavi posset claudi nec sine clavi aperiri; nam sunt quaedam talia, sicut ea quae veruculata dicuntur (qu. 23 in Iudices; *M.* 34,801). Commemorantur 1 Par. 9,27 levitae καὶ οὗτοι ἐπὶ τῶν κλειδῶν, super clavem (hebr.), quorum erat quovis mane templi fores aperire. Legimus Cant. 5,4 s. dilectum sponsae immissa per foramen ianuae manu adventus sui indicium exhibuisse; ipsam surrexisse ut aperiret; ipsius autem manus et digitos stillasse myrrha fluente super manubria repaguli (hebr.). In ianua itaque erat foramen, per quod clavis introduceretur ad interiorem vectem resolvendum.

Ceterum cf. *Loquet*, Aperçu historique de la serrurerie 1886, p. 10; *A. H. de Villefosse*, Notice des monuments provenant de la Palestine 1876, p. 56 s.; *Lortet*, La Syrie d'aujourd'hui 1884, p. 352.

2. Clavis symbolum est potestatis; ita Is. 22,22 : dabo clavem domus David super humerum eius (Eliacim) et aperiet et non erit qui claudat, et claudet et non erit qui aperiat. Quia potestas tamquam officium et onus humeris incumbere concipitur, clavis dicitur dari super humerum (cf. Is. 9,6). Traditione clavis committitur potestas admittendi ad domum et familiam et excludendi, administrandi et dispensandi ea quae in domo sunt. Sicut eo loco statuitur oeconomus qui domum David administret et cuius administratio omnino rata habetur, ita Christus Petro promisit se daturum claves regni caelorum i. e. ei traditum iri regni messiani administrationem et bonorum eius dispensationem. Christus ipse habere dicitur claves mortis et inferni (Apoc. 1,18) i. e. summam potestatem eripiendi ex morte et inferis vel tradendi reos morti et inferis; habet clavem domus David (Apoc. 3,7) i. e. summum in regno messiano imperium. Ipse autem supremam secundum se potestatem Petro concedit : dabo tibi claves regni caelorum (Matth. 16,19). Apud rabbinos quoque clavis symbolum erat potestatis et auctoritatis. Inde quoque petita est locutio de clave scientiae (Luc. 11,52), de clave putei abyssi (Apoc. 9,1; 20,1) i. e. de potestate docendi, de potestate aperiendi abyssum (permittendi ut inde egrediantur exterminatores), claudendi (in abyssum proiiciendi ibique retinendi).

CLEMENS (Κλήμης) laudatur tam-

quam qui cum Paulo laboravit (συνήθλησαν) in evangelio Phil. 4,3. Intellegi Clementem Romanum, qui postea Petro in primatu successit, affirmant Origines in Ioan. t. 6 n. 36; *M.* 14,293), Eusebius (Hist. eccl. 3,4. 15; *M.* 20,221), Epiphanius (Haer. 27,6; *M.* 41,372), Hieronymus (De vir. ill. 15; *M.* 23,631). Recentiorum tamen haud pauci, cum nomen hoc valde frequens sit, vel dubitant vel negant. Eundem Clementem fuisse quoque scriptorem epistulae ad Hebraeos ita ut sententiae quidem ad Paulum apostolum, forma vero genusque dicendi ad Clementem referantur oporteat, iam veteres, uti Origenes, Euthalius, Theodoretus, Hieronymus et multi recentiores putarunt (cf. *Cornely*, Introd. *ed.* 2. III. p. 534). Laus Clementi eximia ab apostolo tribuitur eo quod inter eos recensetur, quorum nomina sunt in libro vitae.

CLEOPATRA (Κλεοπάτρα). **1.** Filia Antiochi III. Magni, regis Syriae, uxor Ptolemaei V. Epiphanis, ad quam Dan. 11,17 allusio habetur, licet eius nomen non exprimatur (v. ANTIOCHUS 2).

2. Cleopatra regina simul cum Ptolemaeo nominatur in subscriptione libri graeci Esther (Vulgata 11,1). Quis ille Ptolemaeus fuerit difficile est dicere; complures enim fuerunt Ptolemaei, quorum uxores nomen gerebant Cleopatrae: Ptolemaeus V. Epiphanes, Ptolemaeus VI. Philometor, Ptolemaeus VII. Physcon, Ptolemaeus VIII. Soter II. seu Lathurus. At non desunt indicia, quibus suaderi potest intellegi Ptolemaeum VI. Philometorem (181-145); cf. *Cornely*, Introd. II. 1 p. 418 ss. Quodsi ita est, haec Cleopatra erat filia illius prioris Cleopatrae et soror mariti sui Philometoris, ut ex scriptoribus profanis elucet (*Livius*, Epit. 59; *Iustin.* 38,8. 9; 39, 1. 2); eadem Iudaeis multum favebat (*Flav. Ios.* Cont. Ap. 2,5; Ant. XIII. 3,2).

3. Filia Ptolemaei VI. Philometoris et Cleopatrae uxoris ac sororis.

Alexander Balas, usurpator throni Syriae, a Philometore Cleopatram filiam expetierat et cum ea nuptias Ptolemaide celebravit (1 Mach. 10,51-58). Verum matrimonium istud post quattuor fere annos disruptum est (146 a. Chr.). Ptolemaeus enim regnum Alexandri dolo obtinere quaerebat et Syriam ingressus Demetrio II. Nicatori Cleopatram uxorem dedit (cf. *Flav. Ios.* Ant. XIII. 4,7). Cum Demetrius in Mediam profectus ab Arsace VI. rege Parthorum captivus detineretur, Cleopatra coniugium simul ac regnum obtulit Antiocho VII. Sideti (Ant. XIII. 7,1). Mortuus est Sidetes a. 128 a. Chr. Demetrius vero post annos decem ex captivitate redux iterum regno potitus est per annos quattuor, sed ab Aegyptiis victus Ptolemaidem confugit ad Cleopatram et ab ea non admissus Tyrum navigavit et navi egrediens interfectus est (Ant. XIII. 9,3). Secundum alios scriptores (*Appian.* Syr. 68; *Livius*, Epit. 60) ipsa Cleopatra insidias molita Demetrium II. interfecit. Eadem Seleucum V. filium, qui statim post patris obitum sine matris auctoritate diadema sumpserat, sagitta sua manu emissa confixit (*Appian.* Syr. 69; *Iustin.* 39,1). Seleuco in regnum successit eius frater Antiochus VIII. Grypus, qui poculum veneni, quod mater ei propinabat, ipsam coegit bibere (*Appian.* l. c.; *Iustin.* 39,2).

CLEOPHAS (Κλεόπας), unus ex duobus illis discipulis, qui ipso resurrectionis dominicae die tendebant in Emmaus et ad quos Christus habitu viatoris accessit (Luc. 24,18). Nomen Κλεόπας videtur esse contractum pro Κλεόπατρος, uti Antipas pro Antipatros. Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 257, 21; 121,6) supponunt eum de Emmaus oriundum fuisse.

CLEOPHAS (Κλωπᾶς), maritus Mariae (Ioan. 19,25), matris Iacobi minoris apostoli et Ioseph (cf. Matth. 27,56; Marc. 15,40). Iam vero iste Iacobus vocatur (filius) Alphaei (Matth. 10,3; Marc. 3,18; Luc. 6,15; Act. 1,13). Unde sequitur Cleopham esse Alphaeum. Ceterum v. ALPHAEUS 2.

CLYPEUS v. ARMA. Sensu translato dicitur Deus dedisse clypeum salutis (2 Reg. 22,36); et sermo Dei clypeus est sperantibus in eum; vel Deus dicitur scutum auxilii Israel (Deut. 33,29), scutum meum, scutum est omnium sperantium in se (2 Reg. 22,3. 31), Deus nos sua gratia et benevolentia quasi scuto

protegit et circumdat (Ps. 5,13), sua veritate nos tamquam scuto circumdabit (Ps. 90,5). Scuto fidei nos armari vult apostolus (Eph. 6,16); cf. Sap. 5,20; 18,21.

COA (3 Reg. 10,28 מִקְוֵה, ἐκ Θεκουέ, A Θεκουείμ; 2 Par. 1,16 מִקְוֶא; *Vulg.* de Coa) secundum Vulgatam est nomen regionis, ex qua sicuti ex Aegypto equi Salomonis coemebantur (3 Reg. 10,28; 2 Par. 1,16). Supposita punctatione massorethica מִקְוֵה stat. constr. מִקְוֵה (= agmen, caterva, grex) textus hebr. verti posset cum *Gesenio :* agmen mercatorum regiorum petebant agmen (equorum) pretio certo i. e. solebant equi gregatim a mercatorum catervis ex Aegypto adduci. Complures interpretes iudaici apud *Kimchi* allegati et alii (*L. de Dieu, Le Clerc*) interpretati sunt מִקְוֵה = תִּקְוָה filum tenue lini aegyptiaci, ex quo texebatur byssus. *Bochartus* in Geographia sacra arbitratur *Kimchium* recte exponere opus ex lino textile, sed in Hierozoicon interpretatur מִקְוֵה vectigal Pharaoni solvendum, ut equos ex Aegypto educere liceret et a Salomone per mercatores suos certo pretio quotannis redemptum simulque addit : « Nos olim sermonis serie nondum satis perpensa sic reddebamus : *Et educebantur equi Salomoni ex Aegypto et Michoe* i. e. ex Troglodytica prope Aegyptum, quam priscos Michoen dixisse scribit Plinius » (VI. 29,169). Ea quae *Bochartus* de vectigali exponit, *Calmet* optima omnium in re praesenti iudicat, sed inter aliorum opiniones etiam refert : « Sunt qui equos illos deductos credant ex Coa, Arabiae felicis urbe (*Ptol.* VI. 7,42), alii ex Co urbe Aegypti ac metropoli provinciae Cynopolitanae (*Ptol.* IV. 5,59; *Steph. Byz.* s. v. Κῶς). Reddi posset Hebraeus : Educebantur equi Salomoni ex Aegypto et Michoe » (*Plin.* l. c.). Cum Eusebio et S. Hieronymo (Onom. *ed. Lag.* 273,86 : Κώ, πλησίον Αἰγύπτου, 111,8 : Coa, quae est iuxta Aegyptum) recentiores permulti vocem explicant : de (כוּן) Coa urbe seu regione (*Michaelis, Bertheau, Movers, Keil, Fürst, Lenormant, Winckler, Vigouroux*).

Designari videtur urbs quaedam in confinibus Aegypti et Palaestinae (*Vigouroux*); *Michaelis* explicat de *Ku* Africae interioris ab Aegypto inter meridiem et occidentem, *Winckler* cum *Lenormant* de *Kue* i. e. Cilicia orientali.

Cf. *Gesenius,* Thesaurus ling. hebr. III. 1202; *Sam. Bochart,* Hierozoicon I. 2,9 *ed. Rosenmüller* I. p. 136; Chanaan 1,7; *Calmet* in 3 Reg. 10,28; *Michaelis,* Mosaisches Recht III. 332; *Bertheau* in 2 Par. 1,16; *Movers,* Phoenizier II. 3 p. 333; *Keil* in 3 Reg. 10,28; *Fürst,* Hebr. Wörterbuch s. v.; *Lenormant,* Origines de l'histoire III. 9; *H. Winckler,* Alttestam. Untersuchungen 1892 p. 173. 174; *Vigouroux,* La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 III. 362.

COA (קוֹעַ, Ὀχουέ, gens cum Babyloniis et Chaldaeis foedere iuncta contra Iudaeam et Ierusalem (Ez. 23,23). Vulgata nomen commune praebet : *principes,* Aquila κορυφαῖον, sed Symmachus et Theodotion, prout S. Hieronymus testatur, nomina propria retinuerunt cum LXX. Sicut nostro loco Coa et Shoa (שׁוּעַ, Σουέ) coniunguntur, ita in textibus cuneiformibus nominantur tribus *Qutū* et *Sutū* (vel breviore nomine *Su*) Babyloniis et Elamitis conterminae. Incolebant igitur in parte orientali Mesopotamiae ad meridiem Assyriae; *Delitzsch* eos collocat in ripa orientali Tigridis meridiem et orientem versus a Zab inferiore. Cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and Old Test. II. p. 120; *Delitzsch,* Paradies 233-237.

COCCUM dicitur de colore rubro splendenti purpureo, dein de lana eo colore tincta, de panno vel vestimento purpureo vivide rutilante. Requirebantur panni coccinei ad cortinas tabernaculi (Ex. 26,1), ad velum sanctuarii et ad velum introitus tabernaculi (Ex. 26,31. 36), item ad velum atrii (Ex. 27,16) et ad indumenta sacerdotalia (Ex. 28,5 s.; cf. 35,6 s.; 39,2. 8). Lana coccinea quoque opus erat in expiatione leprosi et in emundatione domus (Lev. 14,6. 51 : tollet lignum cedrinum et hyssopum et coccum et passerem vivum et tinget omnia in sanguine passeris immolati atque in aquis viventibus et asperget domum septies), pariter in ritu parandi aquam lu-

strationis (Num. 19,6). Eodem modo tabes panni adhibebantur ad velum templi (2 Par. 3,14). Vestimentum, pallium coccineum magni aestimabatur; tali pallio etiam Achan inductus est, ut peccaret contra mandatum (Jos. 7,21). Colore illo rutilante fit, ut labia sponsae comparentur vittae coccineae. Lana si semel eo colore infecta est iam non potest reddi alba; unde concipitur vis et efficacia illa qua Dominus promittit : si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt (Is. 1,18). Ut regiae dignitati Christi inferrent ludibria, chlamyde coccinea eum induerunt (Matth. 27,28). Color iste ruber sanguinem imitatur; unde vestimentum coccineum non solum ad pompam et superbiam designandam adhibetur (cf. 2 Reg. 1,24; Ier. 4,30; Nah. 2,3), verum etiam ad scelera animumque sanguinolentum et aliorum ruinas sitientem (cf. Apoc. 17,3. 4; 18,16).

Origo huius coloris ipso nomine hebraico indicatur; nam communiter תולעת שני audit, pro quo in libro Paralipomenon (2 Par. 2,7. 14; 3,14) כרמיל adhibetur, quod utrumque *vermiculi* speciem designat. Etenim color ille coccinus, qui nunc germ. *Scharlach* vel *Karmoisin* appellatur, ex parvulo animali obtinetur, quod in lingua persica *Kirm* atque arabice *Kermes* i. e. *vermis* audit et nomine scientifico *Lecanium ilicis* Linné (olim *Coccus ilicis*) vocatur. Vermiculus ille in specie quadam quercus, scil. *Quercus coccifera* Linné, in Graecia, Asia minore, Syria, Palaestina vicinisque regionibus vivit, in cuius foliis et ramis cutis animalis mortui colore coccino repleta remanet et ab incolis avide conquiritur, praesertim in Graecia.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. 624 s. *ed. Rosenm.* III. 524-9; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2,447-9; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8 p. 319; *W. Heyd*, Gesch. d. Levantehandels, Stuttgart 1879, II. 609 s.; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 3 *ed.* 3 p. 478; *Leunis-Frank*, Synopsis II. 2 *ed.* 3 p. 518; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 IX. 618-24; *E. Boissier*, Flora orient. IV. 1169; *G. F. Post*, Flora of Syria 739. — De aliis v. art. PURPURA.

L. FONCK.

COCHLEA. Hebr. שַׁבְלוּל semel tantum occurrit in Psalmo 57[58],9, ubi de iudicibus iniustis legitur : « sicut שַׁבְלוּל diffusionis (vel contabescendo) abit », ita scil. pereant. Verba sat obscura ab interpretibus antiquis varie explicantur. Vulgata vertit : sicut cera, quae fluit, auferentur, pariter ac LXX : ὡσεὶ κηρὸς ὁ τακεὶς ἀνταναιρεθήσονται; similiter reddunt Peshitta, Theodotion, versio arabica et aethiopica. Aquila vero et cum ipso S. Hieronymus « quasi *vermis tabefactus* pertransiens » exponunt, Symmachus ὥσπερεὶ χόριον (secundae partus διαλυθὲν διαφωνεῖ; alii *fluentem aquae* explicant. Relictis istis interpretationibus, recentiores *cochleam* vel limacem vertunt cum interprete chaldaeo, *R. Salomo*, *Aben Ezra*, *Kimchio*, *Pomario* pluribusque auctoribus hebraeis (cf. *Sam. Bochart*, Hierozoic. II, 646-50, *ed. Rosenm.* III. 557-62). — Iuxta hanc vocis שַׁבְלוּל significationem tres potissimum habentur interpretationes textus citati : communius cum Rabbinis Psalmista opinionem vulgarem secutus esse supponitur, iuxta quam limacès diffundendo salivam suam per viam abeuntes paulatim deficere et quasi toti liquescere putabantur, quae tamen vulgaris opinio nulla praeter Rabbinorum nititur auctoritate. Alii vero per hyperbolen poeticam locutionem textus sacri exponunt, ut limax dicatur totus liquescere, sicut oculus totus in lacrimas effundi dicitur (*Gesenius*, Thes. 212). Verius tamen comparationem biblicam videtur explicare *H. B. Tristram* (Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, p. 295-7), qui bene animadvertit, in omnibus Palaestinae partibus maximum inveniri numerum testarum cochleae, adhaerentium quidem praesertim fissuris saxorum et rupium, sed animalia continentium ob solis ardorem et defectum humoris omnino exilia atque deperdita, quae merito diffusa seu liquefacta possent appellari. Solent enim cochleae in Oriente toto tempore aestivo *abire* ex locis aridis, calorem fugientes et testis inclusae in locis

humidis et opacis dormire et inertes remanere, ubi plurimae nihilominus solis ardore percussae pereunt. Quae aptam videntur comparationis biblicae explicationem praebere.

L. FONCK.

COCYTUS, apud poetas unus e quattuor orci fluminibus. S. Hieronymus ea voce vertit נחל Iob 21,33 : dulcis fuit glareis Cocyti, dum LXX et Itala habent : dulces ei fuerunt lapides torrentis. Iob, qui eo in capite omnia fere anima et sensu donat, lapidibus quoque quendam obsequii sensum erga cadaver divitis tribuit; mitescunt quodammodo lapides, ut mollius cubet. Fluvium orci exprimit S. Hieronymus, ut dicat impium benigne quoque ac comiter in regione orci excipi i. e. eum in ipso sepulcro honorari et proinde scelera hisce in terris minime semper puniri.

COELESYRIA (ἡ Κοίλη Συρία) proprie vocatur inde ab Alexandri Magni tempore vallis illa fertilis et amoena inter Libanum et Antilibanum, hodie *el-Beqāʿa*. Sed generatim sensu latiore adhibetur et in libris Mach. etiam regionem damascenam comprehendit; 1 Mach. 10, 96 Appollonius Coelesyriae praeesse dicitur; idem Appollonius vocatur 2 Mach. 3,5; 4,4 dux Coelesyriae et Phoenices, quae regiones item distinguuntur et una iunguntur 2 Mach. 3,8; 8,8 et 10,11 (graece; Vulgata h. l. Syria). Ceterum quales regiones Coelesyriae sint propriae, veteres non consentiunt. « Tota quidem regio », inquit Strabo (XVI. 2,21), « quae supra Seleucidem versus Aegyptum et Arabiam pertinet, Coelesyria appellatur, proprie autem nonnisi ea, quae Libano definitur et Antilibano. Reliqua regionis ora ab Orthosia usque ad Pelusium, Phoenicia vocatur, angusta ac maritimis obnoxia aestibus, quae vero supra hanc est mediterranea regio usque ad Arabes, inter Gazam et Antilibanum Iudaea nominatur ». Apud Ptolemaeum (V. 15,22. 23) Coelesyriae attribuuntur urbes Decapoleos Heliopolis, Abila Lysaniae, Damascus, Gadara, Scythopolis, Gerasa, Pella, Dion, Philadelphia etc., item apud Stephanum Byz. Dion, Gerasa, Pella, Scythopolis, apud Flavium Iosephum Scythopolis (Ant. XIII. 13,2), Gadara (13,3) et urbs princeps Damascus (15,2; Bell. iud. I. 4,8), ex testimoniis nummorum Gadara, Abila, Philadelphia (cf. *F. de Saulcy*). Immo apud Diodorum Sic. (I. 31) Iope (Ioppe), apud Polybium (V. 80) Raphia inter Gazam et Rhinocoluram, apud Theophrastum (Hist. plant. II. 6,2) ostium Iordanis Coelesyriae accensentur. Totam denique regionem inter Euphratem fluvium et Aegyptum Flavius Iosephus designat Coelesyriam (Ant. XIV. 4,5), dum aliis locis praeter Coelesyriam etiam Phoenicen, Iudaeam, Samariam partes Syriae meridionalis enumerat (II. 4,2. 4).

Quoad nummos cf. *F. de Saulcy*, Numismatique de la Terre Sainte, p. 294 ss. 308 ss. 386 ss.; de Coelesyria generatim cf. *Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 82. 83.

COENA. Dies sollemnes sollemniore quoque coena celebrari solebant. De epulis sumptuosissime instructis refertur Esth. 1,3 ss.; convivio Herodes celebravit diem suum natalem (Marc. 6,21); sabbatis Iudaei lautius coenare solebant cibis die antecedente paratis. Sabbato ante hebdomadam passionis Christo fecerunt coenam in Bethania (Ioan. 12,2). Coena instructa peculiaris honor exhiberi solebat; ita honoratur Achior ab Ozia, et Matthaeus eundem honorem Domino impendit (Iudith 6,19; Matth. 9,10; Marc. 2,15; Luc. 5,29). Christus invitationem ad convivium a pharisaeis accipiebat usus ea opportunitate ad documenta salutis tradenda (Luc. 7,36; 11,37; 14,1). Ex ipsa quoque coena occasionem capit doctrinae; ita monens ne in coenis prout pharisaei faciunt (Matth. 23,6) primos recubitus affectent (Luc. 14,8 s.) et commendans ut pauperes invitentur qui non possint retribuere (Luc. 14,12 s.). Parabola coenae ad quam invitati nolebant venire explicat quomodo Iudaei se habeant ad regnum messianum, quod tandem ab iis ad gentes transferatur (Luc. 14,16 s.). Imagine coenae ipsa quoque fruitio Dei quae beatis in caelo tribuitur explicatur (Apoc. 19,9), cuius ut demonstretur excellentia omnem humanam exspectationem excedens, ipse Do-

minus dictur transiens ministraturus Luc. 12,37).

Peculiari mentione efferenda est coena paschalis, de qua Matth. 26,17; Marc. 14, 12; Luc. 22,7; Ioan. 13,2; 1 Cor. 11,23. Ex usu et lege celebranda erat die 14. Nisan ad vesperam; quo die Christus quoque eam celebrabat, uti ex concordi synopticorum narratione consequitur. Ille enim dies vocabatur primus dies azymorum, quia eo die omne fermentatum e domibus removebatur et in coena paschali iam panes azymi adhibebantur. Eo itaque die dicunt discipuli : ubi vis paremus tibi comedere pascha? i. e. eo die quo pascha immolabant uti Marc. ait, sed hic dies alius non erat nisi 14. Nisan), in quo necesse erat occidi pascha (Luc.). Et hora facta Iesus discubuit et duodecim apostoli cum eo. Ea in coena comedebantur carnes agni (absque macula, masculi, anniculi assae igni et panes azymi cum lactucis agrestibus; bibebatur vinum, uti solebat, aqua temperatum. Variae quidem caerimoniae describuntur in Mishna et Gemara (cf. *Ugolini*, Thes. Antiq. XVII. p. 1127-1188) et etiam in commentariis recentiorum commemorantur (cf. *Schegg*, *Friedlieb*, Archaeologie der Leidensgeschichte, *Schanz*, *Fillion*, *Poelzl* etc.); verum nemo dicere potest quid ex illis ritibus sit a rabbinis excogitatum, quid iam tempore Christi observatum. Neque illorum rituum ulla fit mentio in narratione evangelica. Quare inutile videtur illis enarrandis immorari. Quod ea in coena praecipuum est, cernitur eo quod Christus expleta coena illa typica, se ipsum, carnem suam et sanguinem, tamquam verum agnum paschalem verumque sacrificium Deo Patri obtulit et apostolis tradidit sumendum et in sui memoriam idem celebrandum commisit. Quae verbis Domini contineri hic non est probandum. Ceterum ad hanc Eucharistiae institutionem Christus iam ante annum animos discipulorum praeparaverat, ita ut eius verba statim rite perciperent (cf. Ioan. 6,54 s.); verum corpus et sanguinem in Eucharistia adesse clare docet apostolus dicens : qui manducaverit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini, non diiudicans corpus Domini, et : calix benedictionis nonne communicatio (participatio sanguinis Christi est etc. (1 Cor. 10,16; 11,27. 29) et Eucharistiae competere indolem sacrificalem, ita ut eius sumptio sint epulae sacrificales, in tota sua argumentatione qua probat Christianis non licere epulis sacrificalibus gentilium accumbere tamquam rem notissimam supponit (1 Cor. 10,14-22). Haec celebratio Eucharistiae vocatur in Act. fractio panis; ex apostolo discimus ei ad imitationem primae institutionis coenam quandam communem esse praemissam, in qua tamen iam aliqui irrepserint abusus, ita ut : convenientibus vobis in unum iam non sit dominicam coenam manducare (1 Cor. 11,20), ut modus ille iam non prae se ferat imaginem et imitationem coenae Domini. — Quo discipuli evidentius de vera Christi a mortuis resurrectione convincerentur, Christus etiam cum iis manducavit et bibit (Luc. 24,41; Act. 10,41) et antequam ascenderet in caelum, convivio discipulis valedixit (Act. 1,4) more humano coenae viaticae cum illis accumbens.

1. KNABENBAUER.

COENACULUM adhibetur in Vulgata ea notione qua fere etiam apud scriptores latinos reperitur. Significat enim non solum cubiculum vel conclave maius in quo convivium instruitur, sed etiam cubiculum in superiore parte domus, in superiore contignatione. Ad notionem priorem vide Marc. 14,15; Luc. 22,12. Plerumque autem usurpatur altera notione. In superiore parte domus, in coenaculo aestivo, Aod regem Moabitarum Eglon occidit (Iud. 3,20); David ut fleret Absalom, ascendit coenaculum; in coenaculo manebat Elias habitans apud viduam in Sarepta ibique clamans ad Dominum puerum viduae mortuum ad vitam revocavit (3 Reg. 17,19). Eodemque modo coenaculum ponitur pro עֲלִיָּה ὑπερῷον 4 Reg. 1,2; 4,10. 11; tale conclave in tecto domus cum lectulo, mensa, sella, candelabro Eliseo paratum est. In eis exstruendis luxum quoque et fastum esse ostensum, Ieremias reprehendit (Ier. 22,13. 14). In coenaculo solebat Daniel orare apertis fenestris Ierusalem versus ter in die (Dan. 6,10).

Coenacula quoque vocantur cubicula ad templum adiecta (3 Reg. 6,8; 1 Par. 28, 11; 2 Par. 3,9). Coenaculum anguli (Neh. 3,30. 31) probabiliter intellegendum erit de conclavi superiore turris quae in aliquo angulo muri aedificata erat.

COENOMYIA (κυνόμυια) explicatur in Psalmis (77 hebr. 78,45 et 104 hebr. 105,31) hebr. עָרֹב, quod in Exodo (8,21 ss., hebr. 17 ss.) S. Hieronymus *muscas* interpretatur. V. MUSCA.

COGNATUS vide MATRIMONIUM, PARENTES, PROPINQUUS.

COHORS (σπεῖρα) proprie est decima pars legionis, complectens plus quingentos pedites. Verum vox adhibetur de quovis manipulo militum (Matth. 27,27; Marc. 15,16; Ioan. 18,3. 12). Duae cohortes nominatim efferuntur : italica (Act. 10, 1 et cohors Augusti (σπεῖρα Σεβαστή, cohors augusta Act. 27,1). Quomodo cohortes in exercitu Machabaeorum constitutae fuerint, ignoramus (cf. 2 Mach. 12, 20. 22).

De cohortibus generatim cf. *Marquardt*, Roemische Staatsverwaltung II. 359. 441. 453 ss.; *Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes *ed.* 3 I. p. 458 ss.; *Cichorius* in *Pauly-Wissowa*, Real-Encycl. d. klass. Altert. IV. 231-356. De difficultate, quam *Schürer* l. c. p. 462 s. contra cohortem italicam circa annum 40 p. Chr. Caesareae constitutam movet, v. ITALICA cohors.

COLAIA (קוֹלָיָה, Κωλεία), Beniaminita ex maioribus Sellum incolae Ierusalem post exsilium (Neh. 11,7).

COLIAS (קוֹלִיָּה, Κωλέας), pater Achab pseudoprophetae (Ier. 29,21).

COLLECTA. Ita saepius redditur עֲצֶרֶת, coetus sacer; is praecipue qui die septimo paschatis et die octavo festi tabernaculorum celebrandus erat Lev. 23, 36; Deut. 16,8 (et hebr. Num. 29,35); 2 Par. 7,9; Neh. 8,18; LXX ἔξόδιον. Sed Is. 1,13 et Ioel 1,14 et Am. 5,21 S. Hieronymus vertit coetum; 4 Reg. 10,20 diem sollemnem; LXX vero explicant θεραπείαν Ioel 1,14 et 4 Reg. 10, 20; sed Am. 5,21 πανήγυριν, qua voce pariter festivus ac sollemnis populi conventus et publica celebritas significatur. — Collecta autem sensu etiam apud profanos usitato adhibetur 1 Cor. 16,1. 2, quo loco apostolus Corinthios iubet pecuniam colligere pro egenis in Ierusalem (cf. Rom. 15,26 collationem aliquam facere in pauperes sanctorum). Vult autem ut singulis diebus dominicis, prout res illis cesserit, apud se seponant quod pro illis dare velint.

COLLYRIDA (חַלָּה a rad. חָלַל perforare; κολλυρίς), placenta (2 Reg. 6,19), maxime in sacris adhibita (Lev. 24,5 hebr.). quae in oblatione pro gratiarum actione requirebatur; pariter in consecratione Aaron eiusmodi collyrida olei admixtione conspersa, uti in sacrificio gratiarum actionis, tradebatur Aaron et filiis eius cum aliis oblationibus, ut ea levarent coram Domino i. e. versus sanctuarium manibus sublatis exhiberent (Lev. 8,26). Ob vocem hebraicam putant placentam fuisse perforatam.

COLLYRIUM (κολλύριον, var. lect. κολλούριον) medicamentum oblongi paniculi (collyrae) instar conglobatum, ex saccharo, aqua rosacea, spuma argenti, oculis lippis salubre (Apoc. 3,18). Cf. *Hor.* Sat. I. 5,30; genera multa commemorat *Celsus* VI. 6,7.

COLOCYNTHIS. 1. Colocynthis nota est ex historia Elisei prophetae; cum esset prope Galgala inter Bethel et Sichem « egressus est unus (de pueris eius) in agrum, ut colligeret herbas agrestes : invenitque quasi vitem silvestrem (גֶּפֶן שָׂדֶה) et collegit ex ea colocynthidas agri (פַּקֻּעֹת שָׂדֶה) », ut coqueret inde sibi ac sociis pulmentum, « cumque gustassent de coctione, clamaverunt dicentes : mors in olla, vir Dei ». Propheta autem, missa farina in ollam, mox remedium coctioni parabat, « et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla » (4 Reg. 4,39-41). Plantam hanc viti silvestri similem, fructusque ad comedendum allicientes, sed amarissimos ferentem LXX τολύπην ἀγρίαν dicunt, quam Suidas *colocynthidem* explicat, a fructus rotunditate τολύπην, i. e. proprie glomus lanae s. lini, dictam; Peshitta vero et Chaldaeus vocem hebraicam retinent, quae fortassis

minus dicitur transiens ministraturus Luc. 12,37).

Peculiari mentione efferenda est coena paschalis, de qua Matth. 26,17; Marc. 14, 12; Luc. 22,7; Ioan. 13,2; 1 Cor. 11,23. Ex usu et lege celebranda erat die 14. Nisan ad vesperam; quo die Christus quoque eam celebrabat, uti ex concordi synopticorum narratione consequitur. Ille enim dies vocabatur primus dies azymorum, quia eo die omne fermentatum e domibus removebatur et in coena paschali iam panes azymi adhibebantur. Eo itaque die dicunt discipuli: ubi vis paremus tibi comedere pascha? i. e. eo die quo pascha immolabant (uti Marc. ait, sed hic dies alius non erat nisi 14. Nisan), in quo necesse erat occidi pascha (Luc.). Et hora facta Iesus discubuit et duodecim apostoli cum eo. Ea in coena comedebantur carnes agni (absque macula, masculi, anniculi) assae igni et panes azymi cum lactucis agrestibus; bibebatur vinum, uti solebat, aqua temperatum. Variae quidem caerimoniae describuntur in Mishna et Gemara (cf. *Ugolini*, Thes. Antiq. XVII. p. 1127-1188) et etiam in commentariis recentiorum commemorantur (cf. *Schegg*, *Friedlieb*, Archaeologie der Leidensgeschichte, *Schanz*, *Fillion*, *Poelzl* etc.); verum nemo dicere potest quid ex illis ritibus sit a rabbinis excogitatum, quid iam tempore Christi observatum. Neque illorum rituum ulla fit mentio in narratione evangelica. Quare inutile videtur illis enarrandis immorari. Quod ea in coena praecipuum est, cernitur eo quod Christus expleta coena illa typica, se ipsum, carnem suam et sanguinem, tamquam verum agnum paschalem verumque sacrificium Deo Patri obtulit et apostolis tradidit sumendum et in sui memoriam idem celebrandum commisit. Quae verbis Domini contineri hic non est probandum. Ceterum ad hanc Eucharistiae institutionem Christus iam ante annum animos discipulorum praeparaverat, ita ut eius verba statim rite perciperent (cf. Ioan. 6,54 s.); verum corpus et sanguinem in Eucharistia adesse clare docet apostolus dicens: qui manducaverit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini, non diiudicans corpus Domini, et: calix benedictionis nonne communicatio (participatio) sanguinis Christi est etc. (1 Cor. 10,16; 11,27. 29) et Eucharistiae competere indolem sacrificalem, ita ut eius sumptio sint epulae sacrificales, in tota sua argumentatione qua probat Christianis non licere epulis sacrificalibus gentilium accumbere tamquam rem notissimam supponit (1 Cor. 10,14-22). Haec celebratio Eucharistiae vocatur in Act. fractio panis; ex apostolo discimus ei ad imitationem primae institutionis coenam quandam communem esse praemissam, in qua tamen iam aliqui irrepserint abusus, ita ut: convenientibus vobis in unum iam non sit dominicam coenam manducare (1 Cor. 11,20), ut modus ille iam non prae se ferat imaginem et imitationem coenae Domini. — Quo discipuli evidentius de vera Christi a mortuis resurrectione convincerentur, Christus etiam cum iis manducavit et bibit (Luc. 24,41; Act. 10,41) et antequam ascenderet in caelum, convivio discipulis valedixit (Act. 1,4) more humano coenae viaticae cum illis accumbens.

I. KNABENBAUER.

COENACULUM adhibetur in Vulgata ea notione qua fere etiam apud scriptores latinos reperitur. Significat enim non solum cubiculum vel conclave maius in quo convivium instruitur, sed etiam cubiculum in superiore parte domus, in superiore contignatione. Ad notionem priorem vide Marc. 14,15; Luc. 22,12. Plerumque autem usurpatur altera notione. In superiore parte domus, in coenaculo aestivo, Aod regem Moabitarum Eglon occidit (Iud. 3,20); David ut fleret Absalom, ascendit coenaculum; in coenaculo manebat Elias habitans apud viduam in Sarepta ibique clamans ad Dominum puerum viduae mortuum ad vitam revocavit (3 Reg. 17,19). Eodemque modo coenaculum ponitur pro עֲלִיָּה ὑπερῷον 4 Reg. 1,2; 4,10. 11; tale conclave in tecto domus cum lectulo, mensa, sella, candelabro Eliseo paratum est. In eis exstruendis luxum quoque et fastum esse ostensum, Ieremias reprehendit (Ier. 22,13. 14). In coenaculo solebat Daniel orare apertis fenestris Ierusalem versus ter in die (Dan. 6,10).

Coenacula quoque vocantur cubicula ad templum adiecta (3 Reg. 6,8; 1 Par. 28, 11; 2 Par. 3,9). Coenaculum anguli (Neh. 3,30. 31) probabiliter intellegendum erit de conclavi superiore turris quae in aliquo angulo muri aedificata erat.

COENOMYIA (κυνόμυια) explicatur in Psalmis (77 hebr. 78,45 et 104 hebr. 105,31) hebr. עָרֹב, quod in Exodo (8,21 ss., hebr. 17 ss.) S. Hieronymus *muscas* interpretatur. V. MUSCA.

COGNATUS vide MATRIMONIUM, PARENTES, PROPINQUUS.

COHORS (σπεῖρα) proprie est decima pars legionis, complectens plus quingentos pedites. Verum vox adhibetur de quovis manipulo militum (Matth. 27,27; Marc. 15,16; Ioan. 18,3. 12). Duae cohortes nominatim efferuntur : italica (Act. 10, 1) et cohors Augusti (σπεῖρα Σεβαστή, cohors augusta Act. 27,1). Quomodo cohortes in exercitu Machabaeorum constitutae fuerint, ignoramus (cf. 2 Mach. 12, 20. 22).

De cohortibus generatim cf. *Marquardt*, Roemische Staatsverwaltung II. 359. 441. 453 ss.; *Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes *ed.* 3 I. p. 458 ss.; *Cichorius* in *Pauly-Wissowa*, Real-Encycl. d. klass. Altert. IV. 231-356. De difficultate, quam *Schürer* l. c. p. 462 s. contra cohortem italicam circa annum 40 p. Chr. Caesareae constitutam movet, v. ITALICA cohors.

COLAIA (קוֹלָיָה, Κωλεία), Beniaminita ex maioribus Sellum incolae Ierusalem post exsilium (Neh. 11,7).

COLIAS (קוֹלָיָה, Κωλέας), pater Achab pseudoprophetae (Ier. 29,21).

COLLECTA. Ita saepius redditur עֲצֶרֶת, coetus sacer; is praecipue qui die septimo paschatis et die octavo festi tabernaculorum celebrandus erat Lev. 23, 36; Deut. 16,8 (et hebr. Num. 29,35); 2 Par. 7,9; Neh. 8,18; LXX ἔξόδιον. Sed Is. 1,13 et Ioel 1,14 et Am. 5,21 S. Hieronymus vertit coetum; 4 Reg. 10,20 diem sollemnem; LXX vero explicant θεραπείαν Ioel 1,14 et 4 Reg. 10, 20; sed Am. 5,21 πανήγυριν, qua voce pariter festivus ac sollemnis populi conventus et publica celebritas significatur. — Collecta autem sensu etiam apud profanos usitato adhibetur 1 Cor. 16,1. 2, quo loco apostolus Corinthios iubet pecuniam colligere pro egenis in Ierusalem (cf. Rom. 15,26 collationem aliquam facere in pauperes sanctorum). Vult autem ut singulis diebus dominicis, prout res illis cesserit, apud se seponant quod pro illis dare velint.

COLLYRIDA (חַלָּה a rad. חָלַל perforare; κολλυρίς), placenta (2 Reg. 6,19), maxime in sacris adhibita (Lev. 24,5 hebr.), quae in oblatione pro gratiarum actione requirebatur; pariter in consecratione Aaron eiusmodi collyrida olei admixtione conspersa, uti in sacrificio gratiarum actionis, tradebatur Aaron et filiis eius cum aliis oblationibus, ut ea levarent coram Domino i. e. versus sanctuarium manibus sublatis exhiberent (Lev. 8,26). Ob vocem hebraicam putant placentam fuisse perforatam.

COLLYRIUM (κολλύριον, var. lect. κολλούριον) medicamentum oblongi paniculi (collyrae) instar conglobatum, ex saccharo, aqua rosacea, spuma argenti, oculis lippis salubre (Apoc. 3,18). Cf. *Hor.* Sat. I. 5,30; genera multa commemorat *Celsus* VI. 6,7.

COLOCYNTHIS. 1. Colocynthis nota est ex historia Elisei prophetae; cum esset prope Galgala inter Bethel et Sichem « egressus est unus (de pueris eius) in agrum, ut colligeret herbas agrestes : invenitque quasi vitem silvestrem (גֶּפֶן שָׂדֶה) et collegit ex ea colocynthidas agri (פַּקֻּעֹת שָׂדֶה) », ut coqueret inde sibi ac sociis pulmentum, « cumque gustassent de coctione, clamaverunt dicentes : mors in olla, vir Dei ». Propheta autem, missa farina in ollam, mox remedium coctioni parabat, « et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla » (4 Reg. 4,39-41). Plantam hanc viti silvestri similem, fructusque ad comedendum allicientes, sed amarissimos ferentem LXX τολύπην ἀγρίαν dicunt, quam Suidas *colocynthidem* explicat, a fructus rotunditate τολύπην, i. e. proprie glomus lanae s. lini, dictam; Peshitta vero et Chaldaeus vocem hebraicam retinent, quae fortassis

etiam in lingua assyriaca sub forma *pappati* invenitur (*Frd. Delitzsch*, Assyr. Hdwtbch. 536 a). — Explicatio inter veteres ac recentiores interpretes communior merito פַּקֻּעֹת cum LXX et S. Hieronymo dicit colocynthidas. Quae planta ex ordine *Cucurbitacearum*, *Cucumis colocynthis* Linné (= *Citrullus colocynthis* Schrader) et foliis atque habitu suo aliquam cum viti silvestri refert similitudinem, et fructus specie ad comedendum invitantes, sed esu amarissimos fert. Neque etymologia vocis difficultatem creat, siquidem potius cum mishnico פקעה *glomus* (cf. τολύπη), quam cum פקע s. בקע *crepare* videtur cohaerere.

Obstare autem videtur quod planta illa hodie in Palaestina tantum in litore maris et prope mare Mortuum, atque etiam prope Bersabee, invenitur. At ipsa narratio sacra imprimis supponit plantam coquo prophetico minus notam fuisse; ac praeterea non nimis arduum videtur admittere, Colocynthidem aetate Elisei etiam in regione aliquot horis a campo hierichuntino septemtrionem versus distante quamquam rariorem, crevisse.

Cf. *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8 p. 450-2; *E. Boissier*, Flora orient. II.759; *G. E. Post*, Flora of. Syria 324; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen p. 332 s.; *Leunis-Frank*, Synopsis II. 2 *ed.* 3 p. 664; *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam. IV. 5,26 s.

2. Minus probabiliter ab aliis auctoribus aliae proponuntur explicationes. Omissis iis qui cum *Kimchio* aliisque *fungos* volunt intellegendos (*M. Hiller*), commemorandae sunt potius eorum opiniones, qui alias Cucurbitacearum species proponunt, scil. vel *bryoniam* cum *H. Ursino*, vel *Cucumerem prophetarum* Linné vel *Ecballium elaterium* Richard (= *Momordica elaterium* Linné), Arabibus antiquis et modernis *qiṭṭā elḥamār*, *cucumis asini* dictum. Hanc ultimam opinionem quae iam a *S. Ephraem* commemoratur (Comment. in 4 Reg. 4), post *O. Celsium* haud pauci secuti sunt, praesertim origine vocis a radice פקע *crepare* considerata (*Rosenmüller*, *Gesenius*, *Winer*, *Kamphausen*, al.). Sed fructus harum specierum minus ad comedendum invitant, et praesertim *Ecballium* adeo communis est in Palaestina, ut incolis etiam antiquitus satis cognita fuisse neque facile ad pulmentum collecta esse supponenda sit.

Cf. *I. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Cont. 108-10; *M. Hiller*, Hierophyt. II. 218-22; *O. Celsius*, Hierobot. I. 393-407; *W. Gesenius*, Thesaurus 1122; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1,126-8; *G. B. Winer*, Realwörtbch *ed.* 3 I. 447 s.; *A. Kamphausen* in *E. Kautzsch*, Das alte Test. 4 Reg. 4, 39; *Smith*, Thesaurus 3221. — Cf. *Boissier* l. c. 758. 760; *Post*, *Tristram* ll. cc.; *L. Fonck*, Streifzüge 140-4.

3. In textu hebraico similis vox פְּקָעִים aliis duobus locis occurrit, ubi de ornamentis parietum templi (3 Reg. 6,18) et maris fusilis (ib. 7,24) sermo est. S. Hieronymus in priore loco *iuncturas*, in altero *sculpturam* explicat. Multi verba de ornamentis cucurbitaceis, s. colocynthidis formam imitantibus, vel de calicibus florum arte factis, vel forte probabilius de ornatu glomeriformi (פקעת *glomus*) interpretantur (cf. *Löw* l. c.). — Sunt etiam qui colocynthidem dicant herbam nomine רוֹשׁ saepius in S. Scriptura memoratam, quam Vulg. *fel* explicat. V. FEL.

Cf. *G. Kirsten*, Exercitationum phytophilologicarum, quarum secunda de colocynthide prophetica et cocco, Stetini 1651; *H. v. d. Hardt*, פקיעת πικρίδια, Intybum silvestre, wilde Endivie in Elisae mensa mors in olla etc., Helmstadii 1719; *I. H. Schulze*, De Colocynthide, Halae 1734; *I. H. Molkenboer*, De Colocynthide, Lugd. Batav. 1840.

L. FONCK.

COLONIA. Ea voce usus est in versione Ex. 12,48 S. Hieronymus; in textu hebr. dicitur : si peregrinus (alienigena) habitat tecum, LXX ἐὰν δέ τις προσέλθῃ πρὸς ὑμᾶς προσήλυτος ; is ut facere possit pascha debet circumcidi. Dum itaque S. Hieronymus verteret : quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, exprimere clarius voluisse videtur alienigenam circumcisione assumpta plane fieri de populo Dei. — Sensu proprio usitato reperitur vox Act. 16,12, quo loco urbs Philipporum

appellatur colonia. Eo coloniam deduxerat eamque iure italico donaverat Octavianus; cf. Dio Cassius : eos conventus Italiae qui Antonii rebus studuissent extorres egerat militibusque agros eorum donaverat; extorrium autem plerisque Dyrrhachium, Philippos et alia oppida habitanda concessit (51,4). Plinius quoque scribit : Philippi colonia (IV. 11,42).

COLONUS adhibetur in Vulgata quandoque eodem sensu quo advena (vide s. v.); cf. Ex. 12,49; Lev. 18,26. Dicuntur Israelitae coloni Dei Lev. 25,23 (תּוֹשָׁבִים, πάροικοι), quare iis non licet agrum vendere in perpetuum. Coloni quoque dicuntur non solum qui agros colunt, sed vinitores quoque qui vineam certis conditionibus conduxerant (Marc. 12,7; Luc. 20,9). Alias colonus idem est ac peregrinus, qui in aliqua regione ad victum quaerendum commoratur (Gen. 21,34; 1 Par. 16,19; Is. 52,4).

COLOR. Quattuor colores in cortinis et velis tabernaculi sacri et in ornatu pontificis apparent : hyacinthus, purpura, coccus, byssus i. e. color hyacinthinus (caeruleus, ex sanie conchylii helicis ianthinae *Linn.* factus), purpureus, coccineus, albus; panni enim hisce coloribus tincti adhibendi erant; cf. Ex. 25,4; 26,1. 31. 36; 28,5 s.; 35,6; 36,8; 39,1. Cur hisce utendum fuerit, praeter rationem pulchritudinis iam veteres inquirunt. Symbola mundi ibi deprehendit Philo : symbolum terrae est byssus, ex ea enim oritur; aeris hyacinthus, aquae purpura, ignis coccus (*ed. Mangey* I. 536; *ed. Lipsiae* 1826 III. p. 94); eandemque explicationem affert Flavius Iosephus (Ant. III. 7,7); cf. Sap. 18,24 in veste poderis quam habebat totus erat orbis terrarum. Alii in colore caeruleo caelum designari, album typum esse lucis et sanctitatis, purpuram imaginem vitae, coccum imaginem gloriae volunt, vel etiam ad Dei attributa designanda referunt, ita ut in colore albo Dei sanctitas et gloria, in hyacintho Deus legislator, Dei regia maiestas in purpura, in cocco immensa Dei et infinita vita adumbretur. Alii aliter. Quidquid est de istis explicationibus, saltem Apoc. 6,2 colores seliguntur ad res designandas : qui salutem affert et victor est gloriosus, albo insidet equo; rufo insidet qui habens gladium caedem immittit terrae; qui fame et miseria homines affligit, nigro vehitur equo; pallido autem equo insidet mors. Etiam Zach. 6,2 varietas colorum varia Dei iudicia variumque agendi modum designare videtur; color ruber ad sanguinem et caedem, niger ad exitium et miseriam, albus ad victoriam et salutem, varius ad varia pestilentiae genera referri potest (cf. *Knabenbauer*, Comm. in Proph. min. II. p. 283 s.). Praeterea albus color, albae vestes describuntur in angelorum apparitione, in transfiguratione Christi, in sanctis (cf. Matth. 17,2; Luc. 9,29; Ioan. 20,12; Act. 1,10; Apoc. 3,5. 18; 4,4; 6,11; 7,9. 13; 19,14). Color purpureus indicium est regiae maiestatis (Iud. 8,26; Iudith 10,19; Esth. 1,6; 8,15; Dan. 5,7; 1 Mach. 10,20. 62; 11,58; 14, 43) et plurimarum opum (cf. Ez. 27,7). Coloribus fulgidis ac splendidis exprimitur laetitia (2 Reg. 1,24; Ier. 4,30); qui vero tristis est appellatur קֵדֵר (niger, colore obscuro, sordido; cf. Ps. 35, 14; 38,7; 42,10; Mal. 3,14).

COLOSSAE (Κολοσσαί, etiam Κολασσαί, de qua forma cf. *Tischendorf* ad Col. 1,2 et ad inscriptionem epistulae), urbs Phrygiae maioris haud procul ab Hierapoli et Laodicea sita (Col. 1,2). S. Paulus, quamquam Phrygiam bis peragravit (Act. 16,6; 18,23), tamen Colossenses iis adnumerat, qui non viderant faciem ipsius in carne (Col. 2,1). Ecclesia colossensis triennio illo, quo S. Paulus Ephesi commorabatur (Act. 19,10), videtur condita esse per Epaphram Colossensem (Col. 1,7; 4,12), cuius doctrinas apostolus Colossensibus in memoriam revocat contra nonnullorum iudaizantium errores (v. EPAPHRAS). Colossis domicilium habebant Archippus (Col. 4,17; Philem. 2) et Philemon, cui S. Paulus ex priore captivitate romana scribit, ut sibi hospitium paret (Philem. 22). Plerosque neophytos eius ecclesiae fuisse ethnico-christianos evincitur Col. 1,25. 27; 2,13; Iudaeo-christianos non defuisse apparet ex er-

rotibus, qui irrepserant, iudaizantium.

Apud Herodotum (7,30) describitur magna Phrygiae urbs, in qua Lycus amnis in terrae voraginem incidens evanescit ac deinde, postquam ex quinque ferme stadiorum intervallo iterum comparuit, in Maeandrum et ipse influit » (cf. *Xenoph.* Anab. I. 2,6), apud Plinium (V. 32,145) inter oppida celeberrima, apud Strabonem (XII. 8,13) inter πολίσματα recensetur.

Circa a. 1200 p. Chr. Nicetas Choniates (Hist. 6,1; apud *Migne* 139,524) Κολασσάς affirmat esse Chonas patriam suam, quae opinio communiter praevaluit. Sed recentiore tempore 4 km a Chonis (hodie *Chonas*) aquilonem versus ruinae Colossarum agnitae sunt (*Hamilton*, *Ramsay*, *Le Camus*).

Cf. *Hamilton*, Researches in Asia Minor 1842 I. 507-514; *Ramsay*, Cities and bishoprics of Phrygia, chap. 1. 6; Hist. Geogr. of Asia Minor 1890 p. 61. 80. 135. 429; *Fr. A. Henle*, Kolossä und d. Brief d. h. Ap. Paulus an die Kolosser, München 1887; *Le Camus*, Voyage aux sept Églises de l'Apocalypse 1896; idem apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 860-866.

COLUBER plerumque respondet hebr. נָחָשׁ et gr. ὄφις, nomini generali serpentis. Bis etiam pro תַּנִּין ponitur (Ex. 7,9.10), quod in Vulgata alias fere *draco* explicatur (v. DRACO). — Si Dan (Gen. 49,17) vocatur coluber in via, indoles eius ad dolum et insidias prona, prout cernitur Iud. 18, adumbratur. Cum homines naturali quodam horrore serpentes aversentur, optime monet Sapiens : quasi a facie colubri fuge peccata (Eccli. 21,2). Venenum serpentis quod mortiferum est idem adhibet, ut quam perniciosa sit ira mulieris ostendat : non est caput (sed ראש textus originalis certe verti oportuit venenum; cf. Deut. 32, 32; Iob 20,16) nequius super caput colubri, et non est ira super iram mulieris (25,22). Quare etiam monetur : ne inlucearis vinum..., ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber (Prov. 23,31. 32); et Amos propheta iudicium Domini terribile esse et inopinato devolvi declarat : quomodo si ingrediatur vir domum et innitatur manu sua super parietem et mordeat eum coluber (Am. 5,19) i. e. ubi maxime securum se putat impius, ibi certior imminet pernicies. Et qualis sit morsus colubri docetur exemplo Israelitarum in deserto : morsibus colubrorum exterminabantur (Sap. 16,5; cf. Num. 21,6). Proverbiali modo Isaias Philisthaeis maiores pro tempore futuro minatur calamitates quam quas eousque subierant dicens : de radice colubri egredietur regulus (14,29). Sidus quoddam illustre eo nomine vocatur Iob 26,13, quod recentiores sidus draconis iuxta ursam minorem et polum arcticum intellegunt, dum alii de circulo lacteo, de zodiaco, de sidere hydrae explicant (cf. *Knabenbauer*, Comment. in Iob p. 317). Ceterum vide s. v. SERPENS et quoad sidus s. v. STELLAE.

COLUMBA. 1. *Nomen.* Columba nomine hebraico, Syris et Chaldaeis pariter usitato יוֹנָה (aram. יונא) appellatur, graeco περιστερά. Pulli columbae hebr. גּוֹזָל audiunt, quod etiam aliarum avium pullos designat. Nomen יוֹנָה alii ab oppressione (יגה), alii a Graecia (יָוָן), alii a libidinis ardore (rad. יָוָן), alii fortasse probabilius a gemendo (אנה), alii denique ab aliis radicibus derivant.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. 1-8, *ed. Rosenm.* II. 524-33; *P. de Lagarde*, Armen. Stud. 53; *B. Stade*, Lehrb. d. hebr Gramm. 1, Leipzig 1879, § 259 a.

2. *Descriptio columbae in textibus S. Scripturae.* Textus sacer imprimis pulchritudinem pennarum columbae describit « pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi ejus (hebr. אֲבְרוֹתֶיהָ *pinnae* ejus) in pallore auri » (Ps. 67[68], 14). Color pennarum in aliquibus speciebus (*Columba palumbus* Linné, *C. oenas* L.) cum argento et auro bene potest comparari, praesertim si etiam turturem nomine generali comprehendamus, nec opus est ad varias columbae domesticae species hominis artificio de naturali statu mutatas confugere. Dein oculis columbarum venustissimis Sponsae et Sponsi oculi in Cantico comparantur (1,14; 4,1; 5,12). Praeterea vox columbae gemitui assimilatur, id quod tum de reliquis

speciebus, tum maxime de columba turture valet (Is. 38,14; 59,11; Ez. 7,16 Vulg. omnes *trepidi* [hebr. *gementes*]; Nah. 2,7. — Cf. *S. Greg.* N. in Iob 32,4). Volatus columbae celer atque insignis describitur (Ps. 54[55],6; Os. 11,11. — Cf. *S. Greg. Naz.* orat. 17; *Homer.* Od. 12,62 s.; *Plin.* X. 36,108 etc.), praesertim properantis ad nidum (Is. 60,8). Habitare dicuntur columbae in convallibus (Ez. 7, 16), ubi aquas inveniunt (Cant. 5,12; cf. *Varro* De re rust. 3,7), et nidos in fissuris petrarum sibi faciunt (Cant. 2,14; Ier. 48,28. — Cf. *Homer.* Il. 21,493 s.; *Varro* l. c. etc.). Sed praeterea, saltem aetate Isaiae, etiam in columbariis prope domos nutriebantur (Is. 60,8 אֲרֻבֹּתֵיהֶם, proprie *cancelli*, Vulgata *ad fenestras suas*). — Generatim columbae describuntur ut aves munditiei amantes (*Varro* l. c. « permundae sunt hae volucres »); unde sane ea quam Noe ex arca emisit, ad ipsum revertit, quia non invenit ubi requiesceret pes eius (*Gen.* 8,7 s.), cum cacumina montium (v. 5) limo cadaveribusque cooperta reperisset (cf. Keilinschr. Sintflutbericht ap. *A. Jeremias*, Izdubar-Nimrod, Leipzig 1891, 35 et in *E. Schrader*, Keilinschr. u. A. T. *ed.* 2, 63). Post septem vero dies emissa, folium olivae recens in ore retulit (v. 11), uti solent aves folia, ramusculos aliaque rostro ad nidum suum portare. Laudatur etiam simplicitas columbae et mansuetudo, quae nulli animali nocumentum afferat, quamvis cum incolis eiusdem columbarii haud raro rixetur; maxime vero turturi illa simplicitas et mansuetudo videtur convenire. Quare Dominus cum prudentia serpentis simplicitatem monet uniendam columbae, ut discipuli alieni sint ab omni fraude, simulatione, insidiis (Matth. 10,16 ἀκέραιοι; cf. Os. 7,11 hebr.).

3. *Comparationes biblicae de columbis.* Ex hac indole columbae intellegitur imprimis, cur personae dilectae in S. Scriptura nomine columbae appellentur. Ita nomen primae ex filiis Iob יְמִימָה (Iob. 42,14, Vulgata *Diem*) probabiliter ex arabica columbae appellatione (*yamām*) derivatur. In Cantico autem Sponsa saepius « columba mea, formosa mea » appellatur (Cant. 2,10. 14; 5,2; 6,8). In prophetia Sophoniae S. Hieronymus cum LXX nomen columbae etiam civitati Ierusalem tribuit; sed הַיּוֹנָה potius *violenta* (partic. a יָנָה) reddendum videtur, similiter atque in verbis Ieremiae, ubi S. Hieronymus pariter columbam ponit (Ier. 25,38; 46,16; 50,16). — Gemitui columbae Ezechias rex suspiria sua ad Dominum comparat (Is. 38,14; cf. 59,11). Naves expansis velis advectae columbis assimilantur quae magna celeritate ad columbarii fenestras advolant (Is. 60,8). Qui clade accepta fugiunt et pavidi in montibus errant atque in cavernis petrarum refugium quaerunt, columbis pavidis ac timidis comparantur (Ier. 48.28; Ez. 7,16). Verba Oseae de Ephraim : factus est Ephraim quasi columba seducta « non habens cor » varie declarant : sicut columba pullos ablatos non requirit, non dolet, ita Ephraim neglegens est suae salutis ; sicut columba pullis ablatis iisdem in locis nidificat, improvida futurorum, ac nihil suspicans mali facile capitur, ita Ephraim caret mente, prudentia (Os. 7,11). Summum vero honorem adepta est avis haec simplex, nitida, pulchra, uberrimaeque fertilitatis symbolum, cum Spiritus Sanctus, « corporali specie sicut columba » hora baptismatis in Christum descendit, felicioris pacis et reconciliationis humanae nuntium afferens (Luc. 3,22 ; Matth. 3,16; Marc. 1,10; Io. 1,32).

4. *Usus columbarum.* — Usus columbarum praecipuus erat in minora sacrificia. Iam ante Legem Abrahamo cum aliis animalibus mundis « turtur et columba » in sacrificium sumendae praecipiuntur (Gen. 15,8 גּוֹזֵל pro *pullo columbino*). Deinde in lege mosaica pro variis lustrationibus turtures et pulli columbini offerendi iubentur (Lev. 12,6; 15,14. 29; Num. 6,10), praesertim a pauperibus, quae maiorem hostiam offerre non valent (Lev. 5,7 ss.; 12,8; 14, 22. 30; Luc. 2,24); ac generatim ad holocausta voluntaria ex avibus turtures tantum et columbae sumendae erant (Lev. 1,14). Pro isto autem usu sacro postea in templo inter alios praesertim etiam vendentes columbas versabantur

Matth. 21,12; Marc. 11,15; Io. 2,14. 16). — Praeterea etiam in cibum communem procul dubio inde a primis temporibus columbae adhibebantur. In summa autem fame etiam stercus columbarum חרייונים magno pretio a Samariae incolis obsidione oppressis in cibum emptum esse Regum narrat historia (4 Reg. 6,25). Quod *Bochartus* doctissima dissertatione de genere *ciceris* explicare conatus est, atque etiam *Tristram* praeter explicationem litteralem aliam de specie *sorghi* videtur admittere. At merito iam cl. *Ol. Celsius* aliique post ipsum observarunt, nihil nos cogere ad relinquendum sensum litteralem, quem LXX, Peshitta, Vulgata tuentur, eumque aliis exemplis, v. gr. ex historia obsidionis hierosolymitanae confirmari (*Flav. Ios.* Bell. iud. V. 13,7).

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. 38-50, *ed. Rosenm.* II. 572-89; *I. I. Scheuchzer*, Physica sacra III. 253-7; *O. Celsius*, Hierobot. II. 30-4; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8 p. 443 s. — Immerito ex verbis Ps. 54 (55), 6 et ex titulo psalmi sequentis interpretes quidam Iudaei (*Aben Esra* etc.) usum columbarum ad portandas epistulas apud antiquos iudaeos viguisse ostendere voluerunt (cf. *Bochart* l. c. II. 15 s., *ed. Rosenm.* II. 542-4).

5. *Columbae palaestinenses.* — In citatis textibus sacris ubique supponitur, magnum columbarum numerum in Palaestina exstitisse. Atque revera imprimis iam ferarum columbarum ingens etiam nunc ibi copia habetur. Ex variis speciebus praesertim *Columba palumbus* Linné (= *Palumbus torquatus* Kaup), *C. oenas* L., *C. livia* L., *C. turtur* L. (= *Turtur communis* Selby), *Turtur risorius* Swainson, *T. senegalensis* L. in Palaestina inveniuntur ac maxime valles profundas ac desertas turmis suis innumerabilibus replent, unde plures *vallis columbarum* (*Wādī Ḥamām*) appellatae sunt. Nomen hebraicum probabiliter omnes istas species, etiam turtures, comprehendit, quamvis hi etiam nomine speciali תור vocentur (V. TURTUR). — Praeter columbas feras autem iam aetate Isaiae etiam domesticae habebantur (*Columba livia domestica*); quonam vero tempore usus ille domesticarum columbarum inceperit, non constat. Probabiliter inde a primis temporibus in statu quodam semidomestico columbae colebantur, ita ut ab hominibus domum ac refugium acciperent, cibum vero in agris et vallibus ipsae sibi conquirerent.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. 1-50 *ed. Rosenm.* II. 2,524-89; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2,327-40; *E. Robinson*, Palaestina I. 319; II. 433; *C. Ritter*, Erdkunde XVI. 1,485; XVII. 1,135; *F. Bogaerts*, Hist. civ. et relig. de la colombe, Anvers 1847; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griech. u. Röm. 351-61; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talm. 199-206; *L. Rütimeyer*, Fauna der Pfahlbauten, Basel 1861, 113; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8 p. 211-20; *id.* Fauna and Flora of Palest. 119-21; *J. G. Wood*, Bible Animals 408-21; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3 p. 437 s.; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 V. 398-444; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere I. 2,381-85; *P. Cultrera*, Fauna biblica 258-67; *V. Hehn*, Kulturpfl. u. Hausthiere *ed.* 6 p. 329-40; *O. Schrader* ib. 340-2; *Lorentz*, Die Taube im Altertum, Wurzen 1886. — De columbis ap. Aegyptios et Assyrios cf. *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs 3,320 s.; *Frd. Delitzsch*, Assyr. Thiernamen 107. 110; *W. Houghton* in Proc. Soc. Bibl. Arch. IV. 1882,59; *id.* in Trans. Soc. Bibl. Arch. VIII. 1884, 83-5; *Placzek-A. Löwy* in Proc. Soc. Bibl. Arch. V. 1883,111-13; *A. Erman*, Aegypten 587 s.; *V. Loret* in Ztschr. f. aeg. Spr. XXX. 1892, 24-30.

L. FONCK.

COLUMNA nubis et ignis v. s. v. NUBES.

COLUMNAE Iachin (יָכִין, Ἰαχούμ, Κατόρθωσις) et Booz (בֹּעַז, Βολώζ, Ἰσχύς).

Duabus columnis quas Salomon in porticu templi statuit, indidit nomen et dexterae quidem Iachin, sinistrae Booz (3 Reg. 7,21; 2 Par. 3,17), quae accuratius describuntur 3 Reg. 7,15-22 et 4 Reg. 25,17; 2 Par. 3,15-17 et Ier. 52,21-23. Columna quaevis altitudinis erat decem et octo cubitorum, funiculus duodecim cubitorum circuibat eam i. e. circuitus vel ambitus erat duodecim cubitorum; grossitudo eius quattuor digitorum i. e. confectae erant ex aere 4 digitos crasso; intrinsecus autem cavae

erant; iis impositum erat capitulum vel coronamentum quinque cubitos altum (4 Reg. 25,17 tres). Ista capitella vel coronae ornabantur opere reticulato et malogranatis vel malis punicis centum, quorum nonaginta sex erant רוּחַ ventum versus (Ier. 52,23) i. e. centum aderant, 96 conspiciebantur, quia columnae in porticu templi erectae ex aliqua parte pariete templi obtegebantur. Alii columnas concipiunt quadratas; deinde censent 96 malogranata fuisse versus quattuor ventos in 4 lateribus et singula in quattuor angulis. Ex 3 Reg. 7,18 ss. 42 discimus in unaquaque columna duo ordines centum malogranatorum exstitisse i. e. in universum quadringenta. Omnia ex aere erant confecta.

Altitudo columnarum 2 Par. 3,15 dicitur fuisse triginta et quinque cubitorum. Si non mendum scribarum assumere votueris (לה 35; יח 18), posset cogitari columnis suppositam fuisse basin 12 cubitorum et statim quoque altitudinem capitellorum computari (12 × 18 × 5), quae deinde explicite quoque statuatur. Opus reticulatum vel retiaculum (שְׂבָכָה) explicat Flav. Iosephus δίκτυον ἐλάτῃ χαλκείᾳ περιπεπλεγμένον (Ant. VIII. 3,4). Capitella autem opere lilii fabricata erant i. e. formam habebant lilii vel loti, attamen ita ut forma floris non nimium aperti vel expansi, sed potius fere clausi repraesentaretur, quia alias columnae nimium a pariete distare debuissent. Expugnata urbe a Chaldaeis etiam hae columnae praeda factae sunt victorum et omne aes translatum est Babylonem. — Dissertationem non inutilem de his columnis scripsit *Plesken;* continetur in *Ugolini,* Thes. Antiq. X. p. 6-152. Ceterum vide *Thenius, Keil* ad 1 (3) Reg. 7,15 ss.

COMMENTARIUS. Hoc nomine Esdr. 4,15; 6,2; Esth. 12,4; 2 Mach. 2, 13 designatur liber historiarum; adhibetur itaque vox ea notione, qua apud profanos quoque usurpatur de scripto, quo res memoratu dignae consignantur. — Dignitatem illam, quam S. Hieronymus (2 Reg. 8,16; 20,24; 3 Reg. 4,3; 4 Reg. 18,18. 37; 1 Par. 18,15; 2 Par. 34,8; Is. 36,3. 22; v. IOAHE, IOHA 3, IOSAPHAT 2) explicat : a commentariis (מַזְכִּיר i. e. in memoriam revocans; LXX ὁ ὑπομνηματόγραφος, ὁ ἀναμιμνήσκων) multi explicant de cancellario, historiographo, annalibus regiis praefecto, alii autem aeque apte de regis consiliario, qui regem de rebus agendis moneat. Cf. *Cornely*, Introd. *ed.* 2 II. 1, p. 296.

CONAS (Κωνάς, apud *Swete* B Κωνά, א Κωλά, Κωνάς, A Κωνάς), urbs quam Iudaei firmaverunt contra Holofernem (Iudith 4,4 graece; Vulgata omittit). Coniiciunt aliqui (*Wolff, De Moor*) Conas, quae l. c. inter Samariam et Bethoron nominatur, esse urbem Thamna, Thamnatha, Thamnathsare (v. THAMNATHSARE). Sed cum *Fritzsche, Wace, Kautzsch* pro καὶ Κωνάς legendum videtur καὶ κώμας, uti aliqua mss. LXX et nonnullae versiones habent. Itala utramque lectionem coniungit ac simul nomen Conas in Boccha transmutat : « Et miserunt in omnem finem Samariae *et in castella et vicos et Boccha et Bethorom* ».

Cf. *Wolff*, Das Buch Iudith 1861 p. 729. 130; *De Moor*, Le livre de Iudith 1895 p. 62; *Fritzsche*, Kurzgefasstes exeg. Handbuch zu den Apokryphen II. 1853 p. 146. 147; *Kautzsch*, Die Apokryphen und Pseudepigraphen des Alten Test. 1900 I. p. 151.

CONCHA notione phialae, paterae, qua apud profanos quoque adhibetur, legitur Iud. 6,38 : Gedeon de nocte consurgens expresso vellere concham rore implevit. Ea voce etiam usus est S. Hieronymus ad reddendum hebr. כִּיּוֹר 2 Par. 4,6 : fecit quoque conchas decem, ut lavarent in eis omnia quae in holocaustum oblaturi erant et 2 Par. 4,16 : bases etiam fecit et conchas quas superposuit basibus. Unde satis apparet non parvas phialas esse intellegendas. Atque alibi eandem vocem idem vertit labrum (Ex. 30, 18; 35,16; 38,8; 39,39; 40,7. 11. 28), lebetem (1 Reg. 2,14; 3 Reg. 7,40), luterem (3 Reg. 7,30. 38. 40; 4 Reg. 16,17).

CONCILIUM ponitur notione generali conventus, congregationis, coetus et refert hebr. עֵדָה Num. 16,6; Ps. 1,5; 21, 17, et מוֹעֵד Num. 16,2; קָהָל Ps. 39,11;

Prov. 26,26 et similiter Iudith 6,19 finito concilio (ἐκ τῆς ἐκκλησίας, סוד Ps. 88,8; 110,1; Ier. 6,11; 15,17. Quod 1 Mach. 14,22 habetur: dicta in conciliis populi ἐν ταῖς βουλαῖς τοῦ δήμου, fortasse rectius de consiliis captis, de decretis, plebiscitis explicatur.

Verum eo nomine proprie designatur in libris novi foederis synedrium hierosolymitanum, consessus ille summus constans ex 71 assessoribus, qui erant sacerdotes pontifices i. e. ex illis familiis ex quibus pontifices seligi solebant, scribae vel legis periti, seniores; proinde ex iis qui auctoritate valebant propter rem religiosam, propter cognitionem legis, propter rerum civilium usum et experientiam. Quod synedrium appellatur in Novo Testamento, probabilissime idem erit concilium quod in libris Mach. ἡ γερουσία nominatur (1 Mach. 12,6; 2 Mach. 1,10; 4,44; 11,27 graece; in Vulgata seniores, senatus); eo nomine etiam utitur Flav. Josephus in narratione rerum eo tempore gestarum (Ant. XII. 3,3; XIII. 5,8). Ad synedrium crimina graviora deferebantur (cf. Matth. 5,22) et antequam a Romanis ius gladii auferretur, etiam ab eo graviora mortis genera, lapidatio, suspensio statuebantur. Quanta eius fuerit auctoritas in re religiosa ad legis mosaicae caerimoniarumque observationem tuendam et urgendam, collige ex ipsis Christi verbis: super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei; omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate et facite (Matth. 23, 2. 3); neque continebatur finibus Palaestinae; nam Saulus accepit a principe sacerdotum epistulas in Damascum, ut si quos invenisset huius viae viros ac mulieres vinctos perduceret in Ierusalem (Act. 9,2). Ex evangeliis discimus synedristas sententiam mortis quidem tulisse, at eius confirmationem et exsecutionem debuisse impetrare a magistratu romano; eos fuisse iudices in rebus legis et potuisse varias infligere poenas pariter elucet ex verbis Pilati: accipite eum vos et secundum legem vestram iudicate eum (Ioan. 18,31) et ex Act. 4,3. 21; 5,18. 40; apostolos enim in carcerem miserunt et flagellaverunt. Quod autem Stephanum lapidaverunt, actum est tumultarie, sicut simili modo postmodum ab Anano synedrio convocato Iacobus frater Domini aliique lapidatione interempti sunt (*Flav. Ios.* Ant. XX. 9, 1). Narrat Iosephus l. c. aliquos ad Albinum praesidem detulisse non licuisse Anano absque ipsius consensu synedrium convocare. Quare aliqui dubia moverunt de veritate narrationum evangelicarum, cum nulla fiat mentio convocationem synedrii esse a Pilato permissam. Sed apertum est, si iis licuit iudicare de rebus religionis, ut Pilatus affirmat, etiam licuisse convenire ad iudicandum. Insuper Ioan. 18,12 discimus tribunum (χιλίαρχον) comprehensioni Christi interfuisse. Ergo cum consensu et ope magistratus romani contra Iesum actum est, et proinde, si eius opus fuit venia ad synedrium convocandum, etiam iam data erat. Synedrium potuisse convocari etiam iussu tribuni, utique exemplo patet Act. 22,30. Exinde autem minime consequitur, alias non licuisse synedristis convenire. Neque id ex eo consequitur quod Iosephus l. c. refert de tempore posteriore. Si enim id eo tempore revera valuit, tum post Christi tempus Iudaeis rebellibus iterum aliquid iuris et potestatis a Romanis ablatum est.

Quamvis in evangeliis et Act. tot reperiantur testimonia de synedrio, tamen ab aliquibus dubitatum est exstiteritne eo tempore synedrium. Et ratio dubii sola est, quia soli libri novi foederis ei pro hoc tempore ferant testimonium. Quam rationem a criticis afferri utique nemo mirabitur qui eorum in sacros libros modum agendi noverit. Sed Flavius Iosephus qui Ant. XIV. 9,4 et XV. 6,2 tempore Herodis synedrii mentionem facit, eodem modo de eo loquitur tempore Albini (Ant. XX. 9,1) neque ulla vocula innuit synedrium per aliquod tempus exstinctum esse denuo revocatum; praeterea refert epistulam Claudii Caesaris quae inscribitur: magistratibus hierosolymitanis, βουλῇ (Ant. XX. 1,2); iam vero βουλή etiam est designatio synedrii, et Iosephus ab Arimathaea, synedrista, appellatur βουλευτής Luc. 23,50 et ipse quoque Iosephus modo συνέδριον, modo βουλή scribit (cf. Bell. iud. II. 15,6; II. 16,2; II. 17,1; V. 13,1; et ubi conveniunt βουλευτήριον dicit VI. 6,3).

Synedrium quoque designatur voce πρεσβυτήριον (Luc. 22,66; Act. 22,5). Ceterum eadem vox : concilium, συνέδρια adhibetur de collegiis iudicum variis in locis; inde : tradent enim vos in conciliis, εἰς συνέδρια (Matth. 10,17; Marc. 13,9). — Alio sensu dicitur concilium Act. 25,12 : Festus cum concilio locutus respondit : Caesarem appellasti; ad Caesarem ibis; συμβούλιον est scil. consessus consultantium, quibuscum quasi cum assessoribus praesides et procuratores deliberabant antequam ferrent sententiam.

Iudaei in eo quod Dominus iussit Moysen congregare septuaginta viros de senibus Israel, qui sustentarent onus populi cum eo, cernunt originem et institutionem synedrii. Neque improbabile est memoriam illam rei antiquae in constitutione synedrii ad numerum assessorum definiendum valuisse, ut in praeside synedrii et septuaginta viris imago quaedam Moysi et septuaginta illorum quibus Dominus dedit de spiritu Moysi revocaretur. Apud rabbinos ipsum nomen e graeco formatum, Sanhedrin, invaluit. Varias de eo opiniones et placita rabbinorum videsis apud *Ugolini*, Thes. Ant. XXV.

CONCILIUM APOSTOLORUM. Iam primis Ecclesiae temporibus a iudaizantibus, qui exemplo Apostolorum *inter Iudaeos* commorantium insistebant, quaestio gravissima movebatur de legalium observatione, ad quam etiam gentes obligare cupiebant religionis quidem zelum praetendentes, sed magis superbia et vanitate nationali inflati (cf. Gal. 6,13). Eis Paulus et Barnabas acriter obsistebant Antiochiae. Sed quo efficacius reprimerentur, Antiocheni statuerunt, ut Paulus et Barnabas et quidam alii ad Apostolos et presbyteros ascenderent in Ierusalem super hac quaestione (Act. 15,2), id quod divina revelatione facta vel constitutum vel comprobatum fuit (Gal. 2,2). Ita primum quod vocant *apostolorum concilium* celebratum est decimo septimo post Pauli conversionem anno (Gal. 2,1 coll. 1,18). Narrant Paulus et Barnabas, quanta Deus per eos in gentibus effecerit; sed cum aliqui ex secta Pharisaeorum, qui crediderunt, postularent, ut legalia gentibus imponerentur, « convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc » (Act. 15,6); idem narrat (Gal. 2,2) ipse Apostolus scribens : « ascendi autem secundum revelationem et contuli cum illis Evangelium quod praedixi in gentibus, *seorsum* autem τοῖς δοκοῦσι (i. e. qui auctoritate pollebant). Δοκοῦντες modum praedicationis S. Pauli omnino approbant Deoque pro successu habito gratias agunt (Gal. 2,6-10), eamque animi sententiam etiam coram multitudine pandunt, Petro quidem *historice*, Iacobo *scripturistice* gentium a legalibus libertatem propugnantibus (Act. 15,7-22). Sed quo maior fieret faciliorque Iudaeorum et gentium conciliatio et consuetudo et ut simul gentes a periculis quibusdam arcerentur, legislatione ecclesiastica iis qui erant Antiochiae et in Syria et Cilicia praecepta imponuntur, ut abstineant ab idolothytis, sanguine suffocato et fornicatione (καὶ τῆς πορνείας). Quod decretum conditum est a solis apostolis et presbyteris (ita Act. 15,23 οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἀδελφοί secundum ℵ ABCD 13. 61. Vulg. vers. arm. sah. Iren. Athan. Pacian. Orig. apud *Tischendorf* ed. 8 critica maior ad h. l. et sine ulla disceptatione et lectione variante in loco parallelo Act. 16,4) idque, ut ipsa inscriptione patet, non pro universis gentibus et toto orbe christiano, sed pro ecclesiis Syriae et Ciliciae. De scopo harum legum cf. *S. August.* c. Manich. 32, 13.

Generatim cf. *W. Schenz*, Historisch-exegetische Abhandlung über das erste allgemeine Concil, 1869; *Thomas*, L'Église et les Judaisants à l'âge apostolique in Revue des questions hist. 1889 II. p. 400-460; *Cornely*, Comm. in 2 Cor. et Gal. p. 419 ss.

CONCUBINA, CONCUBITOR vide s. v. MATRIMONIUM.

CONCUPISCENTIA vide s. v. CARO.

CONGREGANS Prov. 30,1 v. AGUR.

CONIFERAE arbores vel frutices variis nominibus in S. Scriptura designantur. Communius occurrit אֶרֶז quae constanter in Vulgata *cedrus*, in LXX κέ-

ὄρος audit (v. CEDRUS). — Satis frequenter inveniturtiam ברוש, quam Vulgata plerumque *abies*, LXX varie explicant (v. ABIES). Eadem arbor alia forma ברית dicitur Cant. 1,16, hebr. 17). — Rarius repeperiuntur quattuor aliae denominationes: תאשור, quam Vulgata Is. 41,19 *buxum*, at Is. 60,13 *pinum* dicit, LXX vero hic c. 60 quidem κέδρος, variante fortassis lectione textus, illic vero λεύκην (v. CUPRESSUS). Ibidem inter ברוש et תאשור ponitur תדהר et in Vulgata c. 41 *ulmus*, c. 60 *buxus* explicatur; LXX autem in priore loco, textu forte corrupto, arborem hanc omittere videntur, in altero πεύκη vertunt (v. ULMUS; IUNIPERUS). גפר semel tantum occurrit Gen. 6,14, ubi Vulgata *de lignis laevigatis* et LXX ἐκ ξύλων τετραγώνων explicant (v. CUPRESSUS, LIGNA LAEVIGATA). Item semel invenitur ארן, quae S. Hieronymo est *pinus*, sicut LXX πίτυς (Is. 44,14) (v. PINUS); iuxta aliquos huc referendum est etiam תרן = תארן *malus*, ἱστός (Is. 30,17; 33, 23; Ez. 27,5). — Praeterea etiam ערער Ier. 17,6 et ערוער Ier. 48,6, quae in Vulgata *myrica* explicatur, pluribus est *Iuniperus* ex eodem ordine Coniferarum (v. IUNIPERUS). S. Hieronymus hanc iuniperum voce רתם designatam censet, quae tamen potius est species genistae (v. IUNIPERUS). Semel idem S. Doctor עצי אלגבים ligna *pinea* exponit (2 Par. 2,8), quae melius alibi *thyina* ligna vocavit (v. THYINUM).

L. FONCK.

CONSCIENTIA ponitur Eccl. 7,3 pro hebr. לב, cor: scit enim conscientia tua quia et tu crebro maledixisti aliis. Quandoque ponitur per abundantiam; ita Gen. 43,22: non est in nostra conscientia quis posuerit eam (pecuniam) in marsupiis nostris; hebr. non scimus etc.; similiter Prov. 12,18: est qui promittit et quasi gladio pungitur conscientiae et Eccli. 13,30 (24): bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia, ubi in textu hebr. et graeco nihil de conscientia. Ceterum usurpatur conscientia, συνείδησις notione consueta de animo iudicante quid sit bonum quidve malum et de animo monente ad bonum faciendum et ad malum vitandum, et reprehendente si quid mali admissum est, approbante et laudante quidquid bene gestum est, de animo suarum sibi rerum conscio; cf. Sap. 17,10. Frequenter usurpatur in Novo Testamento. Ita affirmat apostolus gentilibus quoque conscientia sua testimonium reddi quid sit bonum quidve malum (Rom. 2,15: ipse ad testimonium suae provocat conscientiae (Act. 23,1; 24,16; Rom. 9,1; 2 Cor. 1,12; Hebr. 13, 18). Graviter monet ne quis contra conscientiam agat (Rom. 14,22; 1 Cor. 8,10). Pariter vult ut conscientiae alterius habeatur ratio, ne ei occasio offensionis et peccati praebeatur, ut si nondum ad firmum de licito et prohibito iudicium pervenerit, ab aliis cum patientia et caritate suscipiatur (Rom. 14,1 s.; 1 Cor. 8,11; 10,28). Conscientia autem idoli est conscientia quae notione idoli afficitur et quasi regitur, i. e. timore quodam superstitioso (1 Cor. 8,7), uti conscientia Dei, quae a Deo regitur. Si apostolus dicit: nihil interrogantes propter conscientiam, affirmat ea in conditione veram normam iusti et boni et proinde iudicium quod ex ea formari oporteat non exigere, ut quaestio ponatur fueritne caro in macello immolata diis necne (1 Cor. 10,25). De sacrificiis veteribus ait apostolus: quae non possunt iuxta conscientiam perfectum facere servientem (Hebr. 9,9) et quid hoc sibi velit, declarat efficacia sanguinis Christi proposita: qui emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis (a peccatis; Hebr. 9,14).

CONSECRARE idem est ac profano usui subtractam rem Deo dedicare vel cultui Dei addicere. Ita iubet Deus sibi consecrari omne primogenitum (Ex. 13,2. 12. 15; 34,19) et: ego tuli levitas a filiis Israel pro omni primogenito qui aperit vulvam in filiis Israel et erunt mei (Num. 3,12). Ex ipsis autem levitis Aaron filiique eius peculiarius Dei cultui dedicabantur tamquam sacerdotes; quare et ipsi et vestes sacerdotales et sacra vasa ritibus sacris et obla-

tionibus factis et aspersione sanguinis sacrificalis consecrabantur (cf. Ex. 29,1 s.; 32,29; 40,11; Lev. 8,2 s.), sicut levitae quoque ritu speciali (Num. 8,12 s.). Et quia sacerdotes Deo erant consecrati, singulari modo a contaminatione iis erat cavendum (Lev. 21,7 s.) neque ii qui magno quodam corporis defectu laborabant, accedere poterant ad hostias Deo offerendas. — Homo dein quivis sua sponte votis factis ex rebus suis Deo consecrare potuit (Lev. 27,10. 16. 28 : omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur nec redimi poterit; sanctum sanctorum erit Domino). Modus praecipuus se Deo consecrandi proponebatur in voto nasiraeatus, quod vel pro certo tempore vel pro vita suscipi poterat, cuius normae habentur Num. 6,2 s. et cuius exempla cernuntur in Samson (cf. Iud. 13,3 s.; 16,17) et in Ioanne Baptista (Luc. 1,15). Quomodo voto consecretur homo ad cultum Dei, docet Anna : votum vovit : si dederis servae tuae sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitae eius et novacula non ascendet super caput eius (1 Reg. 1,11). Bellis feliciter gestis pars quaedam praedae Deo consecrari et in templi thesaurum inferri solebat (cf. Ios. 6,19; 2 Reg. 8,11; 4 Reg. 11,10), cuius rei primum exemplum nobis exhibetur in Abram qui victoria reportata dat decimas ex omnibus Melchisedech, sacerdoti Dei altissimi (Gen. 14, 20). In cultu idololatrico filii consecrabantur Moloch, dum per ignem traducebantur vel etiam igne cremabantur (cf. 4 Reg. 17,17; 16,3; 23,10; Is. 57,5; Ier. 32,35). Praeterea vide s. v. ANATHEMA.

CONSILIARIUS, Consiliator, est titulus eorum qui regibus a consiliis sunt et ab ipsis ad deliberationem habendam accersuntur. Ita Achitophel dicitur consiliarius David (2 Reg. 15,12; 1 Par. 27,33), item Ionathan, vir prudens (1 Par. 27,32); propheta commemorat sapientes consiliarios Pharaonis dedisse consilium insipiens (Is. 19,11). Conqueritur Esdras quod inimici populi Dei conduxerunt consiliatores per quos apud Cyrum et usque ad Darium effectum est, ut Iudaei in aedificatione templi impedirentur (Esdr. 4,5); regem Persarum septem habuisse consiliatores in decreto Artaxerxis dicitur (Esdr. 7,14. 15) et Esdras Deo gratias agit, quod in se inclinaverit misericordiam coram rege et consiliatoribus eius. Utilitatem consiliariorum in universum commendat Sapiens : ubi sunt plures consiliarii, cogitationes confirmantur (Prov. 15,22) et 11,14 : salus est, ubi multa consilia. Verum in eligendo multa opus esse circumspectione pariter inculcatur : consiliarius sit tibi unus de mille (Eccli. 6,6). Etsi non titulo, re tamen, optimi regum consiliarii erant prophetae, quorum sententia a regibus expetebatur vel qui missi a Deo quid agendum esset iis indicabant (cf. 2 Reg. 7,5 s.; 12,1; 3 Reg. 22,7; 2 Par. 19,2; 18,6; 20,14. 37; 25,7); qui si contemnuntur Deus debitas exigit poenas. Ita Amasias rex iratus ait prophetae : num consiliarius regis es? quiesce ne interficiam te. Discedensque propheta : scio, inquit, quod cogitaverit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum et insuper non acquievisti consilio meo (2 Par. 25,10; 36,16). — Ceterum vox notione magis generali usurpatur de viris prudentibus, de magistratibus (cf. Iob 12,17; 19,19; Is. 1,26; 3,3). Recensetur quoque inter nomina quibus Messiae indoles describitur Is. 9,6; est scil. Messias servus ille Domini intellegens ac sapiens, qui optima consilia et ipse concipit et aliis sua doctrina et gratiae illustratione in omnibus conditionibus largitur.

CONSILIUM saepius dicitur de benigna Dei circa homines eorumque salutem dispositione et ordinatione et generatim de divinis decretis (cf. Iob 12,13; 15,8; Ps. 32,11; Prov. 8,14; Act. 2,23; Eph. 1,11; Hebr. 6,17). Unde Messias apud LXX vocatur : magni consilii angelus i. e. qui est nuntius (et effector, consummator) magni illius decreti divini de hominum reparatione et salute. — Ex alio eius vocis usu unum illud notandum est adhiberi etiam de iis quae Deus arbitrio hominum relinquit. Iam in vetere lege praeter ea quae praescripta erant aliqua proponebantur quae homines sponte suscipere Deoque offerre

poterant ita in oblationibus et sacrificiis Ex. 25,2; Lev. 1,2 ss.), idque praesertim cernitur in susceptione votorum et nasiraeatus. Eiusmodi consilia bonorum operum etiam in nova lege proposita sunt. Ita Christus dicit iuveni illi quaerenti : quid adhuc mihi deest? si vis perfectus esse, vade vende omnia quae habes etc. Matth. 19,21 : quod consilium opere exsecuti sunt apostoli : ecce nos reliquimus omnia, et ad quod sponte sequendum Christus magnificis promissionibus invitat (Matth. 19,29). Aliud consilium datur de virginitate servanda; ad quam Christus invitat : qui potest capere capiat (Matth. 19, 12), et quod consilium pluribus apostolus commendat usus multiplici eius emolumento (1 Cor. 7,7. 25. 34. 38. 40). Porro apostolus gratis praedicans evangelium idque sine sumptu ponens etiam hoc suo exemplo ostendit, quomodo ultra praeceptum sponte homo aliquid boni possit adiungere (1 Cor. 9,16 s.).

CONSISTORIUM. Sedebat rex Assuerus, cum Esther regina ad eum ingrederetur, super solium suum in consistorio palatii; ita vertit S. Hieronymus; in hebr. autem solum habetur : rex sedebat super thronum regni sui in domo regni (in regio palatio). Accipe proin consistorium ea notione qua in latinitate seriore reperitur : conclave regale; cf. Esth. 5,1.

CONSOLATIO. Homo miseriis afflictus consolationem, confortationem, opem a Deo exspectat et efflagitat; cuius exempla in Psalmis habentur (22,4; 70, 22; 76,3. 4; 85,17; 93,19 etc.). Praesertim autem populo in exsilium eiecto Deus promittit consolationem et instaurationem theocratiae summaque eius bona tamquam consolatio a Deo benignissime danda describuntur; ita in tota altera parte Isaiae 40,1; 49,13; 51,3. 12 : ego, ego ipse consolabor vos; 52,9; 61,2; 66,13. Pariter Ier. 31,13; Zach. 1,17. Quare mirum non est Messiam esse exspectatum et nominatum consolationem Israel (Luc. 2,25) et apud rabbinos quoque Messias nomen consolatoris gerere dicitur tempusque Messiae dies consolationis nominatur (cf. *Schoettgen*, Hor. hebr. II. p. 18. 29).

CONSUL. Notione generali de viris nobilibus, auctoritate et muneribus publicis praeditis vox adhibetur Iob 3,14. Notione propria de magistratu summo in republica romana dicitur 1 Mach. 15,16 : Lucius consul (ὑπατος) Romanorum, cuius epistula pro Iudaeis scripta ibidem recitatur. Vide LUCIUS 1.

CONTAMINARI idem est ac macula, immunditie infici, reddi impurum. Cum populus Dei debeat esse sanctus, ab omni contaminatione cavendum ei est. Contrahitur autem contaminatio vera per peccatum. De peccatis enim dicitur : nec polluamini in omnibus his quibus contaminatae sunt universae gentes quas ego eiiciam ante conspectum vestrum (Lev. 18,24). Peccatis a populo commissis ipsa quoque terra et sanctuarium Dei contaminari dicitur (Lev. 19,29; Ier. 2,7; 3,9; 16,18), quare ipsum quoque sanctuarium die expiationis ab immunditiis et peccatis filiorum Israel erat expiandum (Lev. 16,16; 20,3). Alio modo sanctuarium contaminabatur tempore Machabaeorum, dum in eo et super altare Dei idolis sacrificabatur (cf. 1 Mach. 1,39. 49; 3,51; 4,45; 2 Mach. 6,2; 8,2). Notione cognata mensa Domini dicitur contaminata (Mal. 1,12), quia sacerdotes aram victimis malis variisque defectibus laborantibus quasi maculant et tamquam rem vilem eam habent. Cum populus ut peculium Dei debeat esse consecratus Deo, dicitur contaminari, si in potestatem gentium traditur; unde Is. 43,28 : et contaminavi principes sanctos; idemque dicitur : contaminavi hereditatem meam (Is. 47,6). Alterius generis est contaminatio, quo Iosias excelsa et vallem Topheth contaminavit, ut nemo consecraret filium suum per ignem Moloch (4 Reg. 23,11 s.).

Praeter contaminationem veram quae in ipso consistit peccato (cf. Os. 5,3; 6,10 etc.), alia contaminatio mere legalis, externa contrahi poterat, praesertim ex quattuor causis : ex cadavere, lepra, variis corporis profluviis, cibis vetitis. Vide s. v. IMMUNDITIA, CIBI VETITI.

CONTINENTIA 2 Mach. 14,38 : hic (Razias) multis temporibus continentiae propositum tenuit in Iudaismo i. e. pro-

positum sese continendi, abstinendi a commercio moribusque alienigenarum. Explicat autem Gal. 5,23 vocem ἐγκράτειαν quae ad fructum Spiritus S. pertinet et eam declarat virtutem qua coercentur libidines et malae appetitus cupiditates; quare in Vulgata eo loco praeter continentiam explicationis gratia additur castitas (uti in codicibus graecolatinis ἁγνεία). Alia significatione legitur Sap. 8,21 : ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det etc., continens scil. sapientiae, particeps sapientiae, uti ex oratione contexta et subsequente supplicatione patet, in qua solum agitur de sapientia a Deo efflagitanda. Eodem sensu legitur continens Eccli. 6,28.

CONTRADICTIONIS AQUA prope Cadesbarne, ubi iurgati sunt filii Israel contra Dominum (Num. 20,13). Cum venissent in desertum Sin et apud Cades morarentur, laborabant aquae penuria; unde murmurare coeperunt contra Moysen rebelles et increduli (v. 10); cf. Num. 27,14; Deut. 32,51; 33,8. Ea occasione Moyses quoque et Aaron defectu quodam fidei et fiduciae peccarunt; quare in poenam ipsi non introduxerunt populum in terram promissam (Num. 20,12; Ps. 105, 32 : et irritaverunt eum ad aquas contradictionis et vexatus est Moyses propter eos; Ps. 80,8). In descriptione finium terrae sanctae apud Ezechielem plaga australis a Thamar usque ad aquas contradictionis Cades definitur (Ez. 47,19; 48,28; cf. Num. 34,4. 5).

CONTUMELIA. Apostoli postquam a synedrio flagellari iussi sunt, ibant gaudentes a conspectu concilii quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati (Act. 5,41). Hisce simul declaratur qua ratione Christo in carne passo opprobria et tribulationes a Christifidelibus considerari coepta sint. Dum sancti veteris foederis variis afflictionibus et persecutionibus obnoxii gemunt, conqueruntur, quandoque fere cum Deo expostulare videntur (cf. Iob 3,1 s.; Ps. 72,4 s.; Ier. 20,14; Eccl. 4,3), sancti novi foederis edocti a Christo qui ipse per passionem introivit in gloriam suam omne gaudium existimant, cum in tribulationes varias incidunt. Christus enim beatos praedicavit quos homines persequuntur malisque afficiunt propter ipsum, iisque copiosam mercedem in caelo repositam esse docuit (Matth. 5, 11 s.). Quam animorum dispositionem libri novi foederis saepe commendant (cf. Matth. 10,24; Luc. 6,22. 40; Ioan. 15,19; Act. 13,52; Rom. 15,3; 8,17 s.; 2 Cor. 1,5; 4,17; 12,10; 1 Petr. 1,6; 4,1. 16; Iac. 1,2 etc.).

CONVALLIS. Aliquoties S. Hieronymus אֵלוֹן explicavit voce convallis. Ita Gen. 12,6 : pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem; hebr. usque ad terebinthum (quercum) More; Deut. 11,30 hebr. nominantur terebinthi More, Vulgata : iuxta vallem tendentem et intrantem procul (v. MORE vallis). Eodem modo de convalle i. e. terebintho Mambre, viri Amorrhaei, mentio fit Gen. 13,18; 14,13; 18,1 (v. MAMBRE). Aliis in locis ponitur convallis pro hebr. גַּיְא, גַּיָּא Ios. 15,8; 4 Reg. 23,10; Iob 30,5; Ier. 2,23; Ez. 7,16; 31,12; et pro עֵמֶק Ios. 13,19; Ps. 59,8; 107,8; Cant. 2,1; et pro נַחַל 4 Reg. 23,6; 2 Par. 33,14; Iob 6,15; Ps. 103, 10; semel etiam pro שְׂדֵמוֹת 4 Reg. 23,4.

CONVERSIO. Homo, utpote pronus ad malum, facile avertit se a viis Domini et Deo derelicto suis indulget et servit concupiscentiis. Quare si salutem attingere vult opus est ut se convertat. Uti peccatum dominationem quandam universalem in homines exercet, ita universalis quoque est conversionis necessitas. Unde frequenter in s. litteris et admonitionis ad conversionem et institutionis ad eam mentio proponitur. Et primo quidem conversio maxime necessaria est illa quae fit ab idololatria ad cultum veri Dei; « annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum qui fecit caelum et terram » (Act. 14,14; cf. 17, 24); hoc enim est converti a tenebris ad lucem, et de potestate satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum et sortem inter sanctos (Act. 26,18). Ideo apostolus gaudet quod Thessalonicenses conversi sint ad Deum a simulacris ser-

vire Deo vivo et vero (1 Thess. 1,9). Qua ratione autem vera a peccatis ad Deum conversio fieri debeat, optime describitur in oratione Salomonis (3 Reg. 8,47; 2 Par. 6,37; 7,14); opus est scil. ad Deum oratione confugere, dolorem concipere de iniquitate admissa, se reum agnoscere : peccavimus, inique fecimus, iniuste egimus, et reverti ad Deum in toto corde et in tota anima. Derelinquat impius viam suam et vir iniquus cogitationes suas et revertatur ad Dominum et miserebitur eius (Is. 55,7); convertere ad Dominum et relinque peccata tua; revertere ad Dominum et avertere ab iniustitia tua et cognosce iustitias et iudicia Dei (Eccli. 17,21-24); convertimini ad Dominum et dicite ei : omnem aufer iniquitatem (Os. 14,2; cf. Tob. 13, 8; Is. 45,22; Ier. 3,14. 22; 4,1; 35,15 etc.). Uti istis aliisque locis plurimis admonentur et stimulantur ad conversionem, ita aliis locis Deus dicitur corda convertere et Deus imploratur, ut convertat. Quare ex utroque loquendi modo perspicue colligitur opus esse gratia et auxilio Dei et hominem cum gratia hac sedulo debere cooperari et cum tot fiant adhortationes, pariter constat gratiam Dei esse praesto et peccatorem posse se convertere, dummodo serio velit. Ita flagitat psalmista : Deus converte nos et ostende faciem tuam et salvi erimus, converte nos Deus salutaris noster (Ps. 79,4. 8. 20; 84,5) et propheta : converte nos Domine ad te et convertemur (Lament. 5,21); et quantopere gratia indigeamus, Christus docet : nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum (Ioan. 6,44). Hanc vero a peccato conversionem, qua homo veniam a Deo impetrat, esse simul infusione gratiae sanctificantis internam animi innovationem et intimam cum Christo coniunctionem sacris libris novi foederis docemur (cf. Ioan. 3,5; 14,23; Rom. 6,4 s.; 8,15 s.; Hebr. 6,4; 2 Petr. 1,4; 1 Ioan. 3,9 etc.).

Cum Deus nolit mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (Ez. 33,11), peccatorem etiam immissis tribulationibus ad resipiscentiam adducere studet; nam saepe valet illud : sola vexatio intellectum dabit (Is. 28,19); unde : imple facies eorum ignominia et quaerent nomen tuum, Domine (Ps. 82,17) et apud Ezechielem loquitur Deus : et recordabuntur mei liberati vestri, quia contrivi cor eorum fornicans et recedens a me et oculos eorum fornicantes post idola sua et displicebunt sibimet super mala quae fecerunt et scient quia ego Dominus non frustra locutus sum, ut facerem eis malum hoc (Ez. 6,9. 10). Deus vias peccatoris reddit asperas et impeditas : ecce ego sepiam viam tuam spinis et sepiam eam maceria et semitas suas non inveniet et sequetur amatores suos et non apprehendet eos et quaeret eos et non inveniet, et dicet : vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc (Os. 2,6. 7). Id quod Christus quam pulcherrime illustrat in parabola de filio prodigo, qui ad extremam redactus miseriam in se reversus dicit : quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo; surgam et ibo ad patrem meum (Luc. 15,17).

Quod habetur Ps. 18,8 : lex Domini immaculata, convertens animas et Ps. 22,3 : animam meam convertit etc. non est explicandum de conversione, sed de confortatione, refocillatione, delectatione animae.

I. KNABENBAUER.

CONVIVIUM vide s. v. COENA.

COOS (Κόως, Κῶς), parva insula in mari Aegaeo e regione Cnidi et Halicarnassi. Epistula quam Lucius consul Romanorum pro Iudaeis scripsit etiam in eam insulam missa est (1 Mach. 15,23). Cum apostolus navigasset a Mileto « recto cursu venimus Coum et sequenti die Rhodum » (Act. 21,1).

COR. Frequentissime in s. litteris mentio fit cordis. Ipsum corporis organum tamen raro designatur, uti 2 Reg. 18,14 : Ioab infixit lanceas in corde Absalom, 4 Reg. 9,24 : egressa est sagitta per cor eius (Ioram); Tob. 6,5. 8; Ps. 44,6 : in corda inimicorum regis. Anima carnis in sanguine est (Lev. 17,11), sanguis autem e corde per venas corporis mittitur et in cor redit eaque circulatione vita continetur; quare cor tamquam organum et sedes sanguinis etiam consi-

deratur ut sedes et centrum vitae. Inde sicut anima, cor quandoque pro homine ponitur, sic cibo et potu cor confortatur, impletur, enutritur (Gen. 18,5; Ps. 103, 15; Act. 14,16; Iac. 5,5), cor nocte requiescit, vigilat (Eccle. 2,23 hebr.; Cant. 5,2). Sed multo frequentius cor tamquam sedes et centrum vitae intellectualis adhibetur; quare quaecumque alias memoriae, menti vel intellectui adscribuntur, etiam de corde enuntiantur : ita cor habet cogitationes, est sapiens, intellegens, attendit, novit, intellegit scientiam, recordatur, disponit viam suam, meditatur, est sibi conscium, est docile, despicit homo in corde suo, dicit in corde suo i. e. apud se cogitat, celat in corde suo, cor decipitur etc. etc. (cf. Gen. 6,5; 27,41; Ex. 28,3; 36,8; Deut. 8,5; 32,46; 2 Reg. 6,16; 19,19; 3 Reg. 2,44; 3,9; Prov. 14,10; 16,9; Neh. 5,7; Iudith 10,8; Is. 32,4; 65,17; Ier. 3, 16; Luc. 2,51 verba in corde conservare; 3,15; 5,22; 8,12 etc.). Unde non mirum est cor etiam poni pro mente, intellectu; cf. Iob 12,3; Prov. 10,13. Etiam crebrius cor designat voluntatem et adhibetur pro sede affectuum, desideriorum, commôtionum, perturbationum, cupiditatum adeoque ut virtutes et vitia cordi attribuantur; ita cor dolet, tristatur, laetatur, exsultat, inclinat in malum, induratur, odit, amat, diligit, elevatur, superbit, timet, formidat, est aversum, dissolvitur timore, affligitur, est audax ut cor leonis, est depravatum, conturbatum, petit, ira concalescit, est cor contritum, humiliatum, anxiatum (cf. Gen. 6,6; 8,21; Ex. 4,14; 7,13. 14; Deut. 1,28; 6,5; 8,14; 20,3; Ios. 5,1; 7, 5; Iud. 5,9; 1 Reg. 1,8; 2,1; 28,5; 2 Reg. 6,16; 17,10; Ps. 36,4; 37,9; 38,4; 48,4; 50,19; Cant. 3,11; 4,9; Sap. 7,17; 9,3; Eccli. 1.12. 40 etc. etc.). Similiter sermo fit de cordis simplicitate, aequitate, pravitate (Gen. 20,5; Deut. 9,5; 29,19), de corde perfecto, de nequitia cordis, de latitudine, duritia etc. (cf. Ios. 24,14; 1 Reg. 17,28; 3 Reg. 4,29; Matth. 19, 8 etc.). Eodem modo cor malum dicitur cor incircumcisum, et praeputia cordis ut auferantur praescribitur (cf. Ier. 4, 4; 9,26). Toto studio atque conatu, libenter aliquid facere est ex corde, toto corde, ex toto corde, in omni corde (Deut. 6,5; 10,12; 13,3; 30,2; Ios. 22,5; Matth. 18,35; 22,37; Act. 8, 37 etc.). Cum itaque corde significetur mens et voluntas et totum hominis studium atque consilium, ex abundantia cordis os loquitur (Matth. 12,34) et bene dicitur : omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit (Prov. 4,23). Ex eadem ratione tota hominis habitudo ac dispositio cordi adscribitur; unde cor dicitur esse longe a Deo (Is. 29,13; Matth. 15,8), cor mundum, rectum, fidele (3 Reg. 3,6; Ps. 50, 12; Neh. 9,8; Act. 8,21). Quare innovatio hominis corde novo quod Deus daturus sit describitur (Ez. 11,19; 36,26) et Deus legem suam scribet in corde (Ier. 31,33) et opus legis (notio boni et mali et notio officiorum) scriptum est in cordibus gentilium (Rom. 2,15).

Cum talis sit usus vocis et Deus eiusque modus agendi humanis vocibus et more hominum etiam in s. litteris describatur, mirum non est etiam de corde Dei inferri sermonem; cf. Gen. 6,6 tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem; 3 Reg. 9,3 promittit cor suum fore in templo cunctis diebus et 1 Reg. 13,14 quaesivit sibi pro Saul virum iuxta cor suum, et pollicetur : dabo vobis pastores iuxta cor meum (Ier. 3,15) et cogitationes cordis eius in generatione et generationem (Ps. 32,11) neque affligit vel deprimit homines ex corde suo i. e. quasi delectaretur poenis inflictis (Lament. 3,33). Idem pietatis et misericordiae affectus declaratur, si de visceribus sermo infertur (cf. Ier. 31,20; Luc. 1,77; Phil. 1,8).

De rebus inanimis dicitur cor modo quodam translato, ut pars rei interior significetur; ita Ex. 15,8 congregatae sunt abyssi in corde maris (hebr.), Deut. 4,11 (hebr.); Absalom transfigitur lanceis, cum adhuc palpitaret haerens in corde quercus (2 Sam. 18,14 hebr.); non timebimus, dum transferentur montes in cor maris (Ps. 45,3); proiecisti me in profundum in corde maris (Ion. 2,4). Unde cum Christus dicat se fore tribus diebus in corde terrae, id aptius intellegitur de descensu animae Christi ad inferos (Matth. 12,40), quorum regio populari opinione in ima collocatur terra (cf.

Num. 16,32. 33), vix de sepulcro, quia « in corde » non potest dici de superficie.

I. KNABENBAUER.

CORBAN est hebr. קָרְבָּן quod vertitur hostia, victima, oblatio, sacrificium, munus. Marc. 7,11 : vos autem dicitis : si dixerit homo patri aut matri : corban (quod est donum), quodcumque ex me tibi profuerit i. e. donum esto Deo vel templo sacrum, id quo a me possis iuvari; tum ex doctrina rabbinorum parentes iam non poterant rem illam ullo modo sibi propriam facere neque filius tenebatur illud reddere parentibus. Hoc exemplo demonstrat Christus quomodo legis doctores praeceptum Dei de parentibus honorandis rescindant traditionibus humanis.

CORBONA (κορβανᾶς) thesaurus sacer, aerarium templi; Matth. 27,6 : principes autem sacerdotum acceptis argenteis dixerunt : non licet eos mittere in corbonam. Turpe enim lucrum in templo offerre vetabantur Iudaei (Deut. 23,18). Eo nomine τὸν ἱερὸν θησαυρόν appellatum esse Flavius Iosephus quoque testatur (Bell. iud. II. 9,4).

CORE (קֹרַח, Κορέ). **1.** Filius Esau ex uxore Oolibama, qui etiam princeps vel dux maioris stirpis effectus est (Gen. 36, 5. 18; 1 Par. 1,35). Recensetur quoque Gen. 36,16 Core inter filios Eliphaz filii primogeniti Esau; sed 1 Par. 1,36 Core non enumeratur inter eius filios; unde fortasse Gen. 36,16 nomen Core delendum erit quasi perperam assumptum ex v. 18.

2. Core levita, filius Isaar filii Caath (Ex. 6,21; Num. 16,1), qui cum Dathan et Abiron dux erat rebellionis adversum Moysen et Aaron. Invidebant enim Aaronitis sacerdotium et praeterea aegre tulerunt Moysen exercere ducatum, unde conquesti sunt : cur elevamini super populum Domini? Verum iudicio divino tres illi rebelles hiatu terrae absorpti sunt cum tabernaculis et universa substantia sua; reliqui 250 qui incensum offerre volebant igne absumpti sunt (Num. 16,1-35). Core autem pereunte filii illius non perierunt (Num. 26,11); unde inter levitas recensetur familia Core (Num. 26,58) et tempore Davidis inter cantores enumerantur filii Core (1 Par. 6,37) et inter ianitores (1 Par. 9,19; 26, 1. 19). Cantores autem ex filiis Core etiam nominantur in inscriptionibus psalmorum decem (Ps. 41. 43. 45-48. 83. 84. 86. 87). Etiam sub rege Iosaphat levitae de filiis Core laudabant Dominum Deum Israel voce magna (2 Par. 20,19).

3. Unus ex filiis Hebron de genere Caleb filii Hesron (1 Par. 2,43).

4. Core (קוֹרֵא, קוֹרֵא), pater Sellum (1 Par. 9,19) seu Meselemiae (26,1; B Κωρή, A Κωρηέ) ianitoris ex posteris Core 2.

5. Core (קוֹרֵא, Κορή, B Κωρή), filius Iemna, levita tempore Ezechiae regis, ianitor portae orientalis, praepositus iis, quae sponte offerebantur Domino (2 Par. 31,14).

CORIANDRUM. 1. Coriandrum in descriptione mannae bis commemoratur, cum manna dicitur « quasi semen coriandri album » (Ex. 16,31) et « quasi semen coriandri, coloris bdellii » (Num. 11,7) Quoad significationem vocis hebr. גַּד (cf. pun. γοῖδ, schol. ap. *Dioscur.*, Mat. med. 3,64 al. 71) tum versiones antiquae (LXX κορίον, Onkelos גידא, Peshitta כוסברתא, Targ. כוסבר, arab. *kuzbara,* Graec. Ven. κορίαννον), tum interpretes recentiores fere cum Vulg. consentiunt, licet quidam vel *oryzam* (versio samarit. כארז קליף *oryza decorticata,* quod *Celsius* corruptum conicit ex כזרע קלינדרי *sicut semen coriandri*), vel *gith* s. *nigellam* (*Ursinus, Hehn*), vel *panicum* (*Artapanus* in *Euseb.* Praep. evang. 9,27) exposuerint.

Cf. *J. H. Ursinus,* Arboreti bibl. cont. 117 s.; *O. Celsius,* Hierobot. I. 78-82; *I. Loew,* Aram. Pflanzennamen n. 155; *V. Hehn,* Kulturpfl. u. Hausthiere *ed.* 6,205.

2. Sicut nostra aetate, ita etiam antiquitus semen plantae, quam Linné *Coriandrum sativum* appellavit, ex ordine *Umbelliferarum,* notissimum erat (*Theophr.* Hist. pl. I. 11,2; VII. 1,2 s.; 3,2 etc.; *Dioscur.* Mat. med. 3,64 al. 71; *Plin.* XX. 20,216-18 etc.), ac praesertim in Aegypto, ubi hodie planta communis est

inter segetes atque etiam in agris colitur, sicut in Palaestina, Israelitis saepissime videndum se obtulerat, uti ex frequenti eius commemoratione in textibus hieroglyphicis (*unshi, unshan*) et ex reliquiis plantae ac seminum in monumentis aegyptiacis inventis concludere licet (cf. *Plin.* l. c. « praecipuum esse constat aegyptium »). Est autem semen parvum, ovoideo-globosum, grani piperis magnitudinem fere non attingens, colore subalbido flavescente, cui manna bene comparatur.

Cf. *J. Boecler*, De Coriandro, Argentorati 1739; *Leunis-Frank*, Synopsis II. 2 *ed.* 3 p. 272; *E. Boissier*, Flora orient. II. 920 s.; *G. E. Post*, Flora of Syria 334; *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam. III. 8,158 s.; *Fr. Woenig*, Pflanzen im alt. Aeg. 225; *V. Loret*, Flore pharaonique *ed.* 2, 72; *id.* in Recueil de travaux VII. 1886,111-3.

L. FONCK.

CORINTHUS (Κόρινθος), urbs graeca, saeculo 3. et 2. a. Chr. caput concilii Achaeorum, lumen totius Graeciae (*Cicero* p. leg. Man. 5), a L. Mummio a. 146 destructa, a Caesare a. 44 restituta et Colonia Iulia Corinthus appellata, ab Augusto a. 27 caput provinciae Achaiae constituta (Colonia Iulia Augusta Corinthus), opportunissime sita in Isthmo Peloponnesi inter duo maria Ionium et Aegaeum, unde ἀμφιθάλασσος (*Poll.* 9, 17), bimaris (*Ovid.* Metam. 5, 407) vocabatur. Instructa duobus portubus, Lechaeensi versus Italiam et Cenchreensi versus Asiam, eminebat et opulentia et luxuria; unde κορινθιάζεσθαι verbum erat pessimi nominis et ominis. In secundo itinere apostolico Corinthum adiit Paulus apostolus et per octodecim menses ibi commoratus florentem fundavit ecclesiam (Act. 18,1-18). Ad tempus Corinthum relinquens expeditionem in Illyriam (cf. Rom. 15,19) suscepit, ex qua post paucos menses redux iterum multos dies Corinthi commoratus (Act. 18,18; cf. *Knabenbauer, Felten, Blass* ad h. l. et *Cornely*, Introductio III. n. 104, nota 4) per Ephesum Hierosolyma revertit. In tertio itinere apostolico Ephesi commorans S. Paulus de statu ecclesiae corinthiae certior factus est cum per Aquilam et Priscillam (v. AQUILA) tum per Apollo (v. s. v.) ex Achaia reducem et per familiam Chloes : adesse divisionem quandam partium (1 Cor. 1,11. 12 : Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi) et aliquos parum christiane vivere, cum et luxuriae indulgerent et lites inter se et coram gentilium tribunalibus agerent. Quibus permotus est, ut primam illam, quae deperdita est, Corinthiis scriberet epistulam (cf. 1 Cor. 5,9 s.) et Timotheum Corinthum mitteret (Act. 19,22; 1 Cor. 4,17). Brevi post tres Corinthiorum legati Stephanas, Fortunatus, Achaicus eorum epistulam Paulo attulerunt, in qua de variis rebus eius consilium et doctrina requirebatur. Per eosdem legatos de gravissimo periculo, in quo ecclesia versabatur, accuratius edoctus iisdem gravissimam epistulam (1 Cor.) tradidit, in qua Corinthios severe reprehendit ob partium studium, ob peccatores non vitatos, ob lites coram gentilibus actas, ob fornicationem (1,10-6,20) et doctrinam exponit de matrimonio et caelibatu, de idolothytorum manducatione, de decoro in coetibus sacris servando, de charismatis, de mortuorum resurrectione (7, 1-15,58). Epistula 1 Cor. per legatos transmissa S. Paulus Titum misit Corinthum, qui opera sua id, quod Paulus epistula efficere voluit, promoveret ac dein rationem redditurus Troadem ad se rediret (2 Cor. 2,13). Sed Paulus interea Epheso expulsus (cf. Act. 19,23-40) et de Corinthiis sollicitus Troade non substitit, verum in Macedoniam profectus (Act. 20,1) Titum Philippis, ut videtur, obviam habuit (2 Cor. 2,12 s.; 7, 5 s.) nuntiosque ab eo audivit in universum bonos. Nihilominus auctores et duces schismatum non deerant, qui et veteres in S. Paulum calumnias recoquerent et novas ex 1 Cor. conficientes eum inconstantiae, gloriationis, avaritiae, timiditatis etc. traducerent. Quare desiderans, ut ante tertium suum adventum omnia optime constituta essent, ne durius in eos animadvertere cogeretur (2 Cor. 2,1; 10,6; 12,20; 13,1. 10), Titum cum duobus fratribus Corinthum redire et epistulam 2 Cor. deferre iussit,

in qua sui apologiam proponit (cp. 1-7), collectas commendat (cp. 8-9), polemice contra adversarios agit (cp. 10-13) et animi sui sinus ac recessus intimos pandens Corinthiorum animos sibi penitus devincire studet. Perlustratis deinde Macedoniae ecclesiis in Graeciam se contulit ibique per tres menses commoratus (Act. 20,2. 3) per Macedoniam in Asiam rediit.

De tribus illis factionibus Pauli, Apollo, Cephae, quibus quarta tessera (Ego sum Christi) a S. Paulo aut proprio nomine aut nomine eorum, qui à schismate abhorrebant, opponitur, cf. *Cornely* ad 1 Cor. 1,10-4,20; *J. Rohr*. Paulus und die Gemeinde von Korinth 1899 [Bibl. Studien IV. 4], p. 70-157, qui putat etiam Christinos paulatim in factionem excrevisse.

De urbe cf. *E. Wagner*, Rerum Corinthiarum Specimen 1824; *H. Barth*, Corinthiorum commercii et mercaturae historiae particula 1844; *W. M. Leake*, Travels in the Morea 1830 III. p. 229 ss.; *idem*, Peloponnesiaca 1846 p. 392 ss.; *E. Curtius*, Peloponnesos II. 514 ss.; *Le Camus*, Notre voyage aux pays bibliques III. p. 289-390; *idem*, Voyage aux sept Eglises de l'Apocalypse p. 60-68; *J. Rohr* l. c. p. 1 ss.

CORNELIUS (Κορνήλιος), centurio cohortis italicae in urbe Caesarea, vir religiosus (εὐσεβής) et timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi et deprecans Deum semper Act. 10,1. 2. Eius pietatem Deus remuneratur; visione iubetur accersere Petrum, qui ipse quoque visione edocetur ne dubitet intrare ad hominem alienigenam. Petrus profectus Caesaream edocet Cornelium aliosque multos qui apud eum convenerant. Adhuc eo loquente cecidit Spiritus Sanctus in eos qui eum audiebant et loquebantur linguis. Tunc baptizati sunt (Act. 10,3-48). Cum Cornelius dicatur non solum εὐσεβής, sed etiam φοβούμενος τὸν Θεόν quae est designatio proselyti, videtur fuisse proselytus portae. Narrationis vis ac significatio habetur in eo quod Petrus indicat: ostendit mihi Deus neminem communem aut immundum dicere hominem et quod cum alienigenis manducavit et apud eos hospitatus est; de qua re Iudaeo-christiani indignabantur (Act. 11,2. 3). Petrus autem divinitus edoctus id facit quod postmodum et in concilio apostolorum asseruit (15,7 s.) et Antiochiae observavit, dum cum gentibus edebat (Gal. 2,12).

CORNICULA semel occurrit in epistula Ieremiae (Baruch 6,53), ubi ad ostendendam idolorum vanitatem dii similes dicuntur « corniculis inter medium caeli et terrae » (gr. v. 54 κορῶναι). Praeterea vero etiam nomine generali עֹרֵב, *corvus* cornices simul comprehendi videntur; v. CORVUS.

CORNU. Uti apud alias gentes ita apud Hebraeos quoque cornua pro vasis adhibebantur. Ita Samueli dicitur: imple cornu tuum oleo; et Samuel tulit cornu olei et unxit Davidem in medio fratrum eius (1 Reg. 16,1. 13). Item Sadoc sacerdos sumpsit cornu olei de tabernaculo et unxit Salomonem (3 Reg. 1,39) et vide Iob 42,14 cornu stibii i. e. vasculum pigmentarium; stibio pingebant feminae supercilia oculorum. Hebr. קֶרֶן cornu etiam adhibetur pro tuba, cum revera cornua eum in usum adhiberentur et etiam tubae ex metallo factae similem formam retinerent (Ios. 6,5). Cornua lignea quae aere obducebantur erant in quattuor angulis altaris holocaustorum, ad quae sanguis sacrificalis applicabatur (Ex. 27,2; 29,12; Lev. 4,30. 34); cornua quoque habebat altare thymiamatis auro obducta (Ex. 30,2; 37,25; 38,2), ad quae quoque in sacrificiis pro peccato quae pro sacerdote offerebantur sanguis sacrificalis applicabatur (Lev. 4,7), item in eo sacrificio pro toto populo (Lev. 4,18) et in sacrificio die expiationis (Lev. 16, 18). Cornu altaris etiam tangebatur ab eo qui, uti Adonias, mortem sibi imminentem avertere vult (3 Reg. 1,50). Cornu etiam adhibebatur ad verticem montis vel collis significandum; ita vinea facta est in cornu, filio olei i. e. in colle fertili ac pingui (Is. 5,1).

Cum boves aliaque animalia robur habeant in cornibus, cornibus petant alios ventitentque et confodiant (cf. Ex. 21,28; Ps. 21,22; 91,11), cornu sensu translato adhibetur ad potentiam et gloriam significandam. Frequens est locutio cornu alicuius exaltare, sublevare (1 Reg. 2,1. 10; 1 Par. 25,5; Ps. 74,5. 6. 11;

88,18. 25; 111,9; 148,14: exaltavit cornu populi sui; Eccli. 47,6 etc.). Quare cornu, uti est symbolum potentiae, ita quoque salutis; unde Deus dicitur a psalmista: cornu salutis meae i. e. salvator potentissimus meus (2 Reg. 22,3; Ps. 17,3) et Luc. 1,69: et erexit cornu salutis nobis. Inde fit, ut inimicos ventilare cornu, confringere cornu, conterere cornu, abscindere cornu usurpetur ad significandum potentiam aliorum esse fractam et ablatam (cf. Ps. 43,6; 74,11; Eccli. 47, 8; Ier. 48,25; Lament. 2,3); e contra: producam cornu David (Ps. 131,17), pullulabit cornu domui Israel (Ez. 29,21) dicitur de potentia et gloria a Deo largienda. Cum haec sit cornuum significatio, Sedecias pseudopropheta ut suo vaticinio vim adderet, fecit sibi cornua ferrea et ait: haec dicit Dominus: his ventilabis Syriam, donec deleas eam (3 Reg. 22,11; 2 Par. 18,10). Inde quoque apparet cur in visionibus propheticis regna regesque symbolo cornuum repraesententur, uti apud Daniel cpp. 7. 8; Zach. 1,18 s.; Apoc. 5,6; 12,3; 13,1. 11; 17,3. 7. 12: decem cornua quae vidisti decem reges sunt.

Cornu, κέρας, dicitur quoque in re militari de latere aciei vel exercitus, de ala; ita 1 Mach. 9,1. 12. 16; 2 Mach. 15,20 (graece). Quod in Vulgata 1 Mach. 7,46 legitur: et exierunt et ventilabant eos cornibus καὶ ὑπερεκέρων αὐτούς, explica: eos circumveniebant a latere, a cornibus, vel cornua hostium circumveniebant, cornua exercitus extendendo hostem claudebant a tergo. — Quod in Vulgata Ex. 34,29. 30. 35 habetur de facie Moysi cornuta (item Aquila), hebr. קָרַן, reliquae versiones explicant de splendore faciei eius, δεδόξασται LXX. Pariter Hab. 3,4: splendor eius ut lux erit, cornua in manibus eius, explicandum erit: radii e manu eius (hebr.; cf. *Knabenbauer*, Comment. in Proph. min. II. p. 100).

CORNUPETA. De bove qui cornu petere et percutere solet homines et animalia, varia statuuntur Ex. 21,29 s.: si herus bovem esse cornupetam sciverit nec damnum praecaverit, reus habebitur; immo si bos hominem liberum occiderit, « et bos lapidibus obruetur et dominum eius occident »; si servum bos invaserit, triginta siclos domino dabit; bos autem lapidibus opprimetur; cf. Ex. 21,36.

CORNUSTIBII (קֶרֶן הַפּוּךְ, Ἀμαλθαίας κέρας) nomen est tertiae filiae Iob, quae ei post sanationem a morbo nata fuit. Nomen accepit, ut aliae duae, a pulchritudine: cornu fuci, stibii (vide s. v. CORNU); dicitur itaque natura et forma tam elegans ac venusta, ac si mulierum ornamenta arte et industria magna applicuisset. Et cum stibio id efficeretur, ut oculi pulchriores ac splendidiores apparerent, laus eius ab oculorum pulchritudine potissimum petitur (Iob 42,14).

CORONA. Ad ornatum regium praeter sceptrum et purpuram etiam requirebatur diadema vel corona. Diadema erat fascia telae pretiosae quae capiti circumvolvebatur, quandoque gemmis vel auro intexta (נֵזֶר); corona haud multum a diademate differre videtur (עֲטֶרֶת). Qui Saulem occiderat, attulit diadema eius Davidi (2 Reg. 1,10). Ammonitis devictis tulit David coronam Melchom de capite eius et invenit in ea auri pondo talentum et pretiosissimas gemmas et facta est super caput David (hebr. 1 Par. 20,2; cf. Ps. 20,4: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso et 2 Reg. 12,30). Cum Ioas rex proclamaretur, Ioiada posuit super eum diadema (4 Reg. 11,12) et cum in Sedecia regia dignitas prosterneretur, haec dicit Dominus Deus: aufer cidarim, tolle coronam (Ez. 21, 26). Alexander rex mittit Ionathae purpuram et coronam auream, ut eum principem et amicum regis declararet (1 Mach. 10,20). Mardochaeus cum regio ornatu esset honorandus, coronam auream portavit in capite amictus serico pallio atque purpureo (Esth. 8,15). Simili modo, ut significetur Deum gratiose assumpturum esse populum, iubetur Zacharias propheta coronas ponere in capite Iesu, filii Iosedec sacerdotis magni (Zach. 6,11). Sacro diademate sacerdos summus quoque insignitus erat (Ex. 29,6 נֵזֶר; 39,30; Lev. 8,9). Imagines deorum

coronis aureis erant ornatae Bar. 6,9). Corona decoris datur tamquam ornamentum sponsae (Ez. 16,12; cf. 23,42; Cant. 3,11); quandoque vitta illa qua caput circumligabant corona appellatur (cf. Ez. 24,17. 23). Coronis victimae sacrificiis destinatae ornabantur (cf. Act. 14,12), sertis scil. ex floribus contextis; eiusmodi coronis convivae quoque honorabantur; coronemus nos rosis, aiunt voluptarii illi (Sap. 2,8). Coronae corruptibilis quae in stadio victoribus praebetur et pro qua tantum sudant, laborant, abstinent, mentionem facit apostolus, ut nos exstimulet ad immarcescibilem gloriae coronam capessendam (1 Cor. 9,25; cf. 1 Petr. 5,4). Arca quoque aureo limbo seu margine in modum coronae cingebatur (זר); pariter mensa panum propositionis et altare thymiamatis (cf. Ex. 25,25; 30,3; 37,2. 12. 27).

Cum corona sit ornamentum, usus vocis translatus facile patet. Ita Iob conqueritur : abstulit coronam de capite meo (19,9); at conscius suae innocentiae, libellum contra se accusatorium non modo non timet, verum illum tamquam coronam capiti suo imponere gestit (31, 36). Sapientia corona inclyta et diademate gratiae donabit eum qui eam quaesierit (Prov. 4,9) et mulier diligens corona est viro, corona dignitatis senectus quae in viis iustitiae reperietur, corona senum filii filiorum (Prov. 12,4; 16,31; 17,6). Timor Domini gloria est et corona exsultationis et corona sapientiae, corona senum multa peritia (Eccli. 1,11. 22; 25,8; 32,3; 47,7 etc.). Si Samaria destruitur, pedibus conculcabitur corona superbiae ebriorum Ephraim (Is. 28,3), Dominus autem populo suo erit corona gloriae et sertum exsultationis et Messias dabit lugentibus in Sion coronam pro cinere, ita ut populus Dei quasi sponsus decoratus corona exsultet (Is. 28,5; 61, 3. 10) et tum populus erit corona gloriae in manu Domini (Is. 62,3). Coronam suam et gaudium Philippenses vocat apostolus (Phil. 4,1). Ipsam beatitatem caelestem vocant s. litterae coronam iustitiae, coronam vitae, immarcescibilem gloriae coronam (2 Tim. 4,8; Iac. 1,12; 1 Petr. 5,4); quare beatos in caelo videt Ioannes gestantes coronas aureas et ei qui fidelis est promittitur corona vitae et victori datur corona et alius admonetur : tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam (Apoc. 2,10; 3,11; 4,4; 6,2; 12,1; 14,14). — Ut regiae dignitati Christi opprobrium inferrent, milites coronam de spinis plectentes imposuerunt capiti eius (Matth. 27,29; Marc. 15, 17; Ioan. 19,2); simili modo Alexandrini, ut Agrippam regem irriderent, Carabae, homini leviore insania correpto, imposuerunt diadema papyraceum cumque regem salutabant, ut narrat Philo Iudaeus (in Flaccum, § 6; *ed. Mangey* II. 522; *ed.* Lipsiae VI. 45).

COROZAIN (Χοραζείν, Χωραζείν, Ἀωραζίν, Χοροζαΐν, Χοραζή), urbs prope lacum Genesareth, haud procul a Bethsaida et Capharnaum sita, cui Christus vae dixit (Matth. 11,21; Luc. 10,13). Apud Eusebium et S. Hieronymum dicitur oppidum Galilaeae, nunc desertum, et apud Eusebium quidem 12 mil. pass. a Capharnaum distans, apud S. Hieronymum autem in secundo lapide a Capharnaum (Onom. *ed. Lag.* 303,77; 114,7); in Commentario in Is. 9,1 S. Hieronymus Corozain collocat in litore lacus Tiberiadis i. e. saltem in vicinia litoris. Ipsum nomen conservari videtur in ruinis *Kerāze* 3 km a *Tell Ḥūm* (Capharnaum) septemtrionem versus sitis nec dubium est, quin verba S. Hieronymi huic opinioni omnino faveant. Attamen non pauci auctores provocantes ad Eusebium, qui Corozain 12 mil. pass. a Capharnaum abesse dicit, cum plerisque veterum peregrinantium et geographorum Corozain agnoscunt in ruinis *Qersa* (*Kersa*) haud procul a litore lacus orientali, 10 km ab ostio Iordanis, 14 km a *Tell Ḥūm*. Praetèrea notandum est ex opinione *F. de Hummelauer* (Comm. in Ios. p. 419. 420) Thacasin urbem in termino Zabulon (Ios. 19,13) eandem esse atque Corozain.

Pro situ *Keraze* ad occidentem Iordanis cf. *Guérin*, Galilée I. 241-247; *J. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 191; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897 III. 154; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 658; *L. Heidet* apud *Vigouroux*,

Dict. de la Bible II. 1016-1020; *Legendre*, Carte de la Palestine.

Pro situ *Qersa* (*Kersa*) ad orientem Iordanis cf. *Sepp*, Jerusalem *ed.* 2 II. 275 s.; *W. A. Neumann*, Qurn Dscheradi 1894 p. 50 s.

CORPUS. De formatione corporis Adam vide s. v. ADAM. — Uti alias caro, ita corpus quoque consideratur tamquam sedes peccati et concupiscentiae, quia appetitus peccaminosi sentiuntur in corpore et membra corporis subiacent legi peccati (Rom. 7,23). Quare apostolus loquitur de corpore peccati quod destruitur gratia Christi (Rom. 6,6) ita ut peccatum et concupiscentia mala iam non dominetur in corpus, sed appetitus illi peccaminosi vincantur gratia Christi (Rom. 6,12). Cum peccati stipendium et merces sit mors, apostolus corpus quoque quod peccato subservit vocat corpus mortis (Rom. 7,24) et corpus in quod spiritus dominium exercet, ita ut corpus i. e. vires omnes et facultates legi Dei serviant, vocat corpus mortuum peccato (Rom. 8,10). Uti alias apostolus dicit : caro concupiscit adversus spiritum (Gal. 5,17) et facta carnis spiritu esse mortificanda (Rom. 8,13), ita monet ut concupiscentiis fortiter resistatur : castigo corpus meum et in servitutem redigo (1 Cor. 9,27); obsecro, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem (Rom. 12,1). Quae sint dotes corporis in resurrectione beatorum, apostolus quattuor modis describit : surget corpus in incorruptione, in gloria, in virtute, corpus spiritale i. e. quod quamvis verum sit corpus, tamen ita a materia crassa remotum est, ut potius indolem spiritalem prae se ferat; cuius corporis spiritalis documentum et exemplum cernimus in Christo resurgente qui clausis ianuis intrat, apparet, oculis subito subducitur etc. (cf. 1 Cor. 15,42 s.).

Intimam illam coniunctionem quam fideles cum Christo ineunt, Christus declaraverat dicens : ego sum vitis, vos palmites (Ioan. 15,5). Simili modo eam describit Paulus, cum Ecclesiam dicat corpus cuius caput Christus sit (vide s. v. CAPUT), cum fideles dicat in unum corpus esse baptizatos et : nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi (1 Cor. 6,15; 12,13). Quia igitur fideles unum corpus constituunt (— unum corpus multi sumus — 1 Cor. 10,17), ex similitudine corporis apostolus arguit varia esse debere ministeria et officia, quae summa concordia ad unum conspirent neque ullum membrum debere vel contemni vel superbe efferri (Rom. 12,4 ss.; 1 Cor. 12,14 ss.). Uti corpus est instrumentum animae et plenitudo animae, quatenus vires animae corpore complentur ita ut anima suas operationes possit plene exercere, ita similitudine quadam Ecclesia est corpus Christi et plenitudo eius (Eph. 1,23), qua Christus utitur, ut quod ipse in terris incepit agere et meruit, obveniat omnibus (cf. Eph. 4,12. 16; Col. 1,18. 24). Unde sermo esse potest de aedificatione corporis Christi (Eph. 4,12). Haec autem singulorum cum Christo coniunctio, uti efficitur baptismo (cf. Rom. 6,3 ss.; 1 Cor. 12,13), ita etiam efficitur et manifestatur perceptione corporis Christi in sacramento Eucharistiae : unus panis, unum corpus multi sumus qui de uno pane participamus (1 Cor. 10,17); nam panis quem frangimus participatio corporis Domini est et qui hunc panem manducaverit indigne, reus erit corporis Christi violati et male tractati et reus erit iudicii quia corpus Domini non a cibo communi discernit (1 Cor. 10,16; 11,27. 29).

Legalia veteris legis eiusque instituta sunt umbra futurorum, corpus autem Christi (Col. 2,17) i. e. corpus autem illud quo talis umbra veteris legis effecta et proiecta est pertinet ad Christum; quia Christus, eius opus et institutio e consilio divino eo modo debuit constitui, ideo iam in vetere lege talia ordinata sunt quibus quasi umbra quadam ipsa rerum futurarum veritas delineetur et innuatur; vel ut S. Thomas dicit (ad Col. 2,17) : veritas rei pertinet ad Christum, sed umbra ad legem.

CORRIGIA, quae inservit ad soleas pedibus firmiter adiungendas, locutione proverbiali usurpatur pro re minimi momenti; ita dicit Abram ad regem Sodomorum : a filo subtegminis usque

ad corrigiam caligae non accipiam ex omnibus quae tua sunt (Gen. 14,23). Et Isaias, ut describat exercitum Assyriorum optime instructum et armatum, dicit, licet venturus sit a finibus terrae velociter, tamen « nec rumpetur corrigia calceamenti eius » (Is. 5,27). Et qui se profitetur indignum servum et famulum et alterius summam efferre vult dignitatem et excellentiam, ait : venit fortior post me, cuius non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum eius (Marc. 1,7; Luc. 3,16; Ioan. 1,27).

CORTINA. Eo nomine designantur in Vulgata vela tabernaculi; Ex. 26,1 ss.; 36,8; vide s. v. COLOR, TABERNACULUM.

CORUS (χῶρος, Caurus), nomen venti inter aquilonem et occidentem spirantis; Act. 27,12 ponitur pro illa a qua ventus spirat regione, cum dicatur portum Phoenicem respicere ad africum et ad corum; v. VENTI.

CORUS (כֹּר, κόρος) nomen est mensurae rerum aridarum et fluidarum, eiusdem magnitudinis ac חֹמֶר i. e. continet decem epha vel bath. Sed quae fuerit magnitudo, ab aliis aliter traditur. Ita corum capere 393 lit. alii dicunt, alii 201 lit. — Secundum Flavium Iosephum (Ant. VIII, 2,9 bath continet 72 ξέστας, sextarios. Vide MENSURAE.

CORVUS hebr. עֹרֵב, gr. κόραξ appellatur. Nomen hebraicum, etiam reliquis linguis semiticis commune, genericum est atque omni avi « corvini generis » convenit. In Lege inter aves immundas recensetur (Lev. 11,15; Deut. 14,14 Vulgata : omne corvini generis in similitudinem suam), fortasse quia etiam cadaveribus vescitur, oculos praesertim appetens (Prov. 30,17. — Cf. *Arist.* Hist. anim. IX. 2 al. 1, 6; *Livius* 7,26 etc.). Pennis eius nigris capilli Sponsi comparantur (Cant. 5,11). Vivere dicuntur iuxta torrentes (Prov. 30,17; 3 Reg. 17,4), et in locis desertis (Is. 34, 11); etiam Soph. 2,14, ubi textus massorethicus חֹרֶב i. e. *vastatio* exhibet, cum LXX et Vulgata potius עֹרֵב videtur legendum. Pulli, quos parentes, ubi adoleverint, de nido et ex regione expellere feruntur (*Arist.* Hist. an. IX. 21 al. 31,3; *Plin.* X. 11,31 etc.), voce ranca clamando cibum sibi quaerunt; ex quorum exemplo saepius Dei providentia commendatur, quae ipsis vilissimis avibus derelictis consulat (Iob 38,41; Ps. 146 [147], 9; Luc. 12,24), sed per ipsas etiam volucres voraces servo suo Eliae cibum quotidianum provideat (3 Reg. 17,4. 6). Cum volatu excellat, et cibum quaerens quacumque circumspiciat, patriarchae Noe aptus videri potuit nuntius, quem primum de arca emitteret; at cum morticinis vescatur, cibum sufficientem facile invenit ac volatu abeundo et redeundo in ipsam arcam non revertit (Gen. 8,6; cf. Keilinschr. Sintflutbericht ap. *A. Ieremias,* Izdubar-Nimrod, Leipzig 1891, 35 et ap. *E. Schrader,* Keilinschr. u. A. T. *ed.* 2,63. — Cf. *F. de Hummelauer* in Gen. l. c.). — In monumentis antiquis Assyriorum corvus haud raro figuratur, praesertim de morticinis vescendo et oculos appetendo (cf. Prov. 30,17); etiam in sculpturis aegyptiacis corvus occurrit. — In Palaestina variae inveniuntur corvini generis species, praesertim *Corvus corax* Linné, *C. cornix* L., *C. agricola* Tristram, *C. monedula* L. (= *Monedula turrium* Brehm), al.

Cf. *Sam. Bochart,* Hieroz. II. 198-217, *ed. Rosenm.* II. 787-810; *E. F. K. Rosenmüller* Bibl. Alterth. IV. 2,289-94; *H. O. Lenz,* Zool. d. alt. Gr. u. Röm. 303-11; *L. Lewysohn,* Zool. d. Talm. 172-5; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, 198-201; *id.* Fauna and Flora of Pal. 74-7; *J. G. Wood,* Bible animals 439-49; *P. Cultrera,* Fauna bibl. 302-8; *Leunis-Ludwig,* Synopsis I. 1 *ed.* 3 p. 415 s.; *A. E. Brehm,* Tierleben *ed.* 3 IV. 427-48; *Ph. L. Martin,* Naturgesch. d. Thiere I. 2,345-55; *O. Keller,* Thiere d. klass. Alterth., Innsbruck, 1887,179. 267. 446; *G. Loreta,* La zoologia nella Bibbia p. 67-9. 203-5. 424 s. — *Frd. Delitzsch,* Assyr. Thiernamen 102 s.; *Wilkinson-Birch,* Manners and Customs II. 114; III. 118 s.; *W. Houghton* in Trans. Soc. Bibl. Arch. VIII. 1884, 79-83.

L. FONCK.

COS (קוֹץ, Κωός), pater Anob et Sobaba de stirpe Iuda (1 Par. 4,8).

COSAN (Κωσάμ) enumeratur in genealogia Christi inter posteros David per Nathan (Luc. 3,28).

COSMOGONIA vide s. v. MUNDUS.

COTURNIX hebr. שְׂלָו, bis Israelitis in deserto missa narratur (Ex. 16, 13; Num. 11,31 s.; cf. Ps. 77[78], 27; 104 [105], 40). Idem Dei singulare beneficium bis in libro Sapientiae laudatur, ubi Vulgata vocem graecam ὀρτυγομήτρα *ortygometra* retinet (Sap. 16,2; 19,12). — Fuerunt praesertim ex antiquioribus interpretibus, qui nomine שְׂלָו minime coturnicem designari censuerint, sed aut piscem volantem (*Rudbeck*, *Ehrenberg*) aut locustam (*Ludolf*) aut ex avibus turdum (*H. v. d. Hardt*, *Rathlef*) vel ficedulam et turdum ac phasianum (*Rabbi Chanina*) vel rallum (i. e. *Crex pratensis* Bechstein) vel gruem vel ciconiam vel aliam denique volucrem ex variis generibus. At merito tum doctiores ex veteribus (*Bochart*, *Oedmann*, *Rosenmüller*, al.), tum recentiores auctores communiter coturnicem retinent (*Coturnix communis* Bonnet, ord. *Gallinaceï*), id unum concedentes, fortasse eodem nomine etiam avem coturnici similem, *qaṭā* ab Arabibus dictam (*Pterocles alchata* Gray) aliasve affines designari. — Sane ex veteribus interpretibus vix invenitur qui de coturnice dubitaverit : versiones orientales nomen hebraicum fere retinent, quod in aliis quoque linguis semiticis coturnicem designat; Flavius Iosephus expresse coturnices exponit (Ant. III. 1,5 ὀρτύγων πλῆθος), addens id genus avium prae ceteris ali circa sinum arabicum, eandemque avim etiam LXX suo ὀρτυγομήτρα videntur designare. Licet enim hoc nomine proprie rallus (*Crex pratensis* Bechstein, germ. *Wachtelkönig*, gall. *roi des cailles*) appelletur et a scriptoribus profanis ὄρτυξ et ὀρτυγομήτρα distinguantur, *Bochartus* tamen aliique cum *Hesychio* haud improbabiliter supponunt, senioribus ὀρτυγομήτρα nil aliud esse quam ὄρτυξ ὑπερμεγέθης, coturnicem permagnam. Auctoritati veterum accedit nomen arabicum *salwā* hodie pro coturnice usitatum. — Atque etiam cuncta quae in S. Scriptura de שְׂלָו narrantur, coturnici optime conveniunt. Sunt enim aves migratoriae, quae tempore vernali Austro et Africo flante (Ps. 77,26) ex regionibus meridionalibus septemtrionem versus avolant, ac turmis innumerabilibus etiam regionem sinaiticam frequentant, et vix tribus a terra pedibus volantes atque itinere fatigatae facillime capiuntur cibumque gratissimum praestant. Antiquis eadem avis notissima erat, atque etiam in monumentis aegyptiacis haud raro repraesentatur (*Herod.* 2,77; *Aristot.* Hist. an. VII. 14 al. 12,5 s.; *Plin.* X. 23,64 ss., al.).

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. 91-109, *ed. Rosenm.* II. 648-75; *Ol. Rudbeck*, Ichtyologiae biblicae pars I. de ave Selav, Upsalae 1705; *J. J. Scheuchzer*, Physica sacra I. 245-9; II. 548-53; *Fr. J. Schoder*, Hierozoici Specimen II. 18-47; *Sam. Oedmann*, Verm. Samml. IV. 57-74; V. 78-80; VI. 116-8; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2, 346-52; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Gr. u. Röm. 347-51; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talm. 210 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, *ed.* 8,229-33; *id.* Fauna and Flora of Pal. 124; *J. G. Wood*, Bible Animals 430-8; *P. Cultrera*, Fauna bibl. 272 s.; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9,111-3; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. *ed.* 3 p. 447; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 V. 555-60; *G. Loreta*, La zologia nella Bibbia, p. 82-6. — De Aegyptiis cf. *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 111. 114; III. 321; *V. Loret* in Ztschr. f. aeg. Spr. XXX. 1892,25 s.

L. FONCK.

COUS v. COOS.

COZBI (כָּזְבִּי, Χασβί), filia Sur principis nobilissimi Madianitarum, cum qua in festivitate Beelphegor Zambri dux de tribu Simeonis fornicatus est. Ambos Phinees filius Eleazari pugione perfodit et occidit scelus illud ulciscens (Num. 25,6 s. 14. 15. 18).

COZEBA v. ACHAZIB 2.

CRABRO. 1. Creator, hebr. צִרְעָה, ante Israelitas mittendus promittitur a Domino ad fugandos incolas terrae Chanaan (Ex. 23,28; Deut. 7,20), eaque promissio in libro Iosue completa narratur in duobus regibus Amorrhaeorum, qui non in gladio nec in arcu Israelitarum,

sed crabronibus de locis suis eiecti erant (Ios. 24,12); etiam in Sapientia Salomonis ad ostendendam Dei clementiam et longanimitatem erga incolas peccatores terrae promissae factum illius impletionis memoratur (Sap. 12,8 σφῆκας, Vulgata *vespas*). Significatio nominis hebraici tum ex hoc textu Sapientiae, tum ex auctoritate veterum interpretum (LXX σφηκία; Peshitta דבירותא, in Sap. דבירא; Onk. ערעיתא; Targ. עירעיתא; Graec. Ven. σφήξ etc.) satis constat, ita ut etiam a recentioribus invitis communiter admittatur. Ita tamen nomen videtur intellegendum, ut simul variis crabronis (*Vespa crabro* Linné, ord. *Hymenoptera*) atque vespae (*Vespa vulgaris* L. etc.) speciebus conveniat: crabronis autem quattuor species vel varietates palaestinenses reperit *Tristram*.

Cf. *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 2 *ed.* 3 p. 227; *M. Bach*, Studien u. Lesefrüchte 2, *ed.* 6, 315-35, cf. 1, *ed.* 6, 166-72; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 IX. 253-68; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere II. 2 (*E. Rey*), 170 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, 322.

2. Quaestio unica est, utrum crabrones seu vespae sensu proprio an metaphorico intellegendi sint. Pro metaphorico, quasi acerrimi timoris aculei eo nomine designentur, primum auctorem citant Eusebium Caesariensem, quem cunctanter sequitur S. Augustinus (in Exod. 2,93; in Ios. 27), eumque sensum multi recentiores sine ulla cunctatione unice admittunt. At certe non nisi gravi ratione is sensus admitti potest; nam si sine tali ratione « liceat metaphoras sibi fingere in simplici narratione, convellentur historiae omnes », ut bene notat *Bochartus* (Hieroz. II. 538, *ed. Rosenm.* III. 407). Iam vero ratio discedendi a sensu obvio et proprio multis in eo videtur esse quod in narratione de pugnis cum Sehon et Og regibus (Num. 21,24 s.; Deut. 2,31-3,8) aut de aliis expeditionibus bellicis nulla fit mentio crabronum aut vesparum; praeterea quod difficile quis credat, vespas incolis istis tam fuisse infestas, ut ex locis suis migrare coacti sint. At ex historiis tot suppetunt exempla similia, ut haec ultima ratio omnino futilis appareat: ita incolae variorum locorum muribus, ranis, serpentibus, scorpionibus, culicibus (*Pausan.* 7,2), apibus (*Aelian.* Hist. anim. 17,35), vespis (id. 11,28) aliisque bestiolis eiecti referuntur; quae facta a tot omnium temporum scriptoribus narrata omnia inter dubia reicere omnino non licet. Argumentum autem ex silentio historiae sacrae facile illo responso S. Augustini refutatur, quod non omnia oportet conscripta esse, quae facta sunt. Factum autem promissionis impletae satis in textibus citatis libri Iosue et Sapientiae indicatur, ex quibus quomodo *K. Furrer* sensum metaphoricum praesertim probare velit, nullus capio. Certe nomine crabronum et vesparum simpliciter magnum terrorem significare nullatenus consueta dicenda foret metaphora. Quare potius sensui proprio et obvio videtur adhaerendum.

Alio modo *Fr. de Hummelauer* vocem hebraicam explicat de *grandine* (Comment. in Ios. 24,12, p. 506 s.); at eius rationes contra auctoritatem versionum rem non videntur evincere.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. 534-44, *ed. Rosenm.* III. 402-17; *I. D. Michaelis*, Supplem. ad lex. hebr. p. 2154 s.; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2, 429-31; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griech. u. Römer 556-62; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talm. 303-5; *J. G. Wood*, Bible animals 613-6; *P. Cultrera*, Fauna biblica 412-4; *G. Loreta*, La zoologia nella Bibbia 170-3.

L. FONCK.

CRATES (Κράτης), praefectus Cypriorum seu cypriarches, qui ab Antiocho IV. Epiphane suffectus est in locum Sostrati praepositi arcis hierosolymitanae (2 Mach. 4,29 secundum textum graecum; in Vulgata Crates deest et Sostratus dicitur praelatus Cypriis).

CRATICULA; ea voce explicatur in Vulgata hebr. מַרְחֶשֶׁת vas ad coquendum (vas in quo aliquid ebullitur) Lev. 2,7; 7,9. Saepius autem ponitur craticula, alias retiaculum, pro opere reticulato ex aere facto quo altare holocaustorum ornabatur; simili opere quod auro obducebatur ornabatur altare thy-

miamatis (cf. Ex. 27,4. 5; 30,3; 35,16; 37,26; 38,4).

CREATOR, CREARE. Verbum creare promiscue adhibetur et pro effectione ex nihilo et pro alicuius rei productione ex materia praeiacente et pro immutatione vel translatione in alium statum et conditionem. In propria notione creandi i. e. effectionis ex nihilo usurpatur Gen. 1,1; nam ex mente narratoris historia caeli et terrae (eius generatio) incipit ab eo quod facta sunt a Deo, ideoque ex nihilo producta. Idem indicatur, dum dicitur : dixit et facta sunt; mandavit et creata sunt (Ps. 32,9; 148,5), quia solum verbum Dei i. e. voluntas Dei tamquam causa effectrix indicatur. Notio creationis propriae declaratur 2 Mach. 7,28 ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων fecit Deus caelum et terram et omnia quae in eis sunt; pariter Ioan. 1,3 et Hebr. 11,3 fide intellegimus aptata esse saecula verbo Dei (et cur verbo Dei docemur?) εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι ne scil. censeamus ea quae videantur ex aliis quae iam apparuerint originem ducere. Ceterum notio creationis etiam in eo satis exprimitur quod Deus dominus ac gubernator omnium, cui omnia subiecta sunt et cui omnia ad nutum obediunt et a cuius voluntate stat utrum sint vel esse cessent, variis modis describitur. Hoc dominium et haec summa in omnia potestas Dei in s. litteris clarissime continetur (cf. Gen. 1; 6,7; Deut. 4,19; 26,19; Sap. 1,14; 11,18; Eccli. 1,8; 18,1; Is. 40,12 s. 26; 42,5; 45,7. 18; Hebr. 3,4; Apoc. 4, 11). Eodem modo notio creationis consequitur eo quod quaecumque exsistant dicantur divina potentia conservari et portari (Ps. 103,27-30; Iob 34,14. 15; Sap. 8,1; Col. 1,17; Hebr. 1,3).

Ceterum creare dici quoque de formatione et productione ex re iam exsistente, iam ostenditur Gen. 1,20. 21 : producant aquae... creavitque Deus cete grandia et omnem animam viventem quam produxerant aquae; et quod habetur Gen. 1,27 : creavit Deus hominem, explicatur Gen. 2,7 : formavit Dominus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae. Idem usus vocis cernitur Eccli. 31,35 : vinum in iucunditatem creatum est et non in ebrietatem (cf. Eccli. 38,1. 4. 12; 39,35; 40,1), Am. 4,13 : creans ventum. Praecipue autem dicitur de effectionibus Dei ad hominum salutem in ordine supernaturali; ita Ps. 50,12 cor mundum crea in me Deus; Is. 4,5 : creabit Deus super omnem locum montis Sion et ubi invocatus est nubem per diem etc. et 41,20; 43,1. 7; 45,8; 65,17; Ier. 31,22; Eph. 4, 24; Col. 3,10 etc. Inde apostolus conditionem regenerationis et statum supernaturalem in quem gratia Christi transferimur vocat novam creaturam 2 Cor. 5,17; Gal. 6,15; cf. Iac. 1,18.

CREDERE usu valde frequenti dicit alicui asserenti vel promittenti adhibere fidem, firmiter putare verum esse, sibi aliquid persuadere. Ita statim primo quo legitur loco : credidit Abram Deo Gen. 15,6; Abraham scil. iam spem omnem gignendi filium abiecerat; Deus autem dicit ei : suspice caelum et numera stellas si potes; sic erit semen tuum. Credidit Abram Deo (Gen. 15,2-6). Proin Deus dixit ei rem quae ordine naturae fieri non posse videbatur; Abraham autem Deo dicenti fidem adhibuit et contra id quod lege naturae verum esse videbatur sibi persuasit fore quod Deus affirmavit. Et id sibi persuasit quia Deus dixit; proinde omnia hoc iam primo exemplo nobis offeruntur quae ad fidem divinam requiruntur, adhibere fidem Deo dicenti propter auctoritatem Dei. Eius fidei firmitatem et excellentiam quae in Abraham habeatur apostolus pluribus laudat Rom. 4,17-22. Cum Moyses diceret de populo Domino : non credent mihi, sed dicent : non apparuit tibi Dominus, Deus docet eum iubetque signa facere, quibus scil. tamquam miraculis persuadeatur populo verum esse quod Moyses diceret. Et signis factis credidit populus (Ex. 4,1-31). Uti credere dicitur de fide quae Deo dicenti adhibetur, ita quoque de fide quae Christo dicenti, quae angelis, quae legatis Dei, quae hominibus habetur, cuius usus plurima ubique recurrunt exempla. Inde elucet quid sit credere in aliquem i. e. verum putare quod ille de se affir-

mat: ita credere in Deum est credere Deum existere eumque esse talem qualem se nobis revelavit. Unde prouum est, ut ex fide enascatur firma quaedam confidentia et fiducia, praesertim si agitur de fide divinis promissis habenda, ut credere Deo sit saepe se tota devotione Deo committere, ei plane obsequi vel firmiore quam antea fide ei adhaerere, maiore quam antea persuasione eius promissa amplecti et consequenter maiore in Deum fiducia agere. Ita dicitur populum credidisse Domino, cum viderent Aegyptios mortuos super litus maris (Ex. 14,31) et talis fides describitur ab Hanani propheta qui ait ad Asa regem Iuda : nonne Aethiopes et Libyes multo plures erant quadrigis et equitibus et multitudine nimia, quos cum Domino credidisses tradidit in manu tua? Oculi enim Domini contemplantur universam terram et praebent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum (2 Par. 16,8. 9). Fides illa qua quis credit et confidit cernitur potissimum in iis qui sanationem a Iesu efflagitant et talem fidem Christus plerumque exigit antequam precibus annuit. Si leprosus dicit : si vis, potes me mundare, si Christus centurioni dicit : sicut credidisti, fiat tibi, fides in Iesu potentiam et inde enata confidentia firma et alacris declaratur. Quem nexum apostolus quoque in epistula ad Hebraeos praecipue effert (cf. Hebr. 6,17. 18; 10,35-39; 11,1; 12, 1 s.). Propter haereticos qui notionem fidei praeprimis apud S. Paulum perverterunt, notare oportet apostolum quoque fidem dogmaticam quam clarissime asserere. Id luculenter iam patet quia fidem Abraham tamquam exemplum et normam omnibus proponit Rom. 4,3 s.; 6,8; 10,9 : si in corde tuo crediderís quod Deus illum (Iesum) suscitavit a mortuis, salvus eris; 1 Cor. 15,11 : sic praedicamus et sic credidistis (de Iesu resurrectione); Gal. 2,20 : in fide vivo filii Dei qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me; 1 Thess. 4,13 : si enim credimus quod Iesus mortuus est et resurrexit; 1 Tim. 3,16 : pietatis sacramentum creditum est in mundo; Hebr. 11,1. 6 : credere oportet accedentem ad Deum quia est et inquirentibus se remunerator sit (cf. 11,3. 7. 8. 11. 13 etc.). Quare apostolus firmam persuasionem, qua quis sine ulla haesitantia iudicat quid sibi liceat, etiam fidem et credere appellat; ita Rom. 14,23, et : alius credit se manducare omnia (Rom. 14,2).

Praeterea credere, uti apud profanos, adhibetur sensu concredendi, committendi, tradendi in signum fiduciae; cf. Gen. 39,4 : Ioseph gubernabat creditam sibi domum; Lev. 6,2 : depositum quod fidei eius creditum fuerat; 1 Par. 9,29 : credita habebant utensilia sanctuarii; Sap. 14,5 : exiguo ligno credunt homines animas suas; Ioan. 2,24 : Iesus non credebat semetipsum eis; Rom. 3,2 : credita sunt illis eloquia Dei etc.

I. KNABENBAUER.

CREDITOR. Qui pecuniam mutuam dederit uni ex Israelitis, non poterat exigere usuram (Ex. 22,25; Lev. 25,35. 36. 37 : pecuniam tuam non dabis ad usuram et frugum superabundantiam non exiges i. e. si frumentum alteri dederis, non ab eo exiges plus quam dederis). Sed ab alieno licebat usuram vel fenus exigere Deut. 23,19. 20. Ceterum iubentur divites pauperibus mutuum dare (Deut. 15,9. 10); vetantur autem pignus vel arrham, vestimentum, molam diutius retinere (vide s. v. ARRHA) et anno septimo, anno sabbatico, debita repetere (Deut. 15,1). Sed si quis debitum solvere non poterat, creditor poterat exigere, ut debitor servitiis praestitis solveret et se in servitutem daret (cf. 4 Reg. 4,1 : ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi); debitor ille tamen anno iubilaei debuit libertati restitui (Lev. 25,39-41). Ad debita solvenda non solum se, sed etiam filios et filias in servitutem vendere poterat (Ex. 21,7; Lev. 25,41). Ad quod alluditur Is. 50,1 : quis est creditor meus, cui vendidi vos? in iniquitatibus vestris venditi estis. Ex Dei in omnes benevolentia etiam creditori commendatur pietas et misericordia (cf. Prov. 29,13). Quod Christus in parabola ponit debitorem tradi tortoribus, includi in carcerem (Matth. 18,34), ex usu romano petitum est; debitorem a creditore ductum esse in ergastulum et car-

nificinam debitorisque tergum vestigiis verberum esse foedatum Livius narrat (2,23); debitores nervo et compedibus esse vinctos Gellius refert (Noct. attic. 20,1 versus finem).

CRESCENS (Κρήσκης), socius Pauli, qui cum Paulus esset in secunda captivitate romana, abierat in Galatiam (2 Tim. 4,10). Aliqui eum fuisse ex 70 discipulis putant. In Constitutionibus apost. 7,46 scribitur eum a Paulo ordinatum esse episcopum ecclesiarum Galatiae (*M.* 1,1056). Alii tradunt eum in Galliam profectum et ecclesiae viennensis episcopum fuisse; alii aliter (vide Acta Sanctorum, Iun. t. 5 p. 250 s.).

CRETA (Κρήτη), insula magna in archipelago maris Mediterranei, hodie Candia appellatur. Erat Romanis subiecta a Metello, cui cognomen Cretici datum est, et tempore Augusti Imperatoris provincia erat proconsularis (cf. *Tacitus,* Annal. 3,38). Demetrius II. Nicator filius Demetrii Soteris, cum audisset Syros aegre ferre Alexandri Balas regis inertiam et luxuriam, venit anno 147 a. Chr. a Creta in terram patrum suorum (1 Mach. 10,67), ut regnum patris sui recuperaret. Ex urbibus Cretae commemorantur in s. litteris Gortyna, ad quam urbem Lucius consul epistulam misit de Iudaeis (1 Mach. 15,23), Lasaea (Act. 27,8 graece; v. THALASSA), Phoenice, ubi et portus respiciens ad Africum et ad Corum (Act. 27,8. 12). Mentio quoque fit Salmones promontorii, Gnido et Rhodo obversi Act. 27,7. Cum in festo pentecostes Cretes quoque in urbe Ierusalem testes essent effusionis Spiritus sancti in discipulos, probabile est illos prima rei christianae semina in insulam attulisse. In itinere quidem S. Pauli romano, cum adnavigarent Cretae iuxta Salmonem et venirent in locum, cui nomen Boniportus, non fit sermo de Christianis; neque id mirum esse potest, cum in ipsam insulam non videantur descendisse. Sed ex epistula ad Titum elucet iam diutius rem christianam in insula esse propagatam. Paulum apostolum quoque in insula fuisse, ex eadem discimus epistula : reliqui te Cretae ut ea quae desunt corrigas et constituas per civitates presbyteros (Tit. 1,5). Id quod post priorem apostoli captivitatem romanam evenisse certum est; vide *Cornely,* Introd. III. p. 564. Cretensium mores satis fuisse corruptos apostolus testimonio alicuius poetae cretensis (quem Epimenidem esse censent) comprobat quod verum esse testatur Tit. 1,13; unde iubet Titum Cretenses dure increpare ut sani sint in fide. In Creta Iudaeos quoque habitasse eosque divites, constat ex narratione apud Iosephum (Ant. XVII. 12,1; Bell. iud. II. 7,1).

CRISPUS (Κρίσπος) archisynagogus Corinthi, qui cum Paulus ea in urbe evangelium annuntiaret, credidit Domino cum omni domo sua (Act. 18,8), quem Paulus etiam baptizavit (1 Cor. 1, 14). Ex modo quo eius conversio narratur colligi potest eum magna illa severitate et confidentia permotum esse qua Paulus Iudaeos contradicentes et blasphemantes coarguit (Act. 18,6. 7).

CROCODILUS, scil. terrestris, non vero niloticus (de quo v. LEVIATHAN) vocatur a S. Hieronymo, sicut a senioribus (χροκόδειλος ὁ χερσαῖος) animal hebr. צָב dictum, quod inter animalia minora immunda in Lege recensetur (Lev. 11, 29); nec praeter nomen quidquam aliud de eo in S. Scriptura refertur, nisi quod nomini additur לְמִינֵהוּ *iuxta genus suum,* ut generi potius, quam uni speciei convenire declaretur. — Ex versionibus antiquis Onkelos vocem hebr. retinet (צבא); Peshitta (חדרונא), Targum (חרדונא), Samarit. (עדרונא), magnae lacertae speciem Arabibus *ḫirdawn* dictam videntur designare; variae versiones arabicae lacertam *dabb* vocatam exponunt; versio coptica sequitur LXX, crocodilum silvestrem s. terrestrem explicando; Graecus autem Venetus, ab omnibus discedens *caltum* (ὁ αἴλουρος) interpretatur, probabiliter ut muri praecedenti felis amica non desit. Interpretes vero posteriores variis coniecturis libere indulgent : Hebraei plerique bufonem sive rubetam (germ. *Kröte,* gall. *crapaud*), alii ranam, alii testudinem, alii lacertae speciem praeferunt. — Cum

praeter nomen nullum suppetat argumentum, magnam sane suadendi vim habet idem nomen etiam nunc Arabibus pro certa aliqua magnae lacertae specie usitatum, quam iam versiones arabicae designarunt. *Dabb* enim (vel *dibb*) arabice dicitur lacerta in desertis Arabiae et Iudaeae satis communis, quae ab Arabibus hodie comeditur, nomine scientifico *Uromastix spinipes* Merrem dicta ex ordine *Saurium*, quam ex prioribus scriptoribus *Leo Africanus*, *Hasselquist*, *Forskal*, *Seetzen* aliique satis accurate describunt. *Sam. Bochart*, qui hanc lacertam esse biblicam צָב pluribus doctissime ostendit, insuper satis probabile reddebat, eandem speciem esse veterum crocodilum terrestrem, de quo auctores profani saepe loquuntur *Herod.* 4,192, cf. 2,69; *Aristot.* Hist. an. V. 27 al. 33, 2; cf. II. 12 al. 17,9; *Dioscur.* Mat. med. 2,98; *Plin.* XXVIII. 8,119 etc.); ex recentioribus vero plures crocodilum illum terrestrem censuerunt esse *Varanum arenarium* Duméril et Bibron (= *Varanus s. Psammosaurus scincus* Merrem = *Monitor terrestris* Cuvier), Arabibus *Waran el-ard̲* dictum. Cum nomen צָב sit potius genericum, uti ex S. Scriptura notavimus, tum lacertam *dabb*, tum fortasse etiam *waran el-ard̲* designare potuit, licet scientifice ad diversa genera numerentur.

Cf. *Leo Africanus*, Descriptio Africae 9, 52; *Sam. Bochart*, Hieroz. I. 1043-63, *ed. Rosenm.* II. 463-86; *Frd. Hasselquist*, Reise *ed. C. Linné*, Rostock 1762, 353-6; *P. Forskal*, Descript. animal., Hauniae 1775, 13; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2,254 s; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Gr. u. Röm. 428; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talm. 230 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, *ed.* 8 p. 255-7.262; *id.* Fauna and Flora of Palest. 148. 154; *J. G. Wood*, Bible Animals 505-13; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3 p. 549. 563; *A. E. Brehm*, Tierleben ed. 3. VII. 118-20; *P. Cultrera*, Fauna Bibl. 336 s.; *G. Loreta*, La zoologia nella Bibbia 135 s.

L. FONCK.

CROCUS. 1. Crocus semel in S. Scriptura commemoratur inter aromata pretiosa, quae in laudibus Sponsae in Cantico enumerantur: « Nardus et crocus, fistula et cinnamomum » Cant. 4,14. Vocem hebraicam כַּרְכֹּם LXX (κρόκος), Chald. et Peshitta (כורכבא) pariterque versiones arabicae, armeniaca, Graeca Veneta cum Vulgata consentientes crocum explicant, seu potius ipsum nomen hebraicum paucis mutatis retinent, neque ulla videtur ratio haberi cum paucis recentioribus ab hac explicatione recedendi, licet de origine nominis, quod aliqui cum sanskr. *kunkuma* componunt, non satis videatur constare.

Cf. *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 162; *A. de Candolle*, Origine des plantes cultivées, Paris 1883, 132; *V. Hehn*, Kulturpfl. u. Hausthiere *ed.* 6,255-61.

2. Nomine croci designatur planta ex ordine *Iridearum*, *Crocus sativus* Linné, quae in Graecia et insulis vicinis, in Troade et prope Smyrnam, in Thracia et Tauria spontanea crescit atque etiam in Palaestina et Syria, ubi aliae croci species sunt satis communes (*Boissier*, *Post*), antiquitus ex testimonio doctorum talmudicorum in hortis et agris frequens colebatur (*Löw* l. c.). Flores eius violacei stigmata coccineo-aurantica ostendunt, quae materiam tum odore, tum colore toti antiquitati celeberrimam atque etiam nunc quaesitam praebent (cf. *Homer.* Il. 8,1; 14,847 ss.; *Theophr.* Hist. pl. VI. 6,10; 8,3; VII. 7,4; Caus. pl. VI. 18,3 etc.; *Colum.* De re rust. III. 8,4; *Dioscur.* Mat. med. 1,25; *Plin.* XXI. 6,31-34; 20,137 s. etc.). Etiam Aegyptiis crocum notum fuisse apparet ex Papyro Ebers; de assyriaco croci nomine et usu non satis constat; nam de *karkuma* (*Oppert*, *Muss-Arnolt*) tacent *Frd. Delitzsch* et *B. Meissner*, qui aroma *kirkirānu* commemorat (Supplem. zu d. assyr. Wörterb., Leiden 1898, 50 b.).

Cf. *I. F. Hertodt* a Todenfeld, Crocologia, Ienae 1670; *I. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Cont. 253-5; *M. Hiller*, Hierophyt. II. 34-6; *O. Celsius*, Hierobot. II. 11-7; *K. L. Goldbach*, Dissertatio croci historiam botanico-medicam sistens, Mosquae 1816; *H. O. Lenz*, Bot. d. alt. Gr. u. Römer 318-21; *P. Cultrera*, Flora bibl. 171 s.; *J. H. Balfour*, Plants of the Bible, nova ed., 165 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible. *ed.* 8,479 s.; *Leunis-Frank*, Synopsis II. 2 *ed.* 3 p. 779 s.; *E. Boissier*, Flora orient.

V. 93-107. 115. 755; *G. E. Post*, Flora of Syria 770-2; *W. Heyd*, Gesch. d. Levantehandels, Stuttgart 1879,2,645 s.; *Fr. Woenig*, Die Pflanzen im alt. Aeg. 395; *F. A. Flückiger*, Pharmakognosie des Pflanzenreiches *ed.* 3, Berlin 1891,773-81.

3. Vulgata verba Ieremiae *Lam.* 4,5 *in croceis* vestimentis vertit, ubi hebr. עֲלֵי תוֹלַע et LXX ἐπὶ κόκκων habent. Cum תוֹלַע certe *coccum* significet, quod S. Hieronymus alibi bene vidit, cumque expressio *crocea* pro vestimentis coloris crocei alias in tota latinitate vix inveniatur (cf. *Forcellini*, *Georges*), fortasse sine temeritate *crocea* errori librarioli tribuere et pro croceis *coccinis* substituere licebit, vocem et alibi saepius pro hebraico תוֹלַע de vestimentis usitatam et forma scribendi alteri simillimam, praesertim si litteris maiusculis scribatur et syllaba *in* pro more scribarum antiquorum lineola tantum superna indicetur (*coccis*). V. COCCUS, PURPURA.

L. FONCK.

CRUX, CRUCIFIGERE. Vox hebr. עֵץ saepius in Vulgata vertitur crux, ubi tamen non de cruce cogitandum est, sed de ligno i. e. de palo ligneo vel patibulo in quo quis suspenditur. Ita Gen. 40,19 et 41,13 (LXX κρεμάσει σε ἐπὶ ξύλου); Ios. 8,29 prius vertitur patibulum, dein crux (regem suspendit in patibulo... deposuerunt cadaver de cruce); eodemque modo Esth. 5,14 : iube parari excelsam trabem...; sed statim : et iussit excelsam parari crucem. Alias legitur in Vulgata lignum, patibulum : maledictus qui pendet in ligno (Deut. 31,25). Neque quod habetur 2 Reg. 21,6. 9 : dentur nobis septem viri, ut crucifigamus eos... qui crucifixerunt eos, de crucifixione est intellegendum, sed de suspensione in palo ligneo (LXX ἐξηλιάσωμεν αὐτούς, καὶ ἐξηλίασαν αὐτούς), uti Vulgata idem verbum (יקע Hiphil) Num. 25,4 reddit : suspende eos in patibulis.

In Palaestina Alexander Iannaeus circiter octingentos captivos in crucem tolli iussit (ἀνασταυρῶσαι; *Flav. Ios.* Ant. III. 14,2; Bell. iud. I. 4,6). Supplicium crucis apud Romanos infligi solitum servis, latronibus, sicariis, seditiosis, per Romanos etiam in Iudaea notum erat. Quare Christus ad illud alludens dicit : qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus (Matth. 10,38; cf. 16,24; Marc. 8,34; Luc. 9,23; 14,27). Erat crux, ut Cicero ait, extremum, summum, crudelissimum, teterrimum supplicium (c. Verr. 5,64. 165 et 5,66. 169). Quare eo nomine Christus gravissima quaeque pro fide ac virtute esse subeunda docet et simul respicit ad morem quo damnati ad crucis supplicium ipsi portare debebant lignum ad supplicii locum; et cum dicat : et sequitur me, simul iam innuit quo mortis genere ipse sit auferendus.

Crux triplicis erat formae, crux decussata X, crux commissa T, crux immissa †. Christi crucem fuisse immissam certo concludi potest ex titulo super eius capite posito. Eam formam testimonia quoque veterum describunt. Ita S. Iustinus dicit summam partem crucis in cornu attolli, Moysen expansis manibus orantem crucis figuram exhibuisse (c. Tryph. n. 91. 111), et crucem comparat velo, signis vexillorum et tropaeorum (Apol. 1,55). Tertullianus corpus esse in modum crucis dicit (de idol. 12) et ad nationes 1,12 : si statueris hominem manibus expansis, imaginem crucis feceris, et in Apolog. 16 in signis romanis cerni crucis formam pluribus effert. Eandem crucis immissae formam declarat S. Augustinus (in Ioan. tract. 118,5), cum dicat : « crux significari recte intellegitur quod ait apostolus : quae sit latitudo, et longitudo, et altitudo et profundum... alta est in cacumine quo transversum lignum sursum versus exceditur »; eam formam indicat Nonnus vocans crucem δόρυ τετράπλευρον lignum quadratum. In antiquis picturis a saeculo quinto et deinceps modo crux immissa, modo commissa exprimitur (cf. *Garrucci*, tavola 84. 139. 280. 432. 433. 446. 499; *Kraus*, Realencycl. der christl. Alterth. II. p. 240 ss.). Cum veteres dicere soleant : in crucem agere, tollere, ascendere, cruciarius cruci erectae affixus esse videtur. Quem modum in Christo quoque observatum describit Nonnus (ad Ioan. 19,18) : in lignum quadratum, altum, supra terram erectum extenderunt adstringentes vio-

lentia explicatas utrinque ferreo quodam vinculo manus; neque aliter rem concepit S. Ambrosius, cum saepius dicat, Christum ascensurum crucem vestimenta deposuisse, currum suum triumphatorem ascendere, considerandum qualis ascendat etc. (in Luc. lib. 10 n. 108 s.). Et ita plerique cf. *Knabenbauer*, Comment. in Matth. II. (*ed.* 2 p. 527 s.).

Manus et pedes affigi clavis in crucifixione veteres omnino docent. Vulgatum est illud apud Plautum : ego dabo ei talentum primus qui in crucem excucurrerit, sed ea lege ut affigantur his pedes, his brachia Mostell. 2,1. 13); affigi quippe pedes et manus in usu esse supponitur; his ut affigantur solum postulatur, ne minima sit evadendi occasio vel suspicio. Eandem perforationem docent S. Iustinus, Tertullianus, Hilarius, Cyprianus, Ephraem, Eusebius caesariensis, Eusebius emesenus, Lactantius, Novatianus, quorum aetate supplicium crucis infligi solebat (cf. *Langen*, Letzte Lebenstage Iesu p. 317; *Sepp*, Leben Iesu VI. p. 332; *Knabenbauer* l. c. p. 528 s.). Perforationem pedum Christi negarunt aliqui rationalistae. Sed ea clare indicatur, cum Christus dicat : videte manus meas et pedes quia ego ipse sum (Luc. 24,39); transfixione scil. agnoscere debent eum esse eundem qui in cruce pependit; ridiculum enim est quod aliqui oggerebant pedes esse ostensos ne eum spiritum putarent; verum ipse dicit cur ostenderit : quia ego ipse sum! pedes ergo ostendit eadem ex causa qua manus exhibet, ut agnoscant ipsum esse eundem ac gerere idem corpus; ad quod utique loca clavorum aptissima erant. Manus et pedes quo commodius clavis affigi possent esse loris adstricta facile admiseris idque S. Hilarius clare asserit (de Trinit. 10,13; *M.* 10,352)

Re ipsa exigi videtur, ut Christum quattuor clavis affixum esse dicamus. Nullibi enim apud veteres indicatur pedem pedi imponi et ita utrumque uno clavo transfigi; insuper valde dubitandum erit possitne id ullo modo fieri; profecto esset res difficillima. Duos pedum clavos S. Ambrosius supponit, dum duos illos clavos quos Helena misit Constantino ferrum pedum nominat (De obitu Theod. n. 47. 49; *M.* 16,1401. 1403 et Rufinus : clavos... portat ad filium, ex quibus ille frenos composuit... et ex aliis galeam fertur armasse (Hist. eccl. 1.8; *M.* 21.477). Quattuor clavos a S. Helena esse repertos etiam S. Gregorius turonensis commemorat (Mirac. lib. 1 de gloria martyrum cap. 6; *M.* 71,710). Atque recentiorum plerique eandem sententiam sequuntur; cf. *Kraus*, Der h. Nagel in der Domkirche zu Trier. Neque pro tribus clavis afferri potest Nonnum dicere (ad Ioan. 19,18) pedes esse transfixos ἄζυγι γόμφῳ; quae dictio certe explicari debet secundum id quod idem scribit ad v. 15 : erectus hic pereat ferriferis a clavis extensus in ligno mortis factae τετράζυγι δεσμῷ quadruplici vinculo. Unde illud ἄζυγι γόμφῳ explicari debebit de uncino duabus cuspidibus instructo, qui cum duae cuspides vel duo clavi ex uno quasi capite progrediantur et uno illo etiam uniantur, ἄζυξ γόμφος vocari poterat.

Palo in media cruce posito pondus corporis cruciarii sustinebatur. Inde dicebatur : sedere in cruce, equitare in cruce (cf. Seneca, epist. 101 versus finem). Eius pali mentio deprehenditur apud S. Iustinum, qui crucem describit : rectum unum lignum est a quo summa pars in cornu attollitur... et illud quod in media figitur, ut ei insideant qui crucifiguntur ipsum etiam veluti quoddam cornu eminet (τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ὡς κέρας καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐστίν, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦντο οἱ σταυρούμενοι, c. Tryph. n. 91; *M.* 6, 693). Similiter apud S. Irenaeum : ipse habitus crucis fines et summitates habet quinque; duos in longitudine et duos in latitudine, et unum in medio, in quo requiescit qui clavis affigitur (Adv. haer. 2,24. 4; *M.* 7,794-5); et apud Tertullianum : nobis tota crux imputatur cum antenna scil. sua et et cum illo sedilis excessu (Adv. nationes 1,12; *M.* 1,578; cf. c. Marc. 3,18; Adv. Iud. 10; *M.* 2, 346. 626). Illi itaque quorum tempore supplicium crucis infligebatur suppedaneum, cui pedes insistunt, non memorant. Videtur tamen exhiberi in ludicra illa imagine qua Alexamenos depingitur adorans hominem capite asini instructum (cf. *Garrucci* VI. 483; *Kraus*, Realencycl.

II. p. 774). Eius dein mentio fit tempore quo poena crucis iam erat abolita; et palum in medio positum non exprimi in imaginibus quae a saeculo quinto fieri coeptae sunt facile intellegitur; praebuisset enim aspectum foedum.

In evangelio apocrypho Nicodemi p. 1 A cap. 10 narratur Christum linteo praecinctum esse crucifixum. Neque aliter sentiendum erit. Nam etsi varii loci adduci possunt quibus cruciarios esse affixos nudos statuitur, tamen pariter certum est nudos etiam eos dici qui tamen non carent aliquo velamine. Neque Romani tam facile, quam Graeci, plenam nuditatem tolerabant, idemque de Iudaeis erit dicendum (plura vide apud *Knabenbauer* l. c. p. 530 s.). — Cruciatus huius supplicii fuisse plane horrendos iam eo patet quod vocabatur supplicium crudelissimum, teterrimum. Clavi in manibus pedibusque adigebantur per nervos dolorum summopere impatientes, haec vulnera magis per singula momenta inflammabantur; totum Christi corpus flagris discissum, cum esset aëri expositum, vehementissima cruciabatur inflammatione; iam sola manuum adeo diuturna expansione tormenta immania oriri debebant; ea enim circulatio sanguinis impediebatur, unde dolores gravissimi suffocationis sentiebantur. Praeterea corporis affixi conditione musculi omnes saeve intendebantur, quare anhelitus quivis et quaevis respiratio acerrimos dolores afferebat; adde sitim intolerabilem quae profusione sanguinis accendebatur. Quibus in tormentis Christus per aliquot horas pependit. Atque eos cruciatus sustinebat sine ulla sensuum hebetatione. Nam vinum myrrhatum quod ei ante crucifixionem offerebatur noluit bibere (Marc. 15,23; Matth. 27,34). Uti enim in Gemara babylonica ad tractatum de synedriis dicitur : qui educebatur ut occideretur potabatur grano thuris in poculo vini, ut eius mens perturbaretur (cf. *Ugolini,* Thes. XXV. p. 600), cruciariis offerebatur potus ad sensus sopiendos ne tormenta tantopere sentirent. At Christus cum gustasset noluit bibere, sed voluit cruciatus sentire sine ulla sensuum stupefactione. — De cruce luculenter scripserunt *Lipsius, Gretserus;* e recentioribus *Zestermann* (Die Kreuzigung bei den Alten), qui etiam satis probabiliter ostendit falsam esse opinionem satis vulgatam, supplicium crucis esse a Constantino Imperatore abolitum, verum supplicium hoc toto saeculo quarto permansisse et solum a tempore Theodosii M. in desuetudinem abiisse.

CRYSTALLUS v. LAPIDES PRETIOSI.

CUBITUS, pars brachii anterior; adhibetur pro mensura, ulna. Ulna Hebraeorum vulgaris habebat sex palmos i. e. 24 digitos et a brachii curvatura ad extremos usque digitos computabatur (cf. *Gesenius*, Thes. p. 110); cf. Deut. 3,11 : quattuor cubiti latitudinis in cubito viri i. e. ad mensuram cubiti virilis. Maior ulna commemoratur Ez. 40,5, quae scil. palmo maior erat quam ulna vulgaris. Haec ulna maior, de qua mentio quoque fieri videtur 2 Par. 3,3, longa fuit probabilissime secundum hodiernam mensuram 527 mm; altera minor c. 450 mm, uti *Benzinger,* Hebr. Archaeologie 1894 p. 180 statuit. Ceterum v. MENSURAE.

CUCUMIS. 1. Inter fructus aegyptios ab Israelitis in deserto desideratos cucumis commemoratur (Num. 11,5, hebr. הַקִּשֻּׁאִים). Potiores codices versionis septuagintaviralis, si differentiam formae atque significationis a profanis auctoribus servatam urgere fas est in textu huius versionis, non *cucumeres* (σικυούς B^{ab} ap. *Swete,* ed. sixt.), sed *cucurbitae* speciem (σικύας BAF ap. *Swete*) habent, quibus Lutherus cum paucis aliis assentitur. Reliquae versiones vel vocem hebraicam linguis cognatis chaldaicae, syriacae, arabicae, aethiopicae, assyriacae communem, retinent, vel cucumeres cum S. Hieronymo recte interpretantur (Vet. Lat. *cucumeres,* graec. Ven. σικύων, Onkelos ברצינא, cf. *I. Löw,* Aram. Pfl. n. 278 et p. 67).

2. Cucumeres, orientalibus hodiernis pariter et antiquis gratissimi, magna abundantia variisque speciebus et colebantur et coluntur praesertim in Aegypto, ubi hodie *Cucumis sativus* Linné

et *C. Chate* L. communissimi sunt. Monumenta antiqua tum assyriaca (*Gudea* C, col. 6,1; *Sennacherib* Prisma col. 6,2 etc.) tum maxime aegyptiaca cucumeres cum aliis cucurbitaceis frequenter commemorant eorumque imagines repraesentant. In Palaestina quoque nunc, finita messe frumenti, praesertim in planitie maritima, magni campi cucumeribus consiti conspiciuntur, quorum in medio vile tuguriolum pro custodibus exstruitur. Tali custodiae in cucumerario (מְלוּנָה בְּמִקְשָׁה) Isaias propheta Ierusalem a Domino derelictam comparat Is. 1,8). Neque raro ad metum avibus atque bestiis terrae incutiendum etiam formido in istis campis statuitur, cui in epistula Ieremiae dii inanes bene assimilantur : « Sicut in cucumerario formido nihil custodit, ita sunt dii eorum lignei et argentei et inaurati » (Bar. 6,69 προΐσασκάνιον ἐν σικυηράτῳ).

Cf. *B. Baldini*, Tractatus de Cucumeribus, Florentiae 1586; *Prosper Alpin.*, De plantis Aegypti c. 38; *M. Hiller*, Hierophyt. II. 58; *O. Celsius*, Hierob. II. 247-51. *Fr. Hasselquist*, Reise *ed. C. Linné*, Rostock 1762, 530; *P. Cultrera*, Flora bibl. 228 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8 p. 441-3; *Leunis-Frank*, Synopsis II. 2 *ed.* 3 p. 663; *E. Boissier*, Flora orient. II. 759; *A. Braun* in Ztschr. f. Ethnol. IX. 1877, 303 s.; *Wilkinson-Birch*, Manners and customs II. 461; *A. de Candolle*, Origine des plantes cultivées 210-2; *Fr. Woenig*, Die Pflanzen im alten Aeg. 200-7; *V. Loret*, Flore pharaonique *ed.* 2 p. 74 s.; *V. Hehn*, Kulturpfl. e. Hausthiere *ed.* 6 p. 304-14; *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam. IV. 5,27 s.; *G. E. Post*, Flora of Syria 324. — V. etiam PEPO.

L. FONCK.

CULEX. **1**. Culex semel in S. Scriptura nominatur, cum Dominus in Evangelio Pharisaeis hypocritis inter alia improperat, quod duces sint caeci, « excolantes culicem διυλίζοντες τὸν κώνωπα), camelum autem glutientes », minima scil. curantes et maxima neglegentes (Matth. 23,24). De more isto pharisaico excolandi culices, qui forte in vino aliove potu reperti fuerint, saepius in Talmude sermo est (cf. etiam Am. 6,6 LXX), et qui culicem talem comederit, praevaricator legis declaratur, quamvis muscam casu in potu repertam, quasi ex ipso ortam, una cum eo sumere licuerit.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. 565, *ed. Rosenm.* III. 445; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talmuds 314. 316.

2. Nomine culicis *Bochartus* proprie speciem peculiarem vinarii culicis significari censet. At argumentis suis alias culicum species non videtur excludere, quae praesertim in Oriente frequentissimae et molestissimae sunt. Aliqua ex istis speciebus etiam inter plagas Aegypti videtur commemorari nomine כִּנִּים, de quo v. SCINIFES.

Cf. *Bochart* o. c. II. 562-71, *ed. Ros.* III. 442-54; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8 p. 327 s.; *F. G. Wood*, Bible Animals 635 s.; *P. Cultrera*, Fauna biblica 396.

L. FONCK.

CULON oppidum montis Iuda (LXX Ios. 15,59 Κουλόν) vide s. v. AMOSA.

CULTUS. De modo quo patriarchae Deum colebant solum pauca referuntur. Cultum autem Dei per nobilissimum modum, scil. per sacrificium, iam a primis temporibus esse exercitum, ostendunt tum sacrificia illa ab Abel, Cain, Noe oblata (Gen. 4,3 s.; 8,21), tum usus ille omnibus populis communis adorandi numen per sacrificia, qui usus adeo universalis ex uno fonte communi, a primaeva institutione generis humani, merito derivandus est. Sacrificiis preces quoque et supplicationes esse adiunctas quibus actio sacrificalis quasi animetur et prout decet ab homine concipiatur certum est. Et de Enos, nepote Adam dicitur : coepit invocare nomen Domini (Gen. 4,26), i. e. coepit et nomen Domini praedicare et eius cultum publicum et sollemnem propagare. Et cum post diluvium idololatria longe lateque serperet, Deus elegit Abraham patriarcham populi Dei eique praecepit : ambula coram me et esto perfectus (Gen. 17,1), simul docens qua in re verus Dei cultus consisteret, ut scil. toto animo Deo se subdens universam vitae rationem ad Dei voluntatem componeret. Atque hanc animi devotionem Abraham eo quoque manifestavit

quod variis in locis altaria aedificavit Domino, proin sacrificia Deo obtulit et monumenta Deo vero sacra exstare ad rei memoriam voluit (Gen. 12,7. 8; 13,4. 18). Quae vero victimae essent seligendae ab ipso Domino edoctus est Gen. 15,9. Dein circumcisione instituta foedus illud initiatum est quo Deus sibi elegit stirpem ad cultum Dei in genere humano conservandum. Epulas quoque sacrificales tempore patriarcharum esse habitas discimus Gen. 31,54 et 46,1. Uti altaria erigebantur iis in locis in quibus Deus se patriarchis manifestavit, ita lapides quoque in titulum, qui oleo infuso consecrabantur Gen. 28,18; 35,14. Deum votis quoque coli et testem invocari iuramenti et vindicem iam eodem tempore in usu erat (cf. Gen. 28,20; 31,53; 24,3).

Inter bona quae Israelitis obtigerunt apostolus etiam enumerat λατρείαν i. e. cultum Dei eiusque ordinem divinitus iis esse traditum. Ipsa enim sanctuarii constitutio et ornamenta, sacrificia quae singulis diebus, quae praecipuis anni festis essent offerenda, ministeria sacerdotum et levitarum lege mosaica determinabantur. Praeterea variis illis praeceptis de cibis, de munditie levitica tota Israelitarum vita sub obedientia Dei collocabatur. Qua autem mente et praecepta illa cultus et praescripta vitae obeunda sint, ut Deus vere colatur, ipsa lege inculcatur et per prophetas viva voce continuo in memoriam revocatur; ita Deut. 5,29; 6,5 : diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc. 8,3 s.; 10,12; 11,1; 30,16. 20 etc. Atque prophetae summopere monent ne externis ritibus et caerimoniis rem constitui putent; quare sine vera animi pietate ac religione illa Deo minime accepta esse graviter docent; ita Samuel : numquid vult Dominus holocausta et victimas et non potius ut obediatur voci Domini? melior est obedientia quam victimae (1 Reg. 15, 22); cf. Ps. 49,7-23; Is. 1,11 : quo mihi multitudinem victimarum vestrarum?... lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere etc. 2,5; 12,1 s.; 28,12; 55,3; 58,5 s.; 66,2 et Ier. 7,3 : bonas facite vias vestras et studia vestra! nolite confidere in verbis mendacii dicentes templum Domini... numquid spelunca latronum facta est domus ista? Os. 6,6; Am. 5,14. 15; Mich. 3,11; 6,8 : indicabo tibi, o homo, quid sit bonum et quid Dominus requirat a te : utique facere iudicium et diligere misericordiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo. Ne scil. in sacrificiis foedus cum Deo foederisque bona constitui arbitrarentur, Ieremias iis in memoriam revocat quod Ex. 19,5 s. clare continetur : foedus non conclusisse Deum in sacrificiis, sed in obedientia et pietate : quia non sum locutus cum patribus vestris et non praecepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holocautomatum et victimarum; sed hoc verbum praecepi eis dicens : audite vocem meam et ero vobis Deus et vos eritis mihi populus et ambulate in omni via quam mandavi vobis, ut bene sit vobis (Ier. 7,22. 23). Cum enim de foedere ageretur, ea solum conditio et animorum dispositio postulabatur : si audieritis vocem meam et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium, in regnum sacerdotale, et populus respondit : cuncta quae locutus est Dominus faciemus et ea sponsione facta foedus est conclusum (Ex. 19,5-8). Quae populo proponere eo magis necessarium erat, quo maiore, pompa et sollemnitate cultus ille Dei externus et ordinibus sacerdotum et ministeriis levitarum a Davide constitutis peragebatur (cf. 1 Par. 16,3 ss.; 23,2-26,24).

Pro antiquo tempore valebat lex : altare de terra facietis mihi et offeretis super eo holocausta et pacifica vestra, in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei veniam ad te et benedicam tibi (Ex. 20,24); quare in variis locis offerebatur, ubicumque aliqua Dei vel angeli Dei manifestatio habebatur (cf. Iud. 6,18; 21,4; 1 Reg. 7,17; 9,12; 14, 35; vide s. v. ALTARE). Nam ut in uno solum loco sacrificia offerrentur, statutum erat pro tempore quo Deus in una tribuum sibi electurus esset sanctuarium (Deut. 12,14), id quod ante templum aedificatum non contigit; nam « per cuncta loca quae transivi cum omnibus filiis Israel, numquid loquens locutus sum ad unam de tribubus Israel, dicens : quare

non aedificastis mihi domum cedrinam? » 2 Reg. 7,7. Haec electio tum facta est, cum templum in Ierusalem aedificare Salomon a Domino iuberetur. Quare reduces ex exsilio statim eodem loco altare erexerunt, ut offerrent in eo holocautomata (Esdr. 3,2 et ita cultus Dei per sacrificia, qui tempore exsilii exerceri non potuit, iterum restitutus est; denuo cessavit per annos tres, cum Antiochus Epiphanes sanctuarium Dei sacrificiis idololatricis polluerel; sed Syris e monte templi pulsis cultus Dei restitutus est cf. 1 Mach. 1,54. 59; 4,38 s.).

Uti ex Ez. et Bar. colligitur, tempore exsilii saepius congregabantur ad prophetas, a quibus et verbis admonebantur et lectione libri, sicut Ieremias quoque librum misit ad exsules (Ier. 29,1). Hisce initia quaedam synagogarum conspici facile diceris. Post exsilium enim paulatim ubicumque Iudaei erant synagogae exsistebant, in quibus diebus sabbati et festis Iudaei et proselyti oratione, lectione legis et prophetarum religionem pietatemque fovebant. Lectionem ab oratione esse inceptam iam habetur Neh. 8,3 et oratione quoque esse conclusam Neh. 9,3 innuitur. Ipsam lectionem excipiebat explanatio vel adhortatio, uti Luc. 4,20; Act. 13,15; 17,3 indicatur.

Pro Christianis modum Deum colendi Iesus docuit Ioan. 4,23. 24 et illum instituit cultum quo Deo maximus confertur honor : hoc facite in meam commemorationem (1 Cor. 11,24). Quem cultum a primis temporibus assidue esse exercitum videmus (Act. 2,42; 1 Cor. 11,20; 10, 16), idque praeprimis factum esse die prima hebdomadis iam cernitur Act. 20,7 et 1 Cor. 16,2 et pariter elucet ex Doctrina duodecim apostolorum : κατὰ κυριακὴν δὲ Κυρίου συναχθέντες κλάσατε ἄρτον etc. (cap. 14), ubi simul natura et indoles sacrificii designatur, quia fideles iubentur accedere ad eucharistiam προεξομολογησάμενοι τὰ παραπτώματα, ὅπως καθαρὰ ἡ θυσία ὑμῶν ᾖ, et explicite asseritur in eucharistia impleri vaticinium Malachiae (1,11).

I. KNABENBAUER.

CUPIDITAS v. CARO.

CUPRESSUS (cypressus) bis in libro Ecclesiastici occurrit in comparatione ad laudem Sapientiae adhibita (24,17, gr. 10) et similiter in praeconio Simonis sacerdotis (50,11, gr. 10). In utroque loco textus graecus κυπάρισσον habet. Peshitta vero arborem אילנא דבישתא appellat (*ed. Lagarde*), quam *I. Low* dicit esse terebinthum atque in Scriptura עץ שמן vocari (Aramaeische Pflanzennamen, Leipzig 1881, n. 95 p. 138). Atque haec eadem expressio in textu hebraico Ecclesiastici nuper reperto revera adhibetur (cf. *N. Peters*, Hebr. Text des Eccli p. 291); de eius significatione v. LIGNUM PULCHERRIMUM, OLIVA.

Certe arbor a Siracida significata in montibus, praesertim in Hermone, qui hic in Vulgata vocatur Sion (cf. Deut. 4, 48), crescebat, nobilis ac pulchra visu et « in altitudinem se extollens ». Talis autem arbor tum abies tum cupressus esse poterit. De abiete alibi dicta sufficiant. Cupressi orientalis duae sunt species, seu potius duae eiusdem speciei varietates, scil. *Cupressus sempervirens* Linné (= *C. fastigiata* De Candolle, seu *C. pyramidalis* Targioni) et *C. sempervirens* var. *horizontalis* Linné (seu *C. horizontalis* Mill.). Utraque varietas regionem mediam (1000-1600 metrorum) Libani aliorumque montium Syriae septemtrionalis, Persiae, Ciliciae, Cypri, Cretae incolit, et fastigiata ubique culta crescit. Altitudinem 25 metrorum attingit et coma pyramidali ac sempervirenti ramisque confertis pulchrum praebet adspectum.

Cf. *E. Boissier*, Flora orient. V. 705; *G. E. Post*, Flora of Syria 748; *C. Ritter*, Erdkunde XI. 567-582; *V. Hehn*, Kulturpflanzen, *ed.* 6 p. 276-283. 577 s.; *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam. II. 1,99 s.

Reges babylonii et assyrii in construendis templis ac palatiis suis frequenter cupresso (bab.-ass. *shurmenu*) utebantur, quam ex montibus Libano et Amano aliisque vicinis sibi procurabant (*Agum-Kakrimi*, Col. 4,10; *Asurnasirpal*, Annal. Col. 3,89. *Sargon*, Khorsab. 143 etc.); in catalogo montium assyriaco specialiter Libanon duoque alii montes *shad shurmeni* « mons cupressi » appellatur propter magnam cupressorum co-

piam (*Frd. Delitzsch,* Paradies p. 101). Similiter etiam regiis aegyptiis lignum cupressinum ad varios usus inserviebat, quamvis de nomine aegyptiaco non satis constet (*Ch. E. Moldenke*, Ueber die in altaeg. Texten erw. Bäume, Leipzig 1887 p. 135. 142). Auctores quoque graeci et latini frequentissime de praestantia varioque usu eiusdem ligni loquuntur (*Theophrast.* Hist. pl. I. 5,1 etc.; V. 4,2; 7,4 et al. saepissime; *Diod. Sic.* II. 8,3; XIX. 58,3 *Vitruv.* II. 9,5. 12; *Strabo* XVI. 1,11, *ed. Cas.* p. 741; *Plin.* XVI. 33,139 etc.; *Arrian.* VII. 10,4 e. a. m.).

Licet igitur etiam apud Hebraeos usum huius ligni multiplicem supponere possimus, Scriptura tamen admodum pauca de eo refert. Semel Vulgata *cupressina* laquearia commemorat (Cant. 1,16, hebr. 17), quae in hebraeo sunt בְּרוֹתִים i. e. potius abiegna (cf. ABIES). Probabiliter autem עֲצֵי גֹפֶר, quibus Noe in arcae fabrica usus est (Gen. 6,14), quaeque a S. Hieronymo « ligna laevigata » dicuntur, revera cupressina erant (v. LIGNA LAEVIGATA). Praeterea תְּאַשּׁוּר quoque Is. 41,19; 60,13. Cf. Ez. 27,6) cupressum videtur designare (v. BUXUS).

Cf. *I. Chr. Biel*, Exercitatio de lignis ex Libano ad templ. hieros. aedif. petitis, Brunswigae 1740; *E. Fournier,* Sur les noms anciens des cyprès, Extr. des Actes du Congrès internat. des botan., Paris 1867; *Olck* in *Pauly-Wissowa,* Real-Encyclopädie IV. 1909-38. Alia v. in art. ABIES.

L. FONCK.

CUPRUM v. AES, METALLA.

CURIA (βουλευτήριον) dicitur 1 Mach. 8,19 et 12,3 de curia romana, de loco in quem senatores Romani convenire solebant ad deliberandum; item 8,15 : curiam fecerunt sibi, ubi pōtius metonymice usurpatur : collegium virorum ad deliberandum et decernendum sibi fecerunt, senatores sibi crearunt.

CURSOR levis explicatur a S. Hieronymo hebr. בִּכְרָה קַלָּה, quod proprie camelam levem designat. V. CAMELUS.

CUSI (קִישִׁי, Κισά, Κεισάν) levita ex familia Merari (1 Par. 6,44 [29]); idem 1 Par. 15,17 vocatur Casaia (קִישָׁיָהוּ, Κισαΐας).

CUSTODIA notione obvia dicitur Ex. 22,7 : si quis commendaverit amico pecuniam aut vas in custodiam etc., itemque aliquem teneri in custodia i. e. in carcere, tradere in custodiam (Gen. 39,22; 40,4; 42,17; Neh. 12,38; 1 Mach. 9,53; 13,12 aliquem detinere, captivum ducere; 14,3; Act. 4,3; 5,18; 8,3; 16,25; 22,4) vel ita detinere, ut ab aliorum consortio arceatur (2 Reg. 20,3); vide s. v. CAPTIVITAS. Obvium quoque est, ut custodia dicatur pro ipsis custodibus; ita Act. 12,10 : transeuntes primam et secundam custodiam, custodes primo loco et secundo positos, vel primam et alteram stationem custodum; simili modo adhibetur de militibus praesidiariis, de praesidio in aliqua urbe collocato, φρουρά, 1 Mach. 6,50; 9,51; 10,75; 11,3. Etiam de loco in quo custodia vel observatio habetur; ita Is. 21,8; Hab. 2,1 : super custodiam meam stabo; sunt quippe prophetae quasi custodes et speculatores qui in alta veluti specula constituti curam populi gerunt, hostem appropinquantem nuntiant, periculis prospiciunt. Et si in Vulgata Ps. 78,2 legitur : posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam (LXX ὀπωροφυλάκιον), sensus est : redegerunt urbem quasi in tuguriolum, in casam humilem, qualis erigi solet in agris et hortis ad fructus et poma custodienda. De tempore quo custodia vel vigilia agenda est usurpatur Ps. 89,4 : custodia in nocte, quarum olim tres habebant (cf. Iud. 7,19 hebr.), postmodum quattuor (Matth. 14,25; Marc. 6,48), et pariter Ps. 129,6 in Vulgata eadem notione legitur. Frequenter adhibetur custodia de munere custodiendi, de ministerio commisso, quo scil. multa custodienda et observanda sunt; ita dicitur de officio levitarum quibus et custodia tabernaculi sensu strictiore et ministerium sacrum circa tabernaculum et templum demandatum erat (cf. Lev. 8,35; Num. 1,53; 3,32 s.; 8,26; 18,4; 31,30). Demum etiam vox traducitur ad illa ipsa designanda, quae custodienda, observanda sunt : observa custodias Domini (3 Reg. 2,3) i. e. praecepta, mandata; quare

Act. 27,1. 42 ipsi quoque vincti, captivi eo nomine designantur : tradi Paulum cum reliquis custodiis centurioni; militum consilium fuit ut custodias occiderent; graece in utroque loco δεσμώτας.

CUTHA (כּוּת, כִּיתָה; Χουθά, Χούθ) enumeratur una cum Babylone, Avah, Emath, Sepharvaim regionibus, ex quibus Sargon incolas in Samariam transtulit (4 Reg. 17,24). Ab his colonis, qui cum Israelitarum reliquiis miscebantur, originem duxerunt Samaritani. Colonos autem ex Cutha translatos numerosiores fuisse eo comprobatur, quod Samaritani simpliciter Chuthaei vocantur tum apud Flavium Iosephum (Ant. IX. 14,3; XI. 4,4; 7,2; XIII. 9,1) tum apud Talmudicos passim (*Mishna*, Berachoth 7,1; 8, 8; Pea 2,7 etc. etc.). Praeterea docemur 4 Reg. 17,30 Cuthaeos secum in Samariam attulisse idolum Nergel (vide s. v.). Cutha ab assyriologis agnoscitur *Kuti* (Kutu?) urbs Babyloniae saepius in inscriptionibus cuneiformibus una cum Babel et Borsippa enumerata, hodie *Tell Ibrahîm* 28 km a Babel inter septemtrionem et orientem.

Cf. *Ménant*, Annales des rois d'Assyrie p. 102. 262; *Schrader*, Keilinschriftl. Bibliothek I. 138 s. 186 s.; Proceedings of the Soc. of Bibl. Archaeol. V. 1883 p. 84; Transactions of the Soc. of Bibl. Archaeol. VIII. 1884 p. 182-184; *Delitzsch*, Paradies 217. 218; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. 271; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 III. 571.

CYGNUS inter aves immundas bis in lege nominatur; si ordinem vocabulorum attendas, primo loco (Lev. 11,18) pro hebr. תִּנְשֶׁמֶת, altero (Deut. 14,16) pro hebr. יַנְשׁוּף poni videtur. At ex Is. 34,11 apparet, hanc ultimam יַנְשׁוּף S. Hieronymo esse *ibin*, ideoque in Deut. pro « cygnum et ibin » potius inverso ordine « ibin et cygnum » sicut in Levit. legendum esse. Praeter nomen S. Scriptura nil de hac ave refert. — Ex versionibus antiquis LXX, si eundem supponas ordinem verborum in ipsorum textu hebraico fuisse, in primo loco תִּנְשֶׁמֶת πορφυρίωνα, in altero ἴβιν vertisse dices; at ἴβιν tum Lev. 11,17, tum Is. 34,11 יַנְשׁוּף interpretantur, ideoque ordo verborum videtur mutatus esse. Fortasse κύκνον, quod Deut. 14,16 pro יַנְשׁוּף habent, et hic et in Lev. 11,18 pro תִּנְשֶׁמֶת legendum erit, ut in Vulgata. Onkelos בּוּתָא explicat, quam noctuae speciem dicunt; Paraphrasta Chaldaeus אוּתְיָא reddit, quam *Bochartus* similiter avem nocturnam exponit (Hieroz. II. 286), alii vero otidem vel alteram avem supponunt (*Levy*); Syrus probabiliter (quia ordo variat) כּוֹכְבִי vertit, quam nycticoracem, herodium, bubonem interpretantur (*Payne Smith* 1695; *Brun* 233); Graecus Venetus, si ordinem verborum servavit, priore loco γλαῦκα, altero χελιδών reddit. Profecto ex illis aliisque versionibus haud facile quis certi aliquid eruat. — Quare etiam interpretes veteres et recentiores vix quidquam praeter coniecturas plus vel minus doctas, praesertim ex etymo vocis תִּנְשֶׁמֶת, proferunt. *Bochartus* significari censet *noctuam*, quae aliquibus veteribus atque etiam multis recentioribus placet; *Michaelis anserem* praefert, *Oedmann* pelecanum onocrotalum suadet et cl. *Rosenmüller* persuadet; Talmudistae hanc avem *vespertilionem* esse non dubitant (ap. *Lewysohn*). Alii aliis candidatis patrocinantur, quos longum est exponere. Contra *cygnum* S. Hieronymi nihil habent, nisi quod sit parum frequens in Oriente : at non ita rarus est, ut Arabes palaestinenses non duas saltem species (*Cygnus olor* Linné, *C. musicus* Bechstein) bene noscant atque distinguant; pariter etiam antiquis cygnus optime notus erat. — Eadem vox hebraica תִּנְשֶׁמֶת etiam inter reptilia Lev. 11,30 recurrit atque a S. Hieronymo *talpa* explicatur; a recentioribus communius *chamaeleon* exponitur. V. TALPA.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. 286-92, *ed. Rosenm.* III. 31-9; *I. D. Michaelis*, Supplem. ad lex. hebr. p. 1692 s.; *Sam. Oedmann*, Verm. Samml. III. 48-57; *E. F. K. Rosenmüller* not. ad *Bochart* l. c. 39; *id.* Bibl. Alterth. IV. 2,313-5; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Gr. u. Römer 384-401; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talm. 102-5; *L. Rütimeyer*, Fauna der Pfahlbauten, Basel 1861,113. 115; *J. Duemichen*, Resultate I. tab. 8; *R. Hart-*

mann ib. p. 30; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8,249-51; *id.* Fauna and Flora of Palest. 114; *Leunis-Ludwig,* Synopsis I. 1 *ed.* 3 p. 487 s.; *A. E. Brehm,* Tierleben *ed.* 3 VI. 592-600; *J. G. Wood,* Bible Animals 485-90; *P. Cultrera,* Fauna bibl. 318 s.; *O. Keller,* Thiere d. klass. Alterth. 271. 450; *G. Loreta,* La zoologia nella Bibbia 123 p.

L. FONCK.

CYMBALUM v. MUSICA.

CYMINUM, hebr. כַּמּוֹן, ab Isaia nominatur cum gith ac frumento herbisque, quas agricola in horto vel agro suo serit (Is. 28,25), semina eius sat fragilia, ubi maturuerunt, non rota plaustri sed baculo excutiendo (ib. v. 27); quo exemplo propheta ostendit iudicii discretionem qua pro sua quidque indole tractandum sit et administrandum. In Evangelio quoque cyminum cum mentha et anetho a Domino commemoratur inter herbas, quas decimabant scribae et Pharisaei hypocritae (Matth. 23,23 κύμινον; cf. Luc. 11,42 decimatis mentham et rutam *et omne olus*). — Vox hebraica, quam versiones fere retinent (LXX κύμινον; Chaldaeus et Peshitta כמונא, aethiop. *kemīn*, armen. *tshaman*, arab. *kamun* etc.; cf. assyr. *kamunu* ap. *Frd. Delitzsch,* Ass. Hdwb. 436 a et pun. χαμαν ap. *I. Löw,* Aram. Pfl. 410,83), ex consensu communi herbam *Cuminum cyminum* Linné ex ord. *Umbelliferarum* designat, quae etiam nunc in Oriente ubique colitur et hic illic etiam subspontaneum invenitur (*Boissier, Post*); confundenda non est cum alia herba simili, quam Germani aliique eodem nomine (*Kümmel*) appellant. Antiquis cyminum maxime ex eo notissimum erat, quod semen condiendis cibis communiter adhibebatur atque etiam in remedia varia utile erat (*Theophr.* Hist. pl. I. 11, 2; VII. 3,2 s.; IX. 8,8 etc.; *Columella,* De re rust. 10,245; *Dioscur.* Mat. med. 3,61 al. 68 s.; *Plin.* XIX. 8,160 s.; *Athen.* 7 p. 293 al.). Etiam apud Aegyptios cyminum in usu fuisse docent frequens eius mentio in textibus hieroglyphicis seminumque reliquiae, quae in museo florentino monstrantur. — De decimando cumino et anetho ac reliquis saepius in Talmude sermo est (cf. ANETHUM).

Cf. *J. H. Ursinus,* Arboreti bibl. Cont. 119 s.; *M. Hiller,* Hierophyt. II. 48 s.; *O. Celsius,* Hierobot. I. 516-9; *P. Cultrera,* Flora bibl. 190; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8 p. 443; *J. Löw,* Aram. Pflanzennamen n. 152; *Leunis-Frank,* Synopsis II. 2 *ed.* 3 p. 251. 265; *E. Boissier,* Flora orient. II. 1080; *V. Hehn,* Kulturpfl. u. Hausth. *ed.* 6 p. 203-6; *Engler-Prantl,* Natürl. Pflanzenfam. III. 8,184; *G. E. Post,* Flora of Syria 373.

L. FONCK.

CYPRESSUS v. CUPRESSUS.

CYPRIARCHES (Κυπριάρχης) titulus Nicanoris (2 Mach. 12,2), qui cum aliis regionum praefectis Iudaeos pace cum Lysia composita tranquille frui non sinebat. Eius nominis munus quale fuerit, inter doctos non convenit; alii enim in eadem conditione fuisse cypriarchen volunt, in qua Asiarchas, Lyciarchas etc. (v. ASIARCHAE), alii mere praefectum Cypri insulae ab Antiocho IV. Epiphane occupatae eum fuisse existimant. Ex inscriptionibus autem effici videtur cypriarchen et praefectum fuisse insulae et pontificem, cuius erat Cypriorum nomine certis temporibus regibus Ptolemaeis specialem cultum tribuere (*E. Beurlier*). Idem munus cypriarchae regnante Antiocho IV. etiam gerebat Crates, de quo 2 Mach. 4,29 (in Vulgata Sostratus; sed v. textum graecum).

Cf. *E. Beurlier* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible II. 1175; Corpus inscript. graec. 2621. 2622; *Le Bas et Waddington,* Voyage archéologique III. n. 2757. 2781. 2796; Journal of Hellenic Studies 1891, XII. p. 181, n. 16; p. 195, n. 52; *Sakellarios,* Κυπριακά 1890, I. p. 69. 94-98. 100. 102. 125. 178.

CYPRUS (Κύπρος), magna insula in parte orientali maris Mediterranei, quae non ita procul a litoribus Ciliciae et Syriae extenditur. Ad eam quoque insulam Lucius consul misit epistulam de Iudaeis (1 Mach. 15,23). Doctrina christiana in insulam iam perlata est ab iis qui persecutione contra S. Stephanum excitata dispersi fuerant (Act. 11,19); Barnabas levites erat genere Cyprius (Act. 4,36). S. Paulus in primo itinere

apostolico cum Barnaba et Marco in Cyprum a Seleucia navigavit, praedicavit Salaminae in synagogis Iudaeorum et perambulavit universam insulam usque Paphum. Ibi Sergius Paulus proconsul, cum vidisset Elymam magum (vide s. v. BARIESU) resistentem doctrinae Christi a Paulo caecitate esse punitum, credidit admirans super doctrina Domini (Act. 13,4-12). Paulus quidem a Papho Pergen Pamphyliae se contulit. Concilio apostolorum Hierosolymis habito Paulus alterum iter apostolicum suscepit; cum autem Barnabae qui Marcum assumere comitem optabat non acquiesceret, Barnabas assumpto Marco ab Antiochia iterum se contulit Cyprum (Act. 15,39). Ultima insulae mentio fit in narratione itineris romani Act. 27,4: et inde (a Sidone) cum sustulissemus, subnavigavimus Cyprum, propterea quod essent venti contrarii. — Erat Cyprus sub Augusto prius provincia imperatoria, quae itaque a praetore administrabatur; at mox Augustus eam populo reddidit, sicut eodem tempore Galliam quoque narbonensem, quia, uti Dio Cassius scribit (54,4), nihil armis suis indigerent, atque ita proconsules etiam in istas provincias missi sunt. Quare recte Sergius Paulus appellatur proconsul. — Habitasse Iudaeos in insula Iosephus quoque notat (Ant. XIII, 10,4) et Philo scribit celeberrimas insularum, Euboeam, Cyprum, Cretam, esse plenas colonorum Iudaeorum (Op. *ed. Mangey* II. p. 587; *ed. Lipsiae* VI. 1829, p. 131). Vide etiam CETHIM.

CYPRUS, כֹּפֶר bis in Cantico nominatur, cum sponsa dilectum suum botro cypri in vineis Engaddi comparet (Cant. 1,13) et sponsus inter varia aromata paradisi, quae in laudibus dilectae enumerat, primo loco cypros (כְּפָרִים) cum nardo commemoret (ib. 4,13). LXX κόπρος reddunt, Peshitta retento nomine hebraeo כיפרא; Chaldaeus propter *vineas* Engaddi botros *uvae* (ענבין) interpretatur, ratione non omnino cogente, cum כֶּרֶם etiam plantationem et hortum quemcumque designet (cf. Iud. 15,5). Ex versionibus posterioribus graecus venetus botrum *palmae* (φοινίκων) explicat, sicut etiam *Aben Esra*; atque huic sensui *Michaelis* quoque favet. — At merito communiter admittitur, nec uvarum nec palmarum flores aut fructus, sed fruticem *Lawsonia alba* Lamarck dictum (= *L. inermis* Linné) ex ordine *Lythrariearum* esse cyprum antiquorum. Arbuscula haec, Arabibus hodiernis *el-henna* vocata, in Aegypto atque Palaestina et Persia frequenter in hortis colitur atque ibidem et in Arabia Petraea subspontanea invenitur; at indigena videtur esse in Belutschia atque in partibus Indiae orientalis, unde mediante Persia atque finitimis regionibus in Aegyptum introducta censetur. — Nomen latinum et graecum cum ipsa planta ex oriente acceptum idem est cum hebr. כֹּפֶר (cf. copt. *kuper*, aeg. *puker*, in text. demot. *kapra;* ap. Nubios *chofreh*.

Cf. *Prosper Alpin.*, De plantis Aegypti c. 13; *P. Forskal*, Flora aegypt.-arab. LV; *E. Boissier*, Flora orient. II. 744; *Leunis-Frank*, Synopsis II. 2 *ed.* 3 p. 208; *P. Ascherson* in Verh. d. bot. Ver. d. Prov. Brandenburg XVIII. 1876, XII. s.; *A. de Candolle*, Origine des plantes cultivées 109-11; *G. Schweinfurth* in Verhandl. d. Ges. f. Anthrop. 1891, 658.

Flores huius fruticis coloris albidi, in racemorum modum cohaerentes, fortem ac gratissimum odorem exhalant atque ideo verbis Cantici optime conveniunt. Antiquis notissimi erant, ac speciatim Aegyptiis iam inde a regni antiqui aetate, tertio scilicet millennio ante Christum, innotuere. Praeterea odore florum, praesertim etiam pulvere foliorum commendabatur, quo ad tingendos capillos, faciem, digitos, ungues etc. atque ad varia etiam remedia utebantur. Pariter etiam postea propter aroma et propter colorem cyprus in honore mansit; in libris et legibus talmudicis atque in auctoribus arabicis frequenter commemoratur et orientalibus hodiernis, sicut etiam Albanensibus, praesertim usus cyprini coloris gratissimus est. Sed de hoc aliisque cypri usibus (cf. *Diosc.* Mat. med. 1,124, cf. 65 et *C. Sprengel* comment. in h. l.; *Plin.* XII. 24,109; XIII. 1,5. 6. 11; XXIII. 4,90 s.; *Flav. Ios.*

Bell. iud. IV. 8,3) S. Scriptura tacet, quamquam aliqui immerito verba Deut. 21,12 *circumcidet ungues* de tingendis unguibus pulvere cyprino explicant.

Cf. *J. H. Ursinus*, Arboret. bibl. 370-2; *M. Hiller*, Hierophyt. I. 451 s.; *O. Celsius*, Hierobot. I. 222-6; *I. D. Michaelis*, Supplem. ad Lex. hebr. p. 1333-5; *Sam. Oedmann*, Verm. Samml. 1,91-102; 6,102-5; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1,132-6; *P. Cultrera*, Flora bibl. 332-4; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8 p. 339 s.; *J. H. Balfour*, Plants of the Bible, ed. nova 113 s.; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 211-3. — De antiquis Aegyptiis cf. *V. Loret*, Flore pharaon. *ed.* 2 p. 80 s.; *Fr. Woenig*, Pflanzen im alt. Aeg. 349-51; *L. Borchardt* in Ztschr. f. aeg. Spr. XXXV. 1897, 168-70. — De usu hodierno cf. *Fr. Hasselquist*, Reise 502-4; *E. W. Lane*, Sitten u. Gebr. d. heut. Aeg. *ed. J. Th. Zenker* 1,33-5; *H. J. van Lennep*, Bible Lands, London 1875, 143; *Cl. R. Conder*, Tent Work in Palest., London 1879, II. 245; *A. Arab* in Al-Machriq I. 1898, 913-7.

L. FONCK.

CYRENE (Κυρήνη), urbs florentissima Libyae pentapolitanae, quae ab ea urbe etiam Libya cyrenaica vocabatur. In ea urbe et regione multi Iudaeorum incolebant (cf. *Flav. Ios.* Ant. XIV. 7,2; XVI. 6,1); ad eam quoque urbem Lucius consul misit epistulam de Iudaeis 1 Mach. 15,23. In Ierusalem multi habitabant Iudaei cyrenaei, qui ex urbe Cyrene oriundi in civitate sancta sedem fixerunt; habebant propriam synagogam (Act. 6,9). Ex iis erat Simon ille quem angariaverunt ut portaret crucem post Christum (Matth. 27,32; Marc. 15,21). Ex ea quoque regione aderant viri religiosi in festo pentecostes (Act. 2,10) et persecutione in S. Stephanum facta viri cyprii et cyrenaei ex urbe Antiochiam profecti etiam Graecis annuntiabant Dominum Iesum (Act. 11,20).

CYRENE (קִיר) regio in quam Theglathphalasar III. habitatores Damasci urbe capta et rege occiso transtulit (4 Reg. 16,9), sicuti Amos (1,5) praedixerat. Eiusdem regionis mentio fit in oraculo divino Amos 9,7 : Numquid non ascendere feci..... Syros (Aram) de Cyrene? LXX 4 Reg. 16,9 vocem non exprimunt, aliam autem vocem videntur legisse Am. 1,5 : ἐπίκλητος (קריא?) et 9,7 : βόθρος (קיר fodere?). Praeterea in textu hebr. Is. 22,6 קיר iungitur in membro parallelo cum Aelam eodem modo, quo Is. 21,2 Media. Verum ubi regio Qîr quaeri oporteat, valde dubium est. *Barhebraeus* ad Am. 9,7 adnotat : Kurus i. e. Charan. Alii interpretantur regionem ad Cyrum amnem, qui iunctis cum Araxe aquis in Caspium mare devolvitur (*Calmet*, *Michaelis*), alii urbem Κοῦρνα (*Ptol.* VI. 2,10) ad Mardum fluvium sitam in Media australi (*Bochart*, *Riess*), alii Cyrrhesticam inter Orontem et Euphratem (*Furrer*), alii Babyloniam meridionalem (*Halévy*), alii regionem vel medicam vel forte babylonicam (*Schrader*). W. *Max Müller* omnibus locis citatis emendandum esse putat קוֹצ (vide COA), quae regio in inscriptionibus cuneiformibus commemoratur *Qutū* vel *Qū* ad meridiem Assyriae.

Cf. *Calmet* ad 4 Reg. 16,9 et Am. 1,5; *Michaelis*, Spicil. II. 121. suppl. 2191; *Bochart*, Phaleg 4,32; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 19; *Furrer* apud *Schenkel*, Bibellexicon III. 534; *Halévy* in Revue des Études juives XI. 60; *Schrader* apud *Riehm-Baethgen*, Handwb. d. bibl. Altert. I. p. 845; *W. Max Müller* apud *Hastings*, Dict. of the Bible III. 1.

CYRINUS (Κυρήνιος, Κυρίνος). P. Sulpicius Quirinus, praeses Syriae. Descriptio imperii romani (de qua s. v. AUGUSTUS) dicitur prima facta esse ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρίνου (Luc. 2,2). Unde nota (contra lectionem Vulgatae : *a* praeside Syriae Cyrino; sed solum praeside legunt codices boni, S. Ambr., S. Aug., Maldonatus) e textu graeco non dici eam factam esse *a* praeside, sed tantum, cum ille esset Syriae praeses. Dicitur ea descriptio prima praeside Cyrino, ut distinguatur ab altera eodem praeside facta, de qua Act. 5,37 et *Iosephus*, Ant. XVIII. 1,1. Quia igitur Cyrinus postea quoque censum peragerет in Iudaea et legatione functus esset in Syria, evangelista eum utpote notiorem nominat. Neque ex modo narrationis necessario sequitur eam descriptionem *inceptam* esse praeside Cyrino; sufficit ut eo praeside sit ad finem perducta; tum enim

facile ab eo quasi nomen accipere potuit, praesertim quia idem alteram postea peregit. Ita enim loqui oportet si cum compluribus assumitur Cyrinum fuisse praesidem Syriae post Varum usque ad annum 753, pro quo tempore nullus praeses monumentis nobis proditur. Varum autem munere suo functum esse aliquo tempore post mortem Herodis certum redditur testimoniis Flavii Iosephi (Ant. XVII. 9,3; 10,1. 9-10; 11,1; Bell. iud. II. 3,1 s. 5,1 s.) et Taciti (Hist. 5,9). Cyrinum autem diu ante annum 759 (quo anno eam suscepit administrationem Syriae de qua narrat *Iosephus*, Ant. XVII. 13,5; XVIII. 1,1; 2, 1) in partibus Syriae fuisse admittunt communiter. Refert enim Tacitus (Annal. 3,48) : consulatum sub divo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus datusque rector Gaio Caesari Armeniam obtinenti. Consulatum autem gessit anno 12 a. Chr., rector datus est Gaio Caesari anno 3 p. Chr.; sed teste Tacito post consulatum et antequam rector esset datus, Homonadenses devicit. Iam lege romana expeditio militaris erat suscipienda a praeside illius provinciae, ex qua bellum erat gerendum; sed Homonadenses, incolae Tauri montium, probabilissime ad Ciliciam, partem Syriae provinciae, accensebantur; unde licet concludere Cyrinum qui iis intulit arma, in provincia magistratum gessisse. De qua re vide *Zumpt*, Comment. epigr. II. 90 s.; Das Geburtsjahr Christi p. 43 s.; Revue des questions hist. II. p. 22; *Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes im Zeitalter J. Ch. *ed.* 3, I. p. 322 s.; *Vigouroux*, Le Nouveau Test. et les découvertes archéologiques *ed.* 2, p. 125; *Friedlieb*, Leben Jesu p. 292; *Cornely*, Introd. III. p. 157; Comment. in Lucam ad eum locum : *Bisping*, *Schanz*, *Knabenbauer*.

Alii negant Cyrinum bis legatum Syriae fuisse (cf. *Kellner*, Zeitschrift für kath. Theologie, Innsbruck 1888 p. 477); nihilominus potuit cum imperio extraordinario in eam regionem quam bene cognitam habebat mitti ad censum ibi peragendum. Nam ad census peragendos mittebantur legati Caesaris censuum accipiendorum, censitores; ii autem munere fungebantur auctoritate propria a Caesare accepta (cf. *Vigouroux* l. c. p. 113). Sed cum dicatur Cyrinus ἡγεμονεύων τῆς Συρίας, etiam censeri potest eum Varo additum fuisse legatum et quaestorem; nam ea quoque significatione vocem ἡγεμών adhiberi, exempla habes apud *Iosephum*, Ant. XVI. 9,1. 2; 10,9; XVII. 9,3; Bell. iud. I. 27,2 (cf. *Patritius*, De evangeliis diss. XVIII. cap. 2 n. 16).

Unde satis explicari potest quod Lucas dicit. Id solum notari oportet, quod in rebus historicis defectu documentorum haud raro occurrit, nos posse ostendere unum alterumve modum omnino probabilem quo res narrata evenire potuerit; qui modus autem revera fuerit, certo dici non posse. Verum aequus rerum arbiter concedet ea ratione satis consuli narrationi Lucae, qui asserit se diligenter inquisivisse, etsi indolem sacri libri et inspirationis non in considerationem adhibemus. Alii quoque modi propositi sunt, immo totus versiculus tamquam interpolatus ab aliquibus reiicitur, ab aliis pro Κυρηνίου ponitur Κυιντιλίου etc. etc. (quae simul cum aliis coniecturis et explicationibus vide apud *Knabenbauer*, Comment. in Lucam ad 2,2).

CYRUS (כּוֹרֶשׁ, et Esdr. 1,1 ss. כֹּרֶשׁ; Κῦρος; in inscriptionibus persicis Kurus; cf. *Spiegel*, Altpers. Keilinschriften p. 2; in babylonicis Kuras; cf. *Schrader-Witehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. II. p. 59; Zeitschr. für Assyriologie VI. 1891 p. 170), rex Persarum qui regno suo Babylone constituto Iudaeis exsulibus permisit in patriam redire et templum aedificare iisque reddidit vasa templi Domini quae abstulerat Nabuchodonosor (Esdr. 1,1-11). Cyrus Astyagen regem Medorum vicit eumque captivum fecit anno 550 et inde Medis quoque dominabatur, ipsum vero Astyagen in honore habuit eique aliquam regnandi regiique splendoris partem reliquit; unde facile explicatur cur Dan. 13,65 dicatur : et rex Astyages appositus est ad patres suos et suscepit Cyrus Perses regnum eius. Nam ex opinione populari, cui aliquid veri suberat, Cyrus dici poterat mortuo Astyage demum plenissimo modo

regnum eius suscepisse. Postquam Nabonidus rex Babylonis in pugna ad Rutu victus fugam cepit, Baltassar filius eius (vide s. v.) exercitui in urbe Babylone praeerat eamque occupabat. Verum mox Gubaru unus ex ducibus primariis Cyri urbem obtinuit die 16. mensis Tammuz et die 3. mensis Marcheshvan, igitur post 3 menses ipse Cyrus urbem ingressus est, uti ex inscriptionibus colligitur (cf. *Brunengo,* L'Impero di Babilonia e di Ninive II. p. 420; *Hommel,* Geschichte Bab. und Assyr. p. 785; *Vigouroux,* La Bible et les découvertes mod. *ed.* 6 IV. p. 345 ss.; *Schrader,* Keilinschriftliche Bibliotek III. 2 p. 135). Quomodo urbs capta sit ex inscriptionibus erui non potest. Neque tamen silentio earum refutatur id quod veteres de Euphrate flumine diducto et de ingressu Medorum et Persarum, dum Babylonii conviviis et luxuriei indulgerent, referunt. Nam ibi eventus bellici satis obiter et succincte potius innuuntur quam narrantur et cum inscriptiones illae a Babyloniis et pro Babyloniis conficerentur, silentium illud de clade satis explicatur. Porro ex inscriptionibus quas edidit *Strassmaier* indubie constat Cyrum eodem anno occupationis urbis etiam titulum regis Babylonis sibi attribuisse (vide *Knabenbauer*, Comment. in Dan. p. 171), qui annus vocatur annus accessionis, annus subsequens autem annus primus. Et de hoc anno primo narratur Esdr. 1,1 ss. et eo anno coeptum est impleri quod Is. 44,28 dictum est: qui dico Cyro: pastor meus es et omnem voluntatem meam complebis; qua appellatione pastoris Cyrus declaratur instrumentum et minister eius qui sicut pastor gregem suum pascit (Is. 40,11). Eodem pastoris nomine saepius designantur iudices et reges theocratici. Cyrus autem populum in libertatem vindicans et sacra templi vasa reddens et aedificationem templi permittens quasi regis theocratici munus obit et ita instaurationis theocratiae prima quasi iaciens fundamenta praecursor et typus evadit Messiae liberatoris, uti apud Isaiam utraque liberatio, per Cyrum facta et messiana, exhibetur. Unde simul intellegitur, cur Cyrus unctus Domini vocetur (Is. 45,1); Dei enim voluntatem de populo exsequitur; a Deo erat electus ut rerum babylonicarum potitus populo Dei redderet libertatem. Quare Deus gentes et reges ei dicitur subiicere (Is. 45,1-3) « propter servum meum Iacob et Israel electum meum et vocavi te nomine tuo ». Verum optime et verissime quoque additur: et non cognovisti me. Nam, uti bene iam dicit ad eum locum S. Hieronymus: tu non cognovisti me, id est, simulacra cognovisti, non Deum. Cyrus enim, uti ex inscriptionibus cernitur, eodem modo, quo in edicto apud Esdram mentionem facit Iahwe, etiam loquitur de Bel, Nebo, Marduk; deorum babyloniorum se profitetur cultorem eximium et templa eorum sedulo instaurat. Ideoque bene congruit quod dicitur Is. 45,3: dabo tibi thesauros... ut scias quia ego Iahwe qui voco nomen tuum, et v. 4: et non cognovisti me; nam agnovit Deum Israel, uti ex eius decreto Esdr. 1,2 s. patet; sed cum similem honorem diis quoque conferret eosque coleret, merito dicitur non cognovisse Dominum quem cognoscere est idola respuere et unum confiteri et adorare Deum. Narrat Flavius Iosephus (Ant. XI. 1,2) Cyro esse ostensum oraculum Isaiae et nomen eius a vate praedictum, qua re motus fuerit, ut faceret imperata: ταῦτ' οὖν ἀναγνόντα καὶ θαυμάσαντα τὸ θεῖον ὁρμή τις ἔλαβε καὶ φιλοτιμία ποιῆσαι τὰ γεγραμμένα; id quod improbabile non est; inde enim facile explicatur cur Cyrus in decreto suo dicat: omnia regna terrae dedit mihi Iahwe Deus caeli et ipse *praecepit mihi* ut aedificarem ei domum in Ierusalem (Esdr. 1,2), quod decretum postmodum inventum est Ecbatanis (Esdr. 6,1 s.). Cyrus prudenter quoque egit reditum Iudaeorum permittens; nam ut exsequi posset occupationem Aegypti omneque periculum avertere quod Aegyptii regno suo creare vel inferre possent, opus ei erat gentibus sibi deditis in Palaestina.

Apud Cyrum Danielem quoque in honore et auctoritate fuisse, indicatur Dan. 6,28 et affirmatur 14,1 (ad quam narrationem pertinet quod in Vulgata legitur 13,65): erat autem Daniel conviva regis et honoratus super omnes amicos eius (verum LXX eam rem de alio quodam Daniele, sacerdote, filio Abal nar-

rari perhibent). Quae itaque Dan. cap. 14 narrantur, Cyro rege contigerunt, detectio scil. fraudis sacerdotum Bel et occisio serpentis. Cultum serpentum apud Babylonios viguisse certum est (cf. *Knabenbauer*, Comment. in Dan. p. 350) neque a veritate alienum est quod Babylonii postquam Daniel diis eorum illusit non solum in eum odium conciperent, sed etiam in ipsum regem rebellionem minarentur. Nam Babylonii valde proni erant ad seditiones movendas; furores eo magis excitari solent quo quis magis superstitiones aggreditur. Iam eas aggressus est Daniel alienigena, qui propter honorem et amicitiam regis sibi multorum invidiam et odium conflaverat; auspice et fautore rege alienigena eiusmodi irrisiones diis et Babyloniis irrogavit; quare minis in regem iactis mortem Danielis expostulant. Ex eo autem tumultu perspicit Cyrus se egisse audacius quod permitteret alienigenam ea destruere quae Babyloniis essent sacrosancta; quare censet prudentis esse non vim vi repellere neque animos exulceratos etiam magis irritare, sed cedere irae populari eique placamen quoddam adhibere. Insuper ab inimicis Danielis facile potuit regi insinuari Danielem regi struxisse insidias eiusque auctoritatem summo obiecisse periculo, uti ex magna illa Babyloniorum irritatione et seditione constaret; quare quae eo capite narrantur non est cur in dubium vocentur atque eo facilius explicantur, si initio regni Cyri in Babylonia acciderunt. Eo enim tempore et Babylonii facilius in alienigenam et irrisorem deorum furorem concipiebant et ipse rex potius pronus esse debebat ad cedendum turbis putans satius esse animos sibi conciliare quam exasperare. — Anno tertio Cyri regis babylonici Daniel ultima sua visione donatus est (Dan. 10,1). Atque haec de Cyro, quatenus in libris sacris eius reperitur mentio, sufficiant.

BS
440.
.H26
v.1

HAGEN, MARTIN, ED.

Lexicon Biblicum.

BS
440.
.H26
v.1

PONTIFICAL INSTITUTE
OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK
TORONTO 5, CANADA